This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

4 P. gr. C. 9-4

Ferd. Balth. Eckher
SS. Theol. & J. U. D.
Profeſſor &c.

BESCHAFFT AUS MITTELN DER

Carl Friedrich von Siemens
Stiftung

Digitized by Google

Byzantini [illegible]

ANTIQVÆ LECTIONIS
Tomus IV.
BIPARTITVS
IN QVO XXXIIX.
ANTIQVA MONVMENTA, NVNQVAM VISA.

In prima parte.

Leontii Byzantini in Eutych. & Neſtorianos libri 3.
Eiusdem in fraudes Apollinariſtarum.
Eiusd. ſolutiones argum. Seueri.
Eiusd. dubitationes hypotheticæ.
Auctoritates SS. PP. à Timotheo.
S. Damaſcenus in Acephalos.
Idem in Neſtorianos.
Collectanea Anonymi in Seuerianos.
Oppoſitio Seuerianorum cum reſponſo.
XIII. cap. de vnione in Chriſto.
S. Nicephori in Iconomachos 4. op. 1. in principes Apoſtaſiæ de Incarnatione. 2. de differẽtia imaginis Chriſti & Crucis. 3. de Cherubinis à Moyſe factis. 4. ex li. de ima. Theodori Hagiopolitani diſp. 3.

In ſecunda parte.

Henric. Kalteiſen in Concil. Baſil. de libera prædicatione verbi Dei.
Ioannes Polemar in Concil. Baſil. de dominio Clericorum.
S. Willibaldus de S. Bonifacio.
Othlonus Fuldenſis de eodem.
De fundatione Illminenſi.
Fragment. chron. Thadæi Scoti.
Hodœporica 2. S. Willibaldi, & eius vita.
Heidenheim. Sanctim. de S. Wunibaldo.
Ermenoldus de S. Sola.
Philip. Ep. Aichſtad. de S. Walpurga.
Wolfhardus Haſenrietanus de eadem.
Anonymi de S. Kiliano & S. Burchardo.
De S. Tyemone Arch. Saltzpurg. Martyre æquæuus auctor.

OMNIA NVNC PRIMVM E MANVSCRIPTIS EDITA ET NOTIS ILLVSTRATA

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGOIC. ET SS. CANONVM PROFESSORE ORDINARIO IN ACADEMIA Ingolſtadienſi.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII

Ex officina Typographica Ederiana, apud ANDREAM ANGERMARIVM. *Anno* M. DCIII.

Ex dono nobilis et clariss. Viri Henrici Canisij

Digitized by Google

NOBILISSIMO AC STRENVO VI-
RO ET DOMINO, IOANNI
A SCHELLENBERG, DOMINO
in [illegible]

HENRICVS CANISIVS No-
viomagus, sacrorum Canonum Pro-
fessor Ingolstadij
S. P. D.

[illegible]

es, bono publico donarent. [illegible] quoties queri-
tes memini, tot pretiosos [illegible]
se; quia non erant, qui in [illegible]
[illegible] darent. Sed [illegible]
[illegible]

cfs 12h1/81

NOBILISSIMO AC STRENVO VIRO ET DOMINO, IOANNI A SCHELLENBERG, DOMINO in Hüffingen, Stauffen, Randegg, &c.

HENRICVS CANISIVS Nouiomagus, ſacrorum Canonum Profeſſor Ingolſtadij

S. P. D.

IN edendis Tomis Antiquæ lectionis hoc mihi conſilium fuit, vt antiquos auctores, quos è latebris bibliothecarum eruere poſſem; luci, bono publico, donarem. Doleo quidem, quoties memini, tot pretioſos manuſcriptos periiſſe; quia non erant, qui in tenebras demerſis manus darent. Sed ne, quæ ſuperſunt antiqui-

Digitized by Google

tatis reliquiæ, pereant, ſtrenuè aliqui viri docti allaborant. Equidem cùm primum & ſecundum emiſiſſem tomum, iamq; in tertio optarem conquieſcere, ita multi magni viri adfuêre, quorum alij recondita antiquitatis monumenta ſubmiſerunt, alij hortationibus impulerunt; vt ſi vellem, non poſſem; neque ſi poſſem, vellem, illorum voluntati et humanitati non ſatisfacere.

Adfuit inter alios Illuſtriſſimus, & omnia doctiſſimus Cardinalis Cæſar Baronius, qui non ſolùm in X. Tomo Annalium Eccleſiaſticorum, & in appendice eiuſdem tomi publicè, ſed etiam priuatim, humaniſſimis ad me datis litteris, teſtatus eſt, meos labores ſibi gratos accidiſſe, & ne eos hic ſiſtam, potenti ſuo verbo penè iubet: Imperij enim loco mihi eſt tanti viri adhortatio. Adfuit quoq; Reuer. P. Antonius Poſſeuinus Societatis IESV, *qui in ſuo ſacro Apparatu, eo verbo meorum tomorum meminit, vt penè obliger, ne adquieſcam, quin plures promam; imò Venetijs ad me tranſmiſit præclariſſima illa monumenta, neq; Græcè, neq; Latinè vſquam vnquam viſa, quæ primam*

partem

partem huius quarti tomi conficiunt.

Boni, quorũ beneficio potiſsimùm codices manuſcriptos habui, ſunt Reuerẽdiſſ. D. Quirinus Leoninus, Cathedralis Eccleſiæ Ratiſponenſis Præpoſitus, &c. Magnificus D. Albertus Hungerus, Academiæ huius Ingolſtadienſis Procancellarius, admodum R. D. Georgius Lautherius ad D. Virginis Monachij Præpoſitus; & nobilis & Cla. D. Chriſtophorus Gewoldus V. I. D. & Sereniſſ. Principis Maximiliani vtr. Bau. Ducis Conſiliarius & Secretarius intimus: Item admodum R. Pater ac D. Andreas Vögelin, Abbas VVindbergenſis, Ordinis Præmonſtratenſium; denique admodum R. Pater ac D. Leonardus Craus, Monaſterij Rebdorffenſis propè Eyſtadium, Ordinis S. Auguſtini Prior: quos omnes honoris ergò nomino, vt hac ipſa commemoratione aliquo modo ipſis gratias referam. Et quidem te teſte, nobiliſsime D. à Schellenberg, cuius illuſtri nomini hunc IV. Tomum inſcribere volui; vt eſſet mei in te tuasque laudes, animi hoc publicum teſtimonium. Laudes enim tuæ etiam in Academiam Ingolſtadienſem penetrarunt: in qua

nota ſunt tua per antiquæ nobilitatis inſignia, & illud ab alto ſtemmate deductum genus, cuius ſplēdorem dum virtute & eruditione illuſtras, ſi antiquo ſoli nouum ſolem accendis. Hinc nata illa beneuolentia & prolixa humanitas in omnes, quos virtus & eruditio ornant; hinc rara prudentia, atq; in rebus arduis feliciter tractandis tanta dexteritas, toties probata Principibus, & ipſi Imp. Rudolpho, qui tuæ potiſsimum prudentiæ, iuſtitiæq; tot negotia in Hegoia, alijsq; locis commiſit. Virtutem verò eruditionem, potentiamq;, veluti veſtem lacinia, ornat cognitio illa variarum linguarum, & experientia Heroe digna.

Hæc licet ſint, quæ me mouerunt, vt illuſtri tuo nomine, velut patrocinio, librum meum munitum & ornatum cuperem, tamen quiddam adhuc eximium eſt, quod priuatim propius ſpectaui. Huic, inquam, Antiquas lectiones dicare volui, qui eſſet antiquitatis æſtimator, qui antiquos Auctores cum voluptate videret & noſſet: apud hunc demùm benè hoſpitatos ſe dicent. Paucorum enim eſt, & illorum tantùm, qui recondita literatura imbuti ſunt,

anti-

antiquitatis studioſos amare, & æſtimare. Deus Opt. Max. te, nobiliſſime & ſtrenue vir, Eccleſiæ Catholicæ diu ſervet & incolumem. Vale. Ingolſtadii Cal. Septemb. Anno M. DC III.

Fidei & pietati cum hic quartus quoq; tomus Clariſſimi I. C. Domini HENRICI CANISII non parum ſerviat; dignus & ipſe merito cenſendus eſt, qui cæteris Antiquæ lectionis tomis nuper editis annumeretur, & è latebris ac tenebris ipſe etiam in lucem prodeat.

ALBERTUS HUNGERUS *S. Theologiæ D. Profeſſor, et Procancellarius, atq. Theologici Collegii pro tempore Decanus.*

INDEX

Eorum, quæ hoc IV. Tomo continentur.

IN PRIMA PARTE.

LEontii Byzantini libri tres cōtra Eutychianos & Neſtorianos:

I. 1. contra Enantiodocetas. fol. 1.

II. 2. contra Aphthartodocetas. fol. 40.

III. 3. contra illos, qui ſimulabant, ſe Chalcedonenſem Synodum recipere, cum eſſent Neſtoriani. Et de Neſtorianis triumphus. f. 68.

IV. Eiusdem Leontii liber in fraudes Apollinariſtarū, ſeu in eos, qui proferunt quædam Apollinarii, falſò inſcripta nomine ſanctorum Patrum. f. 106.

V. Eiusdem Leontii liber, qui inſcribitur: Solutiones argumentationum Severi. f. 129.

VI. Eiusd. Leōtii liber, qui inſcribitur: Dubitationes hypotheticæ, & definientes, contra eos, qui negant eſſe in Chriſto poſt vnionem duas veras naturas. f. 149.

VII. Auctoritates ſanctorum Patrum contra eos, qui diuidunt in duas naturas Vnum Dominum IESVM Chriſtum poſt vnionem: collectæ à Timotheo heretico, ſiue quis alius fuerit. fol. 158.

Notæ in Leontium. f. 162.

VIII. S. Ioannis Damaſceni liber contra Acephalos, ſeu Monophyſitas. f. 172.

IX. Eiusd. S. Damaſceni liber contra Neſtorianos. f. 212

X. Col.

X. Collectanea incerti auctoris contra Seuerianos & Acephalos. f.232.
XI. Oppoſitio ex perſona Seuerianorum contra fidem Orthodoxam, cũ reſponſo incerti auctoris. f.247
XII. Capita tredecim, in quibus demonſtratur, quid diſſimilitudinis habeat exemplum hominis cum vnione in Chriſto. f.248.
Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani opuſcula 4. contra Iconomachos.
XIII. 1. Duodecim capita contra Principes Apoſtaſiæ de Incarnatione Chriſti. f.253.
XIV. 2. De differentia Imaginis Chriſti & Crucis, decem ſyllogiſticæ demonſtrationes. f.259.
XV. 3. De Cherubinis à Moyſe factis. f.262.
XVI. 4. Ex libro S. Nicephori de imaginibus. f.274.
Theodori Hagiopolitani diſputationes tres.
XVII. 1. Diſputatio de nomine Dei fol. 281.
XIIX. 2. Diſputatio de Deo & Deitate. f.283.
XIX. 3. Diſputatio cum Neſtoriano. f.288.

OMNIA

Ex Græco in Latinum tranſtulit Franciſcus Turrianus Societatis IESV.

IN SECVNDA PARTE.

XX. Henrici Kalteiſen oratio, qua in Concilio Baſileenſi anno 1433. per dies tres refutauit tertium articulum Bohemorum, De libera Prædicatione verbi Dei, quem propoſuit per biduum Vdalricus Presbyter Orphanorum. f.1.
XXI. Ioannis de Polemar, Archidiaconi Barcinonen-

ſis Oratio, qua in Concilio Baſileenſi, anno 1433. per dies tres refutauit quartum Articulum Bohemorum, de ciuili dominio Clericorum, quem propoſuit per triduum Petrus Rayne Anglus. fol. 228.
XXII. S. Willibaldi, primi Epiſcopi Eichſtadiani, liber de vita S. Bonifacii Martyris, Germanorum Apoſtoli, Archiepiſcopi Moguntini. f. 338.
Variæ Lectiones in hunc librum S. VVillibaldi. f. 743. f. 387.
XXIII. Othloni Fuldenſis Preſbyteri libri duo de vita eiuſdem S. Bonifacii Martyris. f. 392.
XXIV. De Fundatione Eccleſiæ Illminenſis & Tegernſeenſis, & de Tranſlatione S. Arſacii. f. 470.
XXV. Thadæi Abbatis Scotorum Ratiſponæ fragmentum Chronicon. f. 473.
XXVI. Hodœporicon ſeu Itinerarium S. VVillibaldi ad Terram ſanctam, primi Epiſcopi Aichſtadiani, ſcriptum à Conſanguinea S. VVillibaldi, Sanctimoniali Heidenheimenſi. f. 475.
XXVII. Hodœporicon aliud eiuſdem S. VVillibaldi ad Terram Sanctam, ſcriptum à Diacono S. VVillibaldi, vel alio quopiam, qui ex eius ore videtur excepiſſe. f. 705.
XXIIX. Eiuſdem S. VVillibaldi vita. f. 693.
XXIX. Heidenheimenſis Sanctimonialis de vita ſancti VVunibaldi fratris S. VVillibaldi. f. 514.
XXX. Ermenoldus ſeu Ermenricus Diaconus de vita S. Solę. f. 542.
XXXI. Eiuſdem Ermenrici Epiſtolæ ad Gundrammum & Rudolphum, & Gundrammi ad Ermenricum. & variæ lectiones in vitam S. Solæ. f. 732.

XXXII.

XXXII. Vita S. VValpurgæ Virginis, ſcripta à Philippo XXXIX. Epiſcopo Eiſtetenſi, ad petitionem Vngarorum Reginæ, filiæ Alberti Regis Romanorum. f. 559.
XXXIII. VVolfhardus Haſenrietanus de ead. S. VValpurga, juſſu Erchemboldi IIX. Epiſc. Eiſtetenſis. f. 604.
XXXIV. Eiuſd. VVolfhardi de S. VValpurgæ miraculis liber ſecundus. f. 718.
XXXV. Vita S. Kiliani Ep. VVirtzburgenſis, Kolomanni, & Tornani Martyrum. f. 625.
XXXVI. Alia vita eorundem Sanctorum. f. 642.
XXXVII. Vita S. Burchardi VVirtzburgenſis Epiſcopi. f. 646.
XXXVIII. De S. Tyemone ſiue Theodamaro Archiepiſcopo Saltzburgenſi, Martyre in Terra Sancta, Æquæuus auctor. f. 659.

(b) ANTI-

ANTIQVÆ LECTIONIS

Tomi quarti

PARS PRIMA.

I. Leontii Byzantini libri tres in Eutychianos & Neſtorianos.

1. contra Enantiodocetas. fol. 1.

II. 2. contra Aphthartodocetas f. 40.

III. 3. contra Neſtorianos, qui ſimulabãt ſe Chalcedonenſem Synodum recipere. f. 68.

IV. Idem Leontius in fraudes Apollinariſtarum. f. 106.

V. Eiusd. Leontii ſolutiones argumentationum Seueri. f. 129.

VI. Eiusd. Leontii dubitationes hypotheticæ. f. 149.

VII. Auctoritates SS. PP. collectæ à Timotheo, ſeu alio. f. 158.

VIII. S. Ioannes Damaſcenus contra Acephalos. f. 172.

IX. Idem S. Damaſ. in Neſtorianos f. 212.

X. Collectanea incerti contra Seuerianos. f. 232.

XI. Oppoſitio ex perſona Seuerianorum cum reſponſo. f. 247.

XII. Capita tredecim de vnione in Chriſto. f. 248.

XIII. S. Nicephori opuſcula 4. contra Iconomachos, 1. capita 12. cõtra principes Apoſtaſiæ de Incarnatione Chriſti. f. 253.

XIV. 2. de Differẽtia imaginis Chriſti & Crucis. f. 259.

XV. 3. de Cherubinis à Moyſe factis. f. 262.

XVI. 4. Ex lib. S. Niceph. de imaginibus.

XVII. Theodori Hagiopolitani diſpu. 3. 1. de nomine Dei f. 281.

XVIII. 2. de Deo & Deitate. f. 283.

XIX. 3. Diſputatio cũ Neſtoriano. f. 288.

INTERPRETE

FRANCISCO TVRRIANO SOCIETATIS IESV.

Neq; Græcè, neq; Latinè vnquam viſa.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MANVſcriptis edita.

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO I. C. SS. CANONVM Profeſſore Ingolſtadij.

LEON-

Digitized by Google

Leontij Byzantini Monachi

LIBRI TRES CON-TRA EVTTYCHIANOS ET NE-STORIANOS.

I. Contra Enantiodocetas.
II. Contra Aphthartodocetas.
III. Contra illos, qui ſimulabant, ſe Chalcedo-nenſem Synodum recipere; cùm eſſent Ne-ſtoriani.

EIVSDEM

LEONTII SOLVTIONES ARGVMENTATIONVM SEVERI.

Eiuſdem

LEONTII DVBITATIONES HY-POTHETICÆ ET DEFINIENTES CONTRA

eos, qui negant eſſe in Chriſto poſt vnionem dúas veras naturas.

INTERPRETE

FRANCISCO TVRRIANO SOCI-ETATIS IESV.

Omnia nunc primùm ex m. ſ. in lucem edita.

Anno M. DCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONTII BYZANTII MONACHI Prologus.

CVm viri Deo chari, & diuinorum dogmatum ſtudioſi diſputationes, quas frequenter publicè habuimus, approbaſſent, hortati ſunt nos, vt dubitationum, & ſolutionum, in iis, de quibus ſæpè diſſeruimus, deſignationes quaſdam ſcripto ipſis traderemus, vt eſſe eis poſſent, ſicut quidam dixit, remedium obliuionis, excitatio memoriæ, & temporis, quod omnia obliterat, reparatio. Nos vero ſæpe interpellati, diſtulimus cum propter alia multa, tum propter duo potiſſimum, quorum alterum quidem erat, non eſſe nos pares ad ſcribendum, quoniam nec externam diſciplinam percepimus; & ſpiritualem doctrinam, quam diuina gratia ſuppeditat mundo corde præditis, nondum aſſecuti ſumus. non enim pudet me conſcium mihi eſſe tenuitatis meæ, cum ij, qui nunc ſunt ſapientes, ſe penitus ignorent. alterum verò, quòd iſtorum ingrata memoria veterum laborum, quos ſancti patres ſuſceperunt, multam pigritiam animo meo ad obediendum iuſſis charitatis afferebat. Quibus enim non ſuaſerunt libri tanta Dei gratia, & ſapientia. ac ſummo etiam philoſophiæ, & aliarum diſciplinarum ſtudio ſcripti, & editi, quomodo hic meus exilis ſermo ex

 tenuitate

Digitized by Google

tenuitate tum mentis, tum linguæ profectus ſuadere poterit? Iuſſis tamen beneuolis, Etſi non prius, nunc tandem parere decreuimus. non enim iuſſerunt, vt eorum qui robuſti ſunt, & rectè valent, curam haberemus. Tres itaque libros ſcripſimus, quorum primus cõtrariæ, & falſi nominis ſcientiæ, Neſtorij & Eutychis obiecta & oppoſita ſummatim cõtinet, paucis omnes fere eorũ quæſtiones comprehendens. Diſtinguimus autẽ librum in capita; ita vt vnũquodque caput ea contineret, quæ ad ipſum referri poterant.

Inſcriptio autem huius libri accommodate ad propoſitam rem ſubiectam adhibita eſt, contrariæ inter ſe fictionis Neſtorij & Eutychis circa diuinitatem, ac humanitatem Chriſti confutatio, quia alter diuinitatẽ, alter humanitatem ſpecioſis nominibus vſi, vt vterique viſum eſt, fictam tradunt.

Secundus liber eſt in eos, qui ex noſtris acceſſerunt ad corruptã ſententiam eorum, qui corpus Chriſti incorruptibile ante reſurrectionem tradebãt, qui ex eo vocati ſunt ἀφθαρτοδοκῆται. Iuſtiſſime a. ſunt hi accuſandi, qui vnius domini, & Dei, ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti differentiam, & proprietates, & operationes ſciunt. Eos enim, qui naturis aduerſantur, & earum differentiam negant poſt vnionem, ac proprietates, & actiones in eis ſcelerate confundunt, non magis ridemus propter inſcitiam, quàm dolemus, & miſeramur propter impietatem, qui de modo vnionis naturarum dubitant, quas neque concedunt, neque ponunt eſſe. Oportebat enim primum poſitum eſſe, & fixum ipſis, eſſe & ſeruari poſt vnionem naturam diuinitatis Chriſti, & naturam humanitatis eius atque ita inquirere poſtea, quomodo ſe habeant inter ſe, & quomodo ſint. Huius libri ſtylus conformatus eſt in diſputatione & dialogo, nihilque, vt arbitror, relictum eſt eorum, quæ ad propoſitam quæſtionem ſpectabant, & commoda erant. Ne autem perſonæ confunderentur perſona dubitantis habet ſtellam inſignitam: perſona ſoluẽtis dubitationes figuram crucis. Nec id quidem factum eſt temere. Nota enim ſtellæ ſignificamus tenuem, & non explicatam cognit-

onem

Digitized by Google

enim perſonæ dubitantis; defenſorem autem veritatis Trophæo crucis armauimus. Eſt autem inſcriptus hic liber, Aduerſus eos, qui ex noſtris ſe adiunxerunt ad corruptam ſententiam Aphthartodocetarum, id eſt, eorum, qui corpus Chriſti ante reſurrectionem incorruptibile fuiſſe ſenſerunt dialogus.

Tertius liber continet confutationem eorum, qui ſimulant ſe tenere magnam & œcumenicam Synodum Chalcedonenſem; & ſunt Neſtoriani. Hi ſicut & reliqui hæreſum ſectatores, videntur diuinas ſcripturas, & ſuperiores Synodos recipere, non quidem quod ſecundum eas ſentiant, ſed vt impietatem ſuam ad decipiendos ſimpliciores hac ſimulatione tegant, ſicut Apolinarius & Macedonius Synodum Nicænam, & Neſtorius præter Nicænam etiam Conſtantinopolitanam: Eutyches præter alias, etiam Synodum Epheſinam. Sic etiam hi ſimulant ſanctam Synodum Chalcedonenſem, tum vt graui auctoritate perſonarum eius, impietatem ſuam celent, tum vt viam ſibi muniant ad oppugnandam veritatem. Quorum verſutiam cum impietate implicatam cum detegere ac prodere vellemus, ad primos patres eius impietatis confutationem reuocauimus, proferentes in apertum eorum origines, & fontes impietatis, vt ſic eos ſemel ſimplici veritate claudere, & eorum fluxionem impiam interrumpere ſtuderemus. Hoc enim modo reliquus fluxus impietatis delebitur. Siquidem natura comparatum eſt, vt, initiis malorum extinctis, quæ ex eis profecta ſunt, ſimul extinguantur. Librum autem confutationum in capita diſtinximus adſcripto numero in fronte cuiuſque capitis, eſt autem inſcriptus liber ſic:

De tacita ſimulatione & origine impietatis Neſtorianorũ, & de eorum patribus patefactio, & triumphus. Eos verò, qui hunc librum lecturi ſunt, rogamus, vt veniam dent, ſicubi aduerſariis plagam mortiferam non inflixímus; & veritatem infirmius quàm par erat defendiſſe videbimur. A diſſerendo quidem pro dignitate rerũ omnes ſimiliter abſumus; ſtudio vero & amore pietatis alius

 alio

alio præſtat. Vnuſquiſque autem vt erit præparatus, ita ſane menſuram gratiæ accipiet. Hoc etiam lectorem oratum velim, vt ſiquid ipſi non ſatis explicate à nobis dictum eſſe videbitur, aut propter abſtruſam quæſtionem, aut propter quarundam vocum variatam ſignificationem, ac proprietatem, ne hoc cum primum legerit, improbet. Cum enim iterum, & ſæpius quæ dicta ſunt, animaduerterit, ſententiam eorum, quæ dicuntur, explanatam reperiet. Perfecta verò per ſe merces laboris in quærendo poſiti erit veritatis inuentio. Auctoritates etiam cum iis quæ à nobis expoſita ſunt facientes, ſingulis libris ſubiecimus, vt veritatem teſtimonio antiquorum confirmaremus.

Εὐτοτελῆς.

LEON-

LEONTII CONFVTATIO VTRIVSQVE FICTIONIS INTER SE CONTRARIÆ, Neſtorij & Eutychis circa diuinitatem Chriſti, & humanitatem.

PRopoſitum mihi eſt exponere, & explanare rationem hypoſtaſis, & ſubſtantiæ, id eſt, perſonæ, & naturæ (idem enim vtraque ſunt, & circa idem verſantur) confuſam, & non explanatam apud eos, qui hoc tempore ſapientes numerantur; atque alia præterea capita explicare, quæ cum prima quæſtione cohærent, idque Deo iuuante, & infirmitatem cogitationum noſtrarum merito precationum veſtrarum fulciente; quibus confiſus ad tractationem huius quæſtionis me contuli. Nō ignoramus, quod qui nobis aduerſantur, & quibus vnum cum virtute, & cum ſanctis patribus certamen eſt, ſicut illos, ſic etiam nos, qui illorum diſciplinam ſectamur, & defendimus, inhonorant; qui nos potius neſcientes honorāt, dum probra quæ illis obiiciunt, nobiſcum communicant. Hi enim & diuina ludunt, & theologos cōuitiis conſectantur. & quid mirum, ſi nos, qui ſumus nihili, cōtemnunt? in quibus hoc tantum dignum eſt admiratione, quod omnē virtutem, quæ in actione eſt, ſtudioſe negligunt; ſeque ipſos ſapientes eſſe iubent; & ſunt tanquam ex iuſſione & edicto prudentia præditi; quos eruditos eſſe fecit, velle tantum; ſicut eos quidam ex hominibus vrbanis, lepide, & venuſte, ἀκροφιλοσόφους, id eſt, ſummos philoſophos vocauit. Sed non oportet nos propter illorum deprauatam

In Lutheranos.

πάσης μὲν ἀρετῆς, τῆς ἐν ἔργοις σπουδαίως ἀμελοῦσιν.

Digitized by Google

uatam voluntatem vel fiduciam vel certamen remittere, quinimmo contra, certaminibus virorum beatorum ad fortitudinem ſtimulari, & vrgeri, vt idem eueniat nobis, quod ferro calidiſſimo, quod quidem aquæ frigidæ immerſum, & infuſum dureſcit. Et nos dum cum his certamus, ad præmium certaminis roboramur. Age ergo verbo penetranti, tanquam gladio ancipiti aciem eorum aduerſus veritatem inſtructam à dextris, & à ſiniſtris perrumpentes, proſternamus eos, hinc exorſi. Diſcipuli Neſtorij in idololatria humanitatis Chriſti, & diſcipuli Eutychis in fictione, immo diſcipuli vtriusque fictionis, bellè enim vtrosque religioſus, & diuinus vir ἐναντιοδοκήτας, id eſt, contrariæ fictionis auctores contrarios appellauit, illi quidem diuinitatem in ſaluatore, fictè dicunt; hi vero humanitatem. Neſtorius beneplacitum, & dignitatem pro fictione diuinitatis defendit; Eutyches carnem ineffabilem, pro naturali, & noſtra. Sic honeſtis nominibus, & verbis decoris tanquam fictis coloribus fœditatem contrariæ quidem impietatis, ſed tamen æqualis, honeſtare nitūtur. Quaſi ſtudium nobis ſit elegantia nominum vtendi, & non potius faciem veritatis vere auream aſpiciendi, qua nihil eſt amabilius, quamuis nihil elegans, & ſplendidum accedat. Nec enim ornamentis indiget, quæ naturali pulchritudine ſplēdeſcit; nec verborum, quaſi pigmentorum fucata & fallaci ſpecie. Hi igitur ſecum & cum veritate pugnantes bellum in eam per contraria partiti ſunt eisdem propoſitionibus ad ſuum vterque finem abutentes, ita vt conſenſio impietatis contrariè diſſentientium vno argumento veritatis à diſcipulis eiuſdem veritatis conuellatur, & concordia prauitatis copioſam victoriam pariat, quibus enim argumentis alterum iſtorum, qui impietate connexi ſunt, refellimus, eiſdem etiam alterum ſimul refutauimus. Eſt autem aduertendum idē eueniſſe circa in carnationem Eutychi cum Neſtorio, quod in trinitate Sabellio cum Ario; illi enim per contraria in malum æquale ceciderunt. Sabellius quidem propter ſubſtantiam, in vnam hypoſtaſin confudit hypoſtaſes; Arius vero propter hypoſtaſes, ſimul cum eis ſubſtantiam diuiſit. Hi verò conuersè, Neſtorius quidem diuidit naturas in hypoſtaſes; Eutyches vero commiſcet naturas in naturā. Quibus enim diſputationibus, & argumentis à ſuperiorum temporum hominibus trinitas diuiſa eſt, eiſdem à poſterioribus oeconomiam, id eſt, incarnationem confuſam eſſe reperimus. Quibus autē nunc œconomiam diuidunt; his illi diuinitatem confundunt. Age ergo,

Abbas Nonnum.

ergo proferamus in medium eorum ſophiſticas propoſitiones. Et tanquam in iudicio, demus locum accuſationibus eorum, atque ita quæ fruſtra contra veritatem vanè excogitauerunt, diluere conabimur.

Contra Eutychem diſputatio.

Aiunt enim, ſi duas naturas in vno Chriſto eſſe dicitis, natura autem non eſt ſine hypoſtaſi, duæ ergo erunt hypoſtaſes. Vnum autem eſt vtriſque, vt dixi, certamen, quamuis finis ſit differens. Illi enim, id eſt Neſtoriani, vt cum naturis hypoſtaſes inferant; alij vero, id eſt, Eutychiani vt per hypoſtaſes naturas etiam tollerent, eodem argumento vſi ſunt. Sed audiant, qui Eutychis partes ſequuntur. Nobis enim vnum commune certamen contra vtroſque eſt; proprium vero contra hos. Quid vos, vnã naturam eſſe dicitis? Nõ, inquiunt, ſed vnam incarnatam. Nihil autem prohibet, quin vobiſcum coniungamur. Vnam itaque naturã verbi, quam dicitis, à vobis datã, & cõceſſam tenemus. De altera autem natura contendamus, quam naturam aliam eſſe dicimus præter naturam verbi, quæ natura caro à vobis dici ſolet. Quid de hac carne dicitis? habetne naturam, vel ſubſtantiam, aut partem quidem naturæ? quantum autem habeat, in veſtra poteſtate eſt, ſiue dimidiã, ſiue tertiam partem, ſiue aliam minimam partem vocare libet. Et vt eadem forma argumentandi vobiſcum vtar, eſt ne caro ἀνούσιος, id eſt expers ſubſtantiæ, vel expers naturæ? Quomodo noſtram quæſtionem effugietis? Etenim ſi eſt caro expers ſubſtantiæ, vel extra naturam; demonſtrate, quæ eſt, & quomodo hæc habet, & nos acquieſcemus. Sin autem extremæ inſcitiæ eſt, carnem ponere; & non eſſe, quod dicitur; aut non dici quod eſt, quo modo effugietis, quam ipſi nobis propoſitionem obiicitis? Si enim non eſt caro expers ſubſtantiæ, id eſt, non habens naturam, non eſt autem natura ſine hypoſtaſi, non eſt igitur caro ſine hypoſtaſi. Oportet ergo vos aut naturam à carne penitus remouere; aut duas hypoſtaſes domino tribuere ſecundum legem veſtram, quæ dicit non eſſe naturam ſine hypoſtaſi. Etenim ſi non eſt natura ſine hypoſtaſi, naturam autem verbi dicitis, hypoſtaſim ergo verbo dabitis. Et relinquitur quæſtio de carne. Vtrum ſi non habet propriam naturam, vocetur caro, & vocata, habeat etiam hypoſtaſim; aut non habens hypoſtaſim, etiam naturã amittat. Sic igitur vos veſtris dubitationibus conuicti eſtis. Et nulla verſutia vos extra pœnas eorum criminum, de quibus nos accuſaſtis, eſſe faciet. Et ſi vnam quæſtionem ſolueritis, magno honore

Eutyches vnã naturam verbi incarnatã tradebat, & hanc catholici contra eum ſumunt.

Eutyches non diſtinguebat hypoſtaſim à natura, & ideo propter vnam hypoſtaſim verbi, naturas confundebat in vnam.

ἀνούσιος, φύσεως ἄμοιρος.

digni apparebitis. Si non eſt natura ſine hypoſtaſi; ex duabus autem naturis eſſe dominum conceditis, eſt igitur ex duabus hypoſtaſibus. Quis igitur propter Neſtorij diuiſionem hypoſtaſeon reus fuerit, vobis permittimus iudicium. Sic ergo vos his argumentis reuictos dimittimus. Cum iis autem qui contrario modo atque nos, à veritate aberrant, ſic diſputabimus.

Contra Neſtorium diſputatio.

Non eſt idem hypoſtaſis, & enypoſtaton, id eſt, quod eſt in ſubſiſtente; ſicut aliud eſt ſubſtantia, & aliud eſſe in ſubſtantia, ſiquidem hypoſtaſis aliquem vnum declarat; eſſe autem enypoſtaton declarat ſubſtantiam, ſed nō aliquem vnum: & hypoſtaſis quidem perſonam definit proprietatibus deſignantibus: enypoſtaton vero ſignificat non eſſe accidens, quod in alio habet vt ſit, & non in ſe cernitur. Cuiuſmodi ſunt omnes qualitates, & quæ ſubſtantiales etiam dicūtur, ex quibus nulla eſt ſubſtantia, id eſt, res per ſe exiſtens, ſed quæ ſemper circa ſubſtantiam cernitur, vt color in corpore, & ſcientia in anima. Qui igitur dicit, Nō eſt natura ſine hypoſtaſi, verum dicit, nō tamen recte concludit, cum concludit, quod non eſt ſine hypoſtaſi, hypoſtaſim eſſe. vt ſi quis dicat non carere corpus figura, quod verū eſt, deinde non rectè concludat, figuram ergo eſſe corpus, & non potius cerni in corpore. Natura igitur, id eſt, ſubſtantia nunquā ſine hypoſtaſi eſſe poterit, non tamen natura eſt hypoſtaſis, quia neq; remeat. Hypoſtaſis enim eſt natura, natura autem non iam eſt hypoſtaſis. Natura enim rationem eſſentiæ recipit. Hypoſtaſis vero rationem per ſe eſſentiæ, natura rationem ſpeciei continet; hypoſtaſis declarat aliquem vnum; natura, rei vniuerſalis characterem (id eſt formam) declarat: hypoſtaſis propriū à cōmuni ſecernit. Et vt in ſumma dicam, vnius naturæ proprie dicuntur conſubſtantialia, & quorum eſt ratio eſſentiæ communis. Definitio vero hypoſtaſis eſt, vel natura quidem eadem, numero vero differentia; vel ex differentibus naturis compoſita, communionem vero eſſentiæ ſimul etiam inter ſe habentia, non tanquam complentia ſubſtantiam inter ſe. Quod quidem fit in ſubſtantiis, & iis, quæ ſubſtātialiter de ipſis prædicantur, quæ dicuntur qualitates, ſed tanquam alterutrius natura, & ſubſtantia non cernatur per ſe, ſed cum compoſita, & coinſita. Quod quidem & in aliis rebus reperitur; & non minus in anima & corpore, quorum communis quidem hypoſtaſis, propria vero natura, & ratio differens.

ἐνυπόστατον ἐνούσιον. Manus non eſt ſubſtantia ſed pars ſubſtātiæ, & dicitur ἐνούσιον. Quod Chriſtus ſibi vniuit, non erat hypoſtaſis, ſed ἐνυπόστατον.

συμπεφυκότας.

At, inquiunt, homo etſi ex differentibus ſpecie compoſitus

eſt,

eſt, neutrum tamen eorum ſine altero habet eſſentiam. Verbum autem ante humanitatem eſt, & homo quidem ex imperfectis partibus conſtat; Chriſtus vero perfectas habet partes; & hac ratione ne partes quidem merito vocari poſſunt. Quomodo igitur, compoſitionem hominis tanquam ſimilem in verbo & incarnatione accipis nihil ſimile habentem? Hæc quidem Neſtoriani, ſcilicet ſententiæ cõtrarię, & diuiſionis patroni obiiciunt. Aliis enim, Eutychianis inquã, placet exemplum non ſumptum aptè, & conuenienter, ſed valde inſcite, & vt confuſio prototypi poſcit, & tanquam expreſſa imago illius. Quòd autem non eſt noſtrum inuentum hoc, ſed à maioribus, vt in prouerbio eſt, filius à patre, accepim⁹, teſtantur ſcripta theologorum, in quibus hoc exemplo hominis ex anima & corpore compoſiti in vnione vſi ſunt. Non tamen rectè faciunt, qui vim adhibẽt, vt ſic ſe habeat exemplum, vt prototypum. Non enim eſſet iam exemplum, niſi haberet aliquid diſſimile. Nos enim non ſumpſimus hominẽ exempli cauſa, quia prius eſſent partes, neq; quia ſimul, neq; qa imperfectæ. Concedimus enim iſtis malè feriatis, vt imperfectas vocent, cum alioqui non ſint, ſecundũ rationẽ eſſentiæ, vt poſteà demonſtrabimus, ſed ſumpſimus exemplum ad declarandum eſſe verbum ipſi ſubſtãtiæ vnitum, corpori ſcilicet ex nobis ſumpto, & nunquam ſine eo cerni, quamuis ſeruet etiam in vnione differentiam; ſicut etiam ſeruat communis homo. In neutro enim cernuntur confuſe proprietates. Nec enim ex inuiſibili, & immortali facta eſt anima noſtra inuiſibilis, & mortalis. Neque verbum factum eſt viſibile, & mortale, quamuis in corpore viſibili & mortali. Vtrumque enim dictorum ſeruat integrè ſuam proprietatem, ſicut vtriuſque natura poſtulat, homo ſcilicet communis ex anima & corpore conſtans, & ſaluator in diuinitate, & humanitate ſubſiſtens, iſti vero exemplum accipiunt, non quatenus ſimile eſt, ſed quatenus diſſimile. Et male feriantur in ſuis percunctationibus, vt cum nos ſplendorẽ ſolis exempli cauſa in verbo, & patre aſſumimus propter coniunctionem ortus ſplendoris cum ſole, nos vexant quaſi hac ratione faciamus verbum nõ ſubſiſtere per ſe. Quod autem neque homo ex imperfectis partibus compoſitus eſt ſecundum rationem cuiuſdam eſſentiæ alterutrius partis, quamuis quoad definitionem totius hominis, non recipiunt partes rationem totius tanquam totius, ſic intelliges. Quid enim deeſt animæ habenti ſeparatam, & propriam vitã, ad hoc, vt ſit ſubſtantia incorporea, ſemper mobilis? Hoc enim de-

clarat immortalem eſſe eam, & interire non poſſe. Quid rurſus deeſt corpori, vt ſit corpus? quod quidem qui definiunt, aiunt eſſe corpus triplici dimenſione; aut corpus naturale organicũ poteſtate vitam habens. vtraque enim definitio aptè conueniet corpori noſtro. non ſunt igitur hæc imperfecta ſumpta per ſe, tametſi imperfecta dicuntur, quo ad hypoſtaſim totius, in quo ſunt partes. hac enim ratione, non aberrabit, qui etiam myſterium Chriſti interpretabitur. Imperfectum enim eſt, ſi vel Deus nudus ſine humanitate, vel homo item nudus ſine diuinitate ſumatur, vt hinc appareat duplicem eſſe perfectionis definitionem in Chriſto, vnam, quæ ſimpliciter dicitur; alteram, quæ in habitudine cernitur ſecundum magnum Gregorium. Perfectum namque eſt verbum, & plenum, & prębens perfectionem: perfecta autem eſt & anima hominis, quantum ad definitionem eſſentiæ ſuæ. Sed tamen neque verbum eſt perfectus Chriſtus, non vnita humanitate, quamuis perfectus Deus ſit, nec anima perfectus homo eſt, licet perfectam ſubſtantiam habeat, corpore non ſimul cum ea cogitato. Hoc autem annotandum eſt, quod cum definitionibus rerum non aſſumuntur tempora, ſicut neque loci. Rationem enim eorum tantum continent, ſine quibus nõ conſiſtunt. Præterea omnis definitio rei eſt, quæ nunc eſt; non autem eius, quæ ex ea poſtea eueniet. Alioqui nihil eorum, quæ ortum capiunt, definitionem eſſentiæ, quam habet, recipere poterit, quia nihil perſeuerat; ſed omnia mutantur in omnia, quæ ortum, & interitum ſubeunt, immo omnes ſubſtantiæ ratione præditæ, cum plus & minus ſecundum virtutem recipiant, & nunc quidem ſic, nunc vero illo modo ſe habeant, in motu cernuntur. in eiſdem enim perſtare non eſt proprium naturæ creatæ, ſiquidem de ſolo Deo proprie dicitur: tu autem idem ipſe es.

At, inquiunt defenſores diuiſionis: corpore circumſcribitur anima, & paſſiones recipit, & dolores ſuſtinet; quare ſi ſic verbum vnitum eſt animæ, licet tibi ipſum etiam eiſdem ſubiicere, & facere verbum patibile, & circumſcriptum. Quid? nonne vos potius hæc facitis? obiiciam enim quæ nobis in crimine ponitis. Siquidem formidaſtis vnire verbum carni, & toti homini, quaſi neceſſe eſſet, ſic circumſcribi, & pati. Si igitur verbũ natura pati poteſt, aut circumſcriptionem loci recipit, erunt hæc in ipſo propter ipſum, & nõ propter vnionem cum corpore patibili, & circumſcripto, atque erit ita patibile, & circumſcriptibile, quamuis non paſſum ſit, neq; circumſcriptum:

ſcriptum:

Digitized by Google

ſcriptum: quod ſi natura eſt immutabile, & incircumſcriptum, & impatibile, licet ſit in corpore, ſeruabit proprietatem impaſſibilitatis, & rationem immutabilitatis. Siquidem neque cum mundum crearet, & in hanc formam eum adduceret, cum prius non eſſet, ex ſupra mundano, & ex ſupra quam ſubſtantia in hæc, quæ in mundo aut circa mundum ſunt, delapſum cernitur; vel ex incircumſcripto eo venit, vt circumſcriptum eſſet, quare neque prius cum mundum, & ea, quæ in eo ſunt, creauit; neque poſtea quando magnum mundũ in paruo, hominem in ſe ipſo filius Dei complexus eſt, circumſcriptus eſt. & quid mirum? ſiquidem & anima hominis non ſimpliciter quia ipſa eſt in corpore, hæc patitur; ſed quia natura ei ineſt, vt hæc patiatur, etiam vt à corpore ſeparata eſt: alioqui ſub aſpectum cadet, & morietur, & alia eiuſmodi quæ corporis ſunt, patietur. Atqui hæc non eſt paſſa, quia hæc habet ſecundum ſubſtantiam, naturaliter à Deo accepta. Patitur autem, quippe quæ habet potentias paſſiuas, cum quibus migrat à corpore, id quod animæ, quæ apud inferos ſunt, & earum vincula declarant, propter quę illic Chriſtus adfuit, qui ſicut Petrus ait, ſpiritibus, qui in carcere erant, prædicauit remiſſionem. declarant præterea imũdi dęmones qui pœnas dant, & dabunt, quamuis à corporibus humanis liberi & ſoluti. Sed patitur quidem ſimpliciter anima, quia paſſiuas potentias ad vtilitatem ſuam aptatas accepit. patitur autem paſſiones corporeas propter vnionem cum corpore, cum quo colligata eſt, & propter proprietatem locorum, in quibus degit, & verſatur. quia enim ſimpliciter innatum eſt ei pati, huius paſſionis capax eſt. Circumſcripta etiam eſt ratione exiſtentiæ. Dicitur deinde ſecundo modo circumſcripta eſſe, quatenus viuit in corpore circumſcripto. Afficitur etiam ſecundum Deum diuinis rebus, nequaquam vero propter corpus. Quomodo enim propter corpus, quod ſæpenumero reſiſtit? quin potius propter ſe & naturã ſuam, cum cupiditas quidem amore erga Deum protenditur; ira vero viriliter roborata, & non inflexa, cum cupiditate conſpirat. Ratio autem eorum, quę non videntur contemplationes ſine inumbratione & obſcuritate recipit, & vnicè illuminatur. pulchrè ante nos à quodam ſapiente dictum eſt: vnum deſiderium bonum, & æternum quo vera cognitio concupiſcitur. *Siagrius.* Has potentias animus qui ſordidat, in vitio, & ignorantia verſatur; & non ex corpore vitia ducit, quamuis quædam ex ipſis per corpus patrantur: ex quibus nihil vnquam verbum Dei recipere poteſt,

Digitized by Google

cum ſit natura immutabile,& inuariabile. Non tamen propter impaſſibilitatem naturæ recuſabit vnionem ſubſtantialem cum natura humana, ne recuſatio paſſio vera fore videatur,& vereri in illis eſſe, in quibus animæ ſtudioſorum ipſo adiutore nihil incõmodi ex corpore ceperunt, immo magis Deo pleni fuerunt vtentes corpore non aduerſario, ſed adiutore.

» Si perfecta, inquiunt, eſt hypoſtaſis verbi,& perfecta item ho-
» minis, quem ſuſcepit, manſit autem verbum im̃utabile, caro etiam
» ſeruata eſt inuariabilis, quomodo non eſt pium dicere duas hypo-
» ſtaſes neutra confuſa? Videntur mihi valde malitioſè, & indoctè percontari. Siquidem quaſi nos non prius diſtinxerimus perfectũ, quomodo dicatur & quòd dupliciter; præterea etiam, quid proprie ſignificet hypoſtaſis, transferunt ſe à natura verbi, quæ commune etiam naturæ cum proprietate hypoſtaſis ſignificat; verbi enim naturam diximus non ſimpliciter naturam, transferunt inquam ſe ad proprium ſignificatum hypoſtaſis,& aiunt perfectam eſſe hypoſtaſim verbi: ſic vocantes naturam filij αὐτοτελῆ id eſt, perſe perfectã, quæ non eſt alia præter naturam patris, deſignatione proprietatis ſecundum generationem ſolum differens, prædicantes proprietatem pro eo, in quo eſt proprietas; & habitudinem naturarum inter ſe pro iis, in quibus hæc habitudo prædicatur. Nomina enim alia declarant naturam ſubiectorum; alia habitudinem rerum oſtendunt. Eorum autem, quæ ſpecie differunt, ad ea quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, diuerſa eſt communicatio habitudinum: Nam quæ habent communia ſpeciei, ſcilicet hypoſtaſes; his communibus ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, diuiduntur inter ſe. Et quibus diuiduntur ea, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, nempe naturis, his copulantur inter ſe, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei: numero enim diſcreta inter ſe, cum iis quæ ſunt eiuſdem ſpeciei copulantur, in natura ſcilicet. Definitione autem copulata inter ſe, ab iis, quæ ſunt diuerſæ naturæ diſtincta ſunt. Cum ergo duæ habitudines ſecundum idem verbum cernantur, vna quidem, ſecundum quam filius eſt idem cum patre; altera, ſecundum quã filius eſt ab eo diſtinctus,& vna, quidẽ declaretur appellatione naturæ; altera vero appellatione hypoſtaſis, cõmutantes iſti habitudines, habitudinẽ diſtinguentem à patre carni dant, ignorantes naturã quidẽ totã eſſe Dei, quæ eſt ſubſtãtia verbi, perfecti perfecta, proprietatem vero generationis feciſſe, vt vocaretur hypoſtaſis,& filius, ſicuti rurſus in patre proprietas innaſcibi-

litatis

Digitized by Google

litatis, & cauſæ hypoſtaſim, & patrem oſtendit. idem intelligendum eſt in Spiritu S. non enim natura patris, & filij, & Spiritus Sancti vim habet complendi tanquam minus ſit in vna quàm in tribus. Et hoc eſt natura trinitas, quod eſt vnum quid eorum, qui cernuntur in trinitate, quoniam non eſt ex tribus imperfectis vnum perfectũ, ſed ex tribus perfectis vnum ſupraperfectum, & anteperfectum, vt alicubi dicit magnus Dionyſius. Cum igitur ſex habitudines contempletur, duas patris ad verbum, & verbi ad patrem: duas deinde verbi ad carnem, & carnis ad verbum; duas præterea Chriſti ad nos, & noſtras ad ipſũ, tres fiunt generales coniugationes. ac prima q̃dẽ habitudo coniugationũ ſic habet, ſicut tertia quidẽ à prima. ſecunda vero à media, illa enim quibus extrema inter ſe conueniunt, cõtrario modo ſe habent, atque in media; ſicut contrà, media. Quibus enim contrarie habet ad ſeipſam, conuenienter habet ad extrema; & quibus rurſus conuenienter habet ad ſeipſam, contrarie habet ad extrema. His breuiter dictis, conabor explanare exemplo. Sint poſitæ tres res, anima ſimpliciter, corpus ſimpliciter, homo ex anima & corpore compoſitus, & horum inter ſe habitudines, vt animæ ad animam; animæ ad corpus ſuum; hominis ad corpus ſimpliciter, & ad animam ſimpliciter. Anima quidem ad animam ſic ſe habet, vt eadem ratione ſubſtantiæ ſit vnita; differente vero hypoſtaſi diſcreta. Hæc eſt prima, & extrema habitudo coniugationum. Anima vero ad ſuum corpus ſic ſe habet, vt diuerſitate naturæ diſcreta ſit; vnita vero ratione hypoſtaſis, q̃ vita ἀλληλοῦχος id eſt, mutuo accepta, & reddita perfecit. hoc ſecunda eadẽq; media habitudo ſeruat. homo vero ad corpus ſimpliciter, & ad animam ſimpliciter relatus, tanquam totus omnino ab iſtis diſcretus, propter habitudinẽ ad partes ſuas, ſecundam communionem cum ipſis facit. Quare Chriſtus ad nos, & ad patrẽ relatus, tanq̃ totus ex partibus, propter partes ſuas medi⁹ eſt inter extrema, ex toto hypoſtaſis, relatus ad patrem, propter diuinitatem cum humanitate; & ex toto hypoſtaſis relatus ad nos, propter humanitatem, cum diuinitate permutatis habitudinibus ſecundum diſtinctionem, & vnionem, quas ſecum propter partes ſuas habet; & quas cum patre, & nobiſcum habet propter conuenientiam partium cum extremis. Cum autem partes dicimus, audire oportet prudenter: non enim partes dicimus tanquam imperfectas natura, ſed tanquam complentes perſonam hypoſtaſis Chriſti. Sic enim à Gregorio, & Cyrillo dictum eſt totum

ὑπερτελὲς καὶ προτέλειον.

Deus, & homo extrema.

Partes & totum.

tum non vna natura,& ſimpliciter,& ad aliquid,& imperfectum,& perfectum.

» Quid igitur aiunt? Nonne dicimus vnam naturam hominis, » quamuis cognoſcamus, differentia eſſe, quæ cocunt in vnum? quid » ergo obſtat, quin ſicut hic non ad tollendum proprietatem partiũ » naturas vocamus naturam, aliquid ſimile in Chriſto facere videa- » mur? Quin potius conuitia facitis,& illuditis quaſi confuſionem in » Chriſto excogitemus, quia partes appellatione totius ſignificamus. Si volebatis vocare partes nomine totius, oportebat profecto, vt totum etiam nominatione partium declararetis, atque ita nulla vobis inuidia eſſet. Carnem autem, vel hominem vocantes potius dominum, totum ex parte ſignificaretis,& non duas naturas vocantes vnam. Sæpe enim non proprie loqui diſcrepantiam dogmatis efficit. Vnde nos ſecundum ſcripturas,& ſpeculationes à patribus traditas ſæpe totum ex parte,& partem nomine totius afficimus, cum verbum filium hominis nominamus; & dominum gloriæ crucifixum confitemur. Sed non propterea communicatione idiomatum tollimus propriam rationem proprietatis alterutrius in eodem. Deinde, hæc etiam nobis per propria nomina declarantur, cum communicationem quidem idiomatum in vna hypoſtaſi contemplamur; proprietatem vero quæ eſt in communitate, in differentia naturarum agnoſcimus. Vos autem vtentes exemplo hominis, cum ipſo prototypo exemplum ſimul corrumpitis. Vnam enim naturam hominis dicimus, non vt vos dicitis, qui naturam carnis in ſubſtantiã animæ trahitis, vt fiant idem; aut rurſus naturam animę in ſubſtantiam carnis, nec ex alterutra vtramcunque fieri dicimus. Naturam autem vocamus hanc non intuentes in habitudinem partium; nulla enim eſt ratio, quæ diuerſitatem naturæ partium etiam in vnione lædat. Sed potius ſignificationem vniuerſalis, & ſpeciei de particulari,& proprio prædicamus, quia, ſicut tradunt, qui regulas diſſerendi diſcernunt, particularia quidem communicant vniuerſalibus; vniuerſalia vero prædicantur de particularibus; & communicatio quidem indiuiduorum ad ſpeciem relata, eſt ſecundum naturam; vniuerſalium vero communicatio ad particularia, eſt ſecundum appellationem, (ſiue prædicationem) idcirco non recuſamus vt dixi, appellatione totius appellare partem, quia vna natura totum ſpeciei humanæ repręſentat; quia nihil eorum, quæ ſub eadem ſpecie numerantur, eſt diuerſæ ſubſtantiæ, vnde conuenienter &

Digitized by Google

ter & apte nomine communis particulare nominatur. Nō enim reperiri poteſt aliquis homo, qui ſit diuerſa ſpecie ab homine vniuerſali. in Chriſto autem huiuſmodi ordo habitudinis, non reperitur, cu n non ſit ſpecies Chriſtorum, ſicut eſt ſpecies hominum, vt ex his Chriſtis vnus tanquam proprie quodammodo propter vniuerſalem, & communem Chriſtum Chriſtus ipſe nominatus, vna natura dicatur ad illos, & ab illis; vt ipſum & vnam naturam, & duas vocemus; vnam quidem habentem propter communitatem naturæ; duas vero propter partes eius; ſicut in nobis cernitur. Cum enim cauſa, quæ in nobis eſt, non reperiatur ab illo, quod in nobis proprie, & apte dicitur, ad illum non poteſt transferri. Manifeſtum autem eſt hic, quare homo dicitur vna, & duæ naturæ. Vnam naturam habet propter communicationem ſpeciei; duas vero propter partes, quæ non ſunt altera in alteram mutatæ: In Chriſto autem cum non ſit ſpecies, quomodo duæ naturæ dici poſſunt vna? tres enim tantum modos reperimus, quibus aliquid vna natura dicitur, aut quia eſt ſpecies; aut quia participat ſpeciem; aut quod confuſione ex diuerſis ſpeciebus diuerſa ſpecie effectum eſt, quod vtriuſque particeps, nec alterutrum pure eſt. Quam naturam adulterinam vocant, qui hæc tractant.

Præterea, ne duæ naturæ in Chriſto dicantur, huiuſmodi dubitationes opponitis, nō enim vt duas, & vnam ſicut in nobis dicatis, ſed vt vnam ſolam, hinc enim vobis etiam non volentibus paſſio confuſionis inſuper aduenit, & nec paſſio diuiſionis recedit. Non enim neceſſe eſt, vt vna natura vnum numero ſit, quinimmo tam multa, & tot numero, quot ſunt hypoſtaſes complentes ipſam naturam. Conſideremus etiam ſic, quæ ſunt eidem æqualia, inter ſe ſunt æqualia. Deſcribatur triangulus æquilaterus rectangulus, vt enim ſe habet primum latus ad ſecundum, & ſecundum ad tertium ita ſe habet primum ad extremum. Scribe igitur tria latera, & da tres perſonas in vno quoque latere; & reperies, quod ſicut ſe habet primum ad medium, & medium ad extremum, ita ſe habebit primum ad extremum. Quare hæc dico? Quia ſi datis dici vnam verbi, & carnis naturam, confitemini antè vnam eſſe naturam verbi, & patris, dabitis igitur vnam eſſe naturam carnis, & patris. At inquiunt, non dicimus eodem modo vnam eſſe vtriusque naturam; ſed in patre & filio eadem ratione naturæ; hic autem in Chriſto ratione vnionis, ergo non eſt idem quod vnione vnum dicitur, & quod na- *Quot modis dicitur vna natura.* " " " "

tura vnum. ſi autem non eſt idem, ſecundum aliud quidem illud; ſecundum vero aliud hoc. quare erit idem vnum, & duo; vnum quidem vnione; duo vero naturis, quod ſi non hoc, erit idem ſecundū idem & vnius ſubſtantiæ, & diuerſæ ſubſtantiæ, quo quid eſſe poteſt magis abſurdum? Sic vobis vna natura, quam dicitis, non effugit diuiſionem, quam habet natura in multitudine perſonarum communicantium ipſi, & confuſionem introduxit in identitate naturæ compoſitæ, nec alterutrum vnitorum poſt vnionem exhibens. nobis autem vtrumque, Dei gratia, pulchre ſeruatum eſt & differentia vnitorum, quam prædicamus etiam in vnione duplicis naturæ, & vna, atque eadem perſona propter concurſum duarum naturarum vnitarum in vnam hypoſtaſim.

" Sicut tibi viſum eſt, explicaſti, in vno quoq; homine duas naturas,
" & vnā dici, ex quo quid nam ſequitur, niſi in Chriſto non duas
" tantū naturas confiteri, ſed etiā tres. Quomodo igitur alterū confi-
" tentes, alterū recuſatis? Cum alioqui ratio neceſſaria hoc fateri quāuis nolentē cogat? Quid nos ad hæc? Quid aliud, quā ꝙ in eos conuenit. Sapientia fatui eſt, vt ait ſcriptura, ſermones nō expenſi, neq; conſiderati. Cū enim ſermones ſuos non mandunt, & idcirco neq; concoquunt, ex malis cibis inſipientiæ ructationes nobis, & halitꝰ, (quomodo enim ſine nauſea, & faſtidio dicam) non bene olentes emittunt. Cum .n. omnis quæſtio ꝙ in dubium venit, conſideret, & ex conceſſis rationem concludat, iſti (nō enim ſunt ſapientes niſi in inſcitia) quod eſt ab omnibus conceſſum, tanꝗ dubium in quæſtione ponunt; & quod manifeſtum, tanꝗ obſcurum inducunt. Siquidem natura hominis ſecundū cōmunes omnium notiones animam & corpus ſignificat; & conſignificat, vt ſæpe dixi, cum toto partes. iſti vero quod à cogitatione omniū receſſit, tanꝗ dubium ſumunt, quaſi aliquis noſtrùm affirmet, quod homo eſt aliquid duplex, vel corpus ſolū, vel anima ſola; & ideo volunt dicere in Chriſto tres naturas, quaſi natura hominis non ſatis ſit ad inferendū ſecum partes. Duas .n. naturas dicimus non Dei & carnis, neq; Dei, & animæ, ſed Dei & hominis. Nec enim proprie eſt natura hominis, natura partis. quare qui dixit hominem, vel naturam hominis, naturas declarauit. qui autē Chriſtum nominauit, neq; nomen certum & noſtris notionibus ſubiectum nominauit, neq; rem declarauit.

Declarant hoc multæ, & variæ & inter ſe pugnantes de eo apud Chriſtianos opiniones, quæ non extitiſſent, ſi ſtatim nomen Chriſti

veritatem

veritatem rei ſubiectæ ſignificaret. at appellatio hominis communis eſt,& omnibus vulgata,& maxime Chriſtianis. Nomen vero Chriſti ſimile eſt nomini artis,& ſcientiæ. Vt enim illa nomina artis & ſcientiæ illi tantum ſciunt,qui illam diſciplinam perceperunt; ſic iis tantum,qui in diuinis eruditi ſunt,veritas in hoc nomine abdita,explanata eſt.teſtātur ipſi verum eſſe quod dico,qui ſemper affirmant ex duabus naturis conſtare Chriſtum, & nunquam ex tribus naturis,quamuis animam rationis participē carni Chriſti tribuunt. Sint itaq; iſti primi auctores,& duces huius inſcitiæ, & confitebuntur ex tribus eum naturis eſſe. & nos in eo acquieſcemus, quod cōfitemur ea,ex quibus factus eſt ſeruari,in quo hæc noſcuntur eſſe; ſiquidem nōn ex tribus ſolum ſed ex pluribus eū eſſe dicere cogentur, vt demonſtrabimus, quia adhuc rerum ſimplex, & generalis notio facit,vt cognitionem habeamus vniuerſam,& non explicatā, *horum* autem diuiſio cogitatione, ad perfectā cognitionem nos adducit eorum,ex quibus conſtant. Ob hanc cauſam diuiſionem totius in partes facimus,diuidere autem in partes partium poſt primam diuiſionem ridiculum eſt.Non enim huc vſque euadit, & hic ſiſtit,ſed in infinitum progreditur,verbi gratia,vt quod dico,intelligatur,partes hominis ſunt corpus & anima; partes vero partium eius,in anima quidem ſubſtantia rationis particeps, & qualitas incorporea, & hæc partim eſt vis ratiocinandi quæ eſt princeps, partim iraſcendi,partim concupiſcendi & harum partium illa princeps notiones format; & cogitat; & meminit; & conſultat, & opinatur. pars iraſcendi appetit,& declinat; pars concupiſcendi habet facultatem propulſandi,& efficiendi,& multa alia ſubter iſta diuiduntur. Omittatur nunc illa quæſtio,vtrum ſint hæc tanq̃ partes in anima, an tanq̃ potentiæ,ſiue facultates:& quæ ſic;& quæ ſecus. Non enim hæc agimus nunc.Rurſus diuiſio corporis fit in partes ſimiles,& diſſimiles; & diſſimilium, in caput,& manus,& pedes;& hæc in oſſa,& carnes,& neruos; & hæc rurſus in quatuor elementa; & hæc in materiam,& formā.Multa etiā alia medici philoſophantur de facultatibus naturalibus,ex quibus aliam vocant attrahendi facultatem,aliam retinendi,aliam immutandi,aliam ſecernendi. Multa vero etiam de ſenſu,& phantaſia,& de vitali & organico ſpiritu, qui continet animal, qui alius ſpiritus eſt,vt aiunt, præter rationalem. Sicut ergo ad ſignificanda hæc omnia ſatis eſt dicere carnem, vel corpus hominis; & rurſus ſatis eſt nominando animam rationalē,declarare

partes, in quas diuiſa eſt, nec enim fideles loqui artificioſe conſueuerunt, nec hoc eis placet; ſic ſatis eſt nominaſſe hominem, vel naturā hominis ad declaranda omnia, ex quibus compoſitus eſt, & in quibus eſſe cognoſcitur. Iſti autem talia captioſe loquuntur, non vt hominem perfectum oſtendant, ſed vt dominum calumnientur, & eum à ſalute noſtra alienent, quaſi vel non aſſumpſiſſet à principio humanitatem noſtram, vel non ſeruaſſet incolume, quod ex nobis habuit ſalutis totius naturæ pignus, quod excidere non poterat. Sed ſciant, quod confeſſio partium, vt dixi, index eſt incolume eſſe totum; iterata vero partium in partes diuiſio non eſt dogmaticæ breuitatis, neque ſermonis ſecundum euangelium conciſi, ſed ſcepticæ ſpeculationis, & artificij ſuperuacanei, & pleriſque difficilis ad intelligendum. Partes enim Chriſti non confuſæ, ſunt diuinitas, & humanitas; anima vero & corpus non ſunt partes Chriſti, ſed partes partis. quibus declaratis, per ſignificationem perfectam humanitatis naturalis, ſuperuacua eſt ſubdiuiſio in naturas partium, niſi poſt ſubdiuiſiones quibus prius in homine communi vſi ſumus, reliquā diuiſionem velint inducere; vt hinc non tres tantum ſecundū eos, ſed etiam plures naturas in Chriſto profiteri oporteat, quo quid eſſe poteſt magis ioculare?

„ Quandoquidem vniuerſum bellum motum eſt de modo vnio-
„ nis, quem pleriq; ignorant, & idcirco omnibus in dubium venit, de
„ hac vnione philoſophari oportet, vt ſcire poſſimus, vtrum de hoc
„ ipſo diſſentiamus; an vero nobis de hoc conſentientibus quæſtio ſit
„ quid efficiat vnio; & vtrum de rebus ipſis ſit contrtouerſia, an de vo-
„ cibus res ipſas ſignificantibus. Sic enim quæſtione diſtinctè habita,
„ & veritate rerū oſtenſa, qui imperite, aut impie contradicit, patefiet,
„ vel corrigendus, vel in iudicio vituperandus. Vnionem diuinitatis
cum humanitate alij ſecundum ſubſtantiam factam eſſe affirmarūt; alij ſecundum energiam: alij ſecundum voluntatem. Sunt autem
κατ γνώμην. qui nimiam reuerentiam in Deum vel habentes vel ſimulantes, nullo ex his modo factam dixerunt, ſed ineffabilem eſſe & carere nomine affirmarunt. ſiue ita haberent, ſiue non, metuebant certe ne impietatis arguerentur. Vidimus enim etiam nunc quoſdam, qui cum notionem vnionis valde expreſſam, & tritam haberent, ἄῤῥητον, id eſt, ineffabilem eam vocabant: vt non ſolum contrario contrarium efficerent, id eſt dicendo eſſe ineffabilem, vulgatam facerent, ſed vt argumenta, quibus redarguerentur, effugerent. Sicut alij ſane, vt

carnem

Digitized by Google

carnem domini magis ficte apparere, quam in ea confuſionem factam eſſe defendere ſtuderent, incarnatum eſſe vt voluit, & vt ipſe nouit, aiebant. Non enim vt hæc probent, ad reuerentiam reuera à reuerentia alienam ſe conferunt, alioqui veritas hos ad lumen ſuum adduceret, ſed vt licenter impietate abutantur ad honeſta nomina, tanquam ad propugnaculum quoddam validum, & inexpugnabile confugiunt. Vere enim neque dici nec intelligi poteſt vnio ſecundum ſubſtantiam, & ſubſtantialis, & in hypoſtaſi. Quomodo enim quæ tantopere ſecundum naturam differunt, & tam longe diſtant, inter ſe coierunt, & vnita non ſunt confuſa; ſed potius vnum eſt, & duo noſcuntur, & nec vnitate perſonæ commixta ſunt; neque propter proprietates naturarum in hypoſtaſes diuiſa ſunt. Hæc ſola fides capit, & verbum diuinum, quod non pronunciatione vocis, ſed illuminatione intelligentiæ hæc declarat; & eos, qui digni ſunt, doctrina non ſonante, ſed tacita erudit.

De eis igitur qui ex reuerentia ægrotant, donec quid eis propoſitum ſit, non eſt manifeſtum, neq; verbum faciendum eſt. qui vero neq; ex lumine, ſi id nacti ſunt, fiduciam capiunt, nec quod animas tenebris circumfuſas habeant, moleſte ferunt, tanquam inſanabiles à nobis reiiciantur: de aliis vero ſic diſſeremus. Qui vnionem non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum operationem aut beneplacitum, aut aliam quamdam huiuſmodi habitudinem factam eſſe tradunt; ad veritatem quidem nullo modo proxime accedunt; mendacium vero, quod multiplex eſt, partiti ſunt, aliis aliam partem eius auellentibus, & in vnam aberrationem à veritate, inter ſe conciliatis. Qualis enim poteſt eſſe hæc vnio, & quomodo digna nomine vnionis illius ſupra naturam, & quæ ſola eſt poſt ſolam, & primam, quæ non colligat res, & in idipſum adducit? Vnde admirari licet, quod cum huiuſmodi vnionem iſti profiteantur, & celebrent, illud non confuſas eſſe naturas, & illud immutabile earum opponunt. quam enim mutationem ſuſpicari iure poſſunt in diuiſione rerum, qui dignitates quidem in dignitatem confundunt, (non enim dignitates dignitas vnquam fieri poſſunt ſine confuſione, ſicut neque naturæ natura ſine mutatione) ſubſtantias vero ſeparant? nec enim vnio rerum eſt vnio dignitatis. Alioqui cunctos qui diuinam dignitatem ſortiti ſunt, in vnum cum diuina ſubſtantia coniungemus, & duas naturas eſſe in ſingulis ſanctis docebimus. quantitas enim dignitatis, non omnino diuidit ea, quæ ſecundum digni-

Contra vnionem ſecundũ dignitatem.

Sola, & prima vnio diuinæ naturæ, in tribus perſonis ſine diuiſione vlla.

Digitized by Google

dignitatem differunt,ſed quanta fuerit,tantum coniunget naturas, nec enim omnino eas ſeparabit, non ſeparato eo, quod coniungit. Quantum enim participant dignitatem,tantum participare debent rationem naturæ. Si autem cum altera perſona ſanctæ trinitatis copulare volunt reliquos ſanctos præterquam cum Chriſto,ſit hoc poteſtatis,quam habent in impietate; vocati namque ſunt Dei, & filij Dei, & ſpiritus ſancti; ſicut Apoſtolus ait, qui adhæret, Deo, vnus ſpiritus eſt. Quomodo ergo, cum omnis creatura rationalis & beata, quæcunque eſt in angelis & hominibus, plena ſit gratia deificante,& adoptante Spiritus Sancti, ſolus natus ex virgine, Deus, & filius hominis in ſcriptura, vocatus eſt; & ſecundum ſcripturam adoratur ab omni rationali natura? oportebat namque impios ſcire, quod etſi præcipua pars variæ diſtributionis ineſt in celſioribus comparatis cum inferioribus,commune tamen eſſe cum omnibus chariſma operationis,& donū dignitatis;& vel illas cum verbo Dei:vel cum vna,quam volunt,ex perſonis ſanctæ trinitatis, vel cum tota veneranda trinitate coniungere in duas naturas; & duas,aut tres,aut quatuor hypoſtaſes diuidere.Aut ſi non cum his,cum natura verbi Dei coniungere, & vel in vnum filium componere; vel ipſum vnum facere homonyme filium comparatum cum filio primogenito, hæc inquam oportebat impios iſtos ſcire,& non alia ſentire,& alia loqui. Cum enim vna ſit naturalis habitudo filij, ex cuius habitudinis participatione omnis habitudo filij exiſtit,neceſſe eſt hominē,quem ipſi faciunt, aut naturalem habitudinem filij participare,aut illam,quæ ex gratia fit; & vel ipſum cum vnigenito coniungere tanquam vnione ſecundum ſubſtantiam reddente mutuo alteri naturæ, quæ alteri inſunt: aut pios eſſe non patientes,aperte ipſum in eundem ordinem cum aliis redigere. At hi in impietate quidem non fidenter audent, natura enim malum diffidentiam creat; veritatem vero non amant; neque rurſus præmia linguæ doloſæ metuunt.

ἐνεργείας.

μιᾶς γὰρ οὔ-
σης τῆς φυ-
σικῆς οἰκειότη-
τος.

Verum iſti quidem excludantur ex diuino cœtu cum parentibus huius impietatis Neſtorio,& aliis,quicunque hunc docuerūt, & quos ipſe docuit. Vnionis verò ſecundum ſubſtantiam veritas magna voce prædicetur.& de hac philoſophandum eſt, vt ipſi veritati placet. Non enim leue periculum,ſi quis ab hac deflexus, & detortus in contrarium quidem,æquale vero malum,confuſionem dico,incidat. Vt autem nota ſit nobis differentia vnionis eorū, quæ ſecundum ſubſtantiam vniuntur, & non mutantur in ea, quæ ex

De vnione ſecundum ſubſtantiam.

vnione

vnione,natura mutantur: & quæ ſpecies ſit prioris vnionis; & quis effectus ſecundæ, fiat iam diuiſio. Omnia,quæ ſunt,coniunguntur inter ſe communitatibus vniuerſalibus; & rurſus diuiſa ſunt inter ſe differentiis ſpecificis,& nec vnionibus confundunt diuiſum; neque diuiſionibus ſeparant vnitum. Quin potius ſi oportet loqui præter opinionem vulgi, & ſecundum patres vnita ſunt diuiſè; & diuiſa vnitè. Vnionum autem,& diuiſionum duplex eſt ratio. Alia enim vnita quidem ſunt ſpeciebus; diuiſa vero hypoſtaſibus. Alia diuiſa ſunt ſpeciebus, vnita vero hypoſtaſibus. & eorum,quæ vnita ſunt ſpeciebus,diuiſa autem hypoſtaſibus,partim ſimplicem vnionem & diuiſionem habent; partim compoſitam. De iis igitur quæ ſimplicem habent habitudinem,non eſt nunc dicendum;non enim ad quæſtionem præſentem pertinet illorum per partes explicatio: ac interim multorum cognitionem, & diſciplinam ſubterfugere. Sed de habitudinibus ſecundum compoſitionem, ideſt, connexionem, *vel κρᾶσιν*,vel vnionem,vel quomodocunq; vocare libet ſubſtantiales habitudines eorum,quæ diuerſæ ſpeciei ſunt, dicendum nobis eſt,reiectis ad eos,qui de nominibus certant, ſignificationibꝰ magis manifeſtis,aut magis propriis,vt ipſi putant. Nõ enim nobis vacat ad eligendum voces, qui ad intelligendum properamus.

De vnione & diſcretione.

Eorum igitur, quæ ſubſtantialiter ſunt,& ſecundum ſubſtantiam vniuntur,partim etiam in vnione ſeruant propriam rationem eſſentiæ; partim confundũt,& lædunt ac tollunt, quod ſummum eſt in vnitis.Priorum igitur habitudo, quæ inter ipſa & in ipſis cernitur,vnũ quidem ex vtriſq; perficit;& vt ita dicam, demonſtrat vnũ numero eſſe,& ea differentiam eſſentię in ipſa eadẽ vnitate ſeruare, atque huius rei exemplum ſit in animalibus quidem homo naturæ noſtræ;in ſimplicibus autem,aut corporibus naturalibus eorũ,quæ hypoſtaſim habent,& per ſe eſſe poſſunt, talis habitudo inter ipſa. Vt verbi gratia,in lampade licet cernere. aliud enim eſt lucerna, aliud rurſus ſubſtantia ignis flammea,inter ſe autem, & in ſe ipſis vnita vnam faciunt ambo lampadem. Vt ſi quis dicat etſi durum videatur,ignis eſt ligneus;& lignum igneum.& hoc quidem participauit ſplendorẽ ignis; ille vero id eſt,ignis terrenã craſſitudinẽ ex face;& alterũ alteri reddidit viciſſim idiomata,cum ambo alioqui in ꝓprietate ſua fixa,& nõ confuſa maneãt.Nemo vero male feriatus,& otio abutens exemplum carpat,ſi quid diſſimile habet,proferens oleũ,ꝙ in hac vnione mediũ eſt,aut qualitatẽ olei ſubiectã, aut non durare diu,

diu,ſed in cinerē redigi,memor,eorum,quæ antea diximus de exē-
plo,& de eius definitione. eadem reperiri poteſt vnio ignis cum aë-
re; & aëris cum aqua. mixtio enim aquæ cum terra ſpeciem attingit
confundentem vnionem; præparatque humidis, & tenuibus,præ-
cipuis vero ſecundum immutationem qualitatum,præparat inquam,
mutationem ſummarum qualitatum,& variationem ex mutua af-
fectione proficiſcentē. Prætereo enī dicere qualitates,quæ ſeparatis
ſubſtantiis,ſæpenumero inter ſe ſunt vnitæ ſine mixtione;ſicut ſtel-
larū lucentiū ſplendores inter ſe,& cum aëre vnitę,ſeruant pprieta-
tem quanti in quali. demonſtrat hoc ars, quæ naturæ eſt imitatrix.
Si quis igitur,vt magnus Dionyſius ait,multas faces accenſas in vna
domo includat, deinde vnam ex omnibus educat è domo, ſimul
exibit cum hac & lumen proprium,nihil aliorum luminum ſibi aſ-
ſumens,neque quicquam proprij luminis rurſus illis facibus relin-
quens,& vt vniuerſe dicam,nihil eorum, quæ vniuntur, mutatio-
nem,aut confuſionem ſubit, niſi prius vtrunq; vnitorum qualita-
tes habeat paſſibiles. ſi enim non ſunt eiuſmodi,qualitas quidem ef-
ficiendi facultatem habens,faciet,non patietur;qualitas vero paſſi-
bilis patietur, non efficiet. Quorum autem communis ratio eſt
paſſionem accipiendi,& reddendi,hæc ſecundum dominatum cau-
ſarum efficientium paſſiones,quem habent in alterutro,aut æqua-
litatem,patiuntur,& agunt. Sicut euenit in omnibus,quæ liquan-
tur; & in metallis; & in iis omnibus quæ medici, vel artifices igne
vtentes commiſcere,& liquare ex arte ſolent.

ἐκ τῆς ἀντιπεπονθήσεως.

His ergo prius diſtinctis,ſciendum eſt,quod quæ habent vim
mutādi ſe inter ſe conſtantia ex diuerſis ſpeciebus,& ſubſtantiis ni-
hil purum in compoſitione ſeruant poſt compoſitionem: ſed po-
tius ars proprietates omnium miſcens,& confundens, ex omnibus
aliam præter omnia ſpeciem ex toto commixtā reddidit: fitq; mul-
tarum hypoſtaſeon & naturarum cōmixtio,& confuſio,quæ neque
proprium hypoſtaſis,neque commune naturæ conſeruat. ſed aliud
ex his fit,quod cum nullo eorum,ex quibus factum eſt,idem exiſtit.
Si igitur diuinitas,& humanitas ſecundum ſubſtantiam vnitæ non
ſeruant in vnione ſuam naturalem proprietatem,confuſæ ſunt; &
neque diuinitas manſit,neque humanitas, ſed alia ſpecies ſubſtan-
tiæ ex his, quæ non eſt iſta,quæ vnita ſunt,confecta eſt. Quo quid
eſſe poteſt magis impium, aut magis deteſtabile vel cogitare tan-
tum,nedum ſentire, & docere?

Reli-

Reliquum igitur eſt, vt ex inueſtigatione quæſtionis vnionis ſecundum ſubſtantiam & diuinitatis & humanitatis proprietatem ſine confuſione ſecundum exempla ſuperiora intelligamus, colligentes ex omnibus tenuem quandam imaginem veritatis omnia ſuperantis, quæ demonſtrat vnum quoddam ex his reddi, ſiue perſonam, ſiue hypoſtaſim, ſiue atomum, ſiue ſubiectum, ſiue quid aliud appellare libet, non contendo. Eos enim, qui dignitate, vel auctoritate, aut aliqua huiuſmodi habitudine diuidente copulando ſeparant, paulo ante diſputatio noſtra refutauit, & conuicit naturas diuidere hypoſtaſibus, nullamque communionem vel inter ſe accipiendi, vel reddendi habere. Ac de his hactenus ſecundum paruam menſuram intelligentiæ, quæ à Deo nobis tributa eſt. Mittimus deinceps Lectorem ad doctrinam ſanctorum patrum, à quibus nos hæc tanquam in paruo vaſe ratione mentis noſtræ humilis hauſimus, & eos, qui ſtudio veritatis tenentur, potare ſtuduimus. Vos autem, quibus hæc porrexit veritas, habete ea tanquam remedium obliuionis, & poſt meum ab hac vita receſſum tanquam monumentum amoris, ne lapſu temporis effluens abeat. retundite autem audaciores, & ſimpliciores manu ducite ad fulgorem veritatis purum, & liquidum, qui per hæc in ſanctis patribus cernitur, & orate pro nobis, qui hæc propter charitatem, vt conſcientia teſtatur, & præter voluntatem conſcribere ſuſtinuimus. Deo autem gratias agimus pro omni dono eius in omnibus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Allaturus in medium auctoritates ſanctorum patrum ad confirmationem, eorum, quæ ſcripſimus, rogo Lectorem, vt aduertat animum, prudentem enim auditorem requirit doctrina eorum, qui fuerunt admirabiles ſpiritus ſancti conſiliarij. Laborat enim ſermo auribus imperitiæ ſordibus onuſtis exceptus. Sicut monile aureum, ait ſapiens in Prouerb. & Sardium magni precij alligatum, ſic ſermo ſapiens in auribus bene audientium. auditum igitur noſtrum ſecundum ſenſum diuinum, repurgemus ab omni onere ex anticipatione conflato, & mentem ſurdam reddente. Iam enim nubem teſtium, ſicut Apoſtolus ait, producemus. Si forte tantis cedant qui repugnant. Siquidem propter contentionem à maioribus eorum traditam non produximus auctoritatem ambiguam, aut quæ dupliciter accipi poſſet, nec ignobiles patres teſtes citauimus, ſed potius clariſſimos, & qui fuerunt ſplendidiſſima orbis lu- *Proœmium.*

Digitized by Google

mina ad dicendum teſtimonium vocauimus. Produximusque teſtimonia manifeſtiſſima, & minime dubia, vt omnem eorum aduerſus veritatem excogitationem excluderemus. Non recitauimus teſtimonia, in quibus eſt ex quibus, & à quibus, & de quibus (ſcilicet naturis) & ante vnionem, vt ipſis placet vocare, aut in vnione, & non etiam poſt vnionem, ſiquidem eſt ſecundum ſapientiam iſtorum finis huius vnionis: ſed indicauimus ſanctos, qui in teſtimoniis ſuis dixerunt in quibus, & per quas, & vtrasque, & per ambas, & ambas naturas, & ſubſtantias exiſtentes, & ſeruatas in vnione, & in tempus infinitum indiuiſibiles in vnione ſecundum ſubſtantiam hypoſtatica. Si quis autem horum multitudinem, vel auctoritatem perſonarum, ſicut ille impius, quem ſcriptura dicit, non reueretur; ait enim, impius eſt, qui non reueretur perſonam honorati, ipſe autem ignotas auctoritates, & non vel ex ipſis cognitas vel ex aliis, his noſtris contrarias producit, demonſtret prius non eſſe illorum has noſtras, & ſic iſtas recipiemus. Quandiu enim hæ ſatis firmitatis habent, propter ſplendorem librorum, & propter nobilitatem patrum, illas vel non recipiemus à principio, cum his pugnantes: vel ſi recipiamus, tanquam cum his conſentientes, & nullo modo diſcrepantes recipiemus. Conari enim Theologos ad contradictionem adducere, & dicere à ſe ipſis diſſentire, hic conatus ſuſceptus, & hoc negotium non eſt contra nos, ſed contra illorum gloriam, immo vero contra Paulum, & adhuc contra Spiritus Sancti auctoritatem, & Chriſtum, qui in Paulo loquebatur. Poſt enim Apoſtolos, & Prophetas doctores poſuit in eccleſia Deus ſecundum prouidentiam Spiritus Sancti, incomprehenſam in opus miniſterij ad ædificationem corporis Chriſti. Quare qui patres illos non recipit, qui in eccleſia clari, & celebres ſunt, plane ordinationi, & conſtitutioni Dei reſiſtit. Quid ergo ſubſtantia ab hypoſtaſe differat, id eſt, natura à perſona, ex magnis luminibus Baſilio, & Gregorio licet diſcere; qui ſub regulam, & definitionem, quæ nunc quærimus, reduxerunt, clare, & diſtincte docentes, quid ſubſtantia, & quid hypoſtaſis, & quod natura idem eſt quod ſubſtantia; & idem hypoſtaſis & perſona. & quomodo, & de quibus hæc dicuntur. Et quod trinitas contra atque incarnatio habet pronomina, & complexionem ſecundum adiunctionem & variationem nominum. Poſt hanc comparationem, producemus in medium alios ſacros

Adde pronomina ſunt, quæ ponuntur prono-

ſacros doctores, vna aut altera auctoritate recitata, quæ totam mentem ſanctorum nobis ob oculos ponat. Hæ enim ſufficiunt reuerentiæ, & pudori prudentium. Nam qui non fuerint tales, nec vniuerſus cœtus ſanctorum eis perſuadebit, quamuis omnes eorum doctrinas hauriamus, & in iſtos effundamus.

minibus perſonarum: in trinitate eſt alius & alius, ſed non aliud & aliud, & eſt hic, & iſte, & ille, in incarnatione contra, non eſt hæc complexio, eſt alius, & alius, ſed eſt aliud, & aliud, nec eſt hic Deus, & ille homo, ſed ipſe idem eſt Deus & homo. non ſic in trinitate, hic pater non eſt ipſe filius, &c in alio loco vocat hæc pronomina voces indicatiuas.

S. Baſilij ex epiſtola ad Terentium.

SI oportet, vt nos etiam, quod nobis videtur, dicamus, illud dicemus, quod quam rationem habet commune ad proprium, hanc habet ſubſtantia ad hypoſtaſim, vnuſquiſque enim noſtrum communi ratione ſubſtantiæ participat eſſentiam; & proprietatibus quæ circa ipſum ſunt, eſt ille, & ille. Sic etiam illic ratio quidem ſubſtantiæ communis eſt, vt bonitas, vel diuinitas, ſiue aliud quid intelligatur, hypoſtaſis vero in proprietate paternitatis, vel filiationis, vel virtutis ſanctificantis cernitur. Si igitur dicunt perſonas eſſe ſine hypoſtaſi, ex ſe ipſa habet oratio abſurdum: Sin autem concedunt eſſe eas in vera hypoſtaſi, quod confitentur, hoc etiam numerent, vt ratio homouſij id eſt, conſubſtantialis ſeruetur in vnitate naturæ; & pia cognitio patris, & filij, & Spiritus S. in hypoſtaſi perfecta, & integra vniuſcuiuſque nominatorum prædicetur.

Eiuſdem ex epiſtola ad Amphilochium.

SVbſtantia, & hypoſtaſis hanc habent differentiam, quam habent commune, & ſingulare, id eſt, quam habent animal, & ille homo. Et paulo poſt, qui dicunt idem eſſe ſubſtantiam, & hypoſtaſim, coguntur perſonas ſolum confiteri differentes eſſe. "

Eiuſdem ex epiſtola Synodica, in qua fecit ſubſcribere Euſtathium Armenium, qui erat ſuſpectus, quaſi contrarium ſentiret.

OPortet igitur clarè confiteri, quod credunt ſecundum verba à patribus noſtris expoſita in Synodo Nicæna, & ſecundum ſententiam ipſis verbis ſanè ſubiectam. Sunt enim quidam, qui in hac fide verbum veritatis deprauant; & ſenſum verborum, quæ in ea ſunt, ad voluntatem ſuam trahunt. Vtpote cum Marcellus exponens hypoſtaſim domini noſtri Ieſu Chriſti, & nudum ipſum verbum, impie auſus eſt excuſare illinc accepiſſe principia. "

Ecce vnam hypoſtaſim domini noſtri Ieſu Chriſti dixit Doctor Baſilius; qui prius definierat non eſſe idem ſubſtantiam, & hypoſtaſim.

Gregorij Theologi ἐκ τοῦ συντακτικοῦ.

,, CRedimus in patrem, & filium, & Spiritum S. eiuſdem ſubſtan-
,, tiæ, & eiusdem gloriæ, (& aliquanto poſt.) vnum quidem ſub-
,, ſtantia agnoſcentes etiam indiuidua adoratione; tres vero hypo-
,, ſtaſibus, id eſt, perſonis, vel vt libet appellare. nec enim de his con-
,, tendere honeſtum eſt.

Eiusdem ex epiſtola ad Cidonium, huius auctoritatis meminit etiam beatus Cyrillus in ſynodo ſua.

,, NAturæ quidem duæ Deus, & homo, quia & anima & corpus.
,, filij vero non duo, neque dij, non enim hic duo homines, ta-
,, metſi ſic Paulus vocauit interiorem hominem, & exteriorem. Et ſi
,, breuiter dicendum eſt, aliud, & aliud ſunt ex quibus Saluator con-
,, ſtat, ſiquidem non eſt idem inuiſibile cum viſibili, & quod ſine tem-
,, pore, idem cum eo, quod cadit ſub tempus, non tamen alius, & ali-
,, us, abſit. Vtraque enim ſunt vnum τῇ συγκράσει (id eſt, vnione) Deo
,, facto homine, & homine facto Deo, vel ſi quo alio modo nomi-
,, nare libet. dico autem aliud & aliud contra atque in ſancta trinita-
,, te; illic enim alius & alius, ne hypoſtaſes confundamus; non aliud, &
,, aliud, vnum namque ſunt tres, & idipſum diuinitate.

Satis ſunt hæc ad declarandum quam opinionem veteres habuerunt de perſona, & hypoſtaſi, natura & ſubſtantia, & quod vnio incarnationis contra atque in S. trinitate, ſc habet, quæ quidem vnio aliud & aliud demonſtrat poſt vnionem ea, ex quibus facta eſt vnio. Si quidem non eſt idem inuiſibile, quod eſt viſibile; nec eſſe ſine tempore, & eſſe ſub tempore; hæc enim nunquam inter ſe ſunt idem, tametſi circa eundem vtraque, alius enim pater (inquit) & alius filius; non aliud & aliud, abſit; non enim alius verbum, & alius Chriſtus; nec alius filius natura, & alius homo poſitione; ſed vnus & idem vtraque. Alius namque & alius pater, & filius, & idcirco duæ hypoſtaſes. Aliud autem, & aliud Deus, & homo; & idcirco duæ naturæ. Non quidem quandoque hoc, quandoque illud; ſed ſemper, alius quidem reſpectu patris; aliud vero reſpectu carnis. Sicut demonſtrabunt deinceps ſanctorum patrum ſcripta.

Proclus

Digitized by Google

Proclus Conſtantinop. in illud, puer natus eſt nobis.

IPſe verè Deus, & vere homo patri, quatenus erat, conſubſtantialis; & mihi, quatenus factus eſt ſine peccato, eiuſdem naturæ; diuina natura eſt increata; quæ ex me ſumpta eſt, legitima, & vnus eſt filius, non duabus naturis in duas hypoſtaſes diuiſis, ſed ſtupenda incarnatione naturas duas in vnam hypoſtaſim vniente.

œconomia.

S. Iſidori ex epiſtola ad Theonem.

PAnis vocatus eſt dominus, ipſe ſe ipſum hoc nomine vocauit, ſecundum notionem quæ in promptu eſt, tanquam factus omnibus cibus ſalutis; ſecundum vero ſenſum arcanum, tanquam qui vniuit ſibi fermentum humanæ maſſæ, & purgauit, & proprio igne diuinitatis coxit, & in vnam perſonam cum ipſa, & in vnam adoratam hypoſtaſim coiuit. Tempus eſt, vt aliorum patrum auctoritates, vt promiſimus, recitemus.

κατὰ δὲ τὴν ἀπόῤῥητον ἔννοιαν.

S. Iuſtini Philoſophi & Martyris ex tertio libro de trinitate. c. 3.

TVnc à cœlis non diſcedens ad nos deſcendit; non enim fuit deſcenſus corporis, ſed diuinæ operationis voluntas, virgine intermedia ex genere Dauid oriunda propter promiſſiones ei factas vſus ad neceſſitatem incarnationis: & in huius vterum ingreſſus tanquã ſemen diuinum, format ſibi templum, & in templi formationem ſubſtantiam perfecti hominis ſumpti & non partem illius naturæ, contulit. & indutus hanc perfectam humanitatem ſumma vnione cum ambabus naturis exiuit. Inde enim filius, & Deus, & homo eſt. Sic œconomiam in aſſumptione naturæ noſtræ compleuit.

Eiuſdem ex eodem opere c. 17.

CVm ergo audieris de filio Dei voces contrarias, impartire voces conuenienter naturis. Si quid magnum, & diuinum eſt quod dicitur, tribue diuinæ naturæ; ſi quid vero paruum, & humanum, reputa humanæ naturæ conuenire. Sic effugies diſcrepantiam vocum, ſi vna quæque natura recipiat, quod ei naturaliter congruit; & vnum filium ante omnia ſæcula, & recentem ſecundum diuinas ſcripturas confiteberis.

Digitized by Google

Eiusdem ex eodem capite.

SIcut vnus quidem eſt homo, habet autem naturas differentes duas, & ſecundum aliud ratiocinatur; & ſecundum aliud id, de quo ratiocinatus eſt, operatur. Anima enim intelligente de ædificanda naui ratiocinatus, quod ratione habet cõprehenſum, manibus ad effectum perducit; ſic filius cum vnus eſſet, & idem naturæ duæ, ſecundum aliam naturam miracula operabatur; & ſecundum aliam humilia ſuſcipiebat. Et poſtea, ſicut enim poſt vnionem primi luminis cum corpore ſolis nullus iam ea dirimere poterit; neque ſolem vocabit per ſeparatim, neque rurſus lumen diſiunctè; ſed vnus Sol, & vnum lumen dicitur: ſic in vero lumine, & in ſanctiſſimo corpore nemo poterit dicere poſt vnionem hunc quidem ſeparatũ filiũ, ſcilicet Deum verbũ; hoc vero ſcilicet hominem, non filiũ; ſed potius vnũ & eundẽ in vtraq; natura intelliget; ſicut vnum lumen, & vnum ſolẽ, lumen ſuſceptum, & corpus quod lumẽ ſuſcepit. rurſus, ſicut vnum quidem lumen, & vnus ſol, naturæ vero duæ, vna quidem luminis, & altera corporis ſolis, ſic etiam hic, vnus quidem filius, qui eſt dominus, & Chriſtus, & vnigenitus; naturæ vero duæ, vna ſupra nos, altera noſtra. Et iterum, ſicut operationem luminis, quatenus lumen eſt, nemo ſeparabit à corpore ipſo lumen recipiente; ſi vero ratione ſeparet, agnoſcet naturam, cuius eſt propria operatio, ſic in vno filio Dei omnem operationem nemo ſeparabit ab vna filiatione; à natura vero, cui eſt cognatum quod ſit, ratione ſeparabit.

Sancti Irenæi epiſcopi Lugdun. & Martyris.

SIcut enim arca aurata erat intus & extra auro puro, ſic corpus Chriſti purum erat, & fulgens, intus quidem verbo decoratum, extra vero ſpiritu ſplendeſcens; vt ex vtriſque claritas naturarum demonſtraretur.

Sancti Hippolyti epiſcopi & martyris ex benedictionibus Balaam.

VT demonſtretur vtrunque quidem in ſe habere ſubſtantiam ſcilicet Dei, & hominum, ficut Apoſtolus ait, mediator quidem Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſicut Apoſtolus ait, mediator Dei, & hominum homo, Chriſtus Deus, mediator autem vnius

Digitized by Google

nius hominis non eſt, ſed hominum. Oportebat ergo, vt Chriſtus factus mediator Dei, & hominum, ab vtriſque arrabonem quandam acciperet, vt appareat mediator duarum naturarum.

Non vnius hominis, ſed hominũ quia natura communis non eſt vnius ſingularis tantum, quod enim de phœnice fertur Maximus fabulam eſſe demonſtrat ob hanc cauſam, & rationem, vnus itaque eſt Deus i d eſt, vna natura communis trium perſonarum, & vna natura hominum, & Chriſtus mediator duarũ naturarum.

S. Petri epiſcopi Alexandriæ & martyris ex homilia de aduentu ſaluatoris noſtri.

ET Iudæ dixit, oſculo filium Dei tradis? Hæc, & his ſimilia, & ſigna omnia quæ fecit, & virtutes demonſtrant eſſe eum Deum factum hominem, vtraque itaque demonſtrantur, & quod erat Deus natura; & quod fuit homo natura.

Sancti Cyriaci epiſcopi Paphi & confeſſoris, qui fuit vnus ex patribus Synodi Nicænæ ex homilia in Theophania.

QVi cum in forma, inquit, Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Si forma Dei æqualis eſt Deo, & perfectus Deus erat; & forma ſerui perfectus homo, hoc enim docet ſcriptura diuina; perfectus ergo in ambabus ſubſtantiis Chriſtus conſubſtantialis Deo, & patri; & conſubſtantialis virgini & matri; ſine matre ſupra ex patre; ſine patre infra ex matre.

S. Athanaſij ex libro de Trinitate, huius auctoritatis meminit beatus Cyrillus in epiſtola ad monachos.

SCopus igitur, & ſignum, vt ſæpe diximus, quo ſcriptura ſancta collineat, eſt eſſe in ea duplicem de ſaluatore annunciationem, quod ſemper erat Deus, & eſt filius, qui eſt verbum, & ſplendor, ac ſapientia patris; & quod poſtea ſumpto corpore ex virgine Dei matre Maria homo factus eſt.

Eiuſdem ex libro contra Apolinarium.

IDem factus homo, non mutatus in formam hominis, neque aſpernatus eſſentiam hominis inſtar vmbræ apparuit, ſed potius cum eſſet natura Deus, generatur homo; vt vnus ſit vtraque perfectus ſecundum omnia, naturalem, & veriſſimum ortum oſtendens.

Eiuſdem

Digitized by Google

Eiuſdem ex eodem libro.

,, ET ſic dicatur perfectus Deus, & perfectus homo Chriſtus;
,, non quod diuina perfectio in humanam perfectionem muta-
,, ta ſit, quod eſt impium; nec quod duarum perfectionum ſecundũ
,, diuiſionem eſſe fateamur, quod à pietate alienum eſt; nec ſecundum
,, progreſſum virtutis, & aſſumptionem iuſtitiæ, abſit, ſed ſecundum
Vtraque dicit propter duas naturas. eſſentiam integram, vt vnus ſit vtraque, perfectus ſecundum omnia Deus; & idem homo.

S. Baſilij epiſcopi ex libro 3. contra Eunomium.

,, EGo enim eſſe in forma Dei tantumdem valere dico, quantum
,, eſſe in ſubſtantia Dei. Vt enim aſſumpſiſſe formam ſerui ſigni-
,, ficat fuiſſe dominum noſtrum in ſubſtantia humanitatis; ſic qui dicit eſſe in forma Dei, proprietatẽ diuinæ ſubſtantiæ demonſtrat.

Eiuſdem ex libro 3. contra Eunomium.

,, INtelligendum ergo eſt illud quidem genuit, in Deo filio; illud
,, vero, creauit, in eo, qui formam ſerui accepit. In his vero omni-
,, bus non dicimus duos, Deum ſeparatim; & hominem ſeparatim:
,, vnus enim erat. Sed cogitatione vniuſcuiuſque naturam reputa-
,, mus.

S. Gregorij Theologi ex apologetico.

Vnionem vocat mixtionẽ. HOc exinanita diuinitas; hoc aſſumpta caro; hoc noua mixtio, Deus & homo; vnum ex ambobus; & per vnum ambo.

Eiuſdem ex oratione in natalem domini.

,, MIſſus quidem eſt, ſed vt homo. Duplex enim erat, ſiquidem
,, defatigatus eſt; & eſuriuit, & ſitiuit; & fuit in angore, & la-
,, chrymatus eſt lege naturæ.

Eiuſdem ex oratione ſecunda de filio.

,, HÆc igitur nobis dicta ſint in eos, qui magnopere ſe iactant.
,, Deus autem dicatur non verbi, ſed eius qui cernitur. Quomo-
,, do enim proprie erit Deus Dei? Sicut & pater non eius, qui cerni-
,, tur, ſed verbi. Erat enim duplex. Idcirco vnum quidem proprie in
,, ambobus; alterum vero non proprie, ſed contrarie atque in nobis.

Noſtri

noſtri enim propriè dicitur Deus; pater autem non propriè, & hoc eſt, quod hæreticos in errorem inducit complexio nominum mutatis nominibus propter vnionem. Signum autem huius rei eſt, quòd quando naturæ cogitatione disiunguntur, ſimul etiam nomina diuiduntur. Audi Paulum dicentem, vt Deus domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ. Chriſti quidem Deus; gloriæ vero pater. Si enim vtrumque eſt vnum, at non natura, ſed coitione.

τῇ δὲ συνόδῳ.

Eiusdem ex epiſtola ad Cledonium ſecunda.

SIcut facta eſſe omnia per Chriſtum, & habitare Chriſtum in cordibus noſtris non accipitur ſecundum illud Dei, quod apparet, & cernitur; ſed ſecundum illud, quod intelligentia percipitur, naturis quaſi mixtis, ſic & nominibus inter ſe circumincedentibus ratione vnionis naturarum.

περιχωρούσων εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας.

Beati Greg. epiſc. Nyſſ. ex libris contra Eunomium.

MEdiatore enim Dei & hominum, ſicut Apoſtolus nominauit, nihil ſic, ſicut nomen filij demonſtrat aptatum vtrique naturæ diuinæ, & humanæ: idem enim & filius Dei eſt; & filius hominis ſecundum œconomiam incarnationis factus eſt. Vt communione vtriusque naturæ per ſe ipſum vniat ea quæ natura differunt.

Eiusdem ex libro ſecundo.

QValis forma in paſſione percutitur? & qualis ex æternitate glorificatur? Manifeſta ſunt hæc, quamuis nullus oratione interpretetur, quia plagæ quidem ſerui fuerunt, in quo dominus: honores vero domini, circa quem ſeruus. vt propter coniunctionẽ, & vnionem naturarum, quæ vtriusque naturæ ſunt ambo cum vno fiant communia, plagis ſerui acceptis à domino; & honoribus domini honorato ſeruo.

διὰ τὴν συνάφειαν καὶ συμφυΐαν.

Eiusdem ex libro quarto.

VBique enim prædicans vnionem humani cum diuino, nihilominus in vtroque proprium cernit.

ἀνάκρασιν.

Eiusdem ex eodem libro.

VT ex eo, quod duo circa vnum dicuntur; circa vtrunque intelligatur, quod congruit: circa diuinum non pati; circa humanum pati œconomice.

S. Greg. Nyſſ. ex libro contra Apolinarium.

SI igitur naturale eſt carni habere, qui ei præſit, ſicut ait Apolinarius, præeſſe vero natura conuenit Deo, quomodo qui hæc concedit, decernit vnum natura ambo à principio eſſe? cum omnibus pateat, aliam eſſe rationem ſubiecti, & aliam præpoſiti? & aliud eſſe, quod natum eſt, vt à duce viæ dirigatur; & aliud rurſus, cui ineſt natura, vt ſit dux, & præfectus? Si ergo in contrariis proprietatibus cernitur natura alterutrius, carnis ſcilicet & diuinitatis, quomodo duæ naturæ ſunt vna? Quomodo diuinam, & cœleſtem carnem verbo circumformat? Immo ipſum verbum ante incarnat, non œconomicè nouiſſimis diebus ad noſtram formam ſubeundam de lapſum, ſed potius ſemper hoc factum, & ſemper in eodem ſtatu firmatum? Qui enim carnem dicit indigere immutabili, indigere item ductore, & præpoſito, carnem plane noſtram dicit, quæ propter mutabilitatem naturæ in peccatum cecidit. Sin vero ſupra cœleſte, & diuinum corpus, ſicut ait, contemplatur circa verbum, nec immutabilitatem ei omnino, vt conſequens erat, tribuit.

Marg.: περιπλάττει. προαποσαρκοῖ.

S. Iulij epiſcopi Romani. hanc auctoritatem Cyrillus produxit in Synodo Epheſina.

VNde neceſſe eſt & corporeum de toto, & diuinum item de toto dici, & qui non poteſt in vnitis differentiam cognoſcere, & quid proprium vtriuſque, in repugnantias diſcrepantes incidet. Qui vero propria cognoſcit, & vnionem ſeruat, neque naturas mẽtietur; nec vnionem ignorabit.

Marg.: Alias; naturã.

S. Hilarij epiſcopi Pictau. qui fuit vnus ex patribus Synodi Nic. ex libro IX. de fide.

Marg.: Libros de Trinitate dicit.

NOn nouit hic non nouit vitam ſuam, qui Ieſum Chriſtum vt verum Deum, ita & verum hominem non nouit.

& poſtea.

Hæc verbum caro factum aiebat, & homo Ieſus dominus gloriæ docebat ad ſalutem eccleſiæ, ipſe mediator exiſtens in ſeipſo, & in ipſo hoc myſterio, per quod Deo & hominibus fuit intermedius, vnus vtrunque, ex vnitis in hoc ipſum naturis, vnum & idem per vtramque naturam exiſtens; verum ſic, vt in vtroque neutro priuetur, ne deſinat eſſe Deus, natus homo; aut rurſus homo non ſit, quia

quia manet Deus. Hæc eſt ergo beatitudo naturæ humanæ, Deum, & hominem prædicare; carnem & verbum confiteri; & Deum ſcire eſſe hominem; & carnem non ignorare verbum eſſe.

Eiusdem ex libro de fide 7.

VIdes igitur ſic & Deum, & hominem nos confiteri. Et poſtea. Et quia vtraque ex propriis naturis conſtant, vnum mihi eſſe illum Chriſtum memineris, qui eſt vtrumque. Hæc idcirco breui expoſui, vt vtramque naturam in domino noſtro Ieſu Chriſto intelligi meminerimus. Qui enim erat in forma Dei, formam ſerui accepit.

S. Ambroſij epiſcopi Mediolan. & confeſſoris, ex libris de fide ad Gratianum, huius auctoritatis meminit Cyrill. in ſua Synodo.

SEruemus differentiam diuinitatis, & carnis; vnus enim in vtraq; natura loquitur filius Dei, ſiquidem in ipſo eſt vtraque natura. Et ſi enim idem eſt, qui loquitur, tamen non ſemper vno modo & more loquitur. Contemplare in eo nunc quidem gloriam Dei; nunc vero paſſiones hominis. vt Deus, diuina loquitur, quia verbum eſt; vt homo humana loquitur, quia in ſubſtantia ſecundum meam loquebatur.

Eiusdem ex tertio libro.

SEd quomodo hic ſe dicit filius ſine auxilio eſſe? Quamuis ille ſuperius dixit, poſui auxiliũ ſuper potentem. Diſtingue igitur hic naturas. Adiutorem namque habuit caro: non habuit diuinitas.

Eiusdem ex libro contra Apolinarium. 9.

Scripſit Ambroſ. libros contra Apolinarium qui nõ extant.

VErum hæc fides generatim ad omnes ſpectat, Chriſtus eſt filius Dei, & æternus ex patre, & natus ex virgine, quem tanquam gigantem Sanctus propheta Dauid interpretatus eſt, quia ſolus eſſet duplici forma, & gemina natura, cum quo eſſet communis diuinitas, & humanitas. δίμορφος. & poſt alia.

Vnus enim eſt in vtroque, id eſt, in diuinitate, & corpore.

non enim alius ex patre, & alius ex virgine, ſed idem ipſe, aliud quidem ex patre, aliud vero ex virgine. & generatio generationi non præiudicat; neque caro diuinitati. προκρίνς.

Eiuſdem ex libro ad Sabinum epiſcopum.

IGitur cum eſſet in diuinitate perfecta, exinaniuit ſeipſum, & accepit perfectam & integram naturam humanam. Sicut nihil defuit Deo; ſic nihil defuit perfectioni humanitatis, vt eſſet in vtraq; natura perfectus.

Eiuſdem interpretantis ſententiam diuini Symboli.

EOs autem, qui dicunt Chriſtum eſſe nudum hominem, vel verbum paſſibile, vel mutatum in carnem, habuiſſe ſubſtantiam corporis, vel corpus è cœlo attuliſſe, vel qui dicunt mortale fuiſſe verbum, & opus ei fuiſſe, vt ſuſcitaretur à patre, vel aſſumpſiſſe corpus inanimatum, vel hominem ſine mente, vel naturas Chriſti cōmixtione confuſas factas eſſe vnam, & qui non confitentur dominū noſtrum Ieſum Chriſtum duas naturas eſſe non confuſas, vnam vero perſonam, quatenus vnus Chriſtus, & vnus dominus eſt, hoc anathematizat Catholica, & Apoſtolica eccleſia.

S. Amphilochij epiſcopi Iconij ex libro contra Arianos.

DIſcerne naturas, Dei naturam, & hominis naturam. Nec enim factus eſt homo facta iactura diuinitatis; neq; ſecundum progreſſum factus ex homine Deus. Deum enim & hominem cum dicis, tribue paſſiones carni; & miracula Deo.

Eiuſdem ex epiſtola ad Seleucum.

VT forma Dei, & forma ſerui in vnam perſonam filij & domini Ieſu Chriſti conuenirent, ſic Deum, & hominem confiteor filium Dei vnum filium, duarū naturarum, paſſibilis, & impaſſibilis, mortalis, & immortalis, tactilis, & non tactilis, principio carentis, & cœptæ, incircumſcriptæ, & definitæ.

Eiuſdem ex eadem epiſtola.

CHriſtus filius Dei, qui eſt duarum naturarum perfectarum filius vnus, ſecundum diuinitatem infinitus, & incircumſcript

om

omnia continens. Vnum quidem dico filium Dei, duarum vero naturarum, non negans diuinam. & poſtea.

Ipſe igitur Deus verbum, propria facit, quæ erant templi, nihil patiens; quia in vnam perſonam coeunt duæ naturæ. οἰκειοῦται.

S. Gelaſij epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ, & confeſſoris vnius ex patribus Synodi Conſtantinopolitanæ centum quinquag. ex interpretatione Symboli.

AT non potuit hoc facere humana lingua, infirma quippe erat natura. Venit igitur in eundem Deus & homo, vt corpus quidem miniſtraret; Deus autem per corpus actionem exhiberet. Duplicia omnia; & vera omnia, & perfecta omnia. Obſtruatur omne os hæreticum. Nobiſcum Deus; nobiſcum, qui eſt cum patre; nobiſcum, qui eſt ex nobis. Caro mea, inquit, ex ipſis. Verum alterum quidem ſemper, alterum vero propter nos. Ac diuinitas quidem ſemper; humanitas vero propter nos.

Eiuſdem ex eodem libro.

NOs autem diuino verbo illuſtrati, cuſtodiamus ſine contumelia nobilitatem vnigeniti, neque propter humilitatem carnis verbum repudiantes; neque propter altitudinem diuinitatis carnē contemnentes. Quin potius verbum, vt Deum; carnem, vt templum Dei honoremus.

Auguſtini epiſcopi Hipponenſis ex epiſtola ad Voluſianum.

NVnc autem ſic inter Deum & homines apparuit mediator, vt ipſe in vnitate perſonæ vtramq; naturam copularet. & poſt alia.

Cognoſce duplicem naturam Chriſti, diuinam dico æqualem patri; & humanam, qua maior eſt pater, ſed vtrumque ſimul; & non duo, ſed vnus eſt Chriſtus; ne Deus ſit quaternitas, ſed trinitas.

Magni Ioannis epiſcopi Conſtantinop. ex epiſtola ad Philipp.

QVia tamen formam ſerui accepit; id eſt, homo, inquit, factus eſt, igitur qui in forma Dei erat, Deus erat. Forma enim, &

Digitized by Google

forma poſitum eſt. Si hoc verum eſt, & illud. Natura homo forma ſerui; igitur natura Deus forma Dei.

Eiuſdem ex epiſtola ad Timotheum hom. 7.

QVia enim duarum naturarum medius fuit, duabus naturis affinem eſſe oportuit. ſicut enim qui eſt medius aliquorum locorum, vtrique loco eſt affinis, ſic qui vtriuſque naturæ eſt, coniunctionem affinitatis cum vtraque natura habere debet. ſicut ergo factus eſt homo, ſic & Deus erat.

Eiuſdem in aſſumptionem.

ET quid facit mediator? Opus mediatoris. Sicut ſi duo à ſe mutuò auerſi ſint, neque reconciliari velint, accedatque aliquis, qui ſe medium inferat, vtriusque inimicitiam diſſoluet, ſic Chriſtus fecit. Iratus erat nobis Deus; nos Deum hominum amantem auerteramus, ſeipſum immiſit Chriſtus medium; & vtramque naturam reconciliauit.

S. Ephræm ex homilia in margaritam.

DVarum naturarum eſt particeps margarita magnæ æſtimationis, vt oſtendat Chriſtum, quod cum eſſet verbum Dei, ex Maria ortum eſt. Non habuit naturam ex parte; quia nec aliud animal erat. Perfectam habet duplicem naturam, ne amittat duas. Neque ſemideus viſus eſt in terra; neque ſemihomo aſcendit ad cœlos. Ex perfecto perfectus; ex homine homo; ex Deo Deus; ex virgine Chriſtus.

Cyrilli epiſcopi Hieroſolym. ex quarta Catecheſi.

DVplex erat Chriſtus, homo, qui cernebatur; Deus, qui non cernebatur.

S. Flauiani epiſcopi Antiochiæ in aſſumptionem.

QVis verè loquetur potentias domini? Auditas faciet omnes laudes eius? Quis verbis conſequi poterit magnitudinem beneficij in nos, cum humana natura diuinitas copulatur, manente in ſe vtraque natura?

Eiuſdem

Eiuſdem ex homilia in euangelium Ioannis.

DEmonſtrauit ſe ipſum per nubem corporis, qui naturam noſtram induit, vt ambas naturas eius diſcamus, & hominem, qui cernebatur; & diuinitatem, quæ per corpus operabatur.

Antiochi epiſcopi Ptolomaidis. huius auctoritatis meminit Cyrill.

NE confundas naturas, & non torpebis circa œconomiam, id eſt, myſterium incarnationis. Tene Deum: tribue Deo, quæ eum decent. Recipe humanitatẽ: redde humanitati, quæ eã decent. ϛυναιϱικῶς

Procli epiſcopi Conſtantinop. in illud, puer natus eſt nobis.

NAturas ratione diuide; & vnionem myſterij θεολόγικον (id eſt vnionem carnis cum Deo fatere.) τοῦ λόγου ...ιελε.

Eiuſdem in natiuitatem Chriſti.

NIſi mater manſiſſet virgo, nudus homo natus eſſet, & partus non fuiſſet admirabilis. Si vero poſt partum manſit virgo, ille incorruptè natus eſt, qui ianuis clauſis ſine vllo impedimento ingreſſus eſt, cuius coniunctionem naturarum cum Thomas contemplaretur, clamauit inquiens: dominus meus, & Deus meus.

Iſidori Peluſiotæ ex epiſtola ad Theodoſium Diaconum.

NOn poſſunt quæri naturales demonſtrationes eorum, quæ ſunt ſupra naturam. etſi enim verbum caro factum eſt, non tamen Chriſtus nudus homo eſt, quin potius Deus homo factus, in vtraque natura vnus eſt filius.

Eiuſdem ex epiſtola ad Timotheum Lectorem.

OMni cuſtodia cuſtodi cor tuum; ne fortè vnam naturam Chriſti poſt incarnationem admittas. Vtriuſque enim negatio eſt vnius affirmatio, vel diuina natura mutata; vel noſtra imminuta. Hæc fuit Manetis Carybdis, per quam ſtuduit, vt omnes ad gehennam deduceret.

Eiuſdem ex epiſtola ad Cyrillum epiſcopum Alexandriæ.

QVòd verus, & ſupra omnia Deus homo factus eſt, non mutatus ab eo quod erat; & aſſumens quod non erat, vnus

in

,, in duabus naturis filius ſine principio, & infinitus, recens, & æter-
,, nus, nec ipſe negabis, cum plurimas ſancti patris noſtri magni Atha-
αὐτὀκαλως. ,, naſij de his habeas comprobationes, homine ſupra naturam diuina
,, aggreſſo opera.

Eiuſdem ex epiſtola ad Leandrum.

,, NAtura humana, vir mirabilis, neque capax malorum eſt; neq; naturaliter poſſidet mala; ſed potius voluntate, & ſegnitie fru-ſtrationem eorum, quæ bona, & honeſta ſunt, ſuſtinet, quod & pri-mo homini euenit. Qui excidit de poſſeſſione ſalutis, quam illi rur-ſus ſecundus de cœlo homo reddidit, qui veram naturam noſtram in ſeipſo demonſtrauit. Deus enim cum verè eſſet, factus eſt verè homo, in duabus naturis vnus filius Dei non mutatus, in eo quod erat, cum factus eſt, quod ſumus.

Scholium Leontij.

IN omnibus ſuperioribus ſtuduimus, vt in medium afferremus auctoritates & beati Cyrilli, & patrum, qui eum anteceſſerunt, quæ totam mentem eius & confirmarent, & interpretarentur. vt ſciant omnes, quod nec ipſe, nec alius ex patribus illud ex duobus, aut ex ambobus ad negandum eum, qui erat in duobus, dixerunt. Multis enim in locis contendens aduerſus diuiſionem Neſtorij po-ſuit non ſolum, ex quibus, ſed in præpoſitione in vtriſque naturis vſus eſt, vt ex auctoritatibus eius, quas ſubiunximus, facile eſt per-ſpicere. In omnibus autem ſermonibus eius eas tantum auctorita-tes, quæ nihil dubij habent, & quas nec inſani prauè interpretari poterunt, afferre curauimus.

Erant qui Cyrillum accuſabant in hoc dogmate, vnde neceſſe fuit illi ſuos anathematiſmos, alioqui catholicos contra Neſtorium, interpretari, quos male quidam intelligebant vt Theodoretus, qui eos confutauit non intelligẽs, & non paucis ſuaſerat, male ſentire Cyrillum.

Beati Cyrilli epiſc. Alexandrini ex primo tomo de Trinitate.

ILle verè ſacer, & ſapientiſſimus Paulus, immo vniuerſus Chorus ſanctorum veluti duplicem ſermonem nobis in filio & cogno-uerunt, & inducunt, poſtquam vnitus eſt carni, id eſt, factus ſicut nos integra ſimilitudine, ſolo peccato excepto.

Eiuſdem ex eodem libro.

,, DVplex ergo eſt ſermo in filio, quare referenda ſunt ad Deum, quæ Dei ſunt; & tanquam ad factum ſicut nos, referenda no-ſtra, id eſt, humana.

Eiuſdem

Digitized by Google

Eiuſdem ex libro ad Acatium.

FRatres verò Antiocheni ſolis cogitationibus illa, ex quibus Chriſtus eſſe intelligitur accipientes, differentes naturas dixerunt, quia non ſunt idem, vt dixi, in qualitate naturali diuinitas, & humanitas; vnum alioqui filium, & Chriſtum, & dominum; & quia verè vnus eſt, vnam perſonam eius eſſe dicunt.

Eiuſdem ex ſecundo tomo contra Neſtorium.

SI igitur cum hominem nominas, ſcis eum eſſe natura Deum, bene habet, finem faciam. Sin verò partiens naturas non ſolum intelligendo, quæ eſt humana natura; & quæ rurſus diuina, ſed potius ſeparans, ne in vnionem coeant, manifeſtè cultum Dei homini tribuis. & tibi dicemus, labores fructuum tuorum comedes. ἀνθρωπολατρεῖς.

Eiuſdem ex epiſtola ad Succeſſum.

IGitur quantum in cogitationem cadit, & ſolum oculis animæ cernitur, quomodo vnigenitus factus fuerit homo, duas naturas eſſe dicimus, vnum vero Chriſtum, & filium & dominum, verbum Dei factum hominem, & incarnatum. Et ſi videtur, accipiamus compoſitionem noſtram, ſecundum quam ſumus homines, ſumus enim compoſiti ex anima & corpore; & videmus duas naturas, vnã quidem carnis; alteram verò animæ, verum vnus ex vtriſque homo ſecundum vnionem facit, vt vnus ſit, qui ex corpore & anima compoſitus eſt; & non compoſitum eſſe ex duabus naturis, facit, vt duo homines intelligantur. Si enim negemus, quod vnus & ſolus Chriſtus eſt ex duabus naturis differentibus, qui poſt vnionem diſiungi non poteſt, dicturi ſunt, qui cum recta ſententia pugnant, ſi totum eſt vna natura, quomodo factus eſt homo? & quam carnem ex nobis ſumptam fecit ſibi propriam?

Eiuſdem ex dialogis de Trinitate, quod vnus eſt Chriſtus.

NVm igitur confuſæ ſunt naturæ, & ambæ factæ ſunt vna natura? Deinde, quis vſque adeo ſtupidus, & ineruditus erit, vt exiſtimet, vel diuinam naturam verbi in id, quod non erat; vel tranſiſſe carnem ſecundum modum mutationis in naturam ipſius verbi? impoſſibile enim eſt hoc.

Digitized by Google

Eiuſdem ex interpretatione epiſtolæ ad Hebræos.

„ NOn dicimus tanquam confuſionem quandam accidiſſe circa
„ naturas, vt natura verbi in naturam hominis forte tranſiret;
„ neque humana natura in naturam ipſius verbi, quin potius vtraq;
„ natura intelligitur, & exiſtit in definitione propriæ naturæ, atque
„ ita vnionem factam eſſe dicimus, habitante verbo corporaliter in
„ templo ex virgine.

Eiuſdem ex Scholiis.

ἀδικῶς

„ NOn eſt igitur diuidendus vnus dominus Ieſus Chriſtus in hominem ſeparatim; ſed potius vnum, & eundem Ieſum Chriſtum eſſe dicimus agnoſcentes differentiam naturarum, ſeruanteſque illas ſemper non confuſas.

Beati Pauli epiſcopi Emeſæ ex homilia in eccleſia Alexandrina ſedente Cyrillo, & laudante.

„ COntinuo Petrus Coryphæus, & Apoſtolorum os; tu, inquit, es Chriſtus filius Dei viui, tu es Chriſtus, qui es duplex natura, qui factus es homo; tu es Chriſtus, & non dixit, filij, ſed filius Dei viui, agnouit etiam ſingularem perſonam.

Eiuſdem ex homilia ſecunda.

„ ESaias igitur prædicat Emanuelem, id eſt, Deum factum hominem, Petrus dicit, tu es Chriſtus filius Dei viui. Duplicem naturam, & ſingularem perſonam filij dicit etiam Ioannes Theologus, & habitauit in nobis, duas naturas vnigeniti, & vnam perſonã, manſit autem Deus verbum impaſſibile.

Cyrillus ad hæc.

„ ECce igitur hauſimus aquam ex fonte ſancto doctoris inquam, antegreſſi, qui facibus Spiritus Sancti illuminatus explanauit nobis magnum & venerabile ſaluatoris myſterium.

Eiuſdem ex tomo tertio contra Neſtorium.

„ NOn enim quia factus eſt ſicut nos, amittet eſſe Deum, nequaquam, neque rurſus quia natura Deus eſt, non poteſt fieri ſimilis

Digitized by Google

miſis nobis; & recuſabit fieri homo. Sicut enim manſit Deus in humanitate; ſic cum eſſet alioqui in celſitate diuinitatis, eſt nihilominus homo. ambo itaque in eo, & vnus ſimul Deus, & homo Emanuel.

Eiuſdem ex interpretatione Leuitici cap. 4.

RVrſus in his totum myſterium ſaluatoris noſtri clarè circumſpice, & emundationem per ſanctum baptiſmum. Duas enim auiculas viuas & mundas iubet capere, vt intelligas ex auibus, hominem cœleſtem ſimul & Deum in duas naturas eatenus diuiſum, quoad pertinet ad rationem vnicuiq; naturæ conſentaneam. Verbum enim erat, quod ex Deo patre ſplenduit, quod in carne ex muliere apparuit, verum non partitum; vnus namque eſt ex ambobus Chriſtus. Idcirco tanquam duæ auiculæ capiuntur; & rurſus ambæ intelliguntur vt vna; ſed tamen viuæ, & mundæ.

Eiuſdem ex primo libro de Adoratione in Spiritu tomo 2.

CHriſtus vero vt legis & prophetarum dominus, quæ ſibi videntur, ſancit: & mediator erat, concurrente in ipſo, & tanquā in vnum eunte diuinitate, & humanitate. ambæ enim, & in eodem intelligitur Chriſtus.

Eiuſdem ex interpretatione epiſtolæ ad Hebræos.

VIde igitur in duobus hircis vnum Chriſtum, id eſt, Deum factum hominem, & morientem quidem humanè propter peccatum, vt aſperſione proprij ſanguinis totam eccleſiam ſanctificaret, manentem vero rurſus impaſſibilem diuinè.

Eiuſdem in illud, omnia mihi tradita ſunt à patre meo.

ALiquando quidem voces mittit decentes hominem; aliquando vero res demonſtrat, quæ ſoli diuinitati debentur, vt intelligatur vtrumque.

Græci aliquando diuidunt librum in tomos; aliquando tomum in libros; & tomos, orationes, libros, homilias omnia vocare ſolent λόγους.

Eiuſdem ex libro 2. de adoratione in ſpiritu. tomo 9.

AVreum caput columnæ. Atqui & corpus aureum. Templum enim ex virgine opulentiā, & diuitias habebat ex habitatione in eo naturæ diuinæ, ſymbolum vero diuinitatis eſt aurum, quod omnibus antecellit. in tali fortaſſe materia dico, ex argēto autem, & ex

„ ex duobus baſis; ſplendidus enim,& conſpicuus erat in terra Chri-
„ ſtus iuxta illud, Deus dominus & illuxit nobis, vtpote notionem
„ habens duplicis naturæ; intelligitur enim idem Deus,& homo,hoc
„ namque arbitror eſſe habere duplicem baſim ex argento.

Eiuſdem ex apologetico ad Alexandrinos.

„ SI enim mixtæ ſunt duæ naturæ in vnam mixtionem quæ ſunt
„ diuerſæ ſubſtantiæ,neutra ſeruatur, ſed potius ambæ confuſæ,
„ deletæ ſunt.

Eiuſdem ex eadem oratione.

„ ET ſolutum eſt templum tempore ſepulturæ tridui, ipſo volen-
„ te; & rurſus excitauit ipſum; & vnitus eſt ei arcana, & inexpli-
„ cabili ratione,non mixtus in ipſo,vel incarnatus, ſed ſeruans in ſe
„ ipſo proprietatem non confuſam duarum naturarum diuerſæ ſub-
„ ſtantiæ.

Eiuſdem ex ſecundo tomo interpretationis epiſtola ad Hebraos.

„ SEparantes enim naturas duas inter ſe, & demonſtrantes nobis
„ ſeparatim vtranque non vnitam alteri,in ſolis perſonis aiunt fa-
„ ctam eſſe vnionem,& tanquam in ſola conſenſione, & in eadem ra-
„ tione conſilij,& voluntatum nutibus ſecundum illud,quod in acti-
„ bus Apoſtolorum ſcriptum eſt,multitudinis autem credentium e-
„ rat cor vnum,& anima vna.

Eiuſdem in Ioannem Euangeliſtam libro primo.

τὴν τοῦ σκηνώματος δύναμιν.

REtractat autem vtiliter euangeliſta,quod dixerat,& quam ha-
beat vim hæc ſententia ad clariorem notionem adducit.
quia enim dixerat verbum Dei factum eſſe carnem, ne quis magna
„ inſcitia ſuſpicaretur, à propria ſubſtantia receſſiſſe, atque ita con-
„ uerſum eſſe in carnem,& paſſum eſſe,quod fieri non poterat; ab o-
„ mni enim mutatione in aliud quid ſecundum rationem aliquo mo-
„ do exiſtendi,remotus eſt Deus,valde commodè,& opportunè ſub-
„ iunxit ſtatim euangeliſta illud,& habitauit in nobis, vt cum intelle-
„ xeris duo ſignificata,habitantem ſcilicet,& in quo habitauit, ne in
„ carnem mutatum eſſe eum exiſtimes. Sed potius habitaſſe in carne
„ tanquam proprio vſum corpore templo ex ſancta virgine, in ipſo
namque

Digitized by Google

namque habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt Apoſtolus ait.

Eiuſdem ex Scholijs per capita.

VErbum enim natura Deus in ſimilitudine hominum factum eſt, habitu autem inuentus eſt vt homo; vt cum ſit alioqui vnus, in eodem ipſo intelligatur vtrumque, neque nudus homo; neque rurſus verbum ſine humanitate, & carne.

Eiuſdem ex epiſtola ad Valerianum.

PLane igitur, quod eſt ex carne, caro eſt; quod ex Deo, Deus. Eſt autem vtraque in eodem ſimul Chriſtus vnus filius & dominus cum propria carne ſua.

Eiuſdem ex epiſtola ad Orientales.

EVangelicas autem, & Apoſtolicas de Chriſto voces ſcimus viros Theologos alias quidem facere communes tanquam in vna perſona; alias vero diuidere tanquam in duabus naturis; atq; eas quidem, quæ Deum decent, diuinitati Chriſti, humiles vero, & abiectas humanitati eius tribuere.

Eiuſdem ex Scholiis.

QVòd autem remanſerint naturæ non confuſæ, hinc ſciemus, aurum enim oblitum ligno, manſit quod erat; & ditatum eſt lignum ſplendore auri, cæterum non deſiuit eſſe lignum.

Hactenus confutatio, & euerſio contrariæ Neſtorij, & Eutychis fictionis & opinationis circa diuinitatem Chriſti, & humanitatem.

Digitized by Google

LEONTII BYZANTINI LIBER SECVNDVS, QVI CONTINET DIALOGVM ADVERSVS EOS, QVI EX NOſtris ſe adiunxerunt ad corruptam ſententiam Aphthartodocetarum, id eſt, eorum, qui defendebant corpus Chriſti ante reſurrectionem fuiſſe incorruptibile.

οἱ ἐναντίας δοκήσεως

SOluimus pro viribus in ſuperioribus, Deo adiuuante, obiecta argumenta falſi nominis ſcientiæ, quibus aduerſus nos vtentes, qui ſunt contrariæ fictionis, (non enim hoc nomine appellare eos deſinemus, quia neque fas eſt), ſimpliciores à veritate abducere ſe putant. Nunc autem alterius quæſtionis conſiderationem euoluere, & explicare aggrediar, ſit dux diſputationis noſtræ Deus & verbum, & lumen, & vita, & veritas aſpirans nobis intelligentiam, vt poſſimus recte intelligere, & expromere cum gratia, & ſapientia cœleſti, quæ ad materiam propoſiti argumenti pertinent.

Si igitur pugnam nunc aduerſariorum inter ipſos excitatam, viderem in ipſis illis manſiſſe, & non ad nos vſque progredi contendentem, fortaſſe lucrum ducerem pugnam, & concertationem aduerſariorum: ipſi enim à ſe ipſis percuſſi, & euerſi nullum negotium nobis, niſi ſolum ſpectaculum belli adhiberent. Vno tantum horum interitu doleremus, qui domum quidem Dauid, ſicut ait ſcriptu-

Digitized by Google

ſcriptura, reſpuere auſi ſunt, concordiam vero quam domo Hieroboam neglexerunt, nec illam ſeruarunt, ſed diſrupti, & diſciſſi à ſe & aduerſus ſe ſunt; vt liceat paulò acutioribus ex fructu arborem cognoſcere, ſicut ſaluator dixit, cum turbulentus ſpiritus, qui in eis operatur, ex tam multiplici ſciſſione eorum maxime demonſtretur. Inſitum eſt enim impietati ſtudium inimicitiæ, & belli. Nunc autem inimicorum inter ſe maleuolentia, & diſſidium nobis nocet; o imperitiam, & facti ſumus miſerabiliores, quam qui apud eos in malitia ſecundas tenent, qui neque quantum inimici, noſtra videre, & cuſtodire poſſumus. Siquidem alterius partis ſchiſmatum pater cognouit quid opus eſſet; & veritus eſt bellum apertè contra veritatē ſuſcipere; nos vero cognitionem illorum aditum ad ignorantiam fecimus, factique ſumus imprudentiores quam inimici.

Cum enim Seuerus, & Iulianus duo initia vnius impietatis inter ſe diſſiderent, ſtultè quidem, quoad propria principia, cordatè vero quo ad ipſam veritatē, & de corruptibili, & incorruptibili concertarent, qui erant partis Seueri, vt verum dicam, inimicorum prauitatem in lucro ponebant, quæ enim nullus eis ante hunc dicere ſuaſit, hæc nunc maleuolentia in ſuos, confiteri coegit. poſtquam vero in ſplendorem veritatis coniicere oculos cœperunt, conſectus illorum fuit cauſa cæcitatis quibuſdam, qui ex noſtris ad peiorem partem ſeadiunxerunt; & per vnum verbum eò deuenerunt, vt idem atque aduerſarij ſentirent, & propter decorem nominis totum incarnationis myſterium ſuſtulerunt. Cum enim, vt dixi, ſtultè illi quoad propria principia, prudenter verò quoad cauſas veritatis quærerent, vtrum corruptibile, an incorruptibile dicendum eſſet corpus domini, quod ex nobis pro nobis dominus induit, & ſuſcepit; Seuerus ſerò quidem, tamen ſenſit demum ſeipſum; & bellum contra ſuos lucratus eſt, coactus confiteri, & prædicare differentiā, & proprietates. Sit autem ſapientiæ eius, & eorum, qui ſtudent ei differentiam, & proprietates prædicare non de ſubiectis rebus; vel duas naturas confiteri recuſantem, non vereri nunc dicere duas proprietates corruptibilis, & incorruptibilis, & diuiſionem numeri duorum, q̄ ſurſum deorſus verſans & omnia miſcens in ſuperiorib⁹ accuſabat: aut quomodo non admiremur eruditionē eius, qui participationem quidem clara voce prædicat, id autem, ex quo ſucta eſt participatio, non ſolum non ſeruat, ſed oppugnare nititur?

nititur? Si enim corpus dicit paſſibile, & paſſiones naturales ei tribuit, idque poſt vnionem, reſpondeat igitur nobis iſte ſapiens, an non à natura naturalia proficiſcantur, vt ab arte artificioſa? Verùm quę illius ſunt, reſeruemus longioribus libris, vel iis, qui maiore otio, quàm nos abundant.

Vnioni rerum id eſt, naturarum.

Quid autem dices de iis, qui hæc ſemper clara, & omnibus manifeſta voce denunciabant, ac præterea, operationem aliam quidem eſſe carnis, aliam vero diuinitatis; & paſſionem circa corpus, & impaſſibilitatem circa verbum confitebantur, ſi & vnioni rerum communicationem harum operationum conceſſerunt, & vt de alterutra natura reciprocè propter proprietatem alterutrius in eodem variantem prædicarentur; nunc autem tanquam ex neceſſitate ſibi contradicunt, & incorruptibili aſſentiuntur. De quibus neſcio quid dicere debeam, admirer ne firmitatem eorum, an laudem leuitatē, qui vno verbo decoro anima auide inuitata, ad ſpecioſam fallaciam abducti, & detorti ſunt. Id quod alijs olim & nunc accidiſſe ſcimus. Iam enim nonnulli ſuperioribus temporibus ad fallaciam Encratetarum ſe adiunxerunt, elegantia vocis in barathrum Manichei præcipitati. Alij autem inquinati immunditie eorum, cathari, id eſt, mundi vocabantur, nulla alia re niſi ſpecioſo nomine deprauati ſunt. Plerique etiam recentium, & veterum, quorum numerare nomina difficile eſſet, ſuo corrupto patrocinio impaſſibilitatis verbi, in Neſtorij hæreſim inciderunt.

In ſumma, totas claſſes animarum tanquam à quadam Scylla, aut ei obiecta Charybde raptas, & ſubmerſas eſſe ſcimus inſcitè offenſas humilibus verbis & rebus Chriſti Dei noſtri propter eius erga nos condeſcenſum. Quid enim aliud infinitas nationes gentium, aut Iudaicas copias in nos armauit, & furore accendit, niſi vt Paulus nominauit, ſtultitia prædicationis? Ecquis nouorum dogmatiſtarum eruditionem non admiraretur, ſi ſecundum eorum nugas omnes martyres celebres, & omnes confeſſores, ſine tormentis coronas pro pietate per has duas voces obtinere potuiſſent, ſi eas quidem didiciſſent? Qui autem iſtius magnæ ſapientiæ expertes eſſent, receſſiſſent per negligentiam decepti, non facti in vita columnæ fortitudinis; nullus, opinor, ex crudeliſſimis, & maximè maleuolis perſecutoribus pœnas ab vllo Chriſtiano repetiſſet, ſi in tribunali natum ex virgine, & crucifixum, & ſepultum, ac ſuſcitatum à mortuis hominem tantum fuiſſe confeſſi eſſent. Quæ enim eos inuidia cepiſſet

cepiſſet reſurrectione hominis prædicata? Qui quidem in nullo alio eorum, ſiue qui falsò, ſiue qui verè ad vitam reuocati eſſe narrantur, inuidia commoti ſunt, cum multi alioqui fuerint: neque vero ſi ſecundum nouam iſtorum ſapientiam, ipſum corpus Chriſti, ſit impaſſibile & imutabile, & inuariabile, ex eadem poteſtate pendeat, inuiſibile ipſum blaspheme dicere, & intactile, & non tractabile, ſine quantitate, & ſine qualitate, & in ſumma, incorporeum, quæ quidē omnia vnà cum hoc admirabili nomine incorrupti cogitant.

Quæ enim ſortitio eſt, alia quidem ex diuinis nominibus tribuere ei, & aliis priuare? Et magnam partem dignitatis, & honoris abſcindere, à ſupra ſubſtantiam vt ipſi opinantur, & ſupra naturam, & incorporeo corpore? Quis autem ex infidelibus ægrè ferat, ſi dicamus corpus Chriſti non eſſe natura viſum, & cibum, & potionem adhibuiſſe, & dormiſſe, ac paſſum eſſe, & quæcunque alia præter hæc humanam infirmitatem ſuſtinuiſſe non pudet te. Eſt enim omnibus manifeſtum, multa huiuſmodi iam facta eſſe lege miraculi, non ratione naturæ. Non enim eo dementiæ prouecta eſſet multitudo Iudæorum, ſi quæ ratio ipſis probaſſet, non fuiſſe ſimile nobis per omnia, & reuera humanæ naturæ corpus, quod ab ipſis crucifixum & paſſione affectum eſt & à diſcipulis ſepultum. Siquidem cum plena ſit ſcriptura ſacra multis Dei apparitionibus, videre tamen licet, quemadmodum bona Dei erga nos prouidentia, vt ratio vtilitatis eorum, quibus conſulebat, poſtulabat, ad humanas figuras, & res, & operationes, ac ſermones ſe accommodauerit; nihil tamen horum eos adduxit ad ſuſpicandum de Deo humana, tametſi humanè ab eo gerebantur. Suadent Iudæis quæ auſi ſunt, fuiſſe hominem ſimilem nobis paſſibilem dominum, quamuis non ſuaſerunt eis miracula, eſſe Deū præſtantia naturæ vniuerſis ſuperiorem.

Sic vnigeniti verbi contra Chriſtum impaſſibilitas impiorum, & carnis contra noſtram ſalutem incorruptibilitas nunc ſophiſtarū, vere paſſione, & corruptione affecta eſſe cognoſcitur, dum illa quidem non facit nobiſcum eſſe eum, qui eſt ſupra nos; hæc vero non ſinit eum, qui nobiſcum eſt, manere ſicut nos, donec adſit tempus medicinæ, & humanitas noſtra, ratione, & ordine ad id, quod ſupra nos eſt, aſcendat, & excitetur. Quomodo enim ſimilitudinem Dei habebimus non compatientes cum eo, qui paſſus eſt? Quomodo vero paſſus eſt, ſi non eſt ſicut nos paſſus? Non igitur ſicut nos paſſus eſt, ſi non manſit ſimilis nobis. Glorificatus vero nequa-

Digitized by Google

quam eſt, ſi non accepit ſecundum carnem, quod ſemper ſecundum ſpiritum habuit.

Orthodoxus eſt pro cruce, quæ in Græco perſonam Orthodoxi ſignat, vt in proœmio auctor admonuit. Hæreticus eſt pro ſtella, quæ hãc perſonam in Græco ſignat.

Verum quidam ex iis, qui in his ſapientes ſunt, nuper mecũ colloquens, ſatis eſſe aiebat ſumpſiſſe dominum humanitatem ad ſaluandum nos. ORThodoxus. Quid vero, inq̃ ego, non ſola voluntas ſaluti ſufficiebat? HÆRetic. Sufficiebat, inquit. ORTh. Quomodo ergo inq̃, nõ ſola voluntate ſaluauit nos? HÆR. Quia non poteſtate, inquit, vſus eſt, ſed potius charitate, & iuſtitia ſaluare placuit. Illud .n. neceſſitatis herilis erat; hoc prouidentiæ paternæ. Illud ſolius violentiæ; hoc voluntarij cõdeſcenſus. Et illud quidẽ ipſi ſolũ; hoc vero etiã noſtrum. Siquidẽ non velle ſimpliciter, conſentaneũ eſt Deo; ſed illa etiam facere, quæ ſuadent, & pudore flectunt, quos ſaluat. ORTh. Optimè, inq̃, propterea enim, vt mihi quidẽ videtur, nouus beneficij erga nos modus inductus eſt poſt crebram & multiplicem prouidentiam ab exordio erga genus humanum demonſtratam. Vt iam ſolum hoc ſalutis remediũ reliquũ eſſet. Nullũ enim remedium valentius ad conuertendum ad melius reperiemus, quã myſterium incarnationis. Hac via, & ratione qui ſolus ſapiens eſt, medicus animarum noſtrarum paſſiones hominum in ſe recipiens, omnium infirmitatẽ in ſe ipſo curauit. HÆR. Non igitur, fas eſt rectè ſentientibus aliter confiteri, quam quod ad perfectã ſalutẽ admirabile incarnationis ſacramẽtũ maxime nobis ſufficit. ORTh. Nec ipſe inquam, non hæc ita eſſe, dicere vnquam poſſim. Modum vero incarnationis, qui curioſitati mentis ad maiorẽ explanationẽ abditus eſt, libentiſſime diſceremus. cõſidera vnicũ inquit HÆR. ſi tibi placet. ORTh. Quia igitur dixi, oportebat, non ſolũ velle, ſed feciſſe Deum aliquid erga nos, neceſſario tale eſſe oportebat quod fieret, vt nullam hyperbolẽ ſapientiæ haberet. Recte, inquit HÆR. Quoniam nec eſſet aliud congruentius; Opus erat illo modo, & non hoc ad perficiendum perfectè, quod ſtudebat.

ORTh. Recte hæc, inquam, dicis amice. Sed illud eſt multa conſideratione dignũ. Si enim ſolam carnem ſibi dominus vniuiſſet, an non maxima re ſalus nobis periclitabatur? Maxime inquit. ORTh. Anima enim, inquam ego, vt opinor, maxime purgatione indigebat, & ob eam cauſam aſſumpta eſt, quia primum paſſa, prima etiam damnata eſt. Diuinè inquit, HÆR. dicis. ORTh. Toto igitur homine, ex corpore, inquam, & anima rationis compote, & intelligente compoſito ſecundum ſubſtantiam aſſumpto totius hominis

ſalutem

ſalutem operatus eſt ſimili ſimile repurgans. HÆR. Belliſſimè inquit, hæc omnia, & abſolutiſſimè dicis. ORTh. At ego illi, Igitur ſicut ſi cum animam ſumpſit, non meam animam ſumpſiſſet; ſi autē & meam, non tamen per omnia ſecundum ſubſtantiam, ſicut mea fuiſſet, aliud plane præter meam animam eſſet, quod factum eſt ſaluum. HÆRet. Sane inquit: illius enim prorſus animæ ſalus fuiſſet, à qua non differre reperta eſſet. ORTh. Ad eundem modum inquam ego, ſi carnem ſumpſiſſet non meam, ſi vero meam, tamen aliquanto differentem, eſſetque differentia, ſi non eſſet ſimiliter paſſibilis; & per omnia cum ijs, quæ carnis noſtræ ſunt, conueniens, neceſſario illius carnis ſalus eſſet, cui carnem ſibi vnitam aſſimilare voluiſſet. HÆReticus. Et quis inquit, eo inſaniæ proceſſerit, vt vera eſſe hæc non confiteatur; & eos, qui non ſic ſentiunt, in damnatis non numeret? ORThodox. Illi inquam certe, *qui* definiunt corpus fuiſſe impaſſibile, & incorruptibile. Non inquit, HÆReticus impaſſibile natura corpus factum eſſe dicimus, ſed vnione cum verbo. ORThodoxus. Ego vero nihil poſterius à priore differre dixi; ſed eandem vim ad nocendum habere, ſi caro domini penitus affinitatem cum paſſibilitate noſtri corporis recuſat. HÆReticus. Quomodo inquit, hoc ais? ORThodoxus. Quoniam non eſt inquam, hoc, quod quæritur, vtrum vnione, an naturæ fabricatione factum eſt incorruptibile; ſed an naturæ noſtræ notas, & ſigna ſine vlla immutatione excepto peccato ſeruabat.

HÆReticus. Quoad primam inquit, ipſius naturæ conſtitutionem & principia ex matre Dei & ſorore noſtra ſecundum naturam, quæ omnem proprietatem humani corporis participauit. ORThodoxus. Clariorem expoſitionem reſponſio poſtulabat, quæ nobis dilucidius quæſtionem explicaret; non enim ſic ſimpliciter ex iis, quæ dixiſti, intelligere poſſum. HÆReticus. Quid inquam, obſcurius dixi? ORThodox. vtrum, inquam, corpore virginis mutato, & à propria natura virtute verbi alienato, naturam noſtram ſic ex ipſo vtero aliter habentem vnitam eſſe ei dicis; an vero manente virgine in proprietatibus naturæ, principiis vero primis ſanguinis ſcilicet virginalis tranſmutatis carnem incorruptibilem generatam eſſe? HÆREticus. Nonnulli, inquit, priori opinioni ſimpliciorum opinor, plusquam conuenit, adhæreſcunt honorantes virginem, & abſurdum inde proficiſcens

Digitized by Google

non prouidentes,& quod ſi quid huiuſmodi accidiſſet virgini, habilitate pariendi priuata fuiſſet. ORThodoxus. Veriſſima, inquam ego, dicis. Quod enim incorruptibile eſt, nunquam ad ferendū partum,& pariendum idoneum erit. Aduentus autem Spiritus Sancti non fecit, neque prohibuit, quin virgo ad generandum apta eſſet. Contra potius ad conceptum ſine ſemine prouiſum ſupra naturam prouexit. Illud vero mihi in mentem venit, quod ſi vt illi opinantur, virgo per aduentum Spiritus S. facta eſt incorruptibilis, illa neceſſario facta eſt immortalitatis generis noſtri radix, & non ſurculus diuinus ex ea productus. HÆReticus. Optime, inquit, dicis, nec enim ſemel proditum eſt, vitam virginis naturalis habitus mutationem cepiſſe. puritatem enim animæ, & ſanctificationem carni attulit aduentus Spiritus Sancti; non autem ſubſtantiæ, aut naturæ immutationem in ea effecit. ORThodoxus. Illud inquam adde ad ſuperiora, quod Spiritus quidem virginem virtute grauidante impleuit, vt natura ſupra naturam ſpicam ſine aratione produceret,& ramus ex radice virginali ſupra quam naturaliter oriretur. HÆReticus. Recte inquit, bone vir.

ORThodoxus. Nunc verò tempus eſt amice, vt amanter,& placide quod deinceps ſequitur, conſideremus. Cum enim conueniat inter nos, eadem natura fuiſſe ſemper virginem, nec in alium naturæ ſtatum, quam quo à principio erat, tranſiſſe, pignus ex ipſa natura noſtra, an non via & ordine naturæ, tempora partus ſeruabat? HÆReticus. Immo maxime inquit. ORThodoxus. Paulatim enim inquam in vtero virginali fictus,& formatus, proficiebat, lege partus, tanquam ad maturitatem perfectam infantis, vt ex verbis euangelij perſpici poteſt, cum ait, & impleti ſunt dies, vt pareret ipſa. Vbi circa partum, ſicut circa conceptum, miraculum admirabile & nouum factum eſt, quod neque partus virginitatem ſoluit; neque virginitas partum impediuit. HÆreticus. Diuinè inquit, ais. ORThodoxus. Sed inquam ego, ſicut conceptus ſupra naturam noſtrā factus, nō fuit à natura noſtra alienus, ſic quidem generatio, quæ admirabilitatē habebat, non mutauit naturam eius, qui propter nos natus eſt, quin immò ortus eſt ramus, & fructus ſimilis vtero, qui generauit. HÆReticus. Nos igitur inquit ille, ſic de carne Chriſti confitemur, quòd ſecundum principium conceptus ſimul & virginalia viſcera attigit,& quod aſſumptum eſt, in incorruptibilitatem mutatum eſt. quomodo enim fieri

πλήρωσιν.

pote-

poterat, vt naturam corruptibilem non deponeret, quod verbo immortali vnitum erat? ORThodoxus. Quin immo, inquam, videris mihi tuorum verborum imemor. Superius enim virginem Dei matrem immutabilem manſiſſe confeſſus es; & quòd auctor temporum non recuſauit, cum formatus eſt, habitare in vtero tempus humani conceptus. Quomodo igitur qui voluit habitare in viſceribus matris, & tempora partus expleuit, & cum non eſſet præſtantior quam nos virgo, excepta ſanctitate, tanquam pœnitentia quadam ductus, naturam corporis ſui reſpuit; idque cum à matre, quæ eum genuit, per omnia non differret? HÆReticus. His, inquit ille, omnes communiter aſſentientur. Verum corpus ex vtero corruptibile, quod ex virgine ſumpſit, quod ſtatim ad immortalitatem tranſtulit, eorum eſt, qui vobis rectè ſentire videntur.

ORThodoxus. Et vbi, inquam ego, eſt ratio, & tempus vitæ communis, ac conuerſationis, quæ maxime nobis vtilis, & neceſſaria fuit, ſi puncto, & momento temporis ſimilitudo, vt ais, nobiſcum ab eo demonſtrata, celeriter mutata eſt; quando non hoc ſolũ indigebamus, ſed vt conuerſaretur nobiſcum dominus; & per omnia pergeret, per quæ natura humana principium capiens, & per media progrediens, ad finem ſuum euadit. HÆReticus. Quid enim inquit, iſta prohibebat, quamuis vnio corpus impaſſibile feciſſet? ORThodoxus. Et quomodo inquam, vel cum hominibus principio vixiſſet, vel paſſiones pro nobis ſuſcepiſſet, ſi ex ipſo principio vnionis negatum eſſet, eſſe ſimilem nobis paſſibilem, & mortalem? HÆReticus. Paſſus eſt, reſpondit ille, ſed non neceſſitate naturæ, verùm ratione œconomiæ, permittente verbo, vt pateretur. ORThodoxus. Ego inquam, quod dictum eſt, nihil ab ænigmate differt. Quomodo enim naturam habebat ſuperiorem quam vt pati poſſet, & rurſus ſinebatur, præter naturam, quæ carnis ſunt, pati? Si enim vnio verbi carni impaſſibilitatem dediſſet, nunquam eam dono, quod ſemel tribuiſſet, priuaſſet. Præterea, ſi ex vnione verbi accepiſſet non poſſe corrumpi, tempus eſt, vt audeas nefariè auellere admirandam, & ſupra naturam vnionem. Siquidem nõ poterat pati, quod ex vnione erat à paſſione liberum, niſi vnione prius ſublata; ſicuti neque tenebræ vnquam erunt, niſi cauſa, & lumine recedente. & in ſumma, nihil ex cauſa continente proficiſcens aptum natum eſt, vt in effectis permaneat, niſi cauſa adſit. Conſidera autem & hoc, quod ſi ſuſtinuit verbum, vt cum

συμπολιτεύσεως.

Digitized by Google

patiente congrederetur, ſuſtineret etiam, vt corpori paſſibili vniretur.

HÆReticus. Num igitur, inquit, non patiebatur caro volente verbo, ſed naturæ legibus ſubiectus erat? ORThodoxus. Ecquis, reſpondi ego, hoc diceret? Quod non volente verbo, quicquam eorum, quæ naturaliter accidunt, carni eueniret; ac non magis ipſo permittente, vt quæ naturalia erant ſine peccato, caro pateretur, quæ ad patiendum natura apta nata erat. Non enim ſi ſecundum naturam erat ſupra quam vt pati poſſet, apta ad patiendum per verbum facta eſſet. Contra potius, aliquando paſſiones caro ſuperabat, tribuente ei verbo, vt plurimum, dominatum in paſſiones, vt naturalis coagmentatio naturæ verbi cum carne inſeparabilis eſſet, & ſemper indiſſolubilis; paſſiones verò non participare non ſemper corpori liceret. Non enim ex vnione habuit non pati, ſed ex voluntate vniti hoc opportunè, & ad aliquam vtilitatem gubernantis, ac diſponentis. Niſi enim hoc verum eſſet, alterum duorum confiteri neceſſe eſſet, aut non paſſam eſſe quicquam penitus, quæ erat propter vnionem natura impaſſibilis; aut ſi paſſa eſt, ab vnione penitus diuulſam eſſe. HÆReticus. Si igitur, ait ille, vt tu dicis, caro cum naturam haberet aptam ad patiendum, tum alia propter ſe, tum mortem ſuſtinuit, exciderũt nobis, & perierunt gloriationes, quibus gloriabamur, tanquam ipſa propter nos paſſa fuiſſet.

παθῶν ἐπικράτειαν

ORThodoxus. Propter nos pati carnem domini, inquam ego, bone vir, dupliciter dicitur, & quod permittente verbo, paſſio circa ipſam accidit, quia ſcilicet cum prohibere poſſet, non prohibuit, vt magnus Athanaſius ait; & quod ſuperior omni peccato cum eſſet, non debebat propter ſe mortem, ſiquidem principio mors propter peccatum irrupit, & in totam naturam humanam peruaſit, in quo, inquit Paulus, omnes peccauerunt, non enim eſt, aut fuit ab omni ſæculo anima hominis voluntarij & non voluntarij peccati pura. Immo etiam animas ſanctorum parum aliquid ſordium, & vitij & ſi non ſecundum actum, ſaltem cogitationem admiſiſſe dicam. Et hoc aperte licet ex domino docente audire, cum ait, venit princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Cum dixit in me, & nihil, plane ſignificauit, ſe ſolum ab omni peccato etiam cogitationis liberum fuiſſe. Quamobrem damnatio peccati cum nullum locum in e[illegible]

ἐλέγχειν.

reperiſſe

reperiſſet, ſubſtitit, & circumſcripta eſt , & à reis deinceps receſſit. Mortua enim mors eſt cum carnem, quæ non peccauerat, deguſtauit. Exiſtimare autem quod caro naturâ paſſionis expers, & immortalis, quod naturæ eius nō inerat, ſponte admiſit, primum quidem hoc eſt ignorare velle, & non velle non eſſe carnis proprium, ſed animæ rationalis, in qua poteſtas liberi arbitrij, & voluntatis in vtramque partem propenſio, & inclinatio cernitur. Deinde faciunt eam ream, quæ voluit quod præter naturam erat; & id elegit, ad quod nata non erat. Hic autem vltimus peccati limes. Nec hoc eſt ſine animaduerſione prætereundum, quod cum tres cauſæ cernantur, ex quibus omnis actus proficiſcitur, vnus quidem eſt ex naturali potentia; alius vero ex deprauatione habitus ſecundum naturam; tertius conſideratur ſecundum aſcenſum, & progreſſum ad melius. Ex his primus eſt naturalis; ſecundus præter naturam; tertius ſupra naturam eſt, & nominatur. Ille ergo actus qui vocatur præter naturam, qui eſt aberratio quædam à naturalibus habitibus, & potentiis, lædit ſubſtantiam ipſam, & operationes eius naturales: naturalis autem actus ex cauſa non impedita, & ſecundum naturam nixus proficiſcitur. Actus vero ſupra naturam, euehit, & eleuat, & ad perfectiora roborat; & ad ea, quæ non potuiſſet efficere, ſi in iis, quæ ſunt ſecundum naturam, manſiſſet. Quæ igitur ſupra naturam ſunt, non interimunt, quæ ſunt ſecundum naturam, ſed potius deducunt, & impellunt, vt & ea, quæ ſecundum naturam ſunt, poſſimus; & virtutem ad ea, quæ ſupra hæc ſunt, accipiamus.

ἐνέργεια. tres cauſæ actus humani.

ἐνεργείας.

HÆReticus. Exemplo, inquit, familiari declara, quod dicis; nondum enim mens mea illud percipit. ORThodoxus. Conſidera, inquam, ſic, ſicut in iis, quæ arte fiunt, videre licet, quemadmodum ars artificio mutat in aliam formam, & naturalem materiæ ſubiectæ deformitatem ad pulchriorem habitum, & ſpeciem transfert, & magis ad vtilitatem euocat. Largitur enim ars, quod natura non habuit. Ad hunc modum tibiæ, & citharæ, & alia eiuſmodi inſtrumenta vi artis ſonos emittunt, ſic ars fingendi cum alia, tum aurum in infinita genera animalium ratione carentium, & in formas humanas mutat. Ac rurſus ars mechanica ſphæras aſtronomicas, & horologia, & alia huiuſmodi excogitauit. Longum eſſet, numerare formas, quibus ratio artificioſa manente natura intra fines ſuos, & nihil læſa, pulchritudinem, & com-

μετακοσμεῖ.

Digitized by Google

& commoditatem ex arte adhibet. Ad eundem modum, vt quæ humilia ſunt, & ſimilitudinem longè à veritate remotiſſimam ferunt, cum diuinis exempli cauſa conferamus, conſidera mihi carnem domini ſaluis naturæ legibus poſt vnionem ſupra naturam, & admirabilem, etiam ea, quæ ſupra naturam ſunt, recipere; ita vt neutrum ex altero ſeparetur, aut impediatur. Nec enim quæ ſupra naturam ſunt, locum habent, non habente natura quod ſecundum naturam eſt. Deſinitque miraculum eſſe quod miraculum eſt, cum id quod eſt ſupra naturam, naturam mutat; ac magnificentia, quæ naturæ violentiam adhibet, in contumeliam vertitur.

Vt ambulare Christum ſuper aquas non fuiſſet miraculum, niſi corpus eius fuiſſet natura graue.

HÆReticus. Et mihi, inquit, hæc videntur. Sic tamen, vt paſſiones ratione miraculi carni acciderent; non poſſe autem pati, & immortalitas eius in naturæ legibus indiſſolubilibus niteretur. ORThodoxus. Et vnde, inquam ego, hoc accepiſti bone vir? Quis fuit tibi huius nouæ, & peregrinæ ſapientiæ magiſter? An ignoras, quod lex naturæ non eſt quod rarum eſt, ſed quod ſemper, vel vt plurimum cernitur, & permanet? Dominus igitur noſter totis triginta tribus annis nobiſcum ſecundum carnem verſatus, non abhorrendo vllo modo à noſtra conſuetudine, humanitatem honorauit cibo, & potu, & ſomno, vtens, & alia omnia naturaliter adhibens, quæ veritatem ſumpti corporis demonſtrabant, & miracula non prius quam triginta annos natus, facere cœpit. Ne enim mihi vllus miracula domini puerilia ex puerili ſenſu proferat, hæc ætas perfectam virtutis periclitationem, & doctrinæ maturum tempus habebat, quando vera euangelia nobis prędicauit; & ad confirmationē doctrinarum diuinarum admirabilitate miraculorum ea, quæ dicebantur, muniuit. & vſque adeo hic cernitur naturalibus, & citra reprehenſionem corporis conſuetudinibus vſus, vt exiſtimationem voracis & vini potoris ſuſtineret, dum ſimiliter, vt nos, modum neceſſitatis expleret. Quid præterea dices, quo pacto ſemper in noſtra forma videbatur, & cum multitudine verſans, & nihil à multis habitu differens. Siquidem premebant eum turbæ, vt Petrus ait, & qui eum prodidit, ſigna dedit, ex quibus deicidæ eum agnoſcerent, propter ſimilitudinem, vt quidam ex noſtris dixit, habitus domini cum habitu diſcipulorum. Hæc vero ab ortu eius vſque ad aſcenſum in crucem, & vſque ad ſepulturam tridui quadam ſerie, & ordine naturali proceſſerunt. ad oſtenſionem vero diuinitatis, quę nondum declarata erat, raro quo ad totam vitæ ſeriem miracula circa

corpus

corpus fecit ad oſtenſionem, vt dixi, diuinitatis, non ad negationem veritatis corporis. Idcirco ſuper mare ambulans non deprimitur; & in monte transfiguratur: totis quadraginta diebus ieiunus, naturalis neceſſitatis oblitus eſt: ex viſceribus virginalibus ortus eſt ſaluo, & integro flore virginitatis, hæc ad declarandum theſaurum diuinitatis, non ad interimendam, & mutandam aſſumptam humanitatem mirabiliter operatus eſt. Et vt breuiter dicamus, miracula diuina, & arcana, quæ faciebat, notæ, & indicia diuinitatis erant; paſſiones vero, & ante eas conceptus, & partus, & faſciæ, & accretio ætatis, & cætera omnia, quæ lege naturæ circa corpus eius facta ſunt, verum hominem, & noſtræ ſubſtantiæ eſſe demonſtrabant.

Sed quod pene mentem effugerat, illud addam. HÆRETICUS. Dic, inquit, id. ORTHODOXUS. cogitaui, inquam ego, illud recte habere, & pium omnibus videri, quod ſicut dominus omnia ſua cũ carne communicans, non receſſit à ſe, manetque fixus, ac ſtabilis in ſtatu ſuo naturali, ſic etiam humanitas eius perſeuerans in iis, quæ naturæ eius ſunt, & habens naturales facultates, & actiones corporis, ac paſſiones communes, & à crimine alienas, ac liberas nunquam deſerens, & definitionem perfectionis noſtræ ſecundum ſubſtantiam poſſidens, omnia bona ex verbo participauit; quin potius ipſum fontem bonorum verbum ſcilicet habens, emittit è ſe omnia, quæ verbi ſunt, propter verbum. Ne enim exiſtimemus, magnum aliquid de carne domini dicere, ſi ei tribuamus, quod nec ipſam honorauit, & quod honorem noſtrum abſtulit, nec enim verbi erat, priuare eam noſtris proprietatibus manentem alioqui nobiſcum: nec erat humanitatis, affinitatem nobiſcum habentis, delere ſimilitudinem patiendi, niſi velimus excidere ab eius imitatione, & ſimilitudine. Nec vero ea quæ communiter iuſti, & iniuſti poſt reſurrectionem habebunt, immortalitatem dico, & non poſſe interitum capere, & inprimis non eſurire, non ſitire, non expetere ſomnum, tanquam grande aliquid carni Chriſti proiiciamus. Hic enim verè dici poteſt, gloria in confuſione eorum, qui per honorem & nos, & carnem domini inhonorant. Carnem quidem domini, cum eam iis, quæ noſtra ſunt, priuant; nos vero, cum faciunt, vt ab iis, quæ carnis domini ſunt, excidamus, non enim glorificabit non compatiens, quæ per paſſionem glorificat.

τῶ ὁμοιοπαθείας. θεομιμησίας.

Caro domini per paſſionem glorificat compatientes Rom. 8. compati autem non poſſe.

HÆRETICUS. En, nunc inquit, nolens diſtinxiſti corruptibile à paſſibili. patiuntur enim in cruciatu corpora peccatorum cum ipſis

Digitized by Google

mus, niſi caro domini compateretur, quod eſt pati nobiſcum, & nos cum ipſo.

animis, non tamen patiendo, mortem, vel interitum capient; vt hinc pateat, non eſſe idem corruptibile atque paſſibile; ſiquidem illa patiuntur, ſed non corrumpuntur. ORThodoxus. At inquam ego bone vir, non hoc dico, quod omnis paſſio interire facit patientem; ſed tales paſſiones & talem. Suppliciorum igitur, quæ in inferis ſunt, & acerbi ſenſus eorum non eſt proprium naturam ſubiectam corrumpere, ſi enim audacter dicendum eſt, conferunt etiam aliquid tortis, & cruciatis ad permanendum, & perdurandum, videre etiam licet, quemadmodum hoc ipſum eueniat in medicamentis, faciunt enim illa reuiuiſcere, & naturam fouent, cum alioqui alte ſtimulent, & pungant, nec ſinant non ſentiendo marceſcere, ſed potius dolore conſeruent, & vrendo corroborent, & denſent. Humanæ vero & naturales paſſiones carnis, quas dominus ſuſcepit, quodammodo erant natura aptæ ad debilitandum carnem, & defatigandum, ac dolore afficiendum, & denique ad diſſoluendum, quod quidem in cruce factum eſſe cognouimus. Diſſolutionē vero quantum in natura eſt, corruptio ſequitur. Paſſiones igitur humanæ naturam poſſunt offendere, compoſitum lædere, & finem, atque ſeparationem inferre, & interitui ſubiicere, quæ quidem omnia ſimiliter atque nos dominus participauit ſecundum magnam Apoſtoli doctrinam. HÆReticus. Quid aliud inquit, his omnibus ſuadere, & demonſtrare ſtuduiſti, niſi quod cum Chriſtus ſit paſſibilis, idque natura corporis, non voluntate diuinitatis, neceſſariò erit corruptibilis. Non enim ignoramus te hoc moliri, quod quidem nunquam concedemus, etſi infinita iſtis addas. Magis enim credendum eſt principi Apoſtolorum Petro, ac præterea Dauid regi à Deo electo, & prophetarum principi, qui dixerunt, quod caro eius non vidit corruptionem.

ORThodoxus. Quandoquidem ab humanis cogitationibus inquam ego ſero tandem, & à probabilitatibus receſſiſti, & ad ſcripturas ſacras confugiſti, & nos memoria cuiuſdam dicti prophetici contra ea, quæ à te dicta ſunt, effugerat, rogo te nunc vt hoc nobis declares. HÆReticus. Quid, inquit, hoc eſt, quod dicis? ORThodoxus. Quod diuinus Hieremias, reſpondi ego, in lamentationibus locutus eſt, demonſtrans prophetice eum, qui lamentationes diſſoluturus erat, Chriſtus dominus, inquit, in corruptionibus noſtris comprehenſus eſt. Aliud huiuſmodi reperire licet dictū ex perſona domini per prophetam, quæ vtilitas in ſanguine meo, dum

dum deſcendo in corruptionem, inſcriptio autem Pſalmi, & tota verborum conſequentia, docet nos intelligere Chriſtum per Pſalmum myſticè præfiguratum ſecundum interpretationem Theologorum. Immo & Petrus ipſe iis, qui reſurrectionem ſaluatoris non credebant, grauiſſimè, vt videmus, dicit, quod ſuſcitauit eum non amplius reuerſurum ad corruptionem. Illud vero non amplius reuerſurum eſſe eum, plane declarat eum, de quo hoc dixit, non fuiſſe alienum à capienda corruptione. An igitur non putas aduerſari hæc iis, quæ à te allata ſunt? Et nos maioribus vinculis quæſtionis implicare? HÆR. Per veritatem, inquit ille, multa obſcuritate plena ſunt hæc, niſi aliquē interpretē adipiſcantur, que diſcrepantiam, q̄ in ipſis videtur eſſe, ad ſcopū veritatis collineet. ORTh. Age ergo inq̄ bone vir, ſententiā horū obſcuritate innolutam explica, & veritatē nobis retege, ſiue eam à te, ſiue ab alio accepiſti. HÆR. Non inquit, aliq̄ valde bellam, & ſpecioſam excuſationē inueniſſe mihi viſus es, cū contrariis auctoritatibus veritatē maiore obſcuritate inuoluiſti. Vt quæſtio quidē dubitationē, dubitatio vero confeſſionē falſi latenter includat. Ego vero ſiue quis nobis dubiū auctoritatū interpretetur, ſiue non; nunq̄ à ſententia mea diſcedā; cum apertè clamat ſcriptura, quia non eſt derelicta anima eius in inferno; neq; caro eius vidit corruptionem. ORTh. Tanq̄ apta nata ad corruptionem, inq̄ ego, nō vidit corruptionē? Aut ſi non eſt ita, reſponde. HÆR. Tanq̄ non apta natura non vidit corruptionē, ſtatim, inq t ille, nihil prorſus dubitans. ORThod. Igitur inquam ego, hoc ipſum etiā neceſſe eſt te de anima prorſus confiteri, de vtriſq; enim coniunctè propheta ex perſona ſaluatoris pronunciauit gratias agens, quod anima eius nō eſſet relicta in inferno; neq; caro eius vidiſſet corruptionem. HÆR. Atqui, inq t, idem de anima domini dicam, quod non habebat naturam, vt relinqueretur in inferno.

ORThodoxus. Igitur, inquam ipſe, nec ad infernum eam deſcendiſſe concedemus. HÆR. Hoc vero inquit ille, nō negauerim, verum vt teneretur ibi, non fuit apta penitus. ORTh. Differt igitur aio, ab animis noſtris ſecundum naturam anima Chriſti. HÆRetic. Non quia differt, inquit ille, ſed quia erat vnita domino, non poterat in inferis detineri. ORThodoxus. Non igitur, dixi ego, propter naturam ſuam, hanc enim ſimilem cæteris omnibus animis habebat; ſed propter diuinitatem verbi,

Digitized by Google

cum qua ad inferos deſcendit, non ſolum ne teneri poſſet, libera fuit, ſed eorum, qui illic tenebantur, & crediderunt ei, vincula ſoluit. HÆReticus. Sic inquit, habet. ORThodoxus. Similia inquam ego, de carne domini intelligere licet. quod ſcilicet quantum attinet ad ſimilitudinem carnis eius cum reliquorum hominum corporibus; ſicut mortuus eſt, ſic etiam corrumpi potuit. Non fuiſſe tamen corruptum non demonſtrat mutationem naturæ, ſed omnipotentem, & efficacem virtutem diuini nutus, & voluntatis. Sicuti ingredi pedibus ſuper mare non fuit declaratio naturæ, ſed indicium diuinitatis. Quare mortuum quidem eſſe proprium fuit naturę corporis; corruptũ vero non fuiſſe, potentiam diuinitatis ſignificabat. HÆReticus. Sic, inquit, & ipſe opinor. ORThodoxus. Quid ergo, inquam ego illi, cum recte offers, non recte diuidis, vt ait ſcriptura, tribuens quidem carni, quæ naturæ ſunt, quæ vero ſupra naturam ſunt, potentiæ verbi, quæ ſupra ſubſtantiam eſt? Hoc enim modo ſuperiorum auctoritatum diſcrepantiam ſolues; & veritatem aſſequeris, comprehenſum quidem eſſe in corruptionibus noſtris ſignificabat quod naturæ inerat: deſcendiſſe vero in corruptionem, ſignificabat veniſſe ad loca, & res corrumpentes; non vidiſſe corruptionem ; ſignificat non eſſe expertum corruptionem verbo prohibente , vt ſit hoc etiam cum aliis præcipuum munus gratiæ in reſurrectione, cœpta quidem in corruptibilitate ab ipſo, & in ipſo, peruadente autem, & peruaſura vſque in omnem humanam maſſam, cuius ipſe factus primitiæ, in ſe totam maſſam fermentauit.

HÆReticus. Chriſtum quidem paſſum eſſe, in diuina ſcriptura, quæ hoc dicit, audiuimus, & paſſibilem eſſe ſecundum carnẽ Chriſtum magnus Paulus prædicat; corruptibilem tamen eſſe Chriſtũ, nulla ſcriptura ſic explanatè, & nuda voce tradidit. Non enim omnino hoc declarat illud, comprehenſum eſſe in corruptione. ORThodoxus. Nunquid igitur, dixi illi, ſolum paſſum eſſe eum ſcriptura dixit, an etiam ſecundum carnem natum ex virgine? HÆReticus. Et hoc inquit eorum eſt, quæ conceduntur. Alioqui quomodo intelligeremus illud: liber generationis Ieſu Chriſti? ORThodoxus. Ergo, dixi illi, ad paſſionem ſpectat generatio eius ab ſcriptura prædicata? HÆReticus. Aſſentior, inquit. ORThodoxus. Quid? inquam, an non accepimus ex ſcriptura accretionẽ

corpo-

corporis eius? HÆReticus. Maximè, inquit. ORThodoxus. illam vero, inquã ego, quam exteri Philoſophi vocant ἀλλοίωσιν, exiſtimas ex poteſtate patiendi proficiſci, an non? HÆReticus. Et vbi inquit, in ſcriptura hoc reperimus? ORThodoxus. Ab ipſo, inquam, verbo ſalutari docemur, cum aperte dicit, Spiritus promptus eſt caro autem infirma. Et rurſus de eo ait Apoſtolus, etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Quid autem aliud eſt infirmitas, quàm potentiæ ſecundum habitum, variatio, & mutatio. Et magnus Eſaias ait, homo in plaga exiſtens, & ſciens ferre infirmitatem. Et paulo ante: & vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem. Sed ſpecies eius inhonorata, & deficiens præter filios hominum. An aliud eſt dicere defectionem, & infirmitatem, quàm immutationem, quam corpus ex paſſione ſubſtinuit colore priuatum, & colorem in corpore naturaliter floreſcentem non ſeruans, calore in intimum reuocato, & ſuperficie propter contractionem ſanguinis refrigerata, & in pallorem mutata? HÆReticus. Optime, inquit, dicis, & mihi videris imitari magnum Baſilium, paſſiones corporis Phyſice deſcribentem. ORThodoxus, nec aliud quid eorum, quæ dixi, meum eſt; omnia ex patribus accepi, ſed conſideremus, ſi placet, quod ſequitur.

παθητικὴ δύναμις.

HÆReticus. Quid, inquit? ORThodoxus. Conceſſis apertè ex ſanctis ſcripturis generatione, accretione, & immutatione, quæramus reliquas coniugationes, vtrum eas forte in diuinis ſcripturis reperire poſſimus. HÆReticus. ſentio, quid hinc efficere velis. Cum enim habeas conceſſum motum domini à locis in loca, conaris demonſtrare de extenuatione, & corruptione, quod nunquam, vt mihi quidem videtur, concludes. ORThodoxus. Recte quidem inquam ego, dicis intuens in meam infirmitatem. At veritas adiuta adiuuat eos, qui eam defendunt. Igitur videtur ne tibi eſurire, & ſitire eſſe cibi, & potionis appetitus? HÆReticus. Videtur, inquit. ORThodoxus. Solere autem eſſe appetitus earum rerum, quæ deſunt, an non putas inquam? HÆReticus. Maxime. Quid enim aliud eſt appetitus, quàm cupiditas eius quod deeſt, ad ſupplendum, quod effluxerat? ORThodoxus. Pulchrè inquam, appetitum definiſti. Siquidem magnus Baſilius eſuriſſe dicit dominum ſolido cibo ipſi exhalato in corpore, & quæ ſequuntur perſpicuè noſti. Somno autem corripi nihil aliud eſſe dicimus, quam languidum, & remiſſum eſſe Spiritum ſentientem, ſicut & defati-

gationem eſſe muſculorum,& neruorum nimiam extenſionem, in his enim ea,quæ naturæ ſunt, deficiunt, & imminuuntur; & indigent ſomno quidem ad recreandam vitalem,& ſentientem virtutẽ; remiſſione verò,vt remittantur contentiones ſiue pedum, ſiue manuum,ſiue totius corporis ex itinere,aut ex alia in aliis operibus cõtentione defeſſi.Cibum verò,& potionem natura requirit ſolidis,& humidis, ex quibus conſtituti ſumus, digeſtis, & indigentibus repletione eius quod exinanitum eſt, & fluxit.

HÆReticus. Sic quidem,inquit ille, in noſtris corporibus fit, bone vir,non tamen ſic in carne domini. ORThod. At ſi non ſic hæc,inquam ego,etiam in carne domini, & ad eundem modum eueniebant, confidenter dicam,nec prorſus genitus eſt. Proba enim nobis alium modum. Non enim dices vnquam,phantaſiam fuiſſe id eſt,inane viſum. HÆReticus. nunquam,inquit ille, ſic inſanus ero,verè ſiquidem hæc accidebant,ſed volente verbo & permittente carni. ORTh. Bene inquam, dixiſti, neç enim meliorem immutationem aſſequetur,qui non dixerit,& ſenſerit paſſiones naturales carni accidiſſe permiſſu verbi. HÆRet. Sic,inquit ille,credimus,Deus enim voluntate neque poteſt,neq; poterat ab hominib⁹ capi. ORTh. Conceſſa igitur inquam ego,bone vir,generatione, immutatione,accretione,motu ſecundum locum, quid prohibet, dic mihi; quin reliquam coniugationem ei tribuamus? HÆRet. Vt tu igitur,inquit,loqueris,corruptus eſt. ORThod. Abſit, reſpondi. HÆRet. Quomodo inquit hoc dicis? ORTh. Quia neque fas eſt,inquam. HÆRet. Quamobrem, inquit? ORTh. Quia inquam,oportebat paſſiones noſtras guſtare vſque ad experientiam mortis,non tamen in corruptione manere actu, quin immo ſicut in omnibus habuit quod noſtrum eſt, & quod ſupra nos eſt, ſic in morte ipſa: mortuum enim eſſe noſtrum eſt, & curatio noſtræ mortalitatis, non eſſe autem corruptum valentioris poteſtatis verbi erat,verbum enim experientiam prohibuit minime cõcedens carni,vt corrumperetur; vt primitiæ immortalitatis ab ipſa, in nos etiam tranſeant. Non eſſe igitur factam corruptionem, potentiæ diuinæ eſt,quæ ſuperari non poteſt; & ratione miraculi, & non lege naturæ.

HÆRet.

Digitized by Google

HÆRet. Atqui inquit ille, & nouus Adam vocatus eſt dominus. Quomodo autem ſic vocaretur, niſi corpus Protoplaſti tuliſſet? Incorruptibilis autem erat protoplaſtus, antequam peccaret; incorruptibile igitur fuit etiam corpus domini. Siquidem ſine peccato perſeuerauit ſemper. ORThodoxus. Ego vero inquam, ſiue corpus protoplaſti corruptibile erat, ſiue non, nondum dico, quandiu non pudet ipſos, qui hoc dicunt, immortalitatem protoplaſti non tribuere domino. Mortuum enim eſſe eum, neceſſario concedent; niſi ſibi ipſis crimen phantaſiæ id eſt inanis viſi in Adam vere mortuo, inferre velint: ſumpſiſſe vero dominum tale corpus, quale erat non ſolum corpus Adæ, ſed corpus noſtrum, non enim propter illum tantum venit, ſed propter nos etiam, valde fidenter affirmarim. Cum enim communis eſſet morbus, valde abſurdum, & à ratione alienum erat, vnius quidem eſſe ſimilem, cæterorum verò omnium diſſimilem, qui quidem ad rationem medicinæ faciendæ eadem ſimilitudine indigebant. Vnde, optime vir, corpus protoplaſti incorruptibile erat? Non enim in conſtitutione ſua habebat, vt immortalis eſſet, ac multo magis non habebat, vt eſſet incorruptibilis, alioqui nunquam opinor, ligno vitæ ei opus fuiſſet tanquam futuro immortali, vſu vitalis fructus, quo eum priuauit peccatum, ſicut patres dicunt, ſed de his non eſt nunc diſputandi tempus, quoniam neque dogma eſt hoc de Adam. Quod enim nunc in quæſtione poſitum eſt, quod talem carnem dominus ſibi vniuit ſecundum hypoſtaſim, qualem habuit Adam poſt peccatum damnatus, & nos omnes ex eadem maſſa. Non enim venit dominus, vt ſaluaret Adam à peccato vacuum, vt eius ſimilis fieret, ſed peccato irretitum, & iam lapſum, vt eum miſeratus conſuſcitaret. Alioqui quomodo debitum pro nobis ſoluiſſet? Aut ruinam reſarciſſet? aut norma virtutis factus eſſet? Et omnibus optimæ vitæ regulam in ſe vitam perfectiſſimam propoſuiſſet?

HÆReticus. Et quomodo, inquit ille, poterit aliquis vitam domini imitari? ORThodoxus. Similitudo inquam, carnis domini cum noſtra ſine variatione, fecit, vt poſſet aſſimilari ei; vt liceat Paulo, & aliis exemplo eius dicere, imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti; & ipſi domino, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Immo neque mors per mortem

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti mortua à reliquis deinceps hominibus ſe vnquam abſtineret, niſi per omnia ſimiliter inuaſiſſet eum, qui ante occubuit, quem poſtquam guſtauit, vſque adeo dentes eius obſtupuerunt, vt ſcripturæ verbis vtar, vt non amplius audeat eos attingere, qui eius ſimiles ſunt, & vt euomat eos, quos prius abſorpſerat. Operatio enim opinor, clarè naturam medicamenti demonſtrat; ſiquidem omne quod erat eiusdem naturæ, coëgit euomere eum, qui momorderat. Deinde quomodo lex conflictus in experimento adhibito ſeruata eſſet, ſi natura, quæ tentatur, non haberet ſimilitudinem naturalem cum eo, qui occubuit? Nō enim eſt vincere, ſed vim afferre congredi præter leges certaminis, lex vero certaminis eſt per eum, qui antea occubuit, ſuperare eum, qui iam vicerat, & hac ratione, & via ſuperiorem amiſſam victoriam reſarcire. Quomodo nos etiam eum, qui propter differentiam inſtrumēti virtute præſtaret, imitaremur, à quibus requireretur, vt in paſſibili, & corruptibili corpore ſimiles nos incorruptibili redderemus: hoc enim ſimile mihi videtur, vt ſi quis lege iuberet inſtrumentis fabrilibus artem fabri ærarij exercere. Etenim ſi ita eſſet, etiam aberrare ab imitatione Dei, à crimine prorſus vacaret. Non enim prope eſt exemplum. Et imitantibus, verſantibusque in natura infirmiore, & decertantibus abunde fuiſſet, quod magiſter naturæ excellentioris erat. Omitto dicere, quod neque leges virtutis in actione poſitæ, & humanæ, in corpore incorruptibili reperire licet, cui quidem, quia ſupra paſſiones humanas eſt, nec eſt fames, quia nec temperantia; neque labor, quia neque tolerantia; neque contumelia, quia neque humilitas; nec aliquid huiuſmodi, ne ſingulis enumerandis immoremur, neque magnum aliquid dicam, ſi dixero, neque virtutem ſpectari, & cerni in natura alicuius incorruptibilis, & nihil indigentis. Naturæ enim à dolore, & triſtitia vacantis non eſt certamen; ſi autem non eſt certamen, neque victoria; ſi vero non eſt victoria, neque coronæ. Ad hoc tam abſurdum, elegans nomen ἀφθαρσίας id eſt, incorruptibilitatis vos adegit.

HÆReticus. Vehementer inquit ille, magnum myſterium vnionis turbat, ſi verbum non dedit corpori ſuo à principio, vt eſſet incorruptibile, ſed æque atque nobis ipſis ipſi in poſterum hoc reſeruauit. ORThodoxus. Maiori reuerentia, inquam ego, dignū eſt, dicere factam eſſe poſt aliquod tempus aſſumptionem domini, & ad dexteram in cœlis conſeſſum, & non à principio vnionis. Non enim

enim mihi fas eſt, alio modo eius laudem amplificare. HÆReticus. Sed ſi hoc inquit, factum eſt, nihil inde nobis amplius erit. ORThodoxus. Quare? inquam ego. HÆReticus. Quia inquit, neque ſic gubernamur; neque ſtatim iuxta ipſum primum ortum ſiue naturalem, ſiue ortum ex baptiſmate regnum cœlorum nobis datur. ORThodoxus. Da mihi, inquam ego, vt hoc modo habeam myſterium incorruptibilitatis, quid opus erat, vt ipſe poſtea inſtitutionem vitæ communis ſuſciperet, ſi nos iam in ipſo ſecundum primam corporis eius formationem totius myſterij perfectionem habemus? Si enim hæc non ſic ſunt, igitur neq; totam propter nos œconomiam factam eſſe reperimus, ſed ipſum tantũ myſterij proœmium. HÆReticus. Quomodo, inquit, hoc dicis? Non enim quod dixiſti, intelligo. ORThodoxus. Quòd, vt tu ais, inquam ego, erit quidem incarnatus propter nos, & propter noſtram inde incorruptibilitatem; verſatus verò in vita, & paſſus, ac ſuſcitatus neſcio quare. Si verò propoſitum erat ſuſcitare eum, qui ceciderat, & ex morte redimere, atque ad vitam reuocare, & vt corpore incorruptibili facto ſplendeſceret. Hæc nobis non aliter abunde nobis adeſſe poterant, quam ſi dominus vnumquodque horum in propria carne demonſtraſſet; hæc autem omnia, vt vos putatis, à principio vnionis à domino perfecta ſunt corpore eius ex ipſa vnione incorruptibili facto. Habemus igitur ex ipſo primo myſterij initio totum myſterium, ſuperuacanea fuit reliqua deinceps œconomia. Sicut enim ſi primo remedio integra ſanitas ęgris reſtituatur, ſuperuacua eſt poſtea opera medicorum ſemel inualetudine ſuperata, ſic ſi ex ipſa vnione cum carne, bonum incorruptibilitatis nobis immiſit, omnis reliqua circuitio, & ambitus myſterij ſuperfluens eſt. Sed exiſtimo, euenire vobis, vt ſic putetis, quod ignoratis aliam quidem eſſe rationem formationis corporis; alium verò modum vnionis. Atque illud quidem ex præſentia, & aduentu ſpiritus ſancti extitiſſe; qui illud vt effector formauit; vnionem vero non ex energia, ſiue operatione verbi, ſed ex tota, & ſubſtantiali vnione. Virtus enim ſpiritus Sancti fœcunditatem virgini ſuppeditauit, vt quidam apud nos valde eleganter dixit; & formatio ſubſtantiæ corporis ex ſpiritu ſancto eſt ſecundum operationem eius effectricem conſtituta, materia autem ex virgine ſumpta eſt. Verbum autem templũ ab Spiritu ſancto ſibi fabricatum in ipſa prima formatione inhabitat, non expectata, vt quidam rectè dixit, conſummatione templi,

Digitized by Google

ſed primo initio ineffabilis œconomiæ, id eſt, incarnationis in ipſa naturæ officina vnitum, totum ædificium ſibi circumdedit. Non.n. facto corpore, ſic foris aduenit, ſed ſeipſum circuminduit, & naturam noſtram ornat.

Proprietas igitur corporis non poteſt ex vnione verbi cognoſci, ſed ex virtute ſpiritus ſancti formante ipſum corpus ſine primis inſtrumentis naturæ, vacationem verò à peccato, & totam ſanctitatē, totamque vnionem cum toto verbo carnem ſumente, eſſeq; & vocari vnum filium, & apparere clariſſima ſigna totius proprietatis filij, vnio verbi cum natura noſtra effecit, à quibus beatitudo diuelli non poteſt, quia & vnio eſt inſeparabilis. Itaque conſtitutionem, & proprietatem corporis ex operatione ſpiritus ſancti profectam eſſe cognouimus; vnionem vero non ex nuda operatione verbi, ſed ipſius verbi ſubſtantiali vnione.

Atque hæc quidem nos cum eo, qui nuper nobiſcum locutus eſt, diſſeruimus, cum eas quæſtiones, quæ illi inexpugnabiles videbantur, pro viribus ſoluimus. Rogamus autem eos, qui hunc noſtrum mediocrem librum lecturi ſunt, vt ad ſacros patrum tractatus recurrant: ex quibus nos etiam adiumenta cepimus, & hæc ſcripſimus: & auctoritates ad confirmationem eorum, quæ dicta ſunt, adhibuimus. Tribuat dominus vtriſque partibus ſtudio veritatis & ſecundum voluntatem eius quærentibus, & ſcrutantibus, vt veritatem ſibi oſtenſam inueniant, quæ eſt Chriſtus ſuper omnia Deus, cui gloria, & imperium in ſecula ſæculorum. Amen.

Eiuſdem Leontij contra aphthartodocetas, id eſt, opinatores incorruptibilitatis proœmium auctoritatum.

QVoniam gratia Chriſti quæſtiones, quæ ſpeciem probabilitatis habebant, pro viribus ſoluimus, polliciti vero ſumus teſtimoniis veterum confirmare, quæ diximus, accipe in fidem multitudinem teſtimoniorum æquabilem, & modulatum veritatis concentum edentem. Si quis verò, qui conſcientiam ſuam conculcare didicit, teſtimonia à nobis recitata reiicit; alia autem eorundem teſtium producit, pugnantia, vt putat, illud primum huic dicendum eſt, quod qui patres facit manum ſecum conſerere, eoſque

nititur

Digitized by Google

nititur in repugnantiam inter ſe adducere, bellum plane contra eos ſuſcepit; neque magis noſtra euertit, quam ſua non probauit. Illud præterea dicimus, quod qui ſunt verè patres eccleſiæ, & ſermonem chariſmatis ad docendum, in eodem ſpiritu acceperunt, neque cum aliis, nedum ſecum diſcrepant; nec magna res eſt, ſi dicam, nec in aliis diſcrepant, ac minime omnium in hac quæſtione, de qua diſceptatur, quamuis ſic videatur iis, qui meram inſcitiam ebiberunt; & ebrietatem ſuam in firmitatem, & ſobrietatem veritatis patrum transfundere audent. Credendum enim eſt non fuiſſe eos, qui loquebantur, ſed ſpiritum patris eorum, qui in eis loquebatur. Qui enim non ſunt huiuſmodi, digni ſunt, qui falſi doctores vocentur; qui eo ipſo quòd pugnant contra ſe, & diſſident, non ſpiritum pacis, ſed ſpiritum aduerſarij, & ſeditionis amicum habere conuincuntur. Quomodo igitur dicet aliquis, reperimus dixiſſe corruptibile, & incorruptibile corpus? Non aliter, quam duobus modis, quia incorruptibile ſecundum idioma ſcripturæ pro non peccante, & puro, & ab omni labe nequitiæ libero ponere conſueuerunt. & rurſus, indifferenter, & ſine obſeruatione ſecundum tempora idem corpus Chriſti vocabant & corruptibile, & incorruptibile. & cum corruptibile nominabant, ad tempus œconomiæ ſecundum carnem reſpiciebant; cum vero incorruptibile, ad tempus reſurrectionis, & ad infinitum deinceps ſęculum. Siquis vero dicat ſecundum arrabonem incorruptibilitatis iam corpus habere verbi incorruptibilitatem, propter quam, licet naturam corruptibilem haberet, non eſt permiſſum, vt corrumperetur, non contendam. Quòd autem hæc vera ſunt, teſtimonia ſubiecta demonſtrabũt quæ non inarticulatè, & confuſe, ſed valde perſpicuè, & explanatè diſtinguũt nobis tempora, quibus dixerunt corpus Chriſti fuiſſe paſſibile, & corruptibile; & quod poſt reſurrectionem diuitias incorruptibilitatis re, & nomine in ipſo comparauimus.

1. Petr. c. 3. qui abſconditus eſt homo cordis in incorruptibili quieti & modeſti ſpiritus.

Dionyſij Areop. ętatis Apoſtolorum ex libro de diuinis nomin.

Corruptio verò infirmitas naturæ, & defectus naturalium habituum, & operationum, ac potentiarum. "

Iuſtini philoſophi & martyris ex oratione contra gentes.

CVm formaſſet Deus hominem à principio, fecit, vt quæ naturæ erant, ex voluntate eius penderent; fecitque vno mandato experimentum. Fecit enim, vt ſi hoc ſeruaſſet, vitam immortalem ſortiretur; ſi non ſeruaſſet, contrariam. Sic factus homo cum ad violationem mandati ſtatim reſpiceret, corruptionem naturaliter admiſit; corruptione autem ad naturam accedente, neceſſe erat, vt qui ſaluare volebat, ipſam ſubſtantiam corrumpentem deleret. Hoc autem aliter fieri non poterat, niſi quæ erat ſecundum naturam vita, copularetur cum eo, quod corruptionem cepiſſet; & corruptionem deleret; immortale vero in poſterum ſeruaret, quod corruptum fuerat. Idcirco opus fuit, vt verbum in corpore eſſet, vt à morte naturalis corruptionis nos liberaret. Si ergo, vt dicitis, ſolo nutu mortem à nobis auertit, & non acceſſit quidem ad eum propter voluntatem mors, nihilo vero minus rurſus corruptibiles ſumus naturalem in nobis ipſis corruptionem circumferentes.

Athanaſii ex libro 2. contra Apolinarium.

FOrma, quæ erat in ipſo noſtram formam induta noſtram in illa mortem delineauit, vt in illa ipſa reſurrectionem pro nobis aptaret, ex inferis quidem animam, ex ſepulchro vero corpus oſtendens; vt in morte mortem diſſolueret, oſtenſa anima: in ſepulchro autem corruptionem deleret ſepulto corpore, ex inferis, & ſepulchro immortalitatem, & incorruptibilitatem oſtendens, qui cum forma noſtra viam noſtram ambulauit.

Eiuſdem ex libro de incarnatione.

PAtiens quidem corpus, propter naturam corporum mortuum eſt; habebat autem fidem incorruptibilitatis ex verbo habitante in eo. non enim mortuo corpore immoriebatur verbum, ſed erat ipſum incorruptibile, & impaſſibile, & immortale, vtpote Dei verbum. Immo vero quia erat in corpore, prohibebat eum à corruptione ſecundum naturam corporum, ſicut ait illi Spiritus, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Eiuſdem ex eodem libro.

VNde vt demonſtretur mortuum corpus, vnum diem intermedium

medium expectauit, & die tertio hoc omnibus incorruptibile oſtēdit. Vt igitur mors in corpore demonſtrata eſſet, tertio die hoc ſuſcitauit. Ne autem ſi diutius maneret, & ex toto corruptum eſſet, nō crederetur poſtea ſuſcitaſſe illud, quaſi non ipſum, ſed aliud corpus geſtaret. Futurum enim erat, vt aliquis propter tempus non crederet, quod cernebatur, & quæ facta eſſent, obliuiſceretur, idcirco nō amplius quam triduum exſpectauit.

Eiuſdem ad Epictetum.

IPſum vero corpus naturam habens mortalem, ſupra naturam ſuam ſurrexit propter verbum, quod in ipſo erat. At ceſſauit quidem à corruptione ſecundum naturam; indutum vero cœleſte verbum, quod erat ſupra hominem, factum eſt incorruptibile.

Eiuſdem ex libro contra Idola.

ESt quidem homo natura mortalis, vtpote factus ex iis, quæ nō erant; propter ſimilitudinem vero cum eo, qui eſt, ſi eam Deū contemplando ſeruaſſet, corruptionem naturalem retudiſſet, remanſiſſetque incorruptibilis.

Eiuſdem ex eodem libro.

SI autem transgrediantur, & mutati, fiant praui, cognoſcent ſuſtinere ſe corruptionem, quæ ſecundum naturam ineſt in morte, nec amplius in vita Paradiſi manſuros.

Baſilij ex oratione de actione gratiarum.

SIcut igitur ſuſcepit dominus famem ſolido cibo exhalato, & ſitim admiſit humore corporis conſumpto, & defatigatus eſt, muſculis & neruis ex itinere nimium extenſis, non diuinitate labore domita, ſed corpore, quæ ex natura ſequuntur, recipiente; ſic & lachrymas admiſit, permittens, vt fieret, quod natura accidit carni.

Eiuſdem ex epiſtola ad Sozopolitanos.

PRoprium quidem carnis eſt ſecari, & extenuari, & diſſolui; rurſus carnis animatæ defatigari, & dolere, & fame, ac ſiti & ſomno vinci; animæ verò corpore vtentis, triſtitia, & angores, & curæ, & cætera eiuſmodi. Horum alia quidem ſunt naturalia, & neceſſaria anima-

» animali; alia verò ex praua voluntate propter difficilem vitæ inſti-
» tutionem, & animum ad virtutem inexercitatum introducta. Vn-
» de apparet, quod dominus naturales quidem paſſiones ſuſcepit ad
» confirmationem veræ incarnationis, & non falsò apparentis; paſſi-
» ones verò vitioſas, quæcunque quod purum eſt vitæ noſtræ inqui-
» nant, tanquam pura diuinitate indignas reiecit. Idcirco dictus eſt
» fuiſſe in ſimilitudine carnis peccati; non enim in ſimilitudine car-
» nis, vt iſtis videtur, ſed in ſimilitudine carnis peccati. Vnde carnem
» quidem noſtram cum paſſionibus eius naturalibus aſſumpſit; pec-
» catum vero non commiſit.

Gregorij Naz. ex oratione in Natalem domini.

» MIſſus quidem eſt ſed vt homo, duplex enim erat, ſiquidem de-
» fatigatus eſt, & eſuriuit, & ſitiuit, & fuit in angore, & lachry-
» matus eſt lege corporis humani.

Eiuſdem in nouam dominicam.

» SI perſeueraſſemus in eo, quod eramus, & mandatum cuſtodiſ-
» ſemus, facti eſſemus, quod non eramus, ad lignum vitæ ac-
» cedentes, relicto ligno ſcientiæ. & quid facti? Immortales, & Deo
» propinqui.

Gregorij Nyſſeni ex libro contra Eunomium 3.

» SIc vera vita, quæ in carne poſita erat, cum poſt paſſionem ad ſe
» rediſſet caro, quæ circum ipſam erat, ſimul ab immortalita-
» te diuina eleuata eſt, à corruptione ad incorruptibile euecta.

Eiuſdem ex libro contra Eunomium.

» QVod eſt omnium proprium, etiam in illa carne fuiſſe certum
» & conceſſum eſt, quòd pane illud quoque corpus ſuſtineba-
» tur. Corpus vero habitatione verbi Dei ad diuinam dignitatem
» tranſlatum eſt.

Sancti Ambroſij ex libro contra Apolinarium.

» SI non agnoſcis quod paſſibile eſt, deſtruxiſti pietatem erga do-
» minum, & ſalutem tuam negaſti, vnde inſipientes hos exiſtima-
» re oportet.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſdem ad Gratianum.

Alia eſt carnis infirmitas, & aliud, quod eſt diuinitatis proprium: ac carnis quidem mors, potentiæ vero immortalitas. Si autem hoc fecit diuinitas, vt caro non videret corruptionem, ſubiecta ſcilicet corruptioni ſecundum naturam, quomodo poterat ipſa diuinitas mori?

Sancti Ioannis epiſc. Conſtant. in illud, glorifica me pater apud temetipſum.

Qvid igitur ait hic verbum de œconomia? Quia nondum erat glorificata natura carnis, neque immortalitate fruebatur, neque regalis ſolij particeps facta erat.

Eiuſdem in Ioannem Euangeliſtam.

Sicut igitur cum contemplamur ambulantem ſuper vndas ante crucem, non dicimus ex alia natura fuiſſe corpus illud, quam noſtra eſt, ſic poſt reſurrectionem cum videmus habere eum ſigna clauorum, non dicemus eſſe iam corruptibile. propter diſcipulum enim hæc oſtendit.

Eiuſdem in eundem Euangeliſtam.

Sicut enim eſurire non eſt crimen, neque dormire, ſic neque deſiderare hanc vitam. Chriſtus autem corpus habuit purum à peccato, non tamen à naturalibus neceſſitatibus liberum; alioqui non eſſet corpus.

Eiuſdem ex eodem Euangeliſta ſermo.

Viſus igitur eſt veſpere; & auolauit: deinde poſt dies octo rurſus ſemel, & iterum auolauit. Deinde in mari; & iterum cum magno metu. Quid autem eſt, manifeſtauit ſe. Ex eo ſcilicet tempore non eſſet viſus, niſi condeſcenſu vſus eſſet, quia iam corpus erat incorruptibile, & immortale.

Sancti Ephram ex oratione de Charitate.

Incorruptio eſt reſurrectio; ſed cicatrices non deleuit, vt ſint teſtes Dei, quod operatus eſt, non dedecorauit corruptibile cicatri-

cicatricum permanſione, ſed contra potius incorruptibilitate honorauit, quia à corpore corruptibili corruptionem expulit.

Cyrilli Alexan. ex interpretatione Eſaiæ prophetæ.

QVia vero conculcatis inferis, reuixit tertio die; poſtea vidit naturam hominis in ſe transfiguratam in incorruptibilitatem; & bonam voluntatem Dei patris per cunctum orbem terræ dilatatam, ac multitudinem gentium, quæ illuminanda erat, & ab antiquo errore, in quo alta & educata erat, eripienda, & ad agnitionem eius, & Dei patris vocanda, reiecit laborem patiendi.

Eiuſdem ex Theſauro.

QVia mortale, & corruptibile corpus & huiuſmodi paſſionibus ſubiectum aſſumpſit, neceſſario cum carne paſſiones etiam eius ſuas fecit, & ipſa carne eas excipiente, ipſe dicitur excipere.

Eiuſdem ex tomo in Matthæum.

QVomodo igitur mortuus eſſet immortalis, vt & reſurgeret & morte afficeret mortem, ſi non aſſumpſiſſet corpus legibus mortis ſubiectum? Aut quomodo diſſoluiſſet corruptionem erepto ex ea genere humano, quod ſub ipſa degebat, & iacebat, niſi corpus accepiſſet, natura corruptibile, & in propriam vitam formaſſet?

Eiuſdem ex epiſtola ad Succeſſum.

POſt reſurrectionem verò erat quiden ipſum illud corpus, quod paſſum erat, ſed non iam humanas infirmitates in ſe habebat. Non enim iam amplius famem, aut laſſitudinem, aut aliquid huiuſmodi ſentire poterat; quin potius incorruptibile deinceps erat; neque ſolum hoc, ſed viuificum, corpus enim vitæ eſt, id eſt, vnigeniti.

Eiuſdem ex tomo epiſtolæ ad Hebræos.

PErmiſit quidem, vt corpus ſuum mortem pateretur œconomicè, vt mortuorum, & viuorum dominaretur. Quia verò corpus vitæ ſtatim reuixit ſuperata corruptione, quod hæc tam veneranda perfecerit, ſi non naturæ carnis, ſed potentiæ verbi tribuamus, pij erimus.

Gregorii Theologi ex oratione in Lumina.

QVia ferre diuinitatem eius puram, non erat naturæ ortum, & interitum capientis, idcirco quæ à mixtione aliena erant, miſcentur; non ſolum cum ortu Deus; cum carne mens diuina; cum tempore quod ſine tempore eſt; cum menſione quod à circũſcriptione vacat; ſed etiam cum virginitate procreatio; cum dedecore, quod excellentius eſt, quam vt poſſit dedecorari; & cum paſſione impaſſibile, cum corruptibili immortale. Quia enim inuictum ſe eſſe putabat inuentor peccati, qui nos ſpe diuinitatis lactauerat, ipſe aſſumptione carnis lactatur: vt tanquam Adamum aggreſſus, in Deum incurreret; atque ita nouus Adam veterem repararet; & damnatio carnis reſcinderetur morte per carnem perempta.

Cum hæc ab illuſtribus eccleſiæ patribus vno conſenſu dicta ſint, reperiuntur profecto eodem ſpiritu pleni fuiſſe eadem omnino ij ipſi ſentientes. Volebam equidem, ſi fieri potuiſſet omnia omnium teſtimonia ſubiicere, ſed ne lector propter multitudinem cunctaretur legere, ſtuduimus, vt nonnullorum & pauca in medium afferremus, quæ formam, & regulam veritatis, quæ in ipſis omnibus fuit, continerent. hominem laborioſum ad eorum integros libros transmittimus, in quibus quod perfectum, & limatum eſt, magis quàm in noſtris libris reperiet.

Finis libri ſecundi.

LEONTII BYZANTINI LIBER TERTIVS.

De Neſtorianorum impietate ſecreto tradita principio, & de eius parentibus triumphus.

AGgreſſurus adiungere hunc tertium librum duobus meis ſuperioribus tum in gratiarum actionem Deo, tum in triumphum de impiis & ad eorum vituperationem precabor dominum, vt etiam nunc adſit, nobis adiutor intelligentiæ, & verbo ſuo verbum noſtrum gratia Spiritus ſancti afflata dirigat. Si enim adiuuante nos Deo, tum alia omnia, tum hoc, quod in manibus eſt, aggrediemur, & nobis erit integra merces ipſum adiumentum laboris; & ijs, propter quos ſcribimus, erunt pignus vtilitatis, ſi non pro dignitate pares, ſaltem pro viribus noſtris. nos autem aliter etiam in præſentia excuſamur. Vetus enim debitum afferimus, quod ante cætera omnia debita ſoluere æquiſſimum eſt. Quod quidem iam pridem ſolui debuit, ſed propter magnam inopiam vix nunc, & non, vt dignũ erat, ſolui cœpit.

Quoniam contra quos paulo ante volui columnam Deo ponere, & triumphum de ipſis agere, qui non amplius impietatem cælant, & in abdito ſeruant, & multos in fallaciam occultando inducunt,

cunt, ſed è longinquo apparent, eò magis fugiendi, & auertendi, ex horum cœtu, & numero aliquando fui. Cum enim tunc adoleſcens eſſem, & tempus, & rationem mihi ſurripuerunt nullo inſtrumento malitiæ ad hoc efficiendum non adhibito. Propoſuerunt enim dogmatum abſolutionem, quæ ego poſtquam hoc ſpecioſo verbo, tanquam ſummo digito, delibaui, factus ſum auidus, & vt animo prompto eſſem, nihil in me deſideratum eſt. Illi vero me tanquam cæcum alicuius viæ cupidum nacti, conati ſunt in barathrum impietatis ſuæ deturbare. Sed adfuit mihi supernè gratia, quæ me ex mediis dentibus rapuit iam paratiſſimum illorum venationi, & ardentiſſimum virtutis & peregrinationis propter eam ſuſcipiendæ deſiderium mihi iniecit. Et quomodo qui fuit populi Iſraelitici in ſolitudine illa ductor, non erat peregrinationis meæ futurus comes? Qui me non prius dimiſit, donec in manus diuinorum virorum tradidit, qui non ſolum totam illam lippitudinem depulerunt, & repurgarunt, ſed oculum animæ ſacro lumine impleuerunt ex libris diuinæ ſapientiæ ex quibus illi veritatem, & reliquã virtutem hauſerant, quibus meas actiones, & cognitiones caſtas effecerunt. An non merito me homines grati extremæ impietatis accuſauiſſent, ſi hæc ſilentio penitus præterire voluiſſem?

Quod autẽ à principio, & quo lucẽ vidi, mihi aſpectus lucis munere Dei redditus eſt, non compoſui orationem in gratiarum actionem, excuſet me quidem Deus; excuſet vero etiam vnusquisque ex iis, quos Deus diligit. Non enim propter ingratam memoriam, ſed ne ex gratiarum actione occaſionem præproperæ, & petulantis ſcriptionis ſumpſiſſe viderer, orationem continui. Nunc autem nata cauſa iuſta, quæ excitauit, & conticere non permittit, ſtudui vt & debito, & deſiderio ſatisfacerem. Ero autem maioris auctoritatis præ omnibus tum ad faciendam fidem eorum, quæ dicenda ſunt, tum ad cohibendum pudore impios, ſi forte velint, experientia enim, vt aiunt, firmior eſt verbis. Adſit Chriſtus teſtis, & pater eius, non eſſe me de ipſis locuturum aut odio aliquorum, aut in gratiam aliorum, ſed quia miſereor primum quidem illorum ipſorum, deinde vero quia multitudinem eorum, quos deceperunt, ſemper defleo. Tertio volui opem ferre ad præcauendum iis, qui ſunt in præſenti fere periculo labendi, quibus hunc librum tanquam remedium veneni commiſcere volui.

Digitized by Google

præterea etiam, quia metuebam iudicium, ſi miſeria ipſa, à qua liberatus fuiſſem, nos miſericordes non feciſſet. Vt ſi non aliud, hunc ſaltem fructum ei qui redemit, & ſeruauit, offeram; fructum dico præcauere aliis. Ne verò ipſi moleſte ferant, ſi efferre volui, quæ ipſi non horruerunt ſentire. Age ergo afferamus in medium ab ipſis contra veritatem excogitata, quibus vſi ſunt in eos, qui miſere eorum laqueis irretiri & capi cœperunt.

I. Primum igitur artificium ſimulationis dignum malitia eorum eſt, quod cum ſanctos eccleſiæ doctores, & à Deo datos non recipiant, ſimulant verbo ſe neque Theodorum, neque Diodorum primos impietatis ſuæ fontes recipere.

II. Quin etiam magnam Synodum, & plurimorum epiſcoporum Chalcedonenſem pro alio quouis inuitamento ſimplicioribus proponunt, non quidem ſentientes cum ea, neſcio enim an vlli alij primas partes ſentiendi contra eam concedant, grauem tamen perſonam eius in ſuo actu ſibi per ſimulationem imponentes, latent in ipſis negotij ſuſcepti initiis, cum vero ſemel ſuaſerint Synodum recipere, aut nacti ſunt aliquem, qui recipiat, percunctantur, quem nam ex patribus ſolitus ſit, & placeat tractare, & exercere: deinde, ſi fortè reſpondeat, quem percunctati ſunt, aut magnum oculum eccleſiæ Ioannem, aut duo magna lumina duos inquam illos Cappadociæ, aut clariſſimum Luciferum Athanaſium, illi continuò mutant quidem perſonam, non enim patiuntur ne nominari quidem ſolùm, ne tamen in ipſo primo congreſſu deterreant, quem illaqueare volunt, atque ita auolet, boni, inquiunt, ſunt iſti patres, non tamen meliores quam noſtrates. ſi vero roget nomina, lege prius, inquiunt. & tunc cognoſces, quales, & quanti ſint, quorum miſer inquiunt, ne nomina quidem adhuc didiciſti.

III. Multa enim alia munera, & auxilia pollicentur; & opes imperatoris, ſi egeat; & primũ gradum in magiſtratibus, & eruditorum, quos habẽt, conuictũ. O malorum immenſitatem, non prius diſcedunt, quam ſuccumbat ſiue inſcitiæ, ſiue indigentiæ, ſiue aſſentationi, ſiue aliis, quæcunque illaqueare ſolent eos, qui non omni cuſtodia cor ſuum cuſtodiunt.

IV. Deinde poſtquam captum tenent, & obedientem, in quibus volunt, habent, ſi monachus ſit, hortantur ad legendos libros Gentilium, ſi tamẽ idoneus ad eos legendos videatur; & poſtquam ſimplicitatem ordinis monaſtici multum irriſerunt, quod nihili ſit ieiunium,

Digitized by Google

nium, vel vigilia, vel ſeceſſus, (ſiquidem virtuti practicæ, id eſt, in actione poſitæ obtrectant, & neque nomen eius pati poſſunt æquo animo) ad mutandum habitum hortantur quod ſit ad ſtudium virtutis politicæ, id eſt, quæ in ciuitate verſetur, impedimentum, promittunt ſe in ordinem Clericorum eum cooptaturos, aut alio modo auxiliaturos, modo fiat particeps impietatis eorum. Sin autem ſit ſæcularis, dona ei accomodata promittunt, non quidem verum dicentes, hoc enim eſt in eorum malis beatum. ſed ſic tamen eum fallaci ſpe ſeducentes, cogunt inhiare ipſis. Atque hęc quidem etſi breuiter recenſentur, tamen tempus vrget.

Vnum igitur aut alterum cum commemorauero, ad magnum magiſtrum inſipientiæ iſtorum me conuertam. Cum enim viderent ipſi quotidie apud fideles iuſtũ odium contra ipſa impia dogmata, & contra principem, præſidem impietatis eorum augeri, aliquid valde acerbum contrà vitam ſuam excogitant. Dicunt enim nobis in actu ſuo perſonati, Valeat Neſtorius; eorũdem dogmatũ erit pater, qui fuit & illius pater. V.

Quod verò eſt his admirabilius (etſi enim volebam præterire, non tamen ſinor) cum verſutam malitiam Manichæorum imitati eſſent, nec enim aliter ipſis viuere licebat, ſicut illi ſe in electos, quos ipſi vocant, & in indifferentes; ſic hi ſeipſos partiti ſunt in imitatores ipſius Neſtorij, & communionem ac ſocietatem eius magni facientes; & in anathametizantes Neſtorium, ſimulantes autem eccleſiæ communionem. Quòd verò hoc non fingam, teſtis eſt, qui occulta videt. cum enim quidam ex fidelibus coactus eſſet ab ipſis, vt cum ipſis communionem haberet, & clero eccleſiæ aſcriberetur, poſtquam viderunt eum ex iſto horribili auſu factum pigriorem, quid, inquiunt, mœres, ſi eccleſia tanquam prætorio vteris, & clero tanquam exercitu, & fidem noſtram habes, & communionem nobiſcũ amplecteris? Ille autẽ cum in dubium de hoc ipſo, quod audiebat, veniret, diceretque fieri non poſſe, vt cum ipſis, & cum eccleſia communio haberetur, non oportet, inquiunt, te moleſtè ferre hanc œconomiam. Panis enim in typum corporis Chriſti propoſitus plus benedictionis participauit quam panis, qui in foro venditur, & quã panes, quos Philomarianitæ offerunt in nomine Mariæ. VI.

Tempus eſt iam, vt laudes magni doctoris Theodori narremus, hunc enim aiunt eſſe illum, quem magnus Ioannes, vtpote ex propoſito monaſtici inſtituti lapſum, & qui promiſſionẽ abiurauerat, VII.

Digitized by Google

duabus epiſtolis tanquam duobus funibus fortibus, & prælongis lapſum in profundum intemperantiæ, extrahere ſtuduit.

IIX. Hunc aiunt non amplius quam decem & octo annos natum in ſcripturas debacchatū eſſe, non enim niſi debacchationes ſcripturarum, interpretationes quas in eas compoſuit, appellare poſſum.

IX. Aiunt hunc, cum vellet rapere oculum Ciliciæ Tarſum, poſtquam Diodorus, qui fuerat huic malorum, & impietatis auctor, & dux, ac pater, ab hac vita receſſit, à Theophilo Alexandrino prohibitum fuiſſe, ne hoc auderet; ad eum enim legationem miſerunt, qui tyrannidem patiebantur.

X. *Hinc Theodorus cognominatus Antiochenus.* Hic execrabilis in celeberrima eccleſia Antiochiæ, vt quondam vocabatur, nunc autem Theopolis, cum explanaret ſcripturas auſus eſt cum multa alia, tum vocem θεοτόκος, id eſt, Deipara, vituperare, vt ita inde totum contra ſe populum commoueret.

XI. Hic ſceleſtus in omni praua interpretatione ſcripturarum labores ſanctorum doctorum, qui in eis laborarunt, nunquam irridere, & illudere deſinebat. Videor autem iam affici, vt dixit Baſilius, ex pugno, ac plaga, corrigens homicidam. Sed age tranſi, & interiorem ornatum lauda; & cerne quod ſecreto ipſi ſeruant, & à vulgo remotum, abditam dico, & penetralem impietatem. Non efferam tacenda, vt dici ſolet, ſed execrabilia dogmata τῆς ἀθεότητος aperiam. Nemo iniquo animo, quæ dicentur, ferat. Quoniam non ſumus nos auctores horum malorum, quæ audientur; neque cauſas præbuimus dicendorum. in multis enim libris myſteria eorum impia feruntur. ſiquidem & ipſe precarer, & optarem, vt ſilentio, & tenebris huiuſmodi impietatis myſteria contegerentur; nunc vero non vt vos malorum diſcipulos facerem, ſed potius vt à grauibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, ſummo ſtudio eos fugiens, & omnibus quam poſſum maxima voce dicens, fugite vos, fugite; à præruptis, & barathris longe fugite. Libros, omni hæreſe impiarum doctrinarum plenos fugite.

Hic

Digitized by Google

Hic ſapiens, vt appellabunt, qui eum ſtudioſè ſequuntur, & magnus Theodorus, quia parum erat ei cum hominibus certare; aggreditur, & audet contra gloriam Spiritus Sancti cum omnes quidem ſcripturas altas, quas Sancti afflatu eius tradiderunt, humiliter & demiſſe interpretans; tum vero à numero ſacrarum ſcripturarum diuinè præſcripto & indicato eas ſeparans. XII.

Magnum Dei ſeruum Iob columnam fortitudinis animatam, & ſpirantem duobus ferè milibus verſuum perſcriptam conuitioſè arguebat, & ſcripturam Spiritus Sancti de eo abrogabat, quam Iacobus frater domini in epiſtola ſua Catholica confirmans aiebat, Patientiam Iob audiſtis, & finem domini vidiſtis. Non enim aliunde neque patientiam audiuimus, neque finem eius ſpectauimus, niſi ex ſcriptura, de eo. XIII.

Ob quam cauſam, vt arbitror, ipſam epiſtolam Iacobi, & alias deinceps aliorum Catholicas abrogat, & antiquat. Non enim ſatis fuit illi bellum contra veterem ſcripturam ſuſcipere ad imitationem impietatis Marcionis, ſed oportuit etiam contra ſcripturam nouam pugnare, vt pugna eius contra Spiritum Sanctum clarior, & illuſtrior eſſet. XIV.

Inſcriptiones Hymnorum, & Pſalmorum, & Canticorum penitus eiecit, & omnes Pſalmos iudaicè ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit, tribus tantum ad dominum reiectis. XV.

Immo & ſanctorum ſanctiſſimum canticum canticorum ab omnibus diuinarum rerum peritis, & ab omnibus Chriſtianis laudatum, omnibus eccleſiis cuncti orbis notum, & à Iudæis inimicis crucis Chriſti in admiratione habitum, libidinoſè pro ſua & mente & lingua meretricia, interpretans, ſua ſupra modum incredibili audacia ex libris ſacris abſcidit. XVI.

Et quid non erat acturus, qui in eo agebat, impietatis inuentor, & pater? Duos igitur libros Paralipomenon primum, & ſecundum ſimiliter, malum malo addens, & inſuper Eſdram repudiauit. XVII.

Diuinas igitur ſcripturas aggreditur, & ex duobus generibus ſplendidioribus contra Spiritum Sanctum certandi laudatum ſibi aufert; à ſecundo abſtinet, & aliis cedit; an vt in eis luctan- XIIX.

luctentur,& vincant? Nequaquam. Sed quia, vt exiſtimabat, certamen contra ſcripturas ſanctas finitum ſibi & peractum erat, ſecundum curſum primo æqualem conficit; & ne in ſingulis aggrediendis defatigaretur, contra primam religionis Chriſtianæ informationem ſtat, & Deificum Symbolum eorum, qui regenerantur, tollit, fidem inquam Synodi Nicænæ, non ſolum mutilans ipſum, ſed omnem penitus fidem deſtruens, & aliam præter illam tradens, pro nihilo ducens illa tanta lumina, neque tam audax facinus perhorreſcens; aliud enim, vt dixi, Symbolum fidei, vel potius dicam perfidiæ edit, qui poſt fidem in Deum patrem, & vnigenitum filium, & Spiritum ſanctum ſcripſit credere & in dominum Ieſum Chriſtum, introducens quartam perſonam in ſanctam trinitatem, & in duas perſonas Chriſtum & Deum noſtrum diuidens; ac vero quidem Deo, quæ diuina ſunt, tribuens, proprio autem Chriſto, quæ hominem decent, & humana ſunt, & inprimis ortum ex virgine. Audet & aliud malum non ſecundum ad ſuperiora, aliam enim Miſſam effutiuit præter illam, quæ à patribus tradita eſt eccleſiis, neque reueritus illam Apoſtolorum , nec illam magni Baſilij in eodem Spiritu conſcriptam. in qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus τὴν τελετὴν id eſt, myſterium Euchariſtiæ oppleuit. an vt alius Antichriſtus adhuc expectetur, par eſt, qui ſic Chriſtum oderit, & quæ Chriſti ſunt, mutare nitatur? Non equidem puto. Satis, inquam, eſt hic, vt in omnibus loco, & vice illius ſit.

XIX. Audi præterea & alia eius, quæ bonum erat, & maxime optandum etiam non audire. Iudicium Dei in omnibus ſanctis ſcripturis clara voce denunciatum, quod nec iis, qui à Chriſtianorum religione procul abſunt, manſit inauditum, quod eſt firmamentum ſtantium; & lapſorum erectio, & peccantium medicina, & diaboli dignus finis; quod neque diabolus, & dæmones negare auſi ſunt, cum ſaluatori dixerunt, quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei, veniſti ante tempus torquere nos? Hoc iudicium, & geennam, & tenebras, & ſtridorem dentium, & alia quæcunq; impiis & peccatoribus ſcriptura ſancta minatur, ridet miſer, nec ipſe iudicium expectans, & aliis, ne metuant, jubens, quæ vt ipſe putat, tantummodo minas habent væ væ. Sed ſuadebit ei experientia, quia minas non timuit, & hæc litteris mandare non eſt veritus impius , & verè à metu vacuus, & vere terræ motum igniferum irridens, à cuius facie ſicut in diabolo ſublata ſunt iudicia Dei.

Propter

Digitized by Google

Propter hæc te diligunt miſer, qui ſunt tuæ ſectæ. hoc tu illis pharmacum ad eximendum timorem Dei confeciſti verè amarum, & lugendum pharmacum. Hæc fuit Eunomij impietas, quam imitatus es, de quo quæ dicebantur, incredibilia erant, donec, (vtinam nunquam) hæc in libris tuis poſita ſunt. Et Eunomium, qui præcipiebat dare locum paſſionibus, & non exhibere moleſtias menti, doctrina tua ſuperauit. XX.

Tuus diſcipulus fuit Barſumas, qui Perſidem prauè gubernauit dogmatibus tuis impiis, & ſublata differentia in vita degenda; qui legem tulit, vt nullus ex clero, nedum Laicus, abſtineret à lecto non legitimo, neque à polygamiis, id eſt, multis coniugiis, ebrietates enim, & comeſſationes dona Dei eſſe exiſtimabat. XXI.

Libros tuos ij qui tuæ ſectæ ſunt in ſermonem Chaldaicum, & Armenicum verterunt; qui hæreſim hæreſi Ariana peiorem ac magis impiam gentibus tradiderunt. Siquidem hoc imitari ſtuduerunt Ariani, niſi quod hi barbaros occidentis, illi gentes orientis vtrique ad ſuam impietatem adduxerunt. XXII.

Parua hæc. Tu vero adde mihi, fictum eſſe peccatum Adæ, idq; Deo auctore, vt iudicium iniquiſſimum, in Adam, qui non peccaſſet, ſed per calumniam damnatus fuiſſet, & exilium ei decretum, iuſta, & probabilis cauſa redimendi mundum fierent. An non propter hanc radicem malorum & reliquæ deinceps impietatis hominū Chriſtus venit, vt Adam ouem, à compaſcuo centum abductam, & aberrantem tanquam bonus paſtor ſaluaret? XXIII.

Adde, ſi vis, angelos vnà cum tuis tenebris creatos, non enim fuit apud te idoneus, & auctoritate dignus ſacer enarrator naturæ eorum Dauid, qui in Dei laudē fidibus in ſpiritu in Pſalmis canens, qui facit, inquit, angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Quod enim ait, creat, præſentis temporis eſt, quod propria ſcripturæ ſanctę conſuetudine præteritum tempus ſignificat, vt cōtinuo docet, cum ſubiungit, qui fundat terram, id eſt, qui fundauit. neque te mouent, cum aliās in ſcripturis angeli tanquam lumina apparuerunt, & vt fulgura fulgentes. XXIV.

Adde Manichæorum tenebras ſubſtantiales primas ante viſibilem creaturam; aut non creatas minutam ſubſiſtentiam habuiſſe; aut à Deo factas eſſe. XXV.

In illo præterea inſipienter ſapientiam ſimula, quod ais Antichriſtum diaboli non eſſe puniendum, ſed corrumpendum, & in XXVI.

L nihilum

nihilum rediturum; vt manet ad animas bonum ex bono, metus ſcilicet Dei, quem aliunde non erant habituræ: non ex iudicio, hoc enim ſuſtuliſti; non ex felicitate fruenda; non ex naturali & recondito deſiderio erga Deum; ſed ex ſolo Antichriſti in nihilum interitu.

XXVII. Da deinde, non quicquid eſt, eſſe ex Dei creatione, & prouidentia, ſed multa inutilia ſuborta eſſe ex accidenti, & conſecutione rerum, non facta Deo volente, ſed ex natura rerũ, Deo non prohibente: lateret nos lapſus temporis, ſi totam vindemiam in tua vinea Sodomorum facere propoſitum eſſet.

XXIIX. Tu vero non defatigaris voluptatem ex tuis impietatibus capiens, ô ingenium malorum feraciſſimum, & vberrimum, Deum putas non eſſe bonum οὐσιωδῶς, id eſt, ſecundum ſubſtantiam; nec eſſe ipſum fontem & principium omnis boni, omnisque virtutis omniaque bona ex ipſo ſubſtantialiter manare. Dic nobis, vnde accepit bonum? Ipſe enim non eſt opinione tua, per ſe bonum, & quæ huius boni origo, & principium? Nihil, aut parum abes à magniloquentia Marcionis, & principiorum eius.

XXIX. εἰς ἀντίδαξιν. Accedit iam noſtra oratio ad ipſum ſummum faſtigium tuarum impietatum, vnde tibi effectus eſt homo ad Trinitatis æquationem, vt ſit huius animatum idolum, vitæ infinitæ omnium, quæ ſunt, æquatum, quod exhibes, vt pro Trinitate ab omni creatura viſibili & non viſibili nunc, & in poſterum colatur? Neque lex Moyſis tibi ſuaſit cum iuſſit, dominum Deum colere, & ei ſoli ſeruire? Neque Saluator, qui hoc tentanti obiecit?

XXX. Tu vero, vt dixi, fingis creatum eſſe ab ipſa Trinitate alterum animatum idolum Chriſtum tuum, ipſam Trinitatem calumniaris quaſi doceat colere creaturam. Quod nihil differt à vetere errore, quo homo à Deo excidit, & creaturæ pro creatore ſeruiuit. Niſi grauiorem hunc errorem illo vetere moliris. Non enim doces, vt hominibus ſolum hoc eueniat, ſed poſt Trinitatem omni creaturæ à Trinitate creatæ. Non enim Deo homini facto doces, ſed homini appellatione Dei honorato cultum in æternum adhibere. O te præconem horum malorum euangeliorum. Prædicas, referendum eſſe cultum ad Chriſtum tuum, quod per-

Digitized by Google

perinde eſt, vt ſi prædices cultum, qui referetur ad Trinitatem, referendum eſſe exempli cauſa ad regem. Libenter autem percunctabor te, quomodo, aut quem ipſe Chriſtus tuus adorabit? Si enim ſeipſum, valde ridiculum eſt; ſin autem Trinitatem, per medium aliquem; non enim idem per ſeipſum; ſi ſolus ex omnibus hunc honorem habet, reperitur neminem colere; quoniam ipſe ſolus non habuit tuum mediatorem. & reperitur aliqua præſcriptio contra Deum, quam tu Chriſto tribuis, cum eum facis ſolum honorari, & non honorare, qui ſic honorauit. *Scilicet ſine mediatore.*

Quàm ſuauis & dulcis es. honoratum, & ſpecioſum ortum, & educationem huic homini applicas, & paulo fere excellentiorem ortu prophetico. Quod ſcilicet verbum Dei ſecundum præcognitionem in ipſa formatione quæ in vtero fiebat, vnionem ei commodare voluit, cognoſcens nunquam à propoſito circa virtutes diſceſſurum eſſe. XXXI.

Ignorantiæ etiam caligine eum tegis nihil ſcientem præterquam quod verbo ei ſecundum dignitatem vnito videbatur. Quomodo ignorantia oppletum introducis eum, & non peccato? Ex ignorantia enim peccatum, ſicut ex fonte fluuius manat. aut fortaſſe docebis ignorantiam ei opem tuliſſe, quia vt plurimum, veniam fert, quod per ignorantiam fit præter rationem, ſi non ſit quidẽ valde graue. Vſque adeo autem ignoraſſe eum dicis, vt cum tentaretur, neſciret, quis eſſet, qui eum tentabat. & à peccato κτ̃ διάνοιαν, id eſt, à peccato cogitationis concedis nec ipſum mundũ fuiſſe, ne dum Sanctos, neque ipſum peccatum cogitationis peccatum eſſe putas. XXXII.

Non horres docens moleſtiores fuiſſe illi paſſiones animæ, quam corporis, ſic enim perſpicuè ais, & ratione fortiore voluptates ſubigebat. XXXIII.

Concedis progreſſu virtutum paulatim purgatum eſſe, & aptiorem factum quotidie ad ſuſcipienda diuinitus bona, quæ ei vt homini adfutura erant. XXXIV.

Baptizas eum, vt ex eo tempore, ac non prius, perfectus ſecundum virtutem legis, Chriſtus vocaretur perfectus; & ad euangelicã vitam aggrederetur, & hanc compleret. Nonne dicis tempus etiam fuiſſe illi ob hanc cauſam cõtractum in breuius? Potuiſſet enim defatigari ſpacio temporis; & idcirco breuem ſalutis viam, id eſt, crucem adinueniſſe. XXXV.

Digitized by Google

XXXVI. In crucem inuitum eum agis pro ſe quidem non minus quam pro toto mundo moriturum, tanquam non poſſet aliter gloriam aſcenſus in cœlum, & conſeſſus ad dextrã Dei aſſequi, niſi per martyrium conſummatus. Neſcio quis vir eſt, & vnde, qui tam ingens à te negotium ſuſcipit, & œconomiam ita magnam, & eximiam, vt non naturã hominis, ſed omnem naturam creatam longe ſuperet.

XXXVII. Timuit mortem, non tanquam exprimens nos in ſeipſo, & ſoluens timorem noſtrum in ſe, ſed tanquam hanc enixè fugiens; quã nunquam ſponte ſuſtinere voluiſſet, niſi tuam longam, & prolixam admonitionem nactus eſſet, quam à te fictam angelo attribuis. Nec enim angelos calumniari recuſas, quando hymnum angeli diuinũ, & quem in laudem victoriæ Chriſto, vtpote Deo, cecinit, mox per hunc admirabilem, & ſupra naturam actum timoris, vere veri timoris, nos ab acerbo, & crudeli hominũ tyranno morte liberaturo, tu tanquam timido cuipiam, & effœminato, & penitus ſui amico, ſaluatori ab angelo in modum conſolationis adhibitum eſſe inſanè & delirè dicis. Illud enim, apparuit angelus domini confortãs eum, tum alij patres dixerunt, tum Cyprius ſenex, apparuit hymnos canens, & diuina loquens. Et ad probationem huius contemplationis produxerunt, quod Moyſes à Deo eruditus in magno illo cantico dixit, & confortent eum omnes angeli Dei. Vt autem tu impie dicis, opus illi fuit longa conſolatione angeli, qui animam Chriſti timore mortis abſorptam, & triſtitia proſtratam, celeriter erigeret, & recrearet, erat enim in ſummo diſcrimine; & omnia in eo erant agitata, & quaſſata. Falſa hæc eſſe dicis; magno hoc emiſſem, magniq; æſtimaſſem. Nunc autem teſtes ſunt præclara, & admiranda tua certamina contra incarnationem verbi; & bella ficta quidem & ſimulata contra hæreticos aduerſarios, verè autem contra veritatem ſuſcepta, quam cum oppugnare propoſitum tibi eſſet, & ſuſceptum perfici non poſſe cognoſceres, inſcriptionem belli contra veritatem inſcriptione belli contra hæreticos commutaſti. Immo & deliramẽta tua contra Maguſæos hæc prædicant, & reliquæ falſæ tuæ ſcripturarum enarrationes, nuſquam enim non ſunt iſti tui admirandi labores peruulgati, qui à Paulo quidem Samoſatenſi ortum duxerunt, per interiectos verò ad Diodorum peruenerunt, qui tibi fuit malorum tuorum dux. Sic autem à te elaborati, & culti ſunt, & tantam magnitudinem incrementi acceperunt, vt tuus largiſſimus fluuius fontem impium operiat.

Digitized by Google

Riuus fuit à tuo fonte ductus, & foſſa anguſta, quæ non potuit capere totam impietatis tuæ fluxionem, Neſtorius. Et ſi potuit capere, non tamen audere, & fontes tuos omnibus profundere, non quidem pigritia voluntatis, excuſabo enim, ſed quia non habebat locum propter multitudinem hominum, qua erat conſtipatus. Tu vero quia erat tibi quietus cum impietate conuictus, totum eius riuum ebibiſti. Ille autem poſtquam vnum ex tuo cœno, & ex tuis lutulentis dogmatibus reiectum, ſuaſit, ſibi in commune propoſuit, & ſolam vocem θεοτόκον, id eſt, Deiparam prohibuit, artificioſe contra initia veritatis inſiſtens, & primo Dei noſtri ſecundum carnem ortu, totam deinceps myſterij conſecutionem deſtruens. Captus tamen eſt; & ſummum ſupplicium ſubiuit eiectus ex cœtu diuino cum impietatibus, in quibus à te ſumptis cultus eius elaborauit: pœnasque doctrinis tuis dignas perſoluit. Satis ſunt hęc ad repręſentandum iſtius viri impietatem, quæ, vt eſt in prouerbio, ex vnguibus Leonem demonſtrant. Si quis vero hæc non credit, ſunt enim reuera digna, vt non credantur, Non vitupero, neque queror, quod hoc accidat. Quia non videri hæc incredibilia oſtendit eum qui facile credidit, non eſſe expertem huiusmodi malorum. Quod enim eſt paratum, & in promptu vt aſſenſum habeat, etiam eſt paratiſſimum ad experientiam. At nos experientia, quam ex libris eius collegimus, & quam ex iis, qui eum ſtudioſe imitati ſunt, audiuimus, non permittit non credere cum alioqui vellemus. Quomodo vero poſſem non credere, qui malorum experimentum in me ipſo habere viſus ſum? XXXIIX.

Iſti vero, (non enim ſunt ſapientes, niſi ad nocendum) quia nō poſſunt hæc defendere, obiiciunt nobis magnum Baſilium, qui ad Diodorum ſcripſerit, & quædam eius de Trinitate ſcripta approbauerit, non enim de Incarnatione poſſunt dicere, quoſdam etiam patres, qui de eo ſcripſerunt, aut meminerunt, circumferunt. XXXIX.

Origenem vero non admirantur, quoniam Gregorius, qui à miraculis faciendis cognomentum duxit, in oratione, quam in diſceſſu ſuo compoſuit, infinitas laudes eius perſequitur. Et quid dico Origenem? Quandoquidem Apolinarius, qui omnino ex aduerſo ei à veritate aberrauit, gloriatur innumerabiles epiſtolas ad eum ſcriptas eſſe Athanaſij magni, & Serapionis, & aliorum, quicunque fuerunt tunc fulgentia ſidera, & veritatis propugnatores. & ſi quis XL.

in

in manus ſumat eccleſiaſticam hiſtoriam, quam Timotheũs Apolinarij diſcipulus compoſuit, nullum alium finem tanti laboris propoſitum ipſi reperiet, quam commendationem Apolinarij, quam ex eo collegit, quod ab ipſo, & ad ipſum infinitæ epiſtolæ ſcriptæ & reſcriptæ eſſent, qui mihi videntur eadem ratione Demam nobis commendaturi, quia Paulus eum Romanis commendauit; & Iudam choro Apoſtolorum annumerare, quia ſæpe cum Saluatore cibum ſumpſit. ſed audiant à nobis, quod ſi ſcriptis epiſtolis maiorem reuerentiam, quam veritati adhibere volunt, non ſolum Theodorum, aut Diodorum, ſed & alios multos, & quos nec ipſi volunt, comprobare cogentur.

XLI. Quale præterea eſt illud, in quibus, inquit, corrigitis Theodorum, aut Diodorum, in eiſdem etiam reliquos patres reos eſſe reperimus. Et proferunt nobis ex Serapione quidem illud, Deus hominem induit; ex Baſilio autem, homo Deifer, & illud vtrumque ex Gregoriis, quorum alter quidem dixerit, Dicatur Deus non verbi, ſed eius, qui cernebatur; alter vero, & ſerui liuores, circa quem dominus, & quaſdam reliquorum patrum ſimiles voculas veluti vnguibus corradunt, cuiuſmodi eſt, Suſcepit, aſſumpſit, induit, & duplex erat, & alia eiuſmodi, quæ differentiam naturarum Chriſti ſecundum ſubſtantiam vnitatum declarant. Et præter cætera omnia, Cyrilli hypoſtaſes, & hominem ex virgine, & templum ex virgine. Deinde mixtionem & commixtionem & naturalem cohæſionem, & Deificationem, & ſanguinem Dei, & crucem, & paſſionem, & quod plus eſt, ſecundam verbi ſecundum carnem generationem, cum ijdem alioqui dicant, non tamen iſti audiunt. Et quid opus eſt dicere de vnione ſecundum ſubſtantiam, & de hypoſtaſi duarum naturarum, quibus nihil eſt magis vnum, & naturaliter cohærentius?

Primum igitur, illud eſt conſideratione dignum, quod non eſt nobis de vocibus controuerſia, ſed de modo totius myſterij Chriſti. Hoc autem non ſimpliciter ex hac, aut illa voce, aut ex quibuſdam verbis eſt approbandum, aut accuſandum, ſed ex primis principiis. Circa hæc enim omnis hæreſis controuerſatur. Poſt principia enim omnes inter ſe de vocibus conueniunt, ita vt ipſarum ſcripturarum voces ſibi vindicent eas ad proprium ſcopum accommodantes. Quæ vero ſunt horum principia? modus ſcilicet vnionis ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum habitudinem factus; vt eſſet in humani-

tate

tate perfecta verbum, quod in nobis homo interior ſecundum Apoſtolum συνυφεςῶσα, id eſt, conſubſiſtens, & ad totius definitionem pertinens poſt vnionem, ſicut patres, qui Paulum Samoſatenſem depoſuere, enunciarunt. Sed neque eos, qui è contrario nobis ſtant contra veritatem; qui voces ſibi vt arbitrantur, aptas proferunt, curamus tanquam eis nos vtentes cum ipſis, aut fictionem naturæ, aut confuſionem profitemur, neque quæ à nobis ipſis proferuntur, ad defendendam, quam putatis, fictionem diuinitatis, aut vanam ſpem veſtram in homine puro, tanquam à patribus prolata, admittimus; quia, vt dixi, non de vocibus nobis eſt diſceptatio, ſed de ipſis rebus, & harum vnione, & naturali cohæſione, quam patres ſecundum ſubſtantiam factam eſſe ſenſerunt: vos autem ſecundum habitudinem, & voluntatem eam introducitis: & iſta vnione anthropolatriam per vim munitis, quo quid eſſe poteſt magis impium? Solius enim impietatis Pauli, Marcelli, Photini, Neſtorij, & Theodori erat ſic ſentire, qui apertè Chriſtum hominem tantum eſſe definierunt, quod quidem vnuſquiſque priuatè, & in commune omnes diuini eccleſiæ magiſtri concordi ſententia accuſarunt, & exploſerunt; ac maxime poſtrema omnium Synodus Chalcedonenſis, omnium ſanctarum Synodorum antegreſſarum ſigillum & obſignatio, quæ veſtrum propugnaculum impietatis funditus euertit, & Symbolum fidei roborauit, atq; veſtræ impietatis euerſorem, illuſtribus præconiis prædicauit vere Leonem, qui contra Eutychem doloſam vulpem iuſte ſurrexit, & abditam impietatem confutationibus diſſipauit, & extinxit, quem Synodus laudibus, quæ eum decebant, celebrauit.

XLII. *Quare in Synodo Chalced. non fuit damnatus Apolinarius, neque Theodorus Mopſueſtiæ, neque Diodorus.*

At illi quidem, inquiunt iſti, damnati ſunt, horum vero nullus. Hoc ô boni viri, non ex innocentia reportarunt, ſed ex nimio ſtudio, quod, vt laterent, adhibuerunt. non enim patiebantur efferri in vulgus impietatem, quia neque ſibi tutum eſſe ſciebant. Præterea Ariana tunc hæreſis feruens, & tanquam vehemens flamma eccleſias depaſcens, multis otium dedit ad latendum interea, vt Apolinario, & Macedonio impiis. Conuenit hic illud in arte medicinæ tritum dicere; cum duo morbi in corpore dominatum obtinent; vehementior obſcurat minorem. Hac ratione, & via Apolinarius tanquam quidam ſplen creuit, (vt ſecundum veſtrum doctorem dicam, & aliquid, etiam in arguendo vobis largiar)

largiar) in totius corporis ægrotatione magnitudinem præter naturam capiens. Eodem exemplo poſſum veſtra conferre. Studium patrum in maxime neceſſarijs, & maxime vrgentibus rebus occupatum, fecit, vt veſtræ impietatis parentes, & auctores laterent, præſertim cum in iis, quæ ad Trinitatem pertinebant, fingerent ſe vna cum ipſis aduerſus hoſtes trinitatis pugnare; & eo modo beneuolentiam ſimularent, ſpecie, ac ſimulatione idem ſentiendi latebras ſibi præparantes. Difficillima enim res eſt ad deprehendendum, malitia ſimulatione beneuolentiæ tecta.

XLIII. Verum in anathemate infeliciſſimi Neſtorij (vere enim infelix eſt, qui ſolus cædis ſupplicium ſuſtinuit, cum ab aliis pugionem tuliſſet) ipſi ſimul eiecti ſunt. In diſcipulo enim perfecto, vt ait ſcriptura, ſicut magiſter eius eſt, fructus laborum ſuorum decerpſerũt. Tametſi hoc ſiquis inquirat, reperiet eos accuſatos cum ab aliis multis frequenter, tum ab ardentiſſimis impietatis veſtræ inſectatoribus Cyrillo, & Proclo. Ex quibus ille totam accuſationem contra eos inſtruxit. Quamuis quidam defenſionem ſcribere voluerunt, quæ copioſius argumentum accuſationis afferebat. Hic autem, id eſt, Proclus epiſtolam ad Armenios ſcripſit. Huic epiſtolæ ſubiecit capita blaſphemiarum Theodori ad oſtendendũ illius impietatem. Quid autem opus eſt dicere de Sancto Rhambulo epiſcopo Edeſſeno, viro, vt aiunt, Propheta? cuius fiduciam, atque confutationem poſtquam qui tunc erant impietatis Theodori ſectatores, pati non potuerunt, poſt multa pericula illius, dolo aggrediuntur, vni ex iis, qui intus erant, negotio commiſſo. Si igitur hac via vobis perſuaſerimus, & tandem mutari volueritis, veritatem magis quam perſonas honorantes, hoc melius, & Deo gratias agemus. ſin minus; vos quidem deflebimus fletu, & lamentis dignos; nos vero faciemus, vt ipſi ex Deo pendeamus, & in beata ſpe nixi, nunquam deſiſtemus ab ea, quam patres noſtri habuerunt, & hanc amantiſſime per ſucceſſores interiectos nobis transmiſerunt, & tradiderunt, hoc ſolum lucri à nobis reportantes, vt depoſitum eorum ſine offenſione cuſtodiamus, quod eccleſia ſancta ſine imminutione, & acceſſione cuſtodire perſeuerat, & perſeuerabit vſque ad magnum & illuſtrem aduentum magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium in ſæcula Amen.

Prologus

Prologus auctoritatum Theodori, & aliorum hæreticorum.

EX blaſphemiis Theodori pauca ex multis proponere ſtuduimus, ad oſtendendum fatuitatem eius abſurdam circa dogma, vt ex his fidem faciamus,nihil contra eum nos finxiſſe, aut contra eos,qui cum eo ſentiunt. Si enim facilè eſſet ſcripta eius reperire, non pigeret nos,in omnibus capitibus de quibus eum accuſauim⁹, ipſum illum teſtem producere.Quia vero nos vix & magno labore, & multis cogitationibus vſi librum eius contra incarnationem reperire potuimus, vehementer enim obſeruant, & cauent ne illius libros cum iis,qui non ſunt in illis inſtituti, communicent, ob hanc cauſam ea ſolum,quæ contra incarnationem ſaluatoris dixit, nunc colligere potuimus , ſi quis vero non adhibuerit fidem, & ei vacat,& eſt animus,quærat quæ vane elaborauit in Geneſin,& in librum contra Iob, & prauam interpretationem in epiſtolam ad Hebræos,& in epiſtolam ad Corinthios,& ad Galatas, & quæ contra Maguſæos ſcripſit , & præmeditationem excæcantem in ſacros Pſalmos , & quæ pro Eunomio contra Baſilium ſcripſit, Sic ego voco totam eius apologiam omni accuſatione plenam. item enarrationes turbidas, & blaſphemas in euangelium Matthæi, Ioannis,& Lucæ, & ipſorum ſanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſuperbas quas auſus eſt,reprehenſiones, & alia eius opera, ne ſingula enumerem; & videbit profundum omnis impietatis Marcionis,& Valentini,adde etiam execrabiliorem , & magis impiam ſententiam,& ſuſceptum ſceleſtius, quam Manichæi,fontis malorum.nos vero,vt diximus,ne videremur, quæ contra eum à nobis dicuntur,ſine teſtibus dicta relinquere,multis viis, & cogitationib⁹ vſi,ſolum quod contra incarnationem compoſuit, reperire potuimus. Si autem dominus permiſerit, & tempus nos non deficiet, alium librum contra eum componemus, in quo per otium vnamquamque impietatem eius ex ipſius libris colligemus, & cum quo ex hæreticis vnaquæque cognationem habeat,ex auctoritatibus eius demonſtrabimus. Quin etiam totam eius amentiam,& quam habeat contra omnes patres ſententiam in omnibus contrariam eis,ex ſanctiſſimis eius operibus oſtendemus. Adhæc, confutationibus aduerſus eum vtemur. Nunc autem contentus ero accuſatione breui contra eum compoſita, ne penitus latens, ſimplicioribus

ribus noceat; cognoſcantque, qui eum ſectantur, hunc ſe commẽdare, & defendere, cuius nec impietatem facile eſt aſſequi, vel ſi quis maxime velit.

Theodori hæretici ex libro eius contra incarnationem. 7.

Lege S. Thomam lib. 4. contra Gentes cap. 34. vbi cõtra Theodorum iſtum & Neſtorium docte diſputat.

ὡμολογείσθω ἀνακεῖσθαι αὐτῷ.

SI enim intelligamus, quomodo fit inhabitatio, ſciemus etiam modum, & quæ differentia modi. Inhabitationem igitur alij quidem dixerunt factam eſſe ſubſtantia; alij vero energia. Excutiatur igitur, an aliquid horum ſit verum. Ac primum nobis illud ſit conceſſum, vtrum in omnibus inhabitat, an non? Sed quia non in omnibus, manifeſtum eſt, hoc enim tanquam quid eximium, Sanctis Deus pollicetur; aut denique his, quos velit ipſi dedicatos eſſe. Aut quid igitur promittebat, cum ait, inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero eorum Deus; & ipſi erunt mihi populus, tanquam largiturus illis aliquid egregium, ſiquidem omnes homines communiter hunc participant? Quare ſi non in omnibus inhabitat, hoc
,, enim manifeſtum eſt, non dico in omnibus quæ ſunt ſolum, ſed nec
,, in omnibus hominibus, oportet eſſe propriam quandam rationem
,, inhabitationis, qua in illis adeſt ſolum, in quibus inhabitare dici-
,, tur. Atqui dicere ſubſtantia quidem inhabitare Deum maxime
,, indecorum eſt. Neceſſe enim alioqui ſit, in his ſolis ſubſtantiam
,, eius includere, in quibus inhabitare dicatur; & erit extra omnia alia,
,, quod abſurdum eſt dicere in natura infinita, quæ vbique eſt, & nul-
,, lo loco circumſcribitur, aut ſi dicant, vbiq; Deum eſſe ratione ſub-
,, ſtantiæ, neceſſe erit cum omnibus inhabitationem eius communi-
,, care, & non ſolum cum hominibus, ſed cum animantibus ratione
,, carentibus, & cum inanimatis; ſi dicamus inhabitationem eius ſub-
,, ſtantia fieri. Vtrumque horum eſt indecorum. Dicere enim inha-
,, bitare in omnibus Deum abſurdum eſſe certum eſt manifeſte; &
,, ſubſtantiam ei circumſcribere, non decet; immo impium eſt. dicere
,, igitur fieri ſubſtantia inhabitationem, ſtultiſſimum eſt.
,, Idem dici poteſt in energia, ſiue operatione. Aut enim rurſus
,, neceſſe eſt operationem illi circumſcribere in his ſolis, (in qb⁹ ſcili-
,, cet inhabitat) & quomodo verum erit, omnia Deum procurare, &
,, omnia gubernare, & in omnibus ipſum operari, quæ conueniunt?
,, Aut impartientes omnibus ipſius operationem, quod quidem de-
,, cens eſt, & conſequens, ſiquidem omnia ab eo firmantur, vt vnum

quod-

Digitized by Google

quodque conſiſtat, & ſecundum naturam ſuam operetur, in omnibus inhabitare eum dicemus. Igitur neque ſubſtantia, nec operatione fieri inhabitationem Dei dici poteſt. Quid igitur relinquitur? Qua ratione vtemur, quæ in his videatur ſeruare proprium? Manifeſtũ ergo eſt, quod oporteat dicere fieri inhabitationem ἐυδοκίᾳ id eſt, beneplacito: ἐυδοκία vero, id eſt, beneplacitum eſt optima voluntas Dei, quam faciet in ijs acquieſcens, qui ſtuduerunt ſe ei dicare ἀπὸ τοῦ ἐῦ καὶ καλὰ δοκεῖν ἀυτῷ περὶ ἀυτῶν, id eſt ex eo dicto verbo, quod bene, & bona placeant Deo de illis, ſic verbum ſecundum conſuetudinem ſcripturæ accipitur. Sic ait Dauid, non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei, beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in iis, qui ſperant in miſericordia eius, hoc dicit, quia non alios vult adiuuare, neque cum aliis operari, niſi cum ijs, qui timent eum, hos magni æſtimat, hos adiuuare, & protegere illi placitum eſt. Sic oportet dicere de inhabitatione. Infinitus enim cum ſit, & natura incircumſcriptus, adeſt omnibus, beneplacito autem ab alijs longe abeſt, alijs proximus eſt. In hanc enim ſententiam dicitur: prope eſt dominus contritis corde, & humiles ſpiritu ſaluabit: & alias: ne proiicias me à facie tua; & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Proximus fit affectione iis, qui hac propinquitate digni ſunt; & rurſus longinquus efficitur peccantibus, neque natura ſeparatus, neque hac propinquior factus, habitudine vero voluntatis vtrumque efficiens. Sicut igitur beneplacito efficitur propinquus, & longinquus, (liquet enim ex iis, quæ dicta ſunt, quid dicamus ἐυδοκίαν, id eſt, beneplacitum, idcirco enim quid ſententiæ hoc nomen declararet, omni diligentia interpretati ſumus.) Sic etiam beneplacito facit inhabitationem, non quidem circumſcribens in his ſubſtantiam, vel operationem, ab aliis vero ſeparatus, ſed potius omnibus adeſt ſubſtantia, ſeparatus vero habitudine διαθέσεως id eſt, affectionis ab indignis. Hoc enim modo magis ſeruatur illi incircumſcriptio, ſi videatur non tanquam cuidam neceſſitati ſeruire incircumſcriptioni naturæ ſuæ. Si enim qui vbique adeſt ſubſtantia, adeſſet etiam beneplacito, aliter rurſus ſeruire neceſſitati reperiretur, non iam ſecundum voluntatem præſentiam exhibens, ſed habens voluntatẽ infinitati naturæ conſequentẽ. Quoniã vero omnibus adeſt natura, & ſeparatus eſt voluntate à quibus vult, nullã

τούτοις ſυνεργεῖν

διαθέσ.

,, vtilitatem indignis à præſentia Dei reportantibus, vera, & integra
,, incircumſcriptio naturæ ei ſeruatur.
,, Sic igitur aliis quidem adeſt beneplacito, ab aliis verò ſepara-
,, tus eſt, vt ſi ſubſtantia à reliquis ſeparatus, cum his eſſet. Quemad-
,, modum igitur inhabitatio fit beneplacito, ſic beneplacitum, mo-
,, dum inhabitationis variat. Quod enim inhabitationem efficit
,, Dei, & quod ratione ſubſtantiæ vbique præſentem, in quibuſdam
,, & valde paucis inhabitantem facit, hoc prorſus modum inhabita-
,, tionis χαρακτηρίζει, id eſt, deſignat. Sicut enim ſubſtantia omni-
,, bus præſens, non in omnibus inhabitare dicitur, ſed in iis, quibus
,, adeſt beneplacito; Sic quamuis inhabitare dicatur, non tamen om-
,, nino æqualitas inhabitationis reperitur, quin potius modus inha-
,, bitationis conſentaneus erit beneplacito. Cum ergo vel in Prophe-
,, tis, vel in Apoſtolis, vel denique in iuſtis inhabitare dicitur, tanquã
ἀρεσκό-μενος. ,, in iuſtis εὐδοκῶν, id eſt, beneplacens, inhabitationem facit, veluti in
,, virtute præditis acquieſcens. In ipſo tamen (Chriſto ſcilicet) non
,, ſic dicimus factam eſſe inhabitationem, nunquam enim eò demen-
,, tiæ procedemus, ſed tanquam in filio. Sic enim beneplacens inha-
,, bitauit.
,, Sed quid eſt, tanquam in filio? Quia ſcilicet cum inhabitaſſet,
,, totum quem aſſumpſerat, ſibi vniuit, & fecit eum comparticipare
,, totum honorem, quem, qui inhabitabat natura filius, communem
,, cum eo habere voluit. Vt ad vnam quidem perſonam pertineret ſe-
,, cundum vnionem cum ipſo, ſic autem omnem principatum cum
,, eo communicare, & ſic omnia in eo agere voluit, vt iudicium totius
,, mundi, & examinationẽ per ipſum, & aduentũ eius facturus ſit. Ita
,, ſcilicet vt differentia in ijs, quæ ſecundum naturam propria ſunt,
,, intelligatur.

Eiuſdem ex eodem libro.

,, SIcut igitur etſi in futuro corpus & anima noſtra perfectè ſpiritu
,, gubernabitur, velut primitias tamen quaſdam ex parte hinc ha-
,, bemus, quatenus ſpiritu adiuti non cogimur ſequi cogitationes a-
,, nimæ, ſic dominus etſi poſtea omnino habuit in ſe Deum verbum
,, vniuerſè operantem, & omnem operationem ab eo inſeparabilem,
,, antea tamen habuit quam maximè operantem in ſe plurima, qui-
,, bus opus erat; ſinebaturque interea ante crucem propter vtilitatem
proprio

Digitized by Google

proprio propoſito virtutem pro nobis implere, incitatus vero ab eo in his, & confirmatus ad perficiendum, quæ facere oportebat. Habuit enim ſtatim à principio cum in vtero formaretur, vnionẽ cum ipſo. Cum vero eius ætatis fuit, quæ natura in hominibus idonea eſt ad diſcernendum prauum à recto, immo ante illam ætatem breuius, & celerius quam reliqui homines facultatem diſcernendi iſta oſtendit. Siquidem alijs hominibus non omnibus ſimiliter vno tempore vis diſcernendi ingeneratur: alij namque velocius maiore prudentia ea quæ conueniunt, aſſequuntur; alij diutius exercitatione hoc comparant. Quod quidem eximiè ipſi præ cæteris hominibus celerius quam pro communi reliquorum hominum ætate euenit. Sane oportebat conſentaneè, vt plus aliquid in ijs quæ ad hominem pertinent, haberet, atque eò magis, quod non ex coniunctione viri & mulieris ſecundum communem hominum naturam formatus erat, ſed diuina ſpiritus ſancti operatione.

Habuit etiam propenſionem non vulgarem ad meliora ex vnione cum verbo, qua habitus eſt dignus ſecundum præcognitionem filij Dei, qui à principio ſibi eum vniuit. Propter hæc omnia ſtatim cum diſcretione cepit magnum odium mali, vehementi & indiſſolubili amore ſe Deo adiungens, operationemque verbi propoſito ſuo congruentem recipiens, immutabilis deinceps ad deterius eſſe perſeuerabat, tum quod ipſe hac voluntate eſſet; tũ quod operatione verbi Dei hoc illi propoſitum ſeruaretur. Capeſſebat autem facilitate abſolutiſſimam virtutem, ſiue cum legem ſeruaret ante baptiſmum; ſiue cum vitam communem in ſtatu gratiæ poſt baptiſma ſuſciperet, cuius nobis formam præbebat, via quædam nobis ad hoc factus. Sic deinde poſt reſurrectionem, & aſcenſum in cœlos demonſtrauit ſe ex propria voluntate dignum vnione, qui hanc antea aſſumpſerat in ipſa formatione beneplacito domini, & perfectam deinde exhibet vnionis oſtenſionem, nullam habens ſeparatam, aut abſciſſam operationem verbi Dei, qui Deum habebat omnia in ſe ipſo operantem propter vnionem cum eo.

Sic igitur ante crucem quidem & eſurire videmus, & ſitire, ſcimus, & timere intelligimus, & ignorare reperimus. Siquidem propoſitum virtutis è ſe ipſo συνεισεφέρετο, id eſt, conferebat, teſtis horum eſt Eſaias Propheta, cum ait, quoniam antequam ſciat puer cognoſcere bonum & malum repugnabit malo, vt eligat bonum ſcilicet diſcretione, illud quidem odio habens; hoc vero diligens.

πρόσεστιν.

Hæretica interpretatio loci Eſaiæ.

Diſcretione enim inter meliora, & deteriora facta electio fit. Quomodo igitur priuſquam ſciat puer, hoc fit? Id eſt, priuſquam ad eam ætatem veniat, in qua reliqui homines quæ agenda ſunt, diſcernere conſueuerunt. Quippe cum plus aliquid, & eximium quid ille præ cæteris hominibus haberet. Etenim ſi adhuc apud nos ſæpenumero reperiuntur pueri quidem ætate, multam verò intelligentiam præ ſe ferentes, ita vt in admirationem adducant eos, qui vident, quia maiorem quam pro ætate prudentiam oſtendunt, multo magis oportebat vt ille homo cæteros omnes homines ei ſimiles ſuperaret.

ἅπαντας τοὺς κατ' αὐτὸν ἀνθρώπους.

Eiuſdem ex eodem libro.

Hæretica interpretatio loci euangelici.

IEſus autem proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines. Ætate quidem proficit, proceſſu temporum; ſapientia vero, ſecundum progreſſum temporum intelligentiam acquirens; gratia autem, ſuſcipiens virtutem & intelligentiæ, & cognitioni conſentaneam, deinceps gratia quæ illi erat apud Deum, acceſſionem & incrementum accipiebat. Et in his omnibus proficiebat apud Deum & homines. Homines quidem progreſſum videbant; Deus vero non videbat ſolum, ſed teſtimonio approbabat, & in iis, quæ fiebant, cooperabatur. illud igitur eſt etiam manifeſtũ, quod tanto perfectius, & maiore facilitate virtutem exequebatur, quam reliqui homines exequi poterant, quanto Deus, qui in principio ipſo formationis eius ſibi eum vnierat, maiorem è ſe cooperationem illi præbebat, ad perficiendum, quę opus erant ad ſalutem omnium omnia illius gubernans, & ad perfectiora incitans, ac labores illius, ſiue ad animam, ſiue ad corpus pertinerent, ex maiore parte alleuans. Atque ita completionem virtutis maiorem & leuiorem illi conflabat.

Eiuſdem Hæretici ex eodem libro.

VNitus enim fuit Deo à principio aſſumptus ſecundum præcognitionem, in ipſa formatione in vtero facta vnionem ſortitus. Habitus vero dignus vnione, omnia adeptus eſt, quantum par erat adipiſci hominem vnigenito, & omnium domino vnitum, tanto maioribus donatus præ cæteris, quanto magis eximia vnio ei accidit. Donatus igitur eſt inhabitatione Spiritus primus ante

cæteros,

Digitized by Google

cæteros, donatusque eſt hac, non ſimiliter vt reliqui. Hic enim totam gratiam ſpiritus in ſe recepit; aliis vero ex parte præbuit totius Spiritus participationem. Sic autem factum eſt, vt totus ſpiritus in eo operaretur. Qui igitur loquebatur, quatenus vox ſonabat, homo erat. Vis autem eorum, quæ dicebantur, multiplex, & varia erat.

Eiuſdem Hæretici ex libro 8.

ET ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis. Quamnam? Nempe participare adoptionem. Hanc enim accepit ipſe ſecundum humanitatem baptizatus primum in Iordane, in quo noſtrum baptiſma tanquã in figura exprimebatur; & regeneratio confirmabatur teſtimonio vocis, eius qui dixit, hic eſt filius meus dilectus, in quo bene cõplacui. & ſpiritus deſcendens manſit ſuper eum, ſicut futurũ erat, vt nos etiam in ipſo hunc ſpiritum participaremus; qui quidem excellentius præ nobis, per vnionem cum verbo, ipſi aduenit hæc participanti, quæ filius ſecundum naturam. *Hæretica interpretatio loci euangelici.*

Eiuſdem ex eodem libro.

EX omni igitur parte manifeſtum eſt ſuperuacaneam eſſe, & indecoram, atque diſcrepantem confuſionem, cum vnaquæque natura in ſe indiſſolubiliter maneat. Rurſus manifeſtum eſt, aptam & congruentem eſſe vnionem. Per hanc enim naturæ copulatæ vnam perſonam ſecundum vnionem conſtituerunt. Quare quod dominus in viro, & vxore ait, quamobrem non iam ſunt duo, ſed vna caro; dicere nos conſentanee poſſumus ſecundum rationem vnionis, non ſunt iam duæ perſonæ, ſed vna, ſcilicet naturis diſcretis, vt enim illic in viro ſcilicet & vxore non lędit numerum duorũ, quod vna caro dicatur, manifeſtum eſt enim quatenus vna dicuntur caro; ſic hic non lædit differentiam naturarum vnio perſonæ. Cum enim naturas diſcernimus, perfectam naturam Dei verbi dicimus, & perfectam perſonam; neque enim licet dicere hypoſtaſim ſine perſona. Perfectam vero etiam naturam hominis, & perſonam ſimiliter. Cum tamen ad copulationem reſpicimus, vnam perſonam tunc dicimus.

Eiuſdem ex eodem libro.

EOdem modo hic, propriam dicimus verbi Dei ſubſtantiam, propriam etiam hominis, diſcretæ enim ſunt naturæ; vna

vero

Digitized by Google

„ verò perſona vnione conſtituta. Quare hic etiam cum naturas
„ diſcernere aggredimur, perfectam perſonam hominis dicimus; per-
„ fectam item diuinitatis. Cum vero vnionem ſpectamus, tunc vnam
„ perſonam prædicamus ambás naturas compoſitè, humanitate ho-
„ norem à creatura accipiente, & diuinitate omnia quæ oportebat, in
„ ipſa operante.

Eiuſdem ex libro 9.

Hæretica interpretatio loci euangelici.

HIc igitur, illud factum eſt, non aliter dici poſſe reperimus, quā ꝓ eo quod eſt τὸ δοκεῖν, id eſt, videri, quod quidem in ſcriptura diuina, & maxime in domino ſuperius in aliis diligentius docuimus, quatenus enim apparebat, ſiue videbatur, verbum caro factū
„ eſt, videri autem ſiue apparere non ſignificat hic, non accepiſſe car-
„ nem veram, ſed non factum eſſe carnem. Quando enim dicit, ac-
„ cepit, non ſecundum ſpeciem apparentem, ſed ſecundum veritatem
„ accepiſſe dicit, quando verò dicit factum eſt, tunc κατὰ τὸ δοκεῖν, id
„ eſt, ſecundum ſpeciem apparentem, non enim mutatum eſt verbū
„ in carnem. Aduertenda eſt igitur mens euangeliſtæ, ſic enim vim
„ dicti cognoſcemus.

Ex eodem libro.

Significat Hæreticus ſecundum habitudinem voluntatis intelligi quod ait ſcriptura, verbū caro factum eſt.

QVod in nobis dicitur ſecundum habitudinem in loco, hoc in Deo dicitur ſecundum habitudinem voluntatis. Sicut enim dicimus in nobis, γέγονα in hoc loco, hoc eſt, factus ſum, profui; ſic in Deo dicimus, γέγονε id eſt factus eſt in hoc, quia quod in nobis facit tranſitus ex loco in locum, hoc facit voluntas in Deo, qui ſecundum naturam vbique eſt.

Eiuſdem ex libro ſiue ſermone 10.

APparuit autem ei angelus de cœlo confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ
„ ſanguinis decurrentis in terram. Intelligimus ergo ex his ſuſtinuiſſe
„ quidem Chriſtum manifeſte certamen non vulgare.

Eiuſdem ex eodem.

„ QVam vero conſecutionem habebit quod dictum eſt, qui deſ-
„ cendit de cœlo, & eſt in cœlo? Alterutrum enim altero tolli-
„ tur. Deſcendiſſe de cœlo tollit eſſe in cœlo; & eſſe, tollit deſcendiſſe.

At

At deſcendit quidem ſecundum inhabitationem in homine; eſt autem in cœlo ſecundum incircumſcriptionem naturæ omnibus præſens.

Eiuſdem ex eodem.

COnſideremus igitur, quis homo eſt, de quò obſtupeſcit, & admiratur, quod ſcilicet vnigenitus voluit eius meminiſſe, & viſitationem eius facere, quod autem non eſt dictum, in ſuperioribus demonſtratum eſt; quod autem neque de vno quopiam è vulgo, & hoc liquet. vt vero omnia omittamus, quod eſt omnibus credibilius, Apoſtolicum teſtimonium amplectamur. *Hebr. 2.*

Ex libro ſiue ſermone 32.

IDcirco non dixit, locutus eſt nobis ἐν τῷ υἱῷ, id eſt, in filio cum articulo Græco, ſed ἐν υἱῷ, id eſt, in filio ſine articulo, (quod quidem dictum abſolutè poterat ſignificare vtrumque in eodem) προτοτύπως, id eſt, principaliter ſignificans filium verum ſcilicet cum articulo, filium verum dico, eum, qui naturali generatione filiationem habuit; conſequenter verò ſignificans eum, qui filiationem συνεπιδέχεται τῇ σημασίᾳ, id eſt, filiationem conſuſcipit ſignificatione, & ſecundum veritatem dignitatem participat vnione cum verbo facta.

Eiuſdem ex eodem libro.

NVnquid deſiſtent deinceps à pugna inuerecunda? Diſcedent ne in poſterum à vana contentione reuerentes quod apertè dictum eſt? Multos enim inquit, filios in gloriam adduxit, ecce igitur Apoſtolus, qui in ratione filiationis numerat cum multis hominem aſſumptum, qui non ſimiliter vt illi, filiationem participat, ſed quatenus per gratiam filiationem aſſumpſit, ſola diuinitate naturalem filiationem habente. Liquet enim illud, quod præcipua ratio filiationis præter cæteros homines ineſt in ipſo ex vnione cum verbo. vnde in voce filij ſimul cum eo intelligitur, & ſimul accipitur. Sed contra aiunt, ſi dicamus duo perfecta, neceſſario duos filios dicemus. Sed ecce, filius dictus eſt in diuina ſcriptura, ſublata diuinitate cum reliquis hominibus ſecundum idem collocatus, & numeratus, neque continuo dicimus duos filios. Vnus verò filius conceditur, quia diuiſio, ſiue diſcretio naturarum neceſſariò debet per-

Digitized by Google

„ manere,& vnio perſonæ inſolubiliter cuſtodiri, & poſtquam dixit „ multos filios in gloriam adduxit: ſubiungit, auctorem ſalutis eorũ „ per paſſionem conſummare. Videte, quomodo perſpicue dicit con- „ ſummaſſe verbum per paſſiones hominem aſſumptum, quem au- „ ctorem ſalutis eorum vocauit, quippe qui primus hac ſalute dignus „ habitus, etiam aliis fuit ſalutis cauſa.

Eiuſdem ex eodem ſermone ſiue oratione.

„ HIs enim omnibus ſecundum expoſitionem nomen filij impo- „ nunt, cum enim ſint humana quæ dicuntur, æquum eſſe iudi- „ cabant vti hac voce, quam quidem contigit eſſe eius appellationem: „ & quod nomen Ieſus appellatio aſſumpti, ſicut in Apoſtolis nomen „ Petri, aut Pauli, aut aliud huiuſmodi, ſic ei impoſitum eſt poſt ortũ „ ex Maria.

Eiuſdem ex eodem.

„ SEd ad hoc dicunt, quod nomen Ieſus ſignificat Saluatorem. Sal- „ uator autem quomodo, inquiunt, dicatur homo? obliti, quod „ Ieſus dicebatur filius Naue, & quod magis mirandum eſt, non ſic ex „ quopiam caſu fortuito vocatus eſt in ortu ſuo, ſed mutato nomine à „ Moyſe. Liquet autem nunquam illum paſſurũ fuiſſe, vt hoc nomen „ homini imponeretur, ſi neceſſario diuinam naturam ſignificaret.

Eiuſdem ex eodem.

„ MVltifariam multiſque modis olim Deus locutus patribus in „ Prophetis, in nouiſſimis diebus locut' eſt in filio. Aperte hic, „ cum ait in filio, in homine dicit.

Eiuſdem ex eodem libro.

„ QVare non ſolum filium vocat ſeparans eum à verbo, ſed plane „ oſtenditur collocare eum ſecundum rationem filiationis cũ „ reliquis hominibus, qui filiationem participauerunt. Siquidẽ gratia „ etiam ipſe filiationem participauit, non naturaliter ex patre geni- „ tus, habens tamen præ reliquis excellentiam, quoniam ex vnione cũ „ verbo comparauit filiationem. Quod quidem magis propriam par- „ ticipationem rei ipſi largitur.

Eiuſdem ex eodem.

„ ET vocabis nomen eius Ieſum; hic erit magnus, & filius altiſſimi „ vocabitur. Ecce igitur quemadmodum euangelizans ortum ex

Maria

Digitized by Google

Maria ſecundum carnem, Ieſum quidem vocari iubet, filium vero altiſſimi vocandum eſſe prænunciat. Conſentaneè illud quidem imponi iubet tanquam nomen nati; hoc vero vocandum eſſe prædicit, quia erat honoris Symbolum nomen, quem honorem confirmabat deinceps rei participatio.

Eiuſdem ex eodem libro.

MAniſeſtum autem eſt, quod in diſtinctione naturarum neceſſario nobis obſeruatum eſt ſcire, quod Deus verbum ſecundũ naturalem generationem filius eſſe dicitur, homo autẽ multo maiore dignitate filij, quam ſecundum ipſum conueniebat, frui dicitur propter copulationem cum illo filio. πάντως

Ex libro ſiue ſermone 13.

QVi manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu, iuſtificatum eſſe in Spiritu dicit, ſiue tanquam qui ante baptiſmum legem, qua conueniebat diligentia, ſeruauit; ſiue tanquam qui poſt baptiſmum vitam in lege gratiæ adiumento Spiritus Sancti cum multa accuratione gerebat. τῇ συνεργίᾳ

Eiuſdem ex eodem.

NEc enim quod à Ioanne dictum eſt ei, ego opus habeo à te baptizari, & tu venis ad me, tollet, quin homo ſit, qui baptizatur. Conueniet autem etiam ſecundum rationem humanitatis, quãdoquidem ſecundum ipſam virtutem multo præſtantior erat quam Ioannes, & propter naturam diuinitatis habitantem in eo non ſupra Ioannem tantum, ſed ſupra omnes homines, immo ſupra creaturam dignitatem habere iuſtè agnoſcebatur.

Ex eodem libro.

QVamobrem cum dominus vellet in vſu cibi tolerantiã, & virtutẽ oſtendere, hoc inquit, non poſtulat neceſſitas, vt fiat. Sed docens minus ſe cibum curare, & nihil magis quam virtutẽ honorare, ait illi, non in ſolo pane viuet homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Eiuſdem ex eodem libro.

HOc enim diabolus ſtuduit ſuadere illi, quod nulla eſſet Dei cura de eo, idcirco aiebat, ſi filius Dei es, fac hoc; id eſt, demonſtra re ipſa, quod curam de te habet Deus. Ipſe autẽ diabolus magna

Digitized by Google

promittebat, vt per illam ſuaſionem à Deo illum alienaret, & diſiungeret; per promiſſiones verò ſibi conciliaret, & adiungeret, & prima tentatione panem proponit, vt voluptate ad experientiam prouocaret.

Ex eodem.

QVocirca dominus cum eum ter viciſſet, victoriam de eo reportatam nobis donauit. Cum enim non petiſſet à Deo, vt fieret panis, demonſtrauit ſe vincere voluptatem: cum verò non proiecit ſe deorſum, gloriam neglexit, ſuadens omnibus, non ſe hanc curare. tertia tentatione cum viciſſet bona huius mundi, demonſtrauit ſe pro pietate in Deum nullis bonis mundi huius ſuperari.

Eiuſdem ex libro 14.

HInc igitur tantus honor habitus eſt homini, qui habitus eſt dignus inhabitatione diuina, & vt ſederet ad dexteram patris, atque ab omni creatura coleretur. Nec enim Deus ſic ſimpliciter, & ſine aliqua vtili ratione hominem aſſumeret, ſibique vniret, faciens vt ab omni creatura adoraretur, iuſtumque eſſe vellet, vt naturæ intellectiles eum colerent, niſi quæ circa illum facta ſunt, commune omnis creaturæ beneficium eſſent.

Ex eodem libro.

HOc ipſum dicemus iuſtè etiam in domino, quod Deus verbum, cum ſciret eius virtutem, vt qui ſecundum præcognitionem ſtatim à principio in ipſa formatione voluit inhabitare in eo, & ſibi eum vnire habitudine voluntatis, maiorem quandam gratiam ipſi prębebat, vtpote gratia in eum collata, ad omnes homines deinceps manatura. Vnde & propoſitum ipſi circa honeſta ſyncerum, & incorruptum ſeruabat. Non enim hoc dicemus, quod nihil propoſitum habebat hic homo, ſed potius, quod propoſitum ſibi habebat quod honeſtum erat, immo plurimus illi honeſtatis, & virtutis amor ſecundum propoſitum inerat & vehemens odium in contrarium. Seruabantur autem illi integra, quæ ad propoſitum pertinebant, à diuina gratia, ſciebat quippe Deus optime à principio, qualis eſſet, & ad huius rei confirmationem multam ei operam inhabitatione ſua pro ſalute noſtra adiungebat. Vnde non poteſt dici

iniu-

Digitized by Google

iniuſtitiæ eſſe, aliquid eximium præ cæteris omnibus tributum eſſe homini à Deo aſſumpto.

Eiuſdem ex libro 15.

CVm igitur interrogant, an ſit Maria ἀνθρωποτόκος ἢ θεοτόκος, id eſt, hominipara, an Deipara, dicatur à nobis vtrumq;, illud quidem natura rei; hoc vero relatione. Hominipara quidem natura, quandoquidem homo erat qui in ventre Mariæ fuit, & ex eo prodiuit. Deipara vero, quia Deus erat in homine, quem peperit, non circumſcriptus ſecundum naturam, ſed in ipſo exiſtens ſecundum habitudinem voluntatis.

Eiuſdem ex eodem libro.

MAgis enim perturbabatur dominus, magisque certabat cum paſſionibus animæ, quam corporis; & fortiore ratione voluptates coercebat, diuinitate ſcilicet media, & adiuuante eum ad perficiendum.

Eiuſdem hæretici Theodori ex libro 4. contra Apolinarium.

DIxiſti dediſſe tibi quosdam ex noſtris, quæ à nullo data ſunt eorum, qui ſtuduerunt eccleſiaſticam ſententiam amplecti. Percunctabamur enim, an confiterentur, Deum verbum factum eſſe hominem? Aut quomodo induxiſti, illud dederunt? Aut quis mente præditus dicat, vt vos dicitis, verbum factum eſſe hominem, niſi prius ex amentia veſtra ægrotet, nos enim aſſumpſiſſe quidem hominem aſſeueranter dicimus, factum verò eſſe hominem, vt vos ſentitis, nunquam dicere poſſimus.

Eiuſdem ex eadem tractatione libro 3. tanquam ex perſona Chriſti ſic ait.

EGo, quem videtis, nihil quidem facere poſſum ſecundum propriam naturam, quippe qui ſum homo, operor verò, quia manens in me pater omnia facit, quia enim inquit, ego in patre, & pater in me, Deus autem verbum vnigenitum in me, patet quod pater cum ipſo in me & manet, & opera facit. Neque mirandum eſt, quod hoc in Chriſto exiſtimemus, cum ipſe apertè dicat de reliquis homi-

,, nibus, qui diligit me ſermonem meum ſeruabit; & pater meus dili-
,, get eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.
,, Si enim apud vnumquemq; talium pater, & filius manſionem faci-
,, unt, quid mirum, ſi in domino Chriſto ſecundum carnem, ambo
,, ſimul exiſtimentur manere communione ſecundum ſubſtantiam,
,, admittente, ſicut conſentaneum eſt, communionẽ participationis.

Ex eadem tractatione libro 4.

,, QVi eſt, inquit, ante ſæcula, factus eſt in nouiſſimis, hoc rurſus
,, dicit tanquam quidam hoc dediſſent, & hoc dicerent, cum
,, nemo eorum, qui pij eſſe ſtuduerunt, morbo huius dementiæ labo-
,, rare voluerit, vt diceret eum, qui eſt ante ſæcula, factum eſſe in no-
,, uiſſimis diebus.

Et poſt alia.

,, IGitur ſequentes leges veſtras, & conuerſionem acuminis tui, im-
,, mo euerſionem amplectentes, & approbantes, age, confundam'
,, omnia in ipſo; & nulla ſit deinceps diſtinctio non formæ Dei, non
,, formę ſerui, non templi aſſumpti, non habitantis in templo, non tẽ-
,, pli ſoluti, non excitantis templum, non conſumati in paſſionibus,
non eius, qui conſumauit, non memorati, non memorantis, nõ vi-
ſitati, non viſitantis, nõ minuti paulo minus ab angelis, nõ minuen-
tis, non gloria & honore coronati, non coronantis. Non conſtituti
,, in opera manuum Dei, non conſtituentis, non accipientis ea in ſub-
,, iectione, non dantis ſubiectionem.

Quid eſt homo quòd memor es eius.

Ex libro 3. eiuſdem tractationis.

,, SEd Deus & ex Deo, conſubſtantialis patri inerat (ô admirande)
,, in genito ex virgine, & ab Spiritu Sancto ſecundum ſcripturas
,, formato, & in ventre muliebri concreto vt par erat, poſtquã ſimul
,, vt formatus eſt, accepit, vt eſſet templum Dei, non tamen exiſtimã-
,, dum eſt nobis genitum eſſe Deum ex virgine, niſi putandum eſt no-
,, bis, idem eſſe genitum, & quod eſt in genito, templum, & verbum,
,, quod eſt in templo, neque, vt tu loqueris, dicendum nobis eſt vllo
,, modo, genitum ex virgine Deum eſſe ex Deo conſubſtantialem pa-
,, tri. Si enim non eſt homo, vt dicis, aſſumptus, qui ex virgine natus
,, eſt; Deus autem incarnatus eſt, quomodo genitus, Deus ex Deo
,, & conſubſtantialis patri dicetur, cum caro non poſſit hanc vocem
,, admittere? Eſt enim fatuum dicere, eſſe Deum ex virgine genitum.
Hoc

Digitized by Google

Hoc enim nihil aliud eſt, quam dicere Deum eſſe ex ſemine Dauid, ex ſubſtantia virginis editum, & in ipſa formatum, ſiquidem quod ex ſemine Dauid, & ex ſubſtantia virginis concretum eſt in materno vtero, & virtute Spiritus Sancti formatum, ex virgine factum eſſe dicimus.

Eiuſdem ex 4. libro contra Apolinarium.

HOminem vero, de quo hæc ait Propheta, apertè declarat beatus Paulus aſſumptum ab vnigenito hominem eſſe, cum enim, dixiſſet, teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens, quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum, minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, ſubiungit, eum autem, qui modico quam angeli, minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum, clarè demonſtrans, quod Ieſus eſt homo, de quo beatus Dauid loquitur admirans, quod diuina natura paſſa eſt memoriam quidem eius haberi, & eum viſitatione ſua dignum habuit, ac paulo quidem minus ab angelis minuit, ac fecit, vt guſtaret mortem, gloria vero, & omni honore induit; ita vt dominum vniuerſorum per copulationem cum eo declararet.

Eiuſdem ex interpretatione Pſalm. 8.

PRopter hoc igitur differentiam hominis aſſumpti tantam nobis Pſalmus demonſtrat. Reperiuntur autem hæc diuiſa in nouo teſtamento. Dominus quidem priora in Pſalmo ad ſe ipſum refert, & de ſe accipit, in quibus ait ſe eſſe auctorem creaturæ, magnificentiamque habere ſupra cœlos euectam, factumque ſe mirabilem in vniuerſa terra. Apoſtolus vero ſecundam partem Pſalmi de homine accipit & interpretatur, qui tanto beneficio filij dignus eſt habitus. Quomodo igitur non eſt perſpicuum, quod diuina ſcriptura, plane docet nos alium eſſe Deum verbum, alium vero hominem, ille memor eſt; huius memoria habetur, ille viſitat; hic ꝙ tanta viſitatione habitus ſit dignus, beatus prædicatur. Ille beneficij gratia paulo minus ab angelis minuit; hic beneficium fert in huiuſmodi minutione. Atque ille quidem gloria & honore coronat, hic autem coronatur, & in his laudatur. Ille conſtituit ipſum ſuper omnia opera manuum ſuarum, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Hic autem habitus eſt dignus, vt horum dominus eſſet, quorum prius poteſtatem non habebat.

Atque

Digitized by Google

Atque hæc quidem impius Theodorus rabie in magnum Deū, & ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum percitus blaſphemè ſcripſit, dicens alium eſſe Deum verbum, & alium Ieſum Chriſtum: illū beneficio afficientem, hunc beneficio affectum, illum ſaluum facientem, hunc ſaluum factum. Qui autem hæc dicit, manifeſto negat ſalutem per Chriſtum allatam. Qui enim ab alio beneficium accipit, id eſt, qui factus eſt ſaluus, quomodo poterit alios ſaluos facere? Qui hæc ſentiunt, cuius corpus & ſanguinem ſe putant in communione ſumere eius, qui beneficium contulit, an qui beneficium accepit? Si Dei verbi beneficium conferentis, quomodo hoc dicunt, non confitentur eum incarnatum eſſe? Si vero beneficium accipientis, inanis eſt eorum ſpes Anthropolatriam profitentes. Et qui in homine ſpem collocant, maledicti ſunt. Qui coluerunt, & ſeruierunt creaturæ præter creatorem, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

Neceſſarium exiſtimaui, eius, qui fuit princeps auctor huius impietatis, paucas auctoritates apponere, ex quibus licet perſpicere, connexos fuiſſe ipſos in hac impietate.

Diodori ex libro primo contra Synuſiaſtas.

„ HOrtor vos, vt muniti ſitis, & firmi ad diligentem cognitionem „ dogmatum, perfectus ante ſæcula filius; perfectum, quod ex „ Dauid aſſumpſit; filius Dei, filius Dauid. Dices mihi, duos igitur „ filios prædicas. Duos filios Dauid non dico, non enim dixi Deum „ verbum filium Dauid. Sed neque duos filios Dei ſecundum ſub„ ſtantiam dico. nec enim dico duos ex ſubſtantia Dei, cum dico Deū „ verbum ante ſæcula habitaſſe in genito ex ſemine Dauid.

Eiuſdem ex eodem libro.

„ GRatia filius, homo ex Maria natus; natura autem Deus ver„ bum: illud gratia & non natura; hoc autem natura, & non „ gratia. Sufficiet corpori ex noſtro genere filiatio ſecundum gra„ tiam, gloria, immortalitas, & quod templum Dei verbi factum eſt. „ Ne eleuetur ſupra naturam; & Deus verbum loco actionis gratia„ rum, quam debemus, ne contumelia afficiatur, & quæ contumelia? „ Componere eum cum corpore, & exiſtimare opus illi eſſe corpore „ ad perfectam filiationem. Nec enim ipſe Deus verbum vult eſſe fi-

lius

Digitized by Google

lius Dauid, ſed dominus. Corpus vero vocari filium Dauid non modo non inuidit, ſed propter hoc venit.

Et poſt alia.

ET quando de generationibus ſecundum naturā fuerit ſermo, ne filius Mariæ putetur Deus verbum; mortalis enim mortalem generat ſecundum naturam, & corpus generat conſubſtantiale. Et duas generationes Deus verbum non ſubſtinebat, vnam ante ſæcula, alteram poſterioribus temporibus.

Eiuſdem Diodori ex eodem libro.

SI quis voluerit filium Dei deum verbum nominare καταχρηστικῶς, id eſt, per abuſionem, filium Dauid propter templum verbi Dei ex Dauid, nominet. & genitum ex ſemine Dauid filium Dei gratia, & non natura vocet, non ignorans patres naturales, nec ordinem peruertens, neque dicens incorporeum, & ante ſæcula eſſe ex Deo, & Dauid, paſſum, & impaſſibilem.

Eiuſdem ex libro.

FIlius Dei propter nullum; caro filius propter filium; & quid dico propter filium? Propter nos caro. Et ne exiſtimetis blaſphemum eſſe verbum, petite demonſtrationes. Si homines non peccaſſent, non opus fuiſſe lege, iuſto enim non eſt poſita lex. Si non auxiſſent peccatum qui erant in lege, non opus fuiſſet gratia. An quia non poterat lex peccatum occidere, non propter nos carnem ſumpſit, vt morti, & ſententiæ mortis remedium afferret crucifixus, & mortuus, ac ſuſcitatus? Si non feciſſet progreſſum fallacia, & ſententia mortis contra nos, quid opus erat iſta ſeruatoris œconomia? Quid opus erat induere corpus? Nonne propter nos carnem accepit?

Sed tempus iam vocat nos, vt primum parentem huius impietatis, à quo ſemina acceperunt, in medium afferamus. Hic eſt Paulus zizanium diaboli amarum, Samoſatis ortum. Immo & Neſtorij, qui fuit poſtremus illius radicis ſurculus, fructum peſtilentem oportet publice vituperare, vt inter extrema par illuſtre, & blaſphemum duorum interiectum, Diodorum dico & Theodorum, aptè & appoſitè locatum noſcatur. Fortaſſe ſero tandem poterunt ab ebri-

O etate

etate ad ſobrietatem redire, ſi ſemel intellexerint, ad quos, & quantos malorum ſuorum patres eorum prima cognatio pertineat; & quod ex illis hic poſtremus per intermedios ramus impietatis natus eſt, cuius fructum certatim metentes, ſatiari properant. Eſt autem propoſita vtriuſque confutatio Pauli ſcilicet & Neſtorij ex teſtimonio publice propoſito, vt aiunt, ab Euſebio, qui tunc, florebat in iudicandi poteſtate, poſtea autem præfectus fuit eccleſiæ Dorylenſium, qui diuino zelo, vt teſtantur, incenſus primus hæreſim Neſtorij, & Eutychis deprehendit, & conuicit infinitis periculis pro pietate obiectus. Audi igitur eum, quibus, & cuiuſmodi blaſphemiis ex Paulo Samoſatenſi collectis, Neſtorij blaſphemias coniunxit, & vnam vtriuſque mentem amentiſſimam eſſe demonſtrauit. An vero ab harum Sirenum cantibus Theodori dico & Diodori canticum mortiferum diſcrepet, iis, qui ſine periculo audire, & iudicare poſſunt, iudicium committimus.

Teſtimonium in loco publico propoſitum & in eccleſia publicatum.

Adiuro eum, qui hanc chartam acceperit, per ſanctam Trinitatem, vt oſtendat epiſcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus, Laicis habitantibus Conſtantinopoli, adhuc etiam, vt exemplum eius det illis ad confutationem Neſtorij hæretici, quod ſentit idem cum Paulo Samoſatenſi anathematizato ante annos centum ſexaginta ab epiſcopis Orthodoxis. Sunt autem, quæ ab vtroque dicta ſunt, hæc.

Paulus dixit.

Maria non peperit Verbum. Neſtorius conſentiens, dixit, non peperit, ô bone, Maria diuinitatem. Paulus dixit, nec enim erat ante ſæcula. Neſtorius dixit, & matrem ex tempore attribuunt Deo auctori temporum. Paulus dixit, Maria verbum ſuſcepit, & non eſt ſenior verbo. Neſtorius dixit, Quomodo igitur Maria antiquiorem ſe peperit? Paulus dixit, Maria peperit hominem nobis æqualem, Neſtorius dixit, homo, qui natus eſt ex virgine. Paulus dixit, præſtantiorem in omnibus, quia ex Spiritu Sancto & ex promiſſionibus, & ex ſcriptis gratia in ipſo. Neſtorius dixit, vidi enim, inquit, Spiritum deſcendentem tanquam columbam, &

manentem

manentem ſuper eum, quod ei donauit; aſſumptionem. Præcipiens Apoſtolis ait, quos elegit per Spiritum Sanctum aſſumptus eſt, hunc dico Spiritum, qui tantam Chriſto largitus eſt gratiam. Paulus dixit, ne autem ex Dauid vnctus, alienus ſit à ſapientia, neque ſapientia in alio ſic habitet, etenim in prophetis erat, magis autem in Moſe, & in multis dominis, magis autem in Chriſto tanquã in templo. Et alibi dicit, alium eſſe Ieſum Chriſtum, & alium Deum verbum. Neſtorius dixit, non eſſe poſſibile eum qui eſt ante ſæcula, aliud genitum eſſe, idque diuinitate.

Ecce aperte dicit Neſtorius, non eſt natus ex Maria, qui eſt genitus ex patre. Ecce conuenit cum Paulo hæretico, qui ait alium eſſe verbum, & alium Ieſum Chriſtum, & non vnum, vt fides recta prædicat. Hactenus teſtimonium.

Pauli Samoſatenſis.

Homo vngitur; verbum non vngitur, Nazaræus vngitur, dominus non vngitur. Etenim verbum maius erat domino Chriſto. Chriſtus enim per ſapientiam magnus factus eſt; verbum autẽ ἄνωθεν, id eſt, de ſupernis: Ieſus autem Chriſtus homo hinc. Maria verbum non peperit, nec enim erat ante ſæcula Maria, non eſt ſenior verbo Maria; ſed hominem nobis æqualem peperit, præſtantiorem vero in omnibus, quia ex Spiritu Sancto.

Eiuſdem ex Dialogo contra Malchionem.

VT nec vnctus ex Dauid alienus ſit à ſapientia; neque ſapientia in alio habitet.

Eiuſdem.

QVi videbatur, non erat ſapientia, non enim poterat reperiri in figura, ſiue habitu; nec in ſpectatione viri, maior enim eſt iis, quæ ſpectantur.

Neſtorij.

MAgna res fuit virgini Chriſtiparæ parere humanitatem diuinitatis Dei organum, quod ſatis ei erat ad honorem excellentem genuiſſe ſcilicet mediatorem dignitate Dei copulatum.

Hæc nos pauca ex multis contulimus & comparauimus, vt oſtenderemus conſenſionem, & conuenientiam horum

Digitized by Google

cum antiquis hæreticis eorum patribus,poteſt,qui voluerit, legere epiſtolam encyclicam ſcriptam contra Paulum Samoſatenſem à Sancta Synodo depoſitum,& dialogum,quem contra eum Malchion presbyter diſputans ſcripſit.Certò enim cognoſcet, quam verus illius diſcipulus ſit Theodorus; fere enim eisdem verbis vtitur, vt horum libri non ſcripti, ſed transſcripti videantur, vel potius illa Pauli translata à Theodoro in ſua. Quomodo autem de vnione ſancti patres,& eccleſiæ,quas gubernabant,à principio ſenſerint,ex Sancta Synodo contra Paulum Samoſatenſem habita, clarè licet cognoſcere,in quibus,præter alia, de his eum accuſant his verbis: Ait igitur in commentarijs, (de Paulo loquuntur) ſeruare dignitatem ſapientiæ.

Et poſt alia.

ουσιωτιν.

SI autem ſecundum formationem,& generationem copulatus erat,homini hoc accidere.& rurſus,non enim congeneratam fuiſſe cum humanitate ſapientiam, vt nos credimus, ſubſtantialiter, ſed ſecundum qualitatem.

Et poſt alia.

Nos dicimus, quod homo exterior & interior ſunt vna perſona, ſic Deus verbum, & humanitas aſſumpta ſunt vna perſona, quod negat hic Paulus.

QVid autem vult dicere aliam eſſe, & diuerſam formationem Chriſti à noſtra,volentibus nobis in hac maxima vna re differre ipſius conſtitutionem à noſtra, quod ſcilicet in ipſo ſit verbũ, quod in nobis homo interior.

Et poſtea.

SI dicere habitaſſe in eo ſapientiam,ſicut in nullo alio; hoc modũ quidem inhabitationis eundem declarat,menſura verò, & multitudine excellit; verbi gratia,duplo plus, aut quomodocunq; amplius,vel minus duplo quam alij, cognoſcente ipſo à ſapientia. Hoc autem nolunt Catholici, & eccleſiaſtici Canones, ſed potius illos quidem participaſſe ſapientiam foris inſpirantem, quæ alia eſt apud ipſos; ipſam vero ſapientiam per ſe ipſam ſubſtantialiter in corpus ex Maria veniſſe.

Et poſt alia.

AC dicunt,non eſſe duos filios,ſi autem filius eſt Dei Ieſus Chriſtus,filius vero etiã ſapientia,& aliud eſt ſapientia,& aliud Ieſus Chriſtus,duo ſunt filij.

Et

Et poſtea.

COpulationem verò cum ſapientia aliter intellige, ſecundum diſciplinam, & participationem; non autem ſecundum ſubſtantiam in corpore formatam.

διὰ κφεαρ humanitatem aiebat Paulus vnitam eſſe cum ſapientia, ſicut diſciplina vnitur cum diſcente per participationem.

Et poſt alia.

NEque Deus, qui corpus humanum ferebat, & induerat, paſſionum humanarum principaliter expers erat; neque corpus humanum diuinorum operum principaliter expers erat in eo, in quo erat, & per quem hæc opera faciebat. Formatus eſt principaliter vt homo in ventre; & ſecundario Deus erat in ventre ſυνουσιωμένος τῷ ἀνθρωπίνῳ, id eſt, copulata ſubſtantia eius cum homine.

Confutatio ex Actis contra Paulum Samoſatenſem à Malchione.

NOnne ante dicebam, quod non concedis filium vnigenitum, qui eſt ex æternitate ante omnem creaturam, in toto Saluatore οὐσιῶσθαι? id eſt, vnitum eſſe ſecundum ſubſtantiam?

Sancti Gregorij ex epiſt. prima ad Cledonium. Allata ſunt in Synodo Epheſina contra Neſtorium habita.

SI quis non putat ſanctam Mariam eſſe θεοτόκον, id eſt, Deiparã, ſeparatus à Deo eſt. Si quis tanquam per canalem virginis tranſiſſe, & non in ipſa formatum dicit, diuinè ſimul & humanè, diuinè quidem, quia ſine viro, humanè vero, quia lege κυήσεως, id eſt, parturitionis, ſimiliter impius. Si quis formatum eſſe hominem, & poſtea ſubiiſſe Deum dicit, damnatus eſt, non enim eſt hoc generatio Dei, ſed fuga à generatione. Si quis introducit duos filios, vnum quidem ex Deo patre, ſecundum vero ex matre, & non vnum & eundem, excidat ab adoptione filiorum promiſſa rectè credentibus. Naturæ enim duæ Deus, & homo; ſiquidem homo eſt anima & corpus; filij vero non duo, neque Dei: nec enim hic in anima ſcilicet & corpore duo homines, etſi ſic Paulus appellauit quod eſt intra ho-

Lex parturitionis eſt, geſtari in ventre, & edi ex muliere.

Athanas. aduerſus eos, qui dicunt Chriſtũ eſſe vnam naturam compoſitam. Anima & corpus partes hominis ſunt, quia neutrum horum ſine altero conſiſtit, neque naturæ definitionem conſeruat. In Chriſto autem neque caro eſt pars verbi, neque verbum pars carnis, vtrunque enim horum perfectam naturam oſtendit. Aliud eſt enim ex duabus partibus eſſentiam abſolui, vt in homine; aliud, duas eſſentias coniungi, quarum vtraque perfecta ſit, vt in Chriſto.

,, tra hominem,& quod extra. Denique ſi ſummatim dicendum eſt,
,, aliud quidem,& aliud ea,ex quibus Saluator;ſiquidem non eſt idem
,, inuiſibile,quod viſibile;nec idem ſine tempore,quod ſub tempore;
,, non autem alius,& alius,abſit. Vtraq; enim vnum in vnione, Deus
,, quidem factus homo; homo verò,factus Deus vel Deificatus; ſiue
,, quo alio modo nominetur. Dico autem aliud quidem,& aliud, cõ-
,, tra atque in Sancta Trinitate, illic enim alius,& alius, ne hypoſtaſes
,, confundamus; non autem aliud,& aliud,vnum enim & idem diui-
,, nitate,tria. Si quis tanquam in Propheta dicit,ſecundum gratiam
,, operatum eſſe,& non ſecundum ſubſtantiam copulatum, & con-
,, formatum eſſe,ſit vacuus à meliore operatione, immo plenus con-
,, traria.Si quis non colit crucifixum,ſit anathema,& numeretur in-
,, ter Deicidas. Si quis ex operibus perfectionem aſſecutum eſſe; aut
,, poſt baptiſma,vel poſt reſurrectionem filium eſſe adoptatũ à Deo,
,, ſicut Gentiles quos falſo aſcriptos inter Deos introducunt, ſit ana-
,, thema.quod enim cœpit,vel progreſſum facit,vel perficitur, non
,, eſt Deus,etſi propter oſtenſionem ſui paulatim factam ſic dicatur;
ſed qui erat natura Deus generatur homo, vt vnus ſit vtrumque,
perfectus in omnibus,naturalem, & veriſſimam generationem de-
monſtrauit.

Non proficiebat ſapientia & gratia Chriſtus ſecũdum humanitatem niſi κατὰ τὴν ἀνάδειξιν.

S. Gregorij epiſcopi Nyſſeni ex Catechetico.

SEd parua, inquit, res eſt & facile præfinita,humana natura;infi-
nita vero diuinitas. Quomodo igitur infinitum indiuiduo cir-
,, cumſcribi poteſt? Et quis hoc dicit, quod circumſcriptione carnis
,, tanquam in vaſe quodam infinitas diuinitatis cõprehenſa eſt? Nec
,, enim in vita noſtra natura intelligens intra terminos carnis inclu-
,, ditur. Quin potius magnitudo corporis ſuis partibus circumſcri-
,, bitur: anima vero motionibus mentis per omnem creaturam ſe fa-
,, cultate ſua explicat,vſque ad cœlos aſcendens, ſuper abyſſos inam-
,, bulans, in latitutinem orbis peruadens;& ad inferiores partes ter-
,, ræ per curioſitatem penetrans. Sæpe etiam miracula cœleſtia conſi-
,, derat nihil à nauicula corporis retardata.Si autem anima hominis
,, corpori ſecundum neceſſitatem naturæ admiſta vbique ſecundum
,, poteſtatem adeſt, quid neceſſe eſt dicere natura carnis coërceri di-
,, uinitatem;& non potius per exempla,quæ capere poſſumus,conie-
,, cturam quandam de diuina incarnatione ducere?

Sancti

Digitized by Google

Sancti Ephram ex oratione in margaritam contra Marcionem.

QVæ vides, & attrectas, ſint tibi teſtimonium, natura ſcilicet quam neſcis explicare, quod filius ſine ſemine naſcitur, & duo contraria ſecundum ſubſtantiam conſpirarunt oſtenſa hypoſtaſi in vnaquaque natura.

Ex Synodica epiſtola. S. Cyrilli ad Neſtorium.

SI vero vnionem ſecundum hypoſtaſim vel tanquam impoſſibilem, vel tanquam indecoram recuſemus, incidimus in errorem dicendi duos filios.

S. Iſidori Eremitæ ad Archibium presbyterum contra Neſtorium.

DIxiſti te non intelligere illud, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ego verò arbitror dictum eſſe corporaliter pro eo, quod eſt ſubſtantialiter, non enim operatio diuinitatis, quam ſubſtantia diuinitatis parit, templum illud purum, & impollutũ gubernabat, ſed ſubſtantia, quę infinitas operationes habet: non particulare chariſma, ſed fons bonorum. Sic inquit, qui ſimul cum patre regnat, & gubernacula cœleſtium tenet, & terrena moderatur, homo factus eſt.

Arbitror per omnia demonſtratum eſſe, opinionẽ Theodori, & ſectatorum eius eandem eſſe, quæ Pauli Samoſatenſis, & à Sanctis patribus differre, eisque aduerſari. Pendeat ex poteſtate legentium adhærere veritati, & dare huic, vt ferat præmium victoriæ.

Finis libri tertij.

LEON

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONTII BY-ZANTINI LIBER ADVERSVS EOS, QVI PROFERVNT NOBIS QVÆDAM APOLLINARII, FALSO INSCRIpta nomine Sanctorum patrum.

Nunc primùm ex m. ſ. in lucem editus.

Interprete

Franciſco Turriano Socie-tatis IESV.

Anno M. DCIII.

P Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

HÆreticos cum veteres tum nouos non tantùm impoſtores, ſed &, vt ſic loquar, ſuppoſitores eſſe; teſtantur tot partus; quos magnis Auctoribus quantumuis inſciis & inuitis, per ſummam fraudem ſubiecerunt: quorum in hoc genere technis prodendis integrum hunc librum elaborauit Leontius: qui etiam in libro de Sectis ſeu Hæreſibus Actione IIX. hanc in modum ſcribit. Adferunt (*Hæretici Eutychiani*) aliud quoque dictum, velut à beato Iulio profectum, quod exiſtat in Epiſtola ſcripta ad Dionyſium Corinthi Epiſcopum; cuius initium eſt: Miror de quibusdam audiens; eſtque dictum huiusmodi: Neceſſe eſt eos, cum duas naturas dicunt, vnam adorare; alteram non adorare; ac in diuinam quidem baptizari; in humanam verò non baptizari: aliaque plura iſthæc Epiſtola continet. Sed nos argumentis pluribus conuincimus, illam Epiſtolam non eſſe beati illius Iulij, ſed Apollinaris, primùm ex eo, quod ſi quis eam ſubtiliter conſideret, nihil Iulij nomine dignum habeat: quin & ſeptem illæ Epiſtolæ, quas eius eſſe dicunt, Apollinaris ſunt. Deinde, quòd in eadem Epiſtola corporis mentione facta, nuſquam id mente præditum vel animatum dixerit. Erat autem in more patribus illius ſæculi, vt ſicubi corporis mentionem facerent, idipſum mente præditum, animatumque dicerent: quod quidem vſque adeo verum eſt: vt reformidantibus eis hoc crimen, ideoque deinceps illas voces: mente præditum & animatum, adiicientibus, nulli poſteriorum libri reperiantur, qui hanc veterum appendicem

non

non habeant. Præterea inde etiam non beati Iulij, ſed Apollinaris eſſe demonſtratur, quòd Nyſſenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem apertè multa recitet, quæ hac Epiſtola continentur, eaque, ceu praua refutet. Poteſt & aliunde conuinci, quod beati Iulij non ſit; Aiunt enim Actis Synodi Epheſinæ ſub beato Cyrillo, inſertam: quod quidem apertè mentiuntur. Nam ibi nihil tale in textu reperitur; ſed alia quędam inſerta eſt Epiſtola velut à Iulio ſcripta; nec ipſa Iulij, ſed Timothei (*Apollinariſtæ*) quemadmodum de multis exemplaribus intelligi poteſt. *Hæc Leontius.*

Similia Auctor incertus fragmenti contra Acephalos, quod infra inuenies: qui cum oſtendiſſet Epiſtolam, quæ circumferebatur nomine S. Athanaſij ad Iouinianum Imperatorem eſſe Apollinarij idque ex ipſo Timotheo Apollinariſta, qui indicem librorum Apollinarij confecerat; hæc de Iulio Romano ſubijcit. Sic etiam in Iulio Romano, quem falsò ſuppoſuerunt, non ſolum ex inſcriptione coarguitur eorum calumnia, ſed ex ipſo genere dictionis, quæ phraſis dicitur. *Vide cætera in citato fragmento. De Neſtorianis Euagrius lib.*3.*cap.*31. Sanctorum patrum libros ſæpè deprauarunt, multoſque Apollinaris libros Athanaſio, Gregorio Thaumaturgo, & Iulio, inſcriptionibus commutatis attribuerunt, quibus quidem libris plurimos in ſuum impiũ errorem induxerũt. *Eandem Epiſtolam falsò adſcribi Iulio, docet Eulogius Patriarcha Alexand. apud Photium in Bibliotheca.*

G*Ennadius de Script. Eccleſ. Iulij Epiſtolam pro legitima & genuina habuit. Sic enim ſcribit de Iulio.* Iulius Vrbis Romæ Epiſcopus ſcripſit ad Dionyſium quędam de Incarnatione Domini Epiſtolam vnam: quæ illo quidem tempore vtilis viſa eſt aduerſus eos, qui ita duas per incarnationem aſſerebant in Chriſto perſonas, ſicut & naturas. Nunc autem pernicioſa probatur. Fomentum enim eſt Eutychianæ & Timotheanæ impietatis. *Sed Illuſtriſs. Baron. Annali Tertio, anno Chriſti* 352. *meritò oſcitantiæ arguit Gennadium; quippe qui de re tam graui, ſibique incomperta tale iudicium tulerit: nam ſi quando ipſam Epiſtolam legiſſet; nun-*

quam futurum fuiſſet, vt tale aliquid de Iulio chartis mandaret: è veſtigio enim impoſturam deprehendiſſet; non ſecus ac Leontius & Euagrius.

Notat idem Baronius: quod Leontius ait; patres ſicubi corporis mentionem facerent; idipſum mente præditum animatumque appellaſſe; id non tantùm propter Apollinarem, qui poſt Iulium vixit; ſed etiam propter Arium factum eſſe; quem eiuſmodi quoque blaſphemiam (nimirum de corpore ſine mente aut anima per Chriſtum aſſumpto) effutiiſſe conſtat ex Concilio ſecundo Nicæno; Can. 2. Actio. 6. Lege, *ſi placet,* S. *Thomam lib. 4. contra Gentes cap. 32. vbi contra hoc dogma Arij & Apollinaris ex inſtituto diſputat. At ſatis de his.*

Ergo contra illos; qui Apollinaris ſcripta ſpecioſo Sanctorum patrum nomine lectoribus venditabant; ſuſcepta eſt hæc lucubratio à Leontio; *ſiue eſſent Eutychiani; ſiue Neſtoriani; ſiue Apollinariſtæ; ſiue alterius nomenclationis Sectarij. Redarguit autem hunc hæreticorum fucum adductis Apollinarij dogmatibus partim ex ipſo Apollinari; partim ex diſcipulis eius: ſi enim quæ in Athanaſij, Iulij aut alterius Orthodoxi patris genuinis monumentis leguntur; repugnant ijs, quæ Apollinaris aut Sectatores eius tradunt; & ſi rurſus, quæ Apollinaris ſuis in operibus ſcribit conſentiunt cum illis; quæ reperiuntur in libris Athanaſio, Iulio aut Thaumaturgo adſcriptis; manifeſtum relinquitur; opera illa falsò Sanctorum patrum nomina præferre.* Si quis ſtudioſus veritatis eſt, *ait Auctor fragmenti contra Seuerianos,* conferat cum reliquis Athanaſij dogmatibus, & reperiet, diſſimilia eſſe: etſi igitur hæc à dogmatibus Athanaſij diſcrepant, & propinqua ſunt dogmatibus Apollinarij, & hæc

hæc collatio ſatis eſt ad demonſtrandum veritatem; nos tamen ſepoſita collatione; veritatem tenemus lecto indice Timothei: *Nam Timotheus Apollinariſta ſuo in Indice diſertè profitebatur non Athanaſium; ſed Apollinarium ſermonis illius, quem Hæretici Orthodoxis obiectabant; auctorem eſſe. Sic Leontius oſtendit Epiſtolam ad Dionyſium non eſſe Iulij, ſed Apollinaris; quia citatur ab Apollinariſta Valentino tanquam Apollinaris, non tanquam Iulij. Notabis autem Lector nonnulla ex hoc Leontij libro pro vſu huius temporis. I. Inconſtantiam Apollinaris, circa doctrinam ſuam de corpore Chriſti, quod negabat de D. Virgine aſſumptum, addebatque aliquid verbi in carnem Chriſti conuerſum fuiſſe: atque adeo carnem ſtatuebat conſubſtantialem Deo. De quo videatur S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 31. Etſi poſtea; vt eſt error variabilis; in hac abſurdiſſima ſententia non videtur perſtitiſſe: ex qua ſucceſſu temporis Eutychianiſmus pullulauit. Deinde pari leuitate de anima Chriſti ſenſit & ſcripſit. Diuinitatem enim in carne Chriſti vicem animæ ſubijſſe cum Ario docebat: poſtea euidentia argumentorum conuictus animam quidem in Chriſto ineſſe conceſſit; ſed mentis & intellectus expertem: Qua in mutabilitate Apollinarem egregiè exprimunt & imitantur noſtri æui hæreſiarchæ; præſertim Lutherus: cui ſolenne fuit in ſe & contra ſe dicere: vt ex tomis eius ingentes contradictionum tomi collecti fuerint.*

Secundo obſeruetur diſſenſio Apollinariſtarum inter ſe mutuo, quæ exſtitit, cum ex ipſo hæretico Spiritu; qui non eſt alius, quam Spiritus vertiginis & contentionis: tum ex inconſtantia Apollinaris in ſua doctrina. Hinc Valentinus inſurrexit aduerſus Timotheum, eiusque ſocios & magiſtrum Polemium: iſti viciſſim arma ſumpſerunt contra alios eodem magiſtro & Doctore Apollinari gloriantes; eo prorſus modo, quo

hac tempeſtate Lutherani Pradicantes ſeſe mutuo immaniſſimis conuiciis exagitarunt; variiſque bellis exercuerunt & adhuc exercent, ſine vlla ſpe pacis aut concordia: nec tertiò illud prætereatur; dum ſeſe inuicem accuſant; quaſi opera Apollinaris corruperint, partimque additione, partim verò detractione deprauarint: quid familiarius Pradicantibus huius ætatis circa Tomos Lutheri; & confeſſionem Auguſtanam? De quo nihil addo. Multa enim nuper de hoc argumento diſputauit Iacobus Gretſerus in Academia Ingolſtadienſi Profeſſor Theologus lib. 2 de Iure prohibendi libros noxios cap. XI. Lepidum & illud eſt; quòd vt Apollinariſta ſuum Apollinarem beati, *imò &* beatiſſimi *encomio cohoneſtarunt; ita & Lutherani Pradicantes ſuo Luthero eiuſdem nominis honorem largiuntur; quem tam beatum eſſe, quam eſt Apollinaris aut Arius, libenter agnoſcimus & vbiq; profitemur: Illud denique aduertat* Lector *noſtros Hareticos eodem genio impulſos ſua aut veterum ſectariorum commenta nominibus ſanctitate praſtantium virorum ornaſſe; quo Eutychiani, Neſtoriani, Apollinariſta aut horum ſimiles olim impulſi fuerunt; vt operibus Apollinaris nomina Iulij Pontificis Romani; Athanaſij, aut Gregorij Thaumaturgi praſcriberent. Sciſcitare ex illis cuiusnam ſit Epiſtola; qua S. Vdalrici nomen pra ſe fert? cuius libri de imaginibus ſub ſpecioſo Caroli Magni tegmine? cuius generis eiuſdem non pauca: de quibus itidem Gretſerus lib. 2. cap. 5.*

LEONTII BYZANTINI LIBER IN EOS, QVI PROFERVNT NOBIS QVÆDAM APOLLINARII, FALSO inſcripta nomine Sanctorum patrum.

QVidam ex hæreſi Apollinarij, vel Eutychis, vel Dioſcori, cum vellent ſuam hæreſim confirmare, quaſdam orationes Apollinarij Gregorio Thaumaturgo, aut Athanaſio, aut Iulio inſcripſerunt, vt ſimpliciores fallerent; quod quidem perfecerunt. Auctoritate enim huiuſmodi perſonarum fide digna multos eccleſiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex rectè credentibus reperire poteris librum Apollinarij cui titulus, ἡ κατὰ μέρος πίστις, fides particularis, inſcriptum Gregorio; & quaſdam eius epiſtolas inſcriptas Iulio: & alias eius de incarnatione orationes vel expoſitiones Athanaſio inſcriptas. Cuiuſmodi eſt quæ inſcripta eſt expoſitio conſentiens cum expoſitione trecentorum decem & octo: neque ſolùm has, ſed alias huiuſmodi. Fiet autem tibi hoc manifeſtum, & cuiuis veritatis ſtudioſo ex iis, quæ in medium afferemus tum ipſius Apollinarij, tum diſcipulorum eius, ex quibus eſt cum aliis Valentinus.

Valentini Apollinariſtæ capita Apologiæ.

COntra eos, qui dicunt, dicere nos eſſe corpus conſubſtantiale Deo.

Ex epiſtola beati Athanaſij ad Epictetum Epiſc. Corinth.

HÆc autem vnde exierunt? Aut qui inferi eructarunt hoc,

vt

» vt corpus ex Maria diceretur conſubſtantiale diuinitati verbi?

Ex eadem epiſtola.

» SI verbum eſt homouſion id eſt, conſubſtantiale corpori, quod
» ex terra naturam habet, eſt autem verbum homouſion patri ſe-
» cundum confeſſionem patrum, erit igitur ipſe pater homouſios
» corpori ex terra facto. & quid Arianos accuſatis, qui dicunt filium
» creaturam, cum dicant etiam ipſi patrem homouſion creaturis?

Domini Apollinarij ex epiſtola ad Serapionem.

» ACcepi litteras charitatis tuæ domine, & ad negotium, quod
» quærebat, qui epiſtolam attulit, quantum potuimus, dedimus
» ei operam. Epiſtolam vero domini mei Corinthum miſſam, mag-
» nopere approbauimus. Eorum autem qui dicunt carnem Deo
» conſubſtantialem, magnam inſaniam damnauimus.

Et rurſus ex eadem epiſtola.

» VNione enim verbi diuina facta eſt caro, non natura; quare in
» vnione habet, vt perſeueret diuina eſſe, ſicut ipſe ait; Spiritus
» eſt qui viuificat carnem. Non enim poteſt corpus fieri incorpore-
» um, vt alij ſtultè dicunt.

Ex epiſtola ad Dionyſium, cuius principium eſt, mihi argumentum amicitiæ, &c.

» MIhi & argumentum amicitiæ pietas eſt; & inimicitiæ nulla oc-
» caſio in eos, qui pietatem cuſtodiunt. Nihil nouum à me vl-
» lus nunc quærat; neque requirat, vt veritatem reticeam, tanquam
» ex hac reticentia, pacem ædificet. Quod autem nemo nobis hæc ob-
» iicere poteſt, quæ contra quoſdam dicta ſunt, manifeſtum eſt ex iis,
» quæ ſemper ſcripſimus, neque carnem Saluatoris è cœlo eſſe; neque
» carnem eiuſdem ſubſtantiæ eſſe cum Deo, quatenus eſt caro, & non
» Deus; Deus autem, quatenus vnita eſt diuinitati in vnam perſonã.

Ex alia epiſtola ad eundem, cuius principium, admiror, &c.

» ADmiror cum de quibuſdam audio, confiteri quidem Deum
» in carne, labi autem errore in diuiſione prauè à Paulianiſtis in-
» troducta.

Ex

Digitized by Google

Et rurſus ex eadem epiſtola.

COnceſſum eſt vt certum, corpus eſſe ex virgine, diuinitatem è cœlo. Corpus formatum eſt in ventre. Diuinitas non creata, æterna, & in compoſitione perſeuerat corpus eſſe corpus; & diuinitas diuinitas. Si vero ſcriptura conſueuit dicere, totum Deum, & totum hominem, ſequamur diuina verba; & ne partiamur impartibilia.

Ex epiſtola Baſilij ad Terentium.

ACcuſat Ioannes ſoluentem Ieſum, hi autem manifeſtè Ieſum ſoluunt, cùm confitentur vnionem cum corpore, non enim idem ſibi ipſi vnitur; neque conſubſtantiale conſubſtantiali, ſicut iſtos non piget dicere. Nec enim hæc eſt compoſitio nec copulatio, quia nihil ſibi ipſi copulatur, ſed alterum alteri. Si autem conſubſtantiale quidem eſt verbum corpori, corpus verò conſubſtantiale verbo, vtraq; autem ſunt inaſpectabilia, ſicut ait ſcriptura, nemo vidit Deum; neque videre poteſt, non igitur apparuit, nec attrectatus eſt, qui inaſpectabilis erat, neque verax eſt Ioannes, qui ait, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt.

Et rurſus ex eadem epiſtola.

SI quis verò vel duas perſonas dicit Ieſum, vel carnem conſubſtantialem Deo, & non carni noſtræ, vel è cœlo deſcendiſſe, & aſſumptam eſſe ab eo qui de cœlo deſcendit, dicens eſſe diuinitatem patibilem, ſit anathema.

Ex Syllogiſmis, id eſt, ex concluſionibus rationum.

SI verbum eſt homouſion corpori, id eſt, vna ſubſtantia cum corpore, & nihil ipſum ſibi vnitum eſt, eſt autem vnitum corpori, non eſt igitur homouſion ipſi corpori. Si corpus eſt vna ſubſtantia cum verbo, non eſt ſpectatum, & contrectatum, vtrumque enim eſt inaſpectabile, & non apparens, ſiquidem ſunt homouſia, id eſt, vna ſubſtantia, ait enim Ioannes, vidimus, & contrectauimus; non eſt igitur homouſios ſpiritus domini, & corpus; ſed potius quod inaſpectabile, & non tactile eſt, vnitum eſt aſpectabili, & tactili in vnitatem. quamobrem in hoc ſcilicet ſpectabili corpore ſpectabilis, & tactilis factus eſt. Qui dicit corpus homouſion Deo, blaſphemia

„ afficit Deum incorporeum, quaſi corpus habeat, quoniam filius
„ homouſios patri proprium habet etiam vnitus carni; & non quia
„ eſt homouſios Deo, idcirco diuiſus ſit à proprio corpore, ne corpus
„ exiſtimetur eſſe homouſion, id eſt, vna ſubſtantia cum Deo.

Apollinarius, & qui mecum ſunt, hæc ſentimus de incarnatione.

„ CArnem homouſion noſtræ carni aſſumpſit ex Maria verbum
„ Dei viuens in vnionem cum diuinitate ex principio concepti-
„ onis in virgine; atque ita factus eſt homo, quoniam caro & ſpiritus
„ eſt homo ſecundum Apoſtolum. & hoc eſt verbum carnem factum
„ eſſe, vnitum eſſe carni, vt humanus ſpiritus; vocatur enim homo ſi-
„ milis nobis, caro, dominus autem, eſt ſupra nos homo, quamobrem
„ & cœleſtis eſt propter proprium ſpiritum cœleſtem, cui prudentia
„ carnis non aduerſabatur. atque ita deſtruebatur in Chriſto pecca-
„ tum; & diſſoluta eſt mors ex peccato. & nos facti participes huius
„ operis, fide ſaluamur, & cum ſimus ex patre terreno, efficimur ſimi-
les cœleſti. Anathema igitur ſit, qui non dicit carnem ex Maria; & (τοῦ κατορθώματος.)
qui dicit eam carnem eſſe naturæ non creatæ, & homouſion Deo,
„ immò & qui dicit diuinitatem eſſe patibilem, & ex ipſa eſſe paſſio-
„ nes animæ.

Et ego Iobius Epiſcopus.

„ COnfiteor dominum Ieſum Chriſtum à ſæculo quidem Deum
„ verbum ſine carne, nouiſſimis ſæculis carnem ex ſancta virgine
„ vniſſe ſibi, & eſſe vnum & eundem Deum, & hominem vnam hypo-
„ ſtaſim compoſitam, & vnam perſonam indiuiſibilem mediam in-
„ ter Deum, & homines, & coniungentem creaturas diuiſas cum cre-
„ atore, conſubſtantialem Deo ſecundũ diuinitatem ex paterna ſub-
„ ſtantia exiſtentem, & conſubſtantialem hominibus ſecundum car-
„ nem ex natura humana ipſi vnitam, adoratum, & glorificatum cum
„ propria carne, quoniam per ipſam facta eſt nobis redemptio à mor-
„ te, & communio cum immortali. caro enim ſummè vnita verbo, &
„ nunquam ſeparata non eſt hominis, non ſerui, non creatæ perſonæ,
„ ſed ipſius Dei verbi, creatoris, conſubſtantialis Deo, id eſt, incorpo-
„ reæ ſubſtantiæ ineffabilis patris. Eos vero qui dicunt, aut docēt car-
„ nem verbo ſummè vnitam, & nunquam ſeparatam eſſe conſubſtã-
„ tialem Deo, id eſt, ſubſtantiæ incorporeæ, hos tanquã diſſenſiones,
„ & ſcandala præter doctrinam eccleſiæ, quam à principio didicimus,
facientes

ſacientes in eccleſiis declinamus ſecundum Apoſtolicã prædicationem, & alienos exiſtimamus, quia antiquæ traditioni, & eccleſiaſticę paci aduerſantur.

Valentinus Chriſtianus contra ea, quæ praué, & impie à Timotheo, & eius ſocijs, & à magiſtro eorum impiiſſimo Polemio docebantur.

QVia Timotheus primus diſcipulus Polemij præmulta vęcordia contra eccleſiam excitatus, docet contra veritatem impietatem Polemij magiſtri ſui, inſanè inſtruens ſocium ſuum Cataphronium, ſicut ipſe ſcribit aliis ſuæ ſententiæ Paregorio, Vranio, Diodoro, & Iobio, ſic inquiens, quod caro domini vnione ad verbum θεολογουμένη & conſubſtantialis Deo, ὁμολογουμένη manet naturæ humanæ, & nobis conſubſtantialis. Et rurſus ex perſona Catephronij, quē inſtruxit, ſic ait: quod oportet confiteri idem eſſe vnione carnem, quod verbum Dei, & de ea tanquam de verbo loqui, & tanquam verbum coli & adorari; & tanquam verbum conſubſtantiale Deo credi. Et adhuc aliquid magis impium quam hoc Timothee, quod carnem, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus ex ſancta virgine geſtauit, inaſpectabilem facitis, ſiquidem, vt vos dicitis, caro eſt ſicut verbum Dei conſubſtantialis Deo, per quam nos ſalutem conſecuti ſumus; & credimus, quod cum verbo Dei ſimul adoratur, & prædicatur, ac laudatur caro domini, quam ex virgine aſſumpſit, per quam nobis ſemper μεσιτεία, id eſt, mediatio ſeruatur à viuifico Dei verbo in perpetuum gubernatam. Atque ita vna perſona exſtitit dominus noſter Ieſus Chriſtus ex carne, & verbo. vnione enim Deus habetur, non autem natura. Quocirca in vnione eſſe perſeuerat, ſicut ipſe dominus ait, ſpiritum eſſe, qui viuificat carnem. Non enim fieri poteſt, vt fiat corpus conſubſtantiale Deo incorporeo propter vnionem, ſicut inſanè, & impiè Timotheus & Polemius, & eorum aſſeclæ variis modis & artificiis dicunt, dum volunt adiungere corpori laudem, & gloriam quod ſit incorporeum, quod fieri non poteſt. honorari tamen, & laudari gloria & laude Dei incorporei, hoc fieri poteſt, & decens eſt diuinitati corpus geſtanti. Atque ita adoratur, & colitur ab omni creatura tanquam creator, & verus filius Dei carnem geſtans, & non homo Deiferus.

Hoc erat dogma Apollinarii carnem ſine mente, id eſt, ſine anima rationali ſumpſiſſe verbum, & ab eo vice mentis gubernatam fuiſſe.

Digitized by Google

,, Quæ igitur tanta inſcitia, immo perfidia veſtra, Timothee tua,
,, & tuorum, & magiſtri veſtri Polemij, vt dicatis quod eſt per ſe alte-
,, rius ſubſtantiæ corpus, eſſe per ſe eiuſdem ſubſtantiæ cum diuinitate
,, propter vnionem; & quod eſt per ſe immutabile, dicatis per ſe mu-
,, tatum eſſe, ſiquidem vt vos dicitis, ſicut verbum Dei, conſubſtan-
,, tialis eſt caro. & ipſi contra vos dicitis; & ipſi vobis anathema dici-
,, tis. & ſicut temulentus, & ebrius neſcit, quid facit, aut dicit; ſic &
,, vos neſcitis, quæ dicitis; neque de quibus affirmatis, quos hoc dog-
,, ma impium à vobis ſæpiſſimè traditum redarguit. Diſcite igitur,
,, infideles, quod vnio non eſt homouſion, id eſt, vna eadem natura;
,, nec homouſion, id eſt, vna eadem natura eſt vnio; quia nihil ſecum
,, vnitur, vel copulatur, ſed aliud cum alio vnitur, vel copulatur, quod
,, eſt verbum Dei, quod ſe ipſum vniuit carni. & hoc eſt, quod dixit
,, diuinus euangeliſta: verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis,
,, ſcilicet vnitum eſſe verbum carni animatæ.

Carnem animatam ponebat Apol. ſed non animatã anima rationali.

Deinde, neque hoc ſcitis, ô infideles, quod natura & ſubſtantia idem eſt maxime in Deo incorporeo, & æterna diuinitate adorandæ Trinitatis, corpus autem, quod geſtauit dominus nec æternum, neq; incorporeum factum eſt ex vnione, idcirco nec homouſion, id eſt, nec vnius ſubſtantiæ cum incorporea ſubſtantia. Domi-
,, nus autem æternus eſt, & ante carnem conſubſtantialis patri; & cum
,, carne idem conſubſtantialis patri. Non erat caro conſubſtantialis,
amictum enim & veſtem, ac tegmen myſterij occultati aſſumpſit; & pro hominibus obtulit. Et per hanc carnem hominibus apparuit. Nec enim aliter ſpectatores Dei fieri poteramus, niſi per corpus. Rurſus autem etiam nobis conſubſtantialis eſt dominus ſecundum carnem; non ſecundum diuinitatem. Nec enim diuinitas ex muliere, abſit; neque caro è cœlo, nec æterna; vt vos dicitis infideliter, & impie contra veritatem, tanto artificio propriam impietatem tradentes, & ab ipſa veritate confutati, & conuicti tanquam malefici, infideles, & mendaces. Facite, vt intelligatis, quod vnio naturam honorauit, non autem fecit corpus conſubſtantiale Deo, ſicut vos fingere audetis, qui à veritate lapſi eſtis; & condeſcenſum verbi ad vniendum ſibi corpus propter noſtram ſalutem nimio Dei erga homines amore factum contumelia afficitis, cum dicitis factum eſſe corpus conſubſtantiale diuinitati impatibili propter vnionem,
,, quod omnem ſuperat impietatem, quamuis velint millies facere ſe

Non aſſumpſit carnem, vt per eam appareret ſed vt carnem & animam, id eſt, naturam humanam à peccato liberaret. docte confutat hoc Athan. quod Apol. carnem ſuſceptam faciebat inſtar veſtis & tegminis.

ſapien-

ſapientes praue, & doloſe ſcripturas diuinas interpretantes, & libros beatiſſimi patris noſtri, & magiſtri Apollinarij, vt vos redarguunt, quæ à vobis appoſita ſunt, quæ ipſi adſcripſiſtis ad decipiendas animas ſimpliciorum, in caput veſtrum, ſiquidem veritati repugnatis, qui ſcitis alioqui durum eſſe contra ſtimulum calcitrare, & multo circuitu vſi eſtis. Sicut Iudæi qui ſcelus in carnem domini auſi ſunt, perierunt, ſic vos, qui propter carnem Saluatoris ſcandalum incurriſtis, quamuis multi ſitis, pro nihilo propter impietatem veſtram reputabimini.

Laudat Hæreticum diſcipulus, hæreticum magiſtrū. Erant, qui Apolinarium ſic defenderent, vt alii Origenem tempor Hieronymi, quaſi iſtorum libri ab aliis corrupti eſſent ſuppoſitis falſis dogmatibus.

Si verò curioſitatem, & infidelitatem ex anima eieceritis, intelligetis Deum in corpore apparuiſſe, ac ſpectatum eſſe, & corporis communionem ad participandum diuinitatem tribuiſſe: corpus enim ſumptum ex ſancta virgine non ipſum per ſe ſalutem confert, ſed ex congreſſu ſpiritus; non vt corpus vile habeatur, ſed vt Spiritus magis glorificetur. Ne igitur ad decipiendum ſimpliciores, quæ beatiſſ. pater noſter & magiſter Apollinarius appoſuit mutare in veſtram blaſphemam appoſitionem, velitis, illa enim recte, & pie appoſita erant à Sancto, & diuino viro, quæ habitudinem & honorem declarabant, & non naturam. Quæ autem vos infideliter, & impie appoſuiſtis, conſubſtantiale declarant, natura enim & ſubſtantia, idem ſunt, vt antea dixi. Et omnes veræ fidei confeſſores hoc ſciunt.

Vos autem contentione, & æmulatione, atque inuidia à principio in Sanctos epiſcopos commoti, ac peſſimum certamen contra veritatem certantes, & eccleſiam Chriſti ſcindentes, in tantam impietatem conuerſi eſtis, vt corpus patibile conſubſtantiale impatibili diuinitati propter vnionem factum eſſe dicatis, quod fieri non poteſt, & impium eſt dicere eſſe corpus hominibus, & Deo homouſion. Et quomodo videbunt, in quem compunxerunt? Si enim corpus aſpectabile conſubſtantiale eſt Deo inaſpectabili, vt vos dicitis, vtraque iam ſunt inaſpectabilia, ſicut ſcriptum eſt, Deum nemo vidit vnquam; neque videre poteſt. Dominus autem Ieſus Chriſtus ſecundum diuinitatem quæ ex patre erat ex æternitate, inaſpectabilis; ſecundum vero carnem, quā ex virgine geſtauit, aſpectabilis. Vtraque ergo componantur in vna perſona, & veritas non diſſoluetur. Quare neque Chriſtus eſt duæ perſonæ; neque caro vna ſubſtantia cum Deo, cui præerat verbum.

Digitized by Google

Quicunque igitur huius non factitiæ,& veræ, atque Apoſtolicæ fidei ſunt confeſſores, ne recipiant libros Timothei, & Polemij,& eorum, qui eos ſequuntur, vaniloquia, ſicut Apoſtolus præcipit. Illud præterea in memoria habemus, quod idem Apoſtolus dixit, hæreticum hominem poſt vnam,& ſecundam admonitionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt; & delinquit, cum ſit ſuo iudicio condemnatus. Timotheus autem, & Polemius non ſolum hæretici, ſed calumniatores declarati ſunt: beatiſſimus enim magiſter noſter Apollinarius blaſphemos, & inſanos, ſcripto vocauit eos, qui dicunt corpus eſſe diuinitati homouſion. Et beatus Athanaſius epiſcopus noſter ſanctiſſimus, tanquam ex inferis prodyſſe ait eos, qui auſi eſſent dicere corpus ex Maria diuinitati conſubſtantiale. Ignorarunt Timotheus,& Polemius magiſter eius, & qui eorũ Sectatores erant, ꝙ vnius perſonæ verbi Dei,& carnis à verbo fabricatæ adoratio ad Deum incarnatũ pertinet; non autẽ ad carnem. Nec enim verbum propter carnem adoratur, ſed caro verbo coadoratur tanquam amictus,& veſtis, vt antea dixi. Quicunq; igitur in hac regula,& in hac fide vera,& apoſtolica, & ſimplici noluerint inſiſtere, & incedere, ſint anathema. Videte canes; videte malos operarios; videte conciſionem. nos autem ſumus circumciſio, qui ſpiritu Dei ſeruimus in Chriſto Ieſu, non in carne confidentes.

Timothei Apollinariſtæ epiſcopi Beryti ad Homonium epiſcopũ Apollinariſtam, in quibus ſunt teſtimonia Apollinarij.

FRater Agapius cum ad nos veniſſet, audiſſetque de tomo à nobis compoſito de diuina incarnatione verbi ex variis libris beatiſſimi magiſtri noſtri epiſcopi Apollinarij, rogauit nos, vt partem ex eo ei excerperemus, cum noſtra ſubſcriptione ad faciendum fidem. Fecimuſque id acceptis his ex epiſtola ad Serapionem. Hæc autem recte & ipſe dicis; non ſumus æquales nos & Chriſtus. Dicere autem, quod non eſt nobis caro Chriſti conſubſtantialis, quia eſt caro Dei, parua explanatione indiget, melius eſt dicere, carnem quidem aſſumpſit nobis conſubſtantialem; vnione autem diuinam reddidit. Idem & tu dicis, quod non ideo eſt nobis conſubſtantialis, quia caro Dei, ſed ſic explanatius dici poteſt, natura quidem conſubſtantialem nobis eſſe carnem; vnione vero eſſe diuinam, & per

per vnionem habere differentiam. Hæc cum frater, quem dixi, à nobis accepiſſet, ad vos profectus oſtendit vobis, quæ cum tu mi domine Homoni, vidiſſes, tabulam ſcriptam ei dediſti, in qua ſic erat, Ego Homonius epiſcopus, confiteor, quod verbum Dei carnem ex Maria accepit nobis conſubſtantialem: ſi quis autem carnẽ vnitam domino quacunque ratione, & modo, homouſion Deo eſſe dicit, anathematizamus.

Quia igitur naturam carnis rectè confeſſus es nobis eſſe homouſion, nullo autem modo σωουσιῶσθαι, id eſt, eſſe factam conſubſtantialem diuinitati, ſcripſiſti, ſed ſolùm vnionem nominaſti, qualis ſit hominis ſancti cum Deo non in vnam vitam, & hypoſtaſim copulati, ſed à diuina natura ſeparati, cum tamen beatus epiſcopus magiſter noſter Apollinarius dicat in variis libris carnem domini communia habere nomina & proprietates verbi, manere autem in vnione carnem neque mutatam, nec à natura propria alienatam; & verbum etiam nomina carnis, & proprietates habere cõmunia, manereque in incarnatione verbum, & Deum, neque mutatum, nec in naturam corporis transfuſum. Fac igitur, vt nobis explanes, vtrum ignorans quæ de ſancta, & ſalutari incarnatione verbi à diuino patre noſtro dicta ſunt, hæc anathematizaſti, an verò ſciens, tanquam non bene dicta exploſiſti; & nos in hoc loco accuſaſti tanquam hæreſim amplexos, & prædicatorem pietatis cum ipſa pietate anathematizaſti. Dixit enim in libro, qui incipit, ſanctum; rectè à principio dicitur Christus ſecundum corpus; ſeparatim non licet dicere corpus Chriſti creaturam, cum ſit inſeparabile neceſſariò ab eo, cuius corpus eſt, communicatur tamen cum eo nomen increati, & nomen Dei, quia copulatum eſt cum Deo in vnitatem. ἰδίως.

Et poſt alia.

SIc & Deo homouſios Chriſtus ſcilicet ſecundùm ſpiritum inaſpectabilem, συμπαραλαμβανομένης τῷ ὀνόματι καὶ τῆς σαρκὸς, id eſt, ſimul ſumpta carne per communicationem nominis, quoniam vnita eſt Deo homouſio.

Et rurſus.

HOminibus homouſios comprehenſa diuinitate cum corpore, quoniam conſubſtantiali nobis vnita eſt, non mutata natura corporis in vnione conſubſtantiali cum Deo, & in communicatione nominis homouſij: ſicut neque natura diuinitatis mutata

συμπεριλαμβανομένης θεότητος τῷ σώματι.

mutata eſt, in communicatione humani corporis, & nominatione carnis conſubſtantialis nobis.

τὸ ἡγεμονικόν, verbum intelligit, quod Apollinarim dicebat eſſe vice, & loco mentis, qua carebat anima Chriſti ſecundum impium Apollinarium.

Rurſus in alio libro, ſiue ſermone, cuius principium eſt, caro, & quod praeeſt carni, vna perſona. hæc ait.

SIne peccato igitur erat dominus Ieſus Chriſtus tanquam Deus & cum carne; conſubſtantialis ſoli Deo ante ſæcula creator. Caro autem vt caro Dei, Deus; vt conſubſtantialis Deo, pars vnita ipſi conſubſtantialis Deo non ſeparata; nec enim ſeparatim, neq; ἰδιαζόντως, id eſt, per ſe mouetur, ſicut homo animal αὐτοενέργητον, id eſt, quod per ſe operatur. Deus enim communicatione carnis homo, cum alioqui non ſit homo per ſe; caro autem communicatione Dei Deus; cum alioqui non ſit per ſe Deus. Et omnia carni conuenientia vnitate carnis habet Deus; & quæ Dei propria, vnione cum Deo facta aſſumit caro.

Iterum in alio libro inſcripto laudatio Mariæ, & de incarnatione, ſic ait.

MAius iam videt ſcilicet Maria corpus propter verbum vnitum, non dico maius ſuo tantum corpore, ſed maius igneis, & angelicis, nulli enim ex illis vnitus eſt Deus. Nullum ex illis corporibus viuificat mundum, nullus ex angelis æquatur Deo, ſicut qui cōpoſitus eſt ex corpore, & diuinitate ſe exæquat Deo, cum ait, ſicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo.

Et poſt alia iterum.

ET cum vides in te Spiritum operari eiuſmodi operationem, quæ ſeparari poſſit, exiſtimas te diuinum eſſe, vt pannus à corpore tuo detractus morbos ſanare poſſit? At quod vnitum eſt Deo inſeparabiliter, & idem ipſum cum illo propter vnionem ſubſtantialem factum, (verbum enim inquit, caro factum eſt) hoc tu non diuinum, neque Deum eſſe ſuſpicaris?

Rurſus in alio libro, cuius principium eſt, non voluptas veſcendi carne apud Deum. Sic ait.

NOn quidem, quod vtrumque ſit è cœlo, ſed vnitum cœleſti, & factum

factum vna perſona cum illo, cœleſte ſecundum vnionem eſt; & tã- "
quam cœleſte ſaluat virtute cœleſtis. "

Et in epiſtola ad Dionyſium, cuius principium eſt, mihi amicitiæ fundamentum eſt pietas, paulo poſt ſic ait. ὑπόϑεσις.

QVòd autem nemo nobis hæc obiicere poteſt, quæ contra quoſdam dicuntur, ex iis, quæ ſemper ſcribimus, perſpicuum eſt, qui neque carnem Saluatoris è cœlo eſſe dicimus; neque conſubſtantialem Deo, quatenus eſt caro, & non Deus; ſed Deum, quatenus vnita eſt diuinitati in vnam perſonam. " " " " "

Rurſus in alio libro, cuius principum eſt, laudamus decenter dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſic ait circa finem.

VIuens autem Chriſtus corpus ϑεόπνευν, id eſt, ſpiritale; & ſpiritus in carne diuinus; mens cœleſtis, cuius vt participes efficiamur, precamur, ſicut ait ſcriptura, nos mentem Chriſti habemus. Caro ſancta diuinitati συμφυὴς, & quæ in ijs, qui eam participant, diuinitatem firmat, fundamentum æternæ vitæ, auctor immortalitatis, hominibus æternæ vitæ creator. *De Euchariſtia.* " " ἀρχηγός. δημιουργός.

Rurſus in alio ſermone Syllogiſtico, id eſt, diſputatorio, compoſito in laudem Ioannis Euang. cuius principium eſt, per verbum omnia facta ſunt ſecundum Euangeliſtam, ſic ait.

QVomodo non Deus verus, qui ait, tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me Philippe? ſignificauit fuiſſe conuerſationem tanquam hominis cum hominibus tamdiu, & hominem Deum eſſe oſtendit. Quare non eſt verendum dicere huiuſmodi hominem conſubſtantialem Deo, ſpecie paterna diuinitatis cognitum, ſicut materia corpore. " " " " " "

Rurſus in iis, quæ deinceps ſequuntur, ſic ait.

NEc igitur humanum quod factum eſt diuinum, & exequatum Deo in efficiendo, & renouando, quia diuiditur ſecundum τὸ ϑεῖκὸν ἀνϑρώπινον.

,, corpus à Deo, idcirco facit, impoſſibile eſſe, vt altera natura id quod
,, humanum eſt Chriſti ſecundum corpus, in æqualitate Dei circum-
,, ſcribat circumſcriptione hominis, tanquam corpus hominis, &
,, non Dei.

Et rurſus in alio ſermone ſyllogiſtico, cuius principium eſt, quod habet differentem vitam, differentem actionem &c. ſic ait.

συνουσιωμένην.

VIuificat antè nos caro eius propter conſubſtantiatam cum ea diuinitatem. quod autem viuificum eſt, diuinum eſt; diuina i-
,, gitur eſt caro, quia cum Deo copulata eſt. & ipſa ſaluat, & nos ſalui
,, efficimur participãtes eam tanquam cibum. quod autem vim alen-
,, di habet, & in eo, qui alitur, efficit, conſubſtantiale eſt ei, & non ſi-
,, militer alitur. Præterea ſi quod viuificum eſt, non viuificatur, non
,, eſt conſubſtantiale ei, quod viuificatur, alioqui eſſet corpus mor-
,, tis, cui opus eſſet viuificari, vt eſt noſtro corpori, at non eſt corpus
,, mortis, ſed vitæ corpus Chriſti; non eſt igitur diuinum conſubſtan-
,, tiale humano.

Et in libro ad Flauianum, cuius principium eſt: adhuc & nunc ab hominibus vilibus percutitur Chriſtus, poſt multa ſic ait:

ἐπὶ τῆς κράσεως.

MVlto magis in coniunctione incorporei cum corpore manet natura vnitorum. Siquidem corpus corpus eſt; & incorpore-
,, um incorporeum. & ſumma vnione dicitur Deus corporatus, &
,, corpus deificatum. & quatenus quidem Deus corporatus, homo;
,, vtrumque eſt. quatenus vero corpus deificatum, Deus; rurſus v-
,, trumque eſt.

Deinde paulo poſt.

σεσωματωμένην.

IAm definit corpus eſſe formatum, & eſſe in forma ſerui, ſed honoratum eſt vnione naturali cum increato. & ſecundum ipſum
,, ortum ex virgine non eſt mutatum ex creato in increatum, ſed vni-
,, tum increato, & Deus ſecundum vnionem Dei, increatum eſt qua-
,, tenus Deus. & quia non poteſt eſſe corpus patris, non enim corpo-
,, ratus pater, hac ratione nunquam ingenitum dicetur, neq; propria
,, natura ingenitum, ſicut neq; genitum Dei, nec vnione factum in-
,, genitum, ſicut filius, & fœtus naturali vnione & à principio cum
genito.

Et in

Digitized by Google

Et in libro contra Diodorum primo poſt ſermonem de Trinitate cap. 14. ſic ait.

EXimium, & admirabile erat, ac ſemel, & non iterum factum vnio Dei cum Carne, quam nequaquam anima tua recipit, nec eorum, qui te ad hanc impietatem, & Antichriſti infidelitatem abducunt. & ludis ſummam vnionem, & dicis, non manere amplius propria Dei, & propria carnis, ſi ſit vnio, ſed ſolui ſummam vnionem Dauid, ſi confitemur ſummam vnionem ſecundum Carnem ex Dauid.

Et capite 27. ait.

SVccenſes igitur, quia non conceſſimus gratia Dei accepiſſe immortalitatem Carnem illam ex ſemine Dauid, quod ſi de cauſa interrogemur, reſpondemus, propter ſummam vnionem.

Rurſus capite 63.

ET non pudet dicere eandem naturam eſſe, ſed generationem differentem, cum vanum ſit & ſuperuacaneum ortum ex virgine introducere, ſi quod genitum eſt, non ſit dignum generatione, & ortu, ſed idem cum genitis ex viro, & muliere. & irridet ſummam vnionem tanquam ſummam impietatem, quam tamen diuinę ſcripturæ apertè introducunt, quæ neque faciunt humanum delere, quod Dei eſt, neque diuinum euertere, quod humanum.

Et in ſecundo libro contra eundem Diodorum capite 22. ſic ait.

ET quia hortaris nos, vt reſpondeamus, quomodo ſemen Dauid, quod eſt ex diuina ſubſtantia? Audi, quoniam ſecundum incarnationem, quomodo creatum eſt increatum? tanquam vnitum increato. Quomodo creator mundi, qui eſt fructus ventris Dauid? tanquam vnitus creatori. Quomodo quod ex Abraam, eſt ante Abraam? tanquam vnitum ei, qui eſt ante Abraam.

Ibidem cap. 35.

SEd qui hæc nugatur, dicat, quomodo quod eſt cum Deo copulatum ſecundũ vnitatem perſonæ, non eſt Deus cum ipſo? quomodo quod eſt increato vnitum ſecundum vnitatem vitalem, non eſt increatum cum ipſo? Si enim non eſt communis nominatio,

Digitized by Google

» nihil erit ſic συγκεχραμένον, id eſt, vnitum. Eſt autem à ratione alie-
» niſſimum, nominibus corporis nominare incorporeum, cùm dici-
» mus, verbum caro factum eſt; nomine autem incorporei non no-
» minare corpus ſecundum tamen vnionem, quæ cum illo eſt. quod
» ſi miratur iſte, quomodo quod creatum eſt vnitur in appellationem
» increati; multò magis alius meritò mirabitur, quomodo quod in-
» creatum eſt, appellatione carnis creatæ vnitum eſt.

Et in epilogo ſiue peroratione eiuſdem libri ſic ait:.

» SI verbum caro nominatum eſt propter vnionem, ſequitur, vt
» caro etiam nominetur verbum propter vnionem: vt autem ver-
bum, ſic increata; non quia non fuerit creata, ſed quia ex vnione o-
ſtenſa eſt verbum.

ἐκπεφάνθη λόγος.

Rurſus ait deinceps.

» SIcut homines conſubſtantiales ſunt animãtibus ratione caren-
» tibus, diuerſæ verò ſubſtantiæ, quatenus rationis participes; ſic
» & Dominus conſubſtantialis hominibus ſecundùm carnem; diuer-
» ſæ verò ſubſtantiæ, quatenus verbum & Deus.

Et in oratione diſputatoria, cuius principium eſt; quæcunque duo vniuntur aut ſpecie, aut conſpiratione, duo manent, ſic ait.

» ORganum, & quod mouet inſtrumentum, vnam naturaliter
perficiunt operationem. Cuius autem eſt vna operatio, vna et-
iam ſubſtantia eſt, vna ergo ſubſtantia facta eſt verbi, & inſtru-
menti.

μίαν πέφυκε ἀποτελεῖν ἐνέργειαν.

Rurſus in Dialogo, cuius principium, Deum, vel hominem dicis Chriſtum, paulo poſt: percunctante aduerſario, quomodo corpus Deus, & creator, & dominus?

Reſpondet.

» QVia Dei corpus, & creatoris, & domini vnitatem habebat,
» quam non reperimus eſſe hominis ad Deum.

Rurſus

Digitized by Google

Rurſus in oratione, quæ incipit, bonum fidei ſeruemus, ſic ait prope finem.

MIſeri, & verè humiles, & abiectas animas habentes, qui ita venerabile, & magnum, & ſupramundanum σκήνωμα paruum exiſtimant.

Sufficiunt hæc iis, qui non ſunt nimium rudes & tardi, ad oſtendendum Apollinarij eſſe epiſtolas, quæ nomine Iulij feruntur, præter eas epiſtolas Apollinarij, de quibus Athanaſius, & hiſtorici meminerunt. Diſcipuli enim Apollinarij antiquiores ſunt omnibus, qui his vſi ſunt, quas vt veriſimile eſt, qui à Iulio per ſchiſma diſceſſerunt, inſcripſere. neque ſolum hoc: ſed ſunt ex Orthodoxis, qui inſcriptione decepti, rectas eas eſſe intelligere, & dicere perſeuerabant propter perſonæ auctoritatem fide dignam, alioqui magis omnium orthodoxorum eſt, agnoſcere illos ſermones proprij doctoris eſſe. Ne autem ex ſolo teſtimonio diſcipulorum, ſermones ipſius Apollinarij agnoſcamus, quamuis aliqui eos Iulio, quamuis Gregorio, quamuis Athanaſio falsò inſcribant, ſed etiam ex eodem genere ſermonis, & ſtilo, age præter auctoritates, quas diſcipuli eius, quos prius diximus, protulerunt, integros, & totos eius ſermones in medium producamus, vt qui ſtudio veritatis cognoſcendæ legerint, certiſſimum habeant hæc, & illa falsò inſcripta eadem eſſe.

Apollinarij ex antiquo exemplari reperto in Bibliotheca Andreæ epiſcopi eccleſiæ Sidoniorum.

Dominis meis honoratiſſimis epiſcopis Diocæſareæ in domino ſalutem.

EXpectabamus, litteris noſtris ad vos miſſis, vt, ſimiliter à veſtra charitate litteras acciperemus, domini honoratiſſimi, quales ſemper à beato epiſcopo Athanaſio accipim', qui ſcit nos & in dogmatibus cum ipſo conſentire, & in omnibus morem ei gerere. Quia verò non reſcripſiſtis, exiſtimaui fortaſſe prolixitatem epiſtolæ non declaraſſe vobis noſtram mentem, ac ſententiam. en clare ſcribimus conſentanea communi magiſtro noſtro & veſtro. Dico igitur hæc de diuina incarnatione, quandoquidem de his multus tumultus nõ à nobis, ſed ab aliis, quos taceo, excitatus eſt. Confitemur, non ad hominem ſanctum veniſſe verbum Dei, quod erat in Prophetis, ſed

De beato Athanaſio.

ipſum verbum carnem factum eſſe non aſſumpta mente humana, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiua ducitur, ſed diuina mente immutabili, & cœleſti. Quamobrem non corpus inanimatum, neque ſenſu, & intelligentia vacuum habuit ſaluator. Nec enim fieri poterat, vt cum dominus propter nos factus eſſet homo, corpus eius eſſet ſine intelligentia. Cum eſſet verè filius Dei, factus eſt filius hominis: & cum eſſet vnigenitus filius Dei, factus eſt ipſe primogenitus in multis fratribus. Vnde non alius erat filius Dei ante Abraam; alius vero poſt Abraam; ſed vnus perfectus vnigenitus Dei, perfectus autem diuina perfectione, & non humana. Cum iis, qui ſic ſentiunt, confitemur nos communionem habere. Cum iis vero, qui contra ſentiunt, & ſcribunt, communionem non habemus.

Eiuſdem de fide ex parte.

Voniam quidā moleſti nobis fuerunt conati euertere fidem noſtram in dominū noſtrum Ieſum Chriſtum tanquam Deum incarnatum, dicentes eſſe hominem cum Deo copulatum, idcirco confeſſionē fidei, quæ dicta eſt, facimus eiicientes infidelem repugnantiam, & ſpecioſam eius diſſimulationem, cum dicitur, quod Deus totum hominem aſſumpſit. Quandoquidem totus homo non eſt purus omnis peccati in hac vita ſecundum ſcripturas, quia non poteſt facere, vt actiones ſuæ cum diuinis actionibus in vnum, & idem conſpirent; & ob eam cauſam neque eſſet liber à morte. Deus autem humanæ carni vnitus puram habet propriam actionem, cum ſit mens inuicta, quæ paſſionibus animæ, & carnis ſuccumbere non poteſt; & quæ carnem, & motus carnis diuinè, & ſine peccato moderatur. Et non ſolum non ſuccumbit morti, ſed eam ſoluit. Et eſt vnus verus, qui ſine carne in carne apparuit, perfectus vera, & diuina perfectione, non duæ perſonæ, non duæ naturæ perfectæ per ſe, quia neque fas eſt dicere duos filios; neque quatuor adorare, Deum, & filium Dei, & filium hominis, & ſpiritum ſanctum, neque hominem ante ſpiritum ſanctum glorificare. Quamobrem anathematizamus eos, qui hominem ponunt in diuinis laudibus cū Deo, & filio ante ſpiritum ſanctum. Hominem vero totum aſſumptum à Deo ad ſalutem dicimus eſſe vnumquemque noſtrum, qui ſanctificati ſumus, & ſimilitudinem cœleſtis hominis accepimus, & dei-

Sch. tanquam ex perſona Greg. Neocæſ. ex cap. eius.

deificati ſumus ad ſimilitudinem verè,& natura Dei, ſecundum ve- "
ro carnem hominis domini noſtri Ieſu Chriſti. "

Et in cap. antegreſſo.

COnfitemur vnum Deum verum vt monarcham, & vnum fili- "
um verũ Deum ex vero Deo, naturaliter paternam diuinita- "
tem habente,id eſt,conſubſtantialem patri, & vnum ſpiritum ſan- "
ctum natura & veritate omnia ſanctificantem, & deificum ex ſub- "
ſtantia Dei per filium,eos vero qui filium,vel ſpiritum ſanctum cre- "
aturam dicunt,anathematizamus. & eos, qui dicunt non fuiſſe ali- "
quando filiũ,vel ſpiritum ſanctum. Confitemur autem omnia eſſe "
creata,& ſerua creata à Deo per filium in ſpiritu ſancto & ſanctifica- "
ta. Adhuc confitemur filium Dei factum eſſe filium hominis, qui "
non nomine,ſed veritate carnem ex Maria virgine aſſumpſit, & eſ- "
ſe vnum perfectum,non duo perfecta; eundem filium Dei & filium "
hominis,vnam hypoſtaſim,& vnam perſonam, & vnam adoratio- "
nem verbi & carnis.Et anathematizamus eos, qui duos dicunt, & "
differentes adorationes faciunt vnam diuinam,& vnam humanam; "
& eos,qui adorant hominem ex Maria tanquam alium præter Deũ "
ex Deo.Confitemur paſſionem domini ſecundum carnem, reſur- "
rectionem in potentia diuinitatis eius,aſcenſum in cœlos, aduentũ "
futurum glorioſum ad iudicium viuorum,& mortuorum, & ad vi- "
tam æternam ſanctificatorum. "

Eiuſdem Apollinarij ex ſermone ſiue libro in traditionem re-nunciationis,& fidei,cuius principium eſt,hominem à Deo Lapſum tenebat Diabolus,qui deceperat.

SI homo eſt ex toto,& idem Deus,mens pia hominem quidẽ non
adorans,Deum vero adorans,reperictur eundem adorare,& nõ "
adorare; quod fieri non poteſt,& idem ſe ipſum homo quidem non "
exiſtimabit adorabilem, non enim impius erit; Deus vero ſciet ſe "
adorabilem, eſt autem impoſſibile eundem eſſe adorabilem, & non "
adorabilem, eſt igitur impoſſibile, eundem eſſe Deum & hominem "
ex toto; ſed in ſola vnita natura diuina incarnata; vt qui adorant,in "
Deum à carne inſeparabilem aſpiciant, & ne aſpiciant in vnũ quidẽ "
non adorabilem,in alterum vero adorabilẽ;nec in ipſo eſſe vnũ q dẽ "
q non patiatur ſe adorari;alterũ vero,qui adorationẽ admittat ad ſa- "
lutem adorantium,ſed potius vnũ eſſe reuera ſecundum ſubſtantiã, "
& nullo modo duos quoſdam in perſonis per ſe exiſtentibus ſecun- "
dũ proprias menſuras,& dignitates. Arbi- "

Digitized by Google

Arbitror eum, qui non fuerit nimis contentioſus, non poſſe his cum ratione aduerſari, & contradicere, quin potius futurum eſſe, vt continuo, & vt ita dicam, non violenter, veritati aſſentiatur; & omnibus ſuffragijs fateatur Apollinarij eſſe epiſtolas, vel ſermones de incarnatione, quæ Iulij, & Gregorij, & Athanaſij falsò eſſe feruntur. Non eſt nobis mirandum, ſi Valentinus, & Timotheus diſcipuli Apollinarij vnus homouſion, id eſt, conſubſtantiale confitetur; alter non confitetur, & vtriq; ex magiſtro inter ſe certant, & contradicunt. Siquidem alias magis impias blaſphemias eius exponit Gregorius cognomento Theologus in epiſtola ad Nectarium tanquam ex libris eius. Affirmat enim, inquit, carnē ſecundum œconomiā ab vnigenito filio aſſumptam ad reformationē naturæ noſtræ non eſſe aduentitiam, ſed à principio in filio eſſe naturam illam carneā, & paucis interpoſitis, ſubiungit; & nondum hoc graue, ſed illud eſt
» omnium duriſſimum, quod ipſum vnigenitum Deum, iudicem o-
» mnium, auctorem vitæ, euerſorem mortis, mortalem eſſe affirmat,
» & ſua propria diuinitate paſſionem ſuſcepiſſe, & in illa morte corpo-
» ris triduo diuinitatem quoque cum corpore mortuam eſſe, atq; ita
» à patre rurſus à morte excitatam. Alia vero, quæ huiuſmodi abſur-
» dis adiungit, longum eſſet dicere.

ἐπὶ μετα- ſοιχαώσα. ἐπίκτητον.

Non eſt igitur mirum, ſi per minorem impietatem intermediam, quæ ponebat eſſe corpus diuinitati homouſion, id eſt, conſubſtantiale, ad maiores progreſſum fecit adiungens ignorantiam ignorantiæ, & impietatem impietati. Ac videtur quidem Timotheus eſſe, cui magis quam aliis & fidentius arcana illius impietatis, & fraudulentiæ committerentur. Hac enim de cauſa potuit accipere à beato Athanaſio litteras commendatias ad occidentales, tanquam contra impietatem Arij pugnans; & ab illis rurſus litteras tanquam ad epiſcopum miſſas afferre. Sed non perpetuo latuit hæc illius inſidioſa ſimulatio, iterum enim poſt obitum Athanaſij miſſus Romam, depoſitus eſt ipſe, & qui eum miſerat Apollinarius.

LEON-

LEONTII BYZANTINI LIBER QVI INSCRIBITVR: SOLVTIONES ARGVMENTATIONVM Seueri.

Nunc primùm in lucem editus.

Interprete
Franciſco Turriano Societatis IESV.

S LEON.

Digitized by Google

LEONTII BYZANTINI LIBER CVI TITVLVS, SOLVTIONES ARGVMENTATIONVM Seueri.

QVæ antea à nobis ſecundum veram doctrinam ex ſanctis patribus collecta ſunt aduerſus Neſtorij, & Eutychis ſectatores, ſufficiunt per gratiam Dei abſolutæ, & perfectæ confutationi inanium argumentationum falſi nominis ſcientiæ. Quia verò inuentores malorũ, *Pſal. 63.* ſicut apoſtolus ait, defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, ita vt plerisque videantur nouis quibusdam argumentis, & quæ in noſtris hactenus confutationibus non contineantur, nunc vſi eſſe, neceſſariò, vt vos, qui ſecundum Deum diligitis, hortati eſtis, ſubiecimus nunc, quæ in illis quidem continentur, ſed non ſubtiliter excuſſa ſunt: vt cum hæc præter illa ſuperiora contra falſi nominis ſcientiam argumenta, vt opinor, non ignobilia habueritis, veritatem defendatis. Aggrediar autem ad ſolutiones, eo ordine, quo dubitationes extructæ ſunt, easque maiore artificio diſſerendi expediam, & dirigam.

Oppoſitio Acephali.

CVm verbum aſſumpſit naturam humanam, aſſumpſit ne naturam, quam contemplamur in ſpecie, an naturam quam in atomo?

Occurrit Orthodoxus.

QVid aliud exiſtimas eſſe hanc præter illam?

Acephalus

Acephalus.

QVòd vnam contemplamur in multitudine; alteram in vno numero.

Orthodoxus.

AT non reſpondiſti ad id, quod interrogaui. Non enim eſt quod quæritur, an in multitudine, & in vno hanc contemplemur. hoc enim conceſſum eſt; ſed an hæc ſit illa; & illa hæc, an alia? Hanc enim cerni in vno, vel in pluribus, facit cerni illa, in quibus eſt, plura, vel vnum; ſed non facit cerni naturam vnum, aut plura. Sicut in albedine, & in albo fit, vna ſcilicet albedo eſt, ſiue vnum, ſiue plura ſint, in quibus eſt albedo. Quod autem hæc ita ſunt, ex eo manifeſtum eſt, quod eadem definitio naturæ redditur in multitudine, & in vno. quam definitionem reddideris de natura ſimpliciter, hæc tibi reddetur de natura, quæ in aliquo cernitur. Nec vnam facit multas eſſe, quod multi hanc participant; neque multas facit eſſe vnam, etſi vnus participat has; ſi ſit, qui hanc participat, ex diuerſis compoſitus.

Acephalus.

ALiquam igitur aſſumpſit naturam? — τινὰ τινὰ.

Orthodoxus.

MAxime, ſed tamen, quæ eſt eadem cum ſpecie.

Acephalus.

QVid verò eſt præter hanc hypoſtaſis?

Orthodoxus.

QVòd participare eam, alium facit; ſed non varium.

ἄλλον ὄν ἀλλοῖον. οὐ πάντως.

Acephalus.

NOn eſt igitur alius ab alio?

Orthodoxus.

NOn certe, quandiu non eſt homouſios, neque ſeparatus à per ſe ſubſiſtente, & compoſito, hæc enim faciunt hypoſtaſes.

Eſſe ſubſtantiam, & ſeparatam, & per ſe ſubſiſtentem faciunt hypoſtaſim eſſe. Sic humanitas Chriſti non erat hypoſtaſis, ſed in hypoſtaſi, nec erat alius homo & alius verbum, quod fuiſſet eſſe alium ab alio.

Acephalus.

NOn igitur erat humanitas Chriſti diuidens proprietatibus di-ſtinguentibus proprium humanitatis ipſius Chriſti à communi.

Orthodoxus.

Summa Græcè ἄκρα, vocat diuinam perſonam diuinitate vnitam, & proprietatibus perſonarum diſcretam.

IMmò maxime. Sed non hoc reſpiciendo verbum, ſed reſpiciendo genus hominum, ex quibus erat ſecundum corpus. Siquidem ipſum verbum proprietatibus diſtinguentibus à communi diuinitatis tanquam filius, & verbum diſcretum, non eſt his ipſis à ſua humanitate diſcretum. ſed potius his quidem à patre, & ſpiritu ſancto: illis verò à matre, & hominibus. proprietatibus extrema diſtinguentibus, communionem ſecum & vnionem recipit, conſubſtantialitate quidem extremorum, diuerſitate verò partium vnitus, & diuiſus; & diſtinguens extrema contrariè. Illic enim, ſcilicet in myſterio trinitatis, eandem ſubſtantiam vnit, & diuerſam perſonam diſtinguit: hic vero contra, ſcilicet in myſterio incarnationis, diuerſitatem ſubſtantiæ ſeparat; & eandem perſonam copulat.

Acephalus.

AT, illud nunquam dices, quod hypoſtaſis declaret diuiſum, & per ſe exiſtens; numerus autem & maxime duorum, aliud quid præter hoc ſignificat. Omnis enim numerus in quantitate; ſola autem vnitas eſt expers quantitatis. Si autem vnitas eſt expers quantitatis, & idcirco indiuidua, numeri igitur duorum, & omnis numeri eſt quantitas, & diuiſio.

Orthodoxus.

IGitur quia numeri, & proprietatum eius meminiſti, neceſſe eſt illud dicere, quòd numerus dupliciter dicitur, vnus ſimpliciter, & per ſe ipſum, alter verò in habitudine, & in rebus cernitur. Sicut album, & albedo, & albefactum. Ipſa ergo natura numeri per ſe neque copulat, neque diuidit, nec enim habet res ſubiectas, ſed ſicut ſupra, & infra relatè ad habitudinem aſcendentis, & deſcendentis dictum eſt, ipſum vero ſimpliciter dictum, neutrum eſt, quia vtrũq; recipit: & ſupra quidem dicitur reſpiciendo infra; infra verò reſpiciendo ſupra: diſtinguitur autem habitudine deſcendentis, & aſcendentis.

Id eſt, ſine habitudine ſuperioru, & inferioru, nihil dicitur nec eſt ſupra, nec infra.

dentis. Sic numerus ipſe per ſe neque diuidit, neque copulat, ſed vtraque recipit qualitate habitudinis, vt numerus duorum, vel triũ, velquatuor, & deinceps. Si enim vnitates ipſas conſideres, ex quibus conſtat numerus, in has diuiditur: ſi autem vniuerſitatem harum; ex his copulatur. Duo enim & duo, verbi gratia, componunt numerum quatuor: numerus vero quatuor in duo, & duo diuiditur. Quare nihil verius, quam naturam numeri nihil habere definitum, neque diuiſum, nec vnitum: ſed in complexione rerum & compoſitione hoc conſiſtere: ineruditum igitur eſt, ſtatuere, vt naturam numeri neceſſariò ſequatur diuiſio rerum; ac non potius naturæ rerum vel vnitarum, vel diuiſarum numerus imponat ſignum declarans quantum rerum ſubiectarum, alia ratione, & non numero eas diuidente, & copulante: vt taceam, quod ipſam naturam numeri, qui hæc tractant, ad quantum referentes, aiunt, quantum, aliud eſſe continuum, aliud diſcretum; & quantum aliud quidem cõſtare ex partibus habentibus poſitionem; aliud vero ex non habentibus. Decem enim cubitos dicimus continui, verbi gratia ligni, nõ diuidentes ſimul cum numero vnitatem, quæ eſt in ligno decemcubitali. Et rurſus cum dicimus decem modios, in diuiſione eſſe hos ſcimus. Similiter igitur & in alijs rebus.

Si ergo numerus imponatur naturis, non præcipuè quantũ earũ, ſed diuerſitatẽ generis conſtituit, vt cũ dicimus equi, & hominis, & bouis naturas tres, non diuiſionem earum ſecundum quantum, ſed diuerſitatem ſecundum ſpeciem ſignificamus. Tres verò homines, ſi ita accidat, Petrum, & Paulum, & Ioannem cum dicimus, magis diuiſionem eorum ſecundum quantum, & quòd tot ſunt, declaramus, ſicut in ſancta trinitate. Tres enim hypoſtaſes confitemur, vnã autem harum naturam, & ſubſtantiam denunciamus, nullam quidem harum non ſubſtantiam eſſe agnoſcentes, non tamen aſſignamus eis numerũm diſcernentem quantitatem ſubſtantiarum, quia hoc modo diuerſitatem ſubſtantiarum ſimul induci ſcimus. Quod quidem cum Ariani ſcirent, hypoſtaſibus, quæ in ſubſtantia diuina ſunt, nomen ſubſtantiarum imponebant, connectentes hoc modo diuerſitatem ſubſtantiæ. Sic & in œconomia cum dicimus duas naturas, diuerſitatem earum, non diuiſionem declaramus, excludentes inde numerum hypoſtaſeon, quamuis non ſint ſine ſubſiſtentia; ſicut illic excluſimus numerum ſubſtantiarum. Tametſi nulla hypoſtaſis diuina ſit ſine ſubſtantia; ſicut nec hic neutra natura ſine

Digitized by Google

ſubſiſtentia, ſcientes bene, q̃ in diuiſis hypoſtaſi, & ſubſtantia, vt hoc equo, hoc boue, & hoc homine, natura nõ diuiſionẽ, ſed differentiã declarat, ſicut & hypoſtaſis diuiſionẽ, & non quid ſubiecti propriè demõſtrat, ſiquidẽ in iis, quę nõ per ſe cernũtur, ſed ſimul, & inter ſe ſunt, & fiũt, natura nõ ſeparatũ, ſed differẽs declarabit ſiue in Theologia, id eſt, in Trinitate, ſiue in œconomia, id eſt, in myſterio incarnationis, ſiue in omni re. *Acephalus.*

In Theologia, id eſt in myſterio trinitatis,

PLane hypoſtaſis, & ſubſtantia, ſiue natura in Theologia non eſt idẽ: in œconomia tamen idẽ ſunt inter ſe. Si .n. naturas nouauit nouitas myſterij ſecundũ diuinum Gregoriũ, nouabit, opinor, etiã appellationes, vt ſecundum ipſum, vtriſque aptetur alterius ratio, & definitio. *Orthodoxus.*

ὕπαρξιν exiſtentiam.

HOc vero neſcio q̃ nimiam amentiam nõ ſuperat. Definitiones enim rerũ ſynonyme prædicantur de iis, quæ ſunt eiuſdem generis; & de iis, quæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei, vt ij, qui in his ſunt valentes, demonſtrant. Si enim definientes ſimpliciter ſubſtãtiam, dicamus declarare eſſentiã alicuius, omne illud, cũ quo cõmune erit nomen ſubſtantiæ, cõmunis erit definitio, q̃uis magna ſit ſubſtantiarũ differentia. exiſtere enim dicimus ſubſtantiã, & Deũ, & angelũ, & hominẽ, & animal, & arborẽ, & cõmunis in omnibus redditur definitio ſubſtantiæ, quæ declarat, exiſtere iſta, nõ autem declarat, q d iſta, aut quo modo. Hęc .n. proprię cuiuſq; rei definitiones declarant. Sic autẽ eſſe manifeſtũ faciunt categorię de generib⁹ ordinatis ſubter alia ſynonymè prædicatæ. prædicantur autẽ & genera, & differentiæ de ſpeciebus, & de indiuiduis. ſimiliter enim participant ſubſtantiam, & animal, & corporeũ, & incorporeũ, & rationale, & irrationale, & ſenſile & intellectile, & non hoc magis, illud min⁹, ſed ſimiliter, & cõmuniter, & vt ſemel dicã, participant ὁρισικῶς, præterea etiã demonſtratio, quæ vocatur διάλληλος reprehenſa, & improbata eſt apud eos, qui rationẽ demonſtrandi tradunt. qui .n. hac demõſtratione vtitur, ſimiliter facit, ac ſi quis enunciet, & poſtea ſe teſtẽ enũciationis producat, & fidem haberi ſibi iubeat, quia ipſe dixit. Si ergo non ex vniuerſalibus rationibus, & definitionibus ſubſtantiæ, & hypoſtaſis, ſiue perſonæ, & naturæ in Trinitate ſancta, & viuifica, & in myſterio incarnationis verbi vnius ex ſancta Trinitate perſonæ demonſtrationes patrũ procedunt, neq; proceſſerunt, non erit hoc demonſtrare, ſed quaſi ſortiri. reddat enim aliquis rationẽ, quare in Trinitate ſubſtantia ſiue natura commune, & hypoſtaſis, ſiue perſona ꝓprium definiat, & declaret, non ſic autem in myſterio incarnationis.

καὶ τὸ ὅλον ἐπ' ἴσης, ὁρισικῶς definitio æqualiter conuenit omnibus, quibus conuenit definitum, hoc eſt participare definite ſpecies & indiuidua genera & differentias, id eſt, æqualiter, vt neceſſe eſt in definitionibus.

Demonſtratio διάλληλος, cum ex re dubia fidẽ facere volumus;

tionis conueniat. dicere enim ꝙ propter nouitatẽ myſterij incarnationis aliter hæc in Trinitate, aliter in incarnatione definiuntur, primũ quidem eorũ eſt hoc, qui ignorant, maxime omnium myſteriorum myſteriũ eſſe ipſum Deũ, qui ipſis etiã ſanctis Seraphinis obtegitur, ad quẽ, vt magnꝰ Gregorius dixit, myſteria, quæ hic ſunt, ſpectãt. De quo merito omnis q̃dem ſermo tacebit, omnis vero agitatio mentis quieſcet ad id proficiſcens ꝙ ſupra rationẽ, & mentẽ eſt. Ex occultis autẽ Dei myſteriũ patefactũ, incarnationis ſcilicet, tãto magis apertum eſt q̃ illud Trinitatis, quanto magis ꝙ erat ſupra naturã, ad apertũ naturæ proceſſit. Nunquid vero ſola definitio hypoſtaſis, & ſubſtantiæ in incarnatione nouatur? An omnis etiam vox, & omne nomen, & verbum? Et quæ iſta ſortitio huius, & nõ omnium? Sed non habet hoc naturam, & idcirco neq; ſermonẽ, vt magnꝰ Baſilius dixit.

Hoc vocat Apoſt. myſterium à ſeculis abſconditum, nunc autem manifeſtatum ſanctis.

In homil. in Natiuitatem Chriſti.

Acephalus.

IN Theologia quidem omnes patres vno conſenſu hypoſtaſim à ſubſtantia plane differre, id eſt, perſonã à natura eadem ratione enunciarunt, qua propriũ à cõmuni differt, in incarnatione vero nõ eſt ab illis hæc regula ſeruata. Sed hypoſtaſes ſæpe numero pro naturis, & rurſus naturas pro hypoſtaſibus ſumunt. vt hac ratione idem eſſe vtrumq; patefiat. Beatus Cyrillus, Si quis, inquit, diuidit hypoſtaſes. Et rurſus, naturæ remanſerunt non confuſæ, id eſt, hypoſtaſes. Et magnus Athanaſius duas perſonas in Chriſto eſſe affirmat. Nunq̃ hoc patres feciſſent, niſi definitiones horum nominũ in incarnatione nouari cognouiſſent.

Theologiam vocat myſterium Trinitatis.

Orthodoxus.

AT ego non dicam nouari definitiones nominũ, ſed potius vſos eſſe nominibus iſtis in rebus differentibꝰ. Aliud .n. eſt vſus nominũ, qui fit multis modis; aliud vero, quod proprie & definite ipſis nominibus ſignificatur. Siquidem & ſecundũ tranſlationem, & homonymiam, & conuerſionem, & aliis modis diuinæ ſcripturæ, & ſancti patres, & communis conſuetudo nomina vſurpant; non tamen communem horum definitionẽ reddunt. Sane Apoſtolus homines vocat partes hominis, hominẽ exteriorẽ, & hominẽ interiorẽ; non tamen qui ſic loquitur, definitionẽ totius hominis in parte ponit, etſi vtramq; partẽ nomine totius appellat. Sicut rurſus totum vocare ſolet nomine partis. Similiter fieri ſolet in aliis ſcripturis diuinis, vt omnes ſciunt. Hoc modo igitur conſueuerunt patres vnamquamq; naturam hypoſtaſim, vel perſonam appellare

κυρίως καὶ ὁρισικῶς.

Vtimur nomine ſecundum conuerſionem, vt ſi dicamus animal rationale pro homine.

non

non ſolum in myſterio incarnationis,ſed in Sancta Trinitate, ſicut nonnulli patres ipſum hominem dixerunt ex duabus hypoſtaſibus conſtare, non tamen arbitramur dixiſſe eos participare naturam, definitionem hypoſtaſis,id eſt,perſonæ. Qui omnes vnum;& eundem dominum eſſe ſtatuentes,illud,alium &alium,quod proprium eſt hypoſtaſis propriè dictæ,de ipſo nomine hypoſtaſis negauerunt. Non tamen intelligentes habere naturam,communem definitionem cum hypoſtaſi.Cum igitur ſimpliciter,& liberè ſermo per nomina procedit, nihil prohibet vti nominibus indifferenter: cum verò de dogmate agitur, & quæſtio eſt,tunc tacitis homonymiis, proprias ſignificationes ex ipſis definitionibus ſumere cogimur,ne vllo modo vſu nominum indifferente ipſarum rerum limata veritas lædatur.

Id eſt, negantes alium, & alium in incarnatione, non negauerunt aliud, & aliud, quod naturam ſignificat, quia non intellexerunt communem eſſe definitionem naturæ cum hypoſtaſi.

Acephalus.

SImplicia non ſunt compoſita, & idcirco definitionem ſimplicitatis non recipit natura compoſiti. Hoc ſi ita eſt,calumnia eſt in eos,qui dicunt vnam naturam Chriſti compoſitam, exiſtimare vllos ſimplicem ipſam ab illis,& non compoſitam dici.

Orthodoxus.

NAtura compoſiti non eſt eadem cum natura compoſitorum. Sicut enim natura vinculi non eſt eadem cum natura eorum, quæ ſunt vinculo alligata; ſed potius natura vinculi eſt, quæ fœmina,ſi ita ponamus,vel mas vocatur; alia verò natura eſt lignorum alligatorum verbi gratia, aut vaſorum, quibus eſt iniectum vinculũ, ſic non eſt idem natura compoſitionis & vnionis cum natura compoſitorum,& vnitorum. Compoſitio enim, & vnio vel ad habitudinem pertinet,vel ad ſubſtantiam; & vel ſecundum appoſitionem, vel mixtionem, vel congeriem, vel coagmentationem, vel agglutinationem,vel confuſionem,vel immiſſionem, vel neſcio quas alias naturas differentes vnionum fieri dicunt, quæ vnionem ſub vnam ſpeciem referunt.Natura vero eorum, quæ vnita, vel compoſita ſunt,vel quomodocunque inter ſe aptata, aliam definitionem rerum recipit, & hoc eſt proprium vniuſcuiuſque vnitorum; niſi fortè confuſio accidit vnitis. Quomodo igitur dicis vnam Chriſti naturam, & hanc compoſitam? Aut enim eſt compoſitionis, aut com-

Immiſſio quæ Græce dicitur φύρσις, vt cum fermentũ immittitur maſſæ.

compoſitorum, aut eius, quod ex compoſitione, & compoſitis effectum eſt. at ſi hanc compoſitionem vnam naturam Chriſti dicis, definitionem vnionis reddes, non definitionem vnitorum. Sin vero vnam naturam Chriſti dicis naturam compoſitorum, in toto Chriſto duæ erunt naturæ, non vna. Siquidem neutra in naturam, & proprietatem alterius ſecum compoſitæ mutata eſt, ſed potius in vnione differentiam harum ſeruat. Si autem vnam naturam Chriſti vocas, quod ex compoſitione, & compoſitis conſtat, non naturā Chriſti, ſed magis hypoſtaſim & eſſe, & vocare decet. Siquidem natura Chriſti non poteſt eſſe eiusdem naturæ cum patre, ſecundum quod eſt eiuſdem naturæ cum matre; neque rurſus cum matre, ſecundum quod eſt eiuſdem naturæ cum patre. Quomodo igitur vnā naturam Chriſti vocas, & hanc compoſitam? Cum appellatio Chriſti non naturam, ſed hypoſtaſim ſignificet, circa quam naturæ cernuntur, & in quibus perſona diſtinguitur. illud vero quomodo prætetire poſſumus, in quo nouæ ſapientiæ nouus reuera partus cernitur? ἀφορίζεται.

Acephalus.

OMnia, inquit, ſingularia habentia tanquam alicuius naturam, etiam vna natura dicuntur, vt ſol vnus, cœlum vnum, & idcirco vna natura ſolis, & cœli, & ſimilium.

Orthodoxus.

AT num ignoras, optime vir, quod natura ſolis eadem eſt quæ aſtrorum? & cœli natura eadem, quæ in reliquis cœlis? Sicut ſplendor, aër, & aqua, & horū concretiones cōmune habent in tali natura; eſſe autem hunc, aut hunc in propria, & ſeparata definitione hypoſtaſis ſignificatur. Si quis enim ſic definiat cœlum, eſſe circulum extra vniuerſum; vel communem complexum intellectiliū & ſenſilium, non ſubſtantiam eius, ſed hypoſtaſim declaraſti. Item ſi ſolem definias, eſſe ſidus, interdiu lucens, aut habens mediam regionem inter planetas: Rurſus hypoſtaſim ſolis, ſed non naturam declaraſti. natura enim vniuſcuiuſque hypoſtaſis ſecundum communem definitionem reddi intelligitur, vt quod igneum, vel aëreū, vel terrenum, vel aquaticum, vel rationale, vel irrationale, vel animal, vel non viuens, vel ſenſile, vel intellectile. hæ enim proprietates οὐσιοποιοὶ, id eſt, ſubſtantificæ naturam ſubiecti patefaciunt; quibus κοινὸν ὅρον.

 ſi ap-

ſi apponatur quod propriè vnumquodque diſtinguit, hypoſtaſim alicuius deſignat. Falſum ergo eſt, quod ſumis, vnumquodque ſingulare naturam habere ſingularem. Contrarium enim naturam habet communem ſecundum eandem ſpeciem, hypoſtaſim vero propriam, quæ proprium eius à communi ſeparat notis, & proprietatibus vim ſeparandi habentibus. Sicut enim Paulus, & Petrus nõ ſunt nomina naturæ, ſed hypoſtaſis, ſic ſol & luna, & lucifer & cœlum. Et hoc aliquid volatile, & terrenum, & aquaticum tanquam efficiens proprium, à communitate ſubſtantiæ proprietate hypôſtaſis diuiditur, & ſeparatur.

Vt album cõtrarium eſt ſingulare nigro, & naturam habet cõmunem albedinem, quæ eſt ſpecies coloris & nigrum cõmune habens coloratum.

ἰδιοποιόν,

Acephalus.

PLeroſq; ſanctorum patrum ſcimus & ante Nicænũ conciliũ & poſt concilium, repugnaſſe quibuſdam vocibus ſuperiorũ ſanctorũ patrum, quod hæreſes callidè, & malitioſè quibuſdam eorum vocibus & ſignificationibus vſæ eſſent. Propter hanc cauſam arbitramur beatum Cyrillũ quibuſdã vocibus patrum non vſum eſſe, & potiſſimũ voce duarũ naturarum, cum Neſtorius vbiq; has ad diuidendũ vſurparet, & male poteſtate veterũ abuteretur. Quod quidẽ nunc etiam nos verentes, ex duabus quidem naturis, non tamen in duabus naturis exiſtere Chriſtum definimus.

Orthodoxus.

NOn eſt hæc defenſio, & excuſatio honeſta, & opportuna, ſed potius reuerentia omnis reuerentiæ expers, propter eos, qui malitioſe vocibus Theologorum vſi ſunt, ipſas diuinorum auctorum voces recuſare. Non ſolum enim vocibus patrum hæretici, ſed ſcripturis ipſis, vt eis viſum eſt, abuſi ſunt; alioqui ſecundum regulam veſtram liceat imitari Marcionem, & abrogare multa, quæ in ſcripturis ſunt. At non hoc in diuina ſcriptura, nec in patribus, qui celebres ſunt, facere fas eſt: ſed potius ſicut inhærere menti eorum, ſic etiam ſacris eorum vocibus maxime decet, & prauas hæreticorum expoſitiones expurgare, declarareque eaſdem ſignificationes aliter quidem patres, aliter verò hæreticos accipere. Omnis enim vox recipit mutationes in contrarium & prauas interpretationes. Sic reperimus magnum Athanaſium defendiſſe Dionyſium, & beatum Cyrillum non ſemel excuſare voces, immo addere, ſicut Neſtorio videbatur. Et non hoc ſolum, ſed in multis, quin potius in omni-

omnibus ſuis libris duas naturas confitetur. Si autem omnino hoc valet, vt poſteriores, quasdam voces clarorum virorum, qui anteceſſerunt, deuitent, liceat nobis, quia Eutyches, & eius ſectatores malè vſi ſunt hac voce, vna natura incarnata, hanc defugere; aut ſi non defugimus, liceat eos approbare, qui dicunt eſſe Chriſtum in duabus naturis. Etenim ſi vſque ad Cyrillum proceſſiſſent hæreſes, & deinceps ceſſaſſent, & non eſſet exortus, & deprehenſus celeberrimus hæreticorum Eutyches, fortaſſis hoc nobis, quod dicis, faciendum eſſet. Sin autem poſt Cyrillum fuerunt hæretici, ſit in poteſtate poſteriorum, quædam, quæ quidam veteres, vt dicitis, non dixerunt, rurſus dicere, præſertim poſtquam hæc ſunt in Synodis definita. Solutio enim omnis dubitationis eorũ, de quibus ambæ partes dubitauerunt, ſecundum canones eccleſiaſticos eſt Synodorum Iudicium, & qui Synodis repugnat, non iam contra aliquos, ſed cõtra omnes Chriſtianos ſeditionem facit. Quod nobis non eueniet, qui veritatem contentioni antepoſuimus.

Acephalus.

NAturas ſola cogitatione etiam nos conſideramus, has igitur vnientes ambas, vnam deinceps eſſe dicimus, & hanc compoſitam eſſe, & vocari dicimus. Qua enim ratione vos hypoſtaſes cogitatione conſiderantes & has vnientes, in vnam hypoſtaſim eas componitis, eadem & nobis naturæ in vnam naturam compoſitæ, non confuſæ, diuiſionem declinant; & vnionem oſtendunt. Si vero nos propter compoſitam naturam de confuſione accuſamur, & vos hanc accuſationem non effugietis propter hypoſtaſim non ſimplicem. Quibus enim rationibus hypoſtaſes in hypoſtaſim congregantes, has immutatas eſſe demonſtraueritis, hæ nobis ſatis ſunt ad componendum naturas in naturam, & ſeruandum ſine mutatione in huiuſmodi compoſitione quæ vnita ſunt.

Orthodoxus.

COgitationem patres, & doctrina vera, duplicem eſſe dixerunt. Vna enim eſt veluti ἐπίνοια quædam, & ἐπενθύμησις, id eſt, quædam acceſſio notionis & conſiderationis, quæ vniuerſam,

& indiſtinctam rerum contemplationem & cognitionem euoluit, & explanat, vt ſenſui quidem videatur eſſe ſimplex, agitatione tamē mentis reperitur multiplex, & varia: altera eſt fictio cogitationis ſecundum implicationem ſenſus, & imaginationis, ex iis quæ ſunt cōponens ea quæ non ſunt, & eſſe videntur. Huiusmodi eſt fictio fabuloſa Hippocentaurorum, & Sirenum, & aliorum huiusmodi. accipiens enim partes ex totis, & ex partibus aliud quid componens, multa licentia, & facilitate ea, quæ nuſquam in hypoſtaſi & ſubſtantia cernuntur, cogitatione finxit, & materiis informans imagines figurauit.

Vtra igitur conſideratione harum cogitationum accipis naturas duas? Si enim priori, definies Chriſtum eſſe congregationem conſiderationum, & non coniunctionem naturarum. Hæc enim eſt natura eorum, quæ ſola cogitatione contemplamur. Si autem altero modo cogitationem accipias, non rebus, neque contemplationibus, ſed mendoſis, & inanibus fictionibus ſenſum impleuiſti; & ſane quidem nihil hoc ab idololatria differet, poſteaquam patres noſtri venerandi non definierunt naturas eſſe cogitatione; ſed harū diuiſionem ſecundum priorem rationem cogitationis expoſuerūt. Quando enim dicunt, naturæ differunt cogitationibus, ſimul diuiduntur nomina; vt dictum ſit, cogitatione diuidi cauſa diſtinguendi à diuiſione ſecundum actum; quam procul relegantes, actu quidem naturas eſſe, & vocari enunciauerunt; harum vero diuiſionem ſecundum cogitationem acceperunt, quæ rebus non ſunt diuiſa, ratione tanquā diuiſa ponentes propter differentiam, & proprietatē eorum, quæ vnita ſunt, immutabilem, etiam poſt vnionem. Quomodo igitur ſola cogitatione naturas cognoſcis; & actu cognoſcuntur? Quomodo has cogitatione accipis; & nec iſta cogitatione eas ſeruas? Sed potius eas in vnam naturam neſcio quomodo cogitatione, an actu commiſces, & confundis? Quamuis cogitatio & in iis, quæ per ſe ſunt, & in iis, quæ non ſunt, poſt horum complicationem, & vnionem, hæc cognoſcit, & confitetur. Quandoquidem etſi confuſio circa ipſa acciderit, ſcit tamen cogitatio illa, ex quibus, cognoſcere, & diſcernere. Sola ergo cogitatione naturas cognoſcere, facit non eſſe eas, neque ſubſtantiam habere, vel confuſas eſſe, & deletas. Poſt vnionem vero neq; hoc eis tribuere, (vt ſcilicet cogitatione diuiſæ ſint) reddit eas magis à ſubſtantia vacuas, quam ſunt ipſæ contemplationes, magiſq; corruptas, quam quæ confuſa ſunt.

Vnde

Vnde verò tibi, aut à quo accepiſti vt Chriſtum ex hypoſtaſibus componeres, cum hypoſtaſes, vt antea diximus, quod diuiſum eſt, & quod per ſe exiſtit, declarent? Quando enim cognouiſti diuiſas naturas, & per ſe exiſtentes, vt his copulatis tradas ipſum ex hypoſtaſibus conſtare? Nec enim ante vnionem hoc fas eſt dicere, ſiquidem non audes dicere, prius formatum eſſe hominem, & poſtea ſubiiſſe Deum: neque rurſus pium eſt idem facere diuidi cogitatione, & diuidi energia, id eſt, actu. Non enim quæcunque de cogitatione prædicantur, de ſubiectis cogitationi rebus hæc prædicabuntur, idcirco cum diuiſio ſecundum actum hypoſtaſes habeat & ponat, diuiſio ſecundum cogitationem numerum hypoſtaſeon non recipit. Sicut enim maius ſecundum cogitationem in patre & filio quod propter naturam cauſæ dicitur, non inducit maius natura, ſic quod ſecundum cogitationem diuiditur, non inducet vnquam ſimul diuiſionem ſecundum actum, & idcirco neque hypoſtaſes inducet.

Quis autem ex grauiſſimis viris, & à riſu maxime abhorrentibus, non magnopere vos rideat, vel potius non luctum, & profundam noctem induat, conſiderans tantam veſtram fatuitatem, vt taceam impietatem? Cum enim ea quæ ſimul ſunt ſecundũ naturam & tempus, ante, & pòſt non recipiant, neque ſic Cyrillus illud poſt vnionem dixerit, vos tamen non veremini hoc dicere. Si enim non eſt eorum, quæ ſunt ſimul, vnio & vnita, quando non tanquam res, ſed tanquã vnitæ res accipiuntur, vbi eſt alterius eſſentia, humanitatis ſcilicet, ante vnionem, vt illud poſt hanc tanquam dogma tradatis? Quando facta vnio ceſſauit? vt alius effectus huius nõ in ipſa, ſed poſt ipſam, & præterquam ex quibus eſt, exiſtimetur eſſe? Non enim eſt vnio, ſicut natura eorum, quæ facta ſunt, & non amplius ſunt, qualem eſſe aiunt naturam temporis. Quis autem factam ceſſare fecit? & quare?

Conſideretur, quod deinceps ſequitur. niſi forte ab vnione cœpit, & in confuſionem deſiit: quod quidem volentes dicere, parturitis quidem, ſed onus animi abrumpere non audetis, neſcio an propter intolerabilem impietatem; an quia effugere, quin redarguamini, non poteritis. Sic enim habet res, alterum impium eſt dicere, & intelligere; alterum vero dicere fas eſt, & ſanctum intelligere. Quin potius intelligere quod eſt pium, iuſtum eſt, confiteri vero ſalutare, ſicut Apoſtolus ait. Nos igitur cum non vnionem perſona-

 ſona-

Digitized by Google

ſonarum, ſed naturarum profiteamur, quomodo vos quod non eſt conceſſum, tanquam conceſſum concluditis? Quanta ſermonis licentia, dicere confuſionem, & non confuſum idem ipſum efficere? Si enim ſecundum iſtos non confuſum duas naturas vnam facit, hoc autem ipſum confuſio facere ſcitur, dicant, quæ differentia eſt confuſionis, & non confuſi? Simile enim faciunt atque perſonæ, & hypoſtaſes Neſtorij, ponunt eas diuiſas, poſtea dicunt ſe non diuidere. Quid enim aliud faciet vnquam, qui actu diuidit? Si autem neque diuiſionem faciunt hypoſtaſes ſecundum illos, nec confuſionem vna natura ſecundum hos inducit, dicat aliquis, qualem alium vult eſſe diuiſionis, vel confuſionis effectum? Et ſi qui vnit quidem & non confundit; vel alterutrius naturæ proprietatem ſeruat, non autem diuidit, pie facit, quomodo duas naturas deuitantes, tanquam neceſſariò numerus duorum ſecundum ipſos diuiſionem inferat, duas proprietates dicere non refugiunt? Aut quid hoc eſt, quod loquuntur, cum nunquam contradictio ſimul vera ſit, vt Dialectici demonſtrant, quaſi illi aliud quid contrarium dicant; vos vnam naturam contra eos, qui duas naturas dicunt, defenditis. Aut enim idem eſt atque duæ, & fruſtra cum his pugnatis; aut non eſt idem, ſed tanquam vnam contra duas contradictoriè aſſumitis. Et ſic fruſtra adiectum eſt illud, incarnata. Sin autem nec vnam ſimpliciter, neque duas vnitas hoc ſignificat, inter vnam autem, & duas nihil eſt medium, quid reliquum ſit, vos videritis. plane namque duplum aut dimidium vel tertia pars vel alia quæcunque proportio ſuperparticularis inter vnam & duas aſſumpta eſt. Hoc vobis, adiunctio vocis incarnatę declarabit. Omnino autem ſequetur diuiſio, ſi præter vnam aliud quid cum ea aſſumatur. Sed hæc ſufficiant. Quomodo autem, & qua ratione cum verbum Dei, & humanitas perfectionem habeant, & nihil eis deſit, non hypoſtaſes, ſed ſubſtantias ad concurſum vnitorum patres aſſumunt, cum neutra earum ſit ἀνυπόστατος, id eſt, ſine ſubſiſtentia, in primo capite eorum, quæ paulo ante in dubium venerunt, & deinceps, & in primo libro tractationis noſtræ contra Enantiodocetas (id eſt, auctores contrariæ fictionis) copioſiſſime, Deo adiutore, ſcriptum eſt, idcirco eadem repetere, & iterare excuſatum volumus.

Cepha-

Digitized by Google

Acephalus.

CVm duplex ſit rerum & noſtra conſtitutio, ex communi, & ex proprio, vt omnibus manifeſtum eſt, omnes enim commune ſubſtantiæ participamus, & propria ratione hypoſtaſis ſumus hoc, quod dicimur, quid ex communibus, aut propriis alterutri naturæ earum, quæ ad vnionem Chriſti ſumuntur, deeſt? Si enim nihil deeſt, magis verum eſt dicere naturarum quam hypoſtaſeō vnionem. ex quo ſequitur, vel eos, qui dicunt duas naturas poſt vnionem, duas etiam hypoſtaſes dicere; aut ſi deuitant numerum hypoſtaſeon, pari ratione communicationis idiomatum, cedere etiam iis, qui dicunt factam eſſe vnam naturam ex duab⁹. Si autem qui hoc dicunt, accuſantur, quod confuſionem inducunt, quomodo non ſunt etiā accuſandi, quod hypoſtaſes confundant, qui ex hypoſtaſibus hypoſtaſim faciunt?

Orthodoxus.

AT ignoratis, ô ſapientes, quod alia eſt definitio naturæ, alia autē ratio œconomię, id eſt, incarnationis. Vnde partim quidē tanquam de omnino diuiſis naturis loquimini, ſeparantes hypoſtaſibus naturas; partim vero tanquam tradentes ex totis confuſis vnā naturam carnis & diuinitatis factam eſſe. Si igitur fuit aliquando, cum non erant hæc vnita, conſideret quis eà tanquam penitus ſeparata. Sin autem vnionem verbi ſcimus ſimul extitiſſe, cum extitit humanitas, quomodo quæ nunquam inter ſe fuerunt ſeparata, ſubibunt rationem penitus diuiſorum? Cogitatione ergo hæc, & ratione poterit aliquis diuidere, non tamen ſenſu, & actu, atq; hoc poſt vnionem, & non priusquam vnita ſunt. Vniuerſe enim accipere diuiſionem ante vnionem abſurdum eſt, vel certe accipere antequam alterum exiſtat, non eſt fas. Siquidem neque priuationem accipere licet ante habitum, ac nihilo plus, quam habitum ante ea, in quibus cernitur habitus. Non enim hæc talia ſimpliciter dicuntur, ſed ad aliquid, & aliquando, & quomodo, vt primum, ſi eſt aptum natum ad capiendam priuationem; deinde, ſi in illo tempore priuationem cepit, in quo poterat habere; deinde ſi in loco, in quo aptum natum erat, & vt natum erat. Non enim ſi quis aliquid non habet, continuò hac re priuatus eſt. Sed quod aptum natum eſt ad volandum verbi gratia, & in hoc tempore, non enim antequam veſtitum ſit alis; & vt à natura

habet,

Non enim ſine alis ſecundum naturam natũ ſine quibus auis volare nõ poteſt, dicetur inuolucrũ, id eſt, priuata volatu.

habet, non enim ſine illis, ſine quibus non; & in hoc loco ad volandum enim in aëre, & non in aquis natura aptum eſt. Sic igitur & in diuiſione; non enim prius cogitatur, quàm res, in quibus conſideratur, nec antè ipſam vnionem, ſed quando res, & poſt earum vnionem, & ſicut ei natura conuenit, id eſt, cogitatione, & non actu. Nõ enim humanitas vnita, à diuinitate actu ſeparatur, ſed diuiſione cogitationis, non res antecedente, nec ante harum vnionem, ſed in ipſis conſiderata propter immutabilitatem, & nequaquam ſequentur ea, quæ ſequuntur ex diuiſione ſecundum actum. Alioqui idem erit diuiſum cogitatione, atque diuiſum actu, quod eſt abſurdum. Immo neque prorſus erit diuiſio ſecundum cogitationem, ſi non ſunt actu ea, de quibus eſt cogitatio, quamuis ſint hæc ſimul, & in eodem.

Ex diuiſione n. ſecundum actum ſequitur, vt humanitas actu fuerit à diuinitate ſeparata, & Chriſtus non fuerit Deus, & homo.

Si quis igitur rationi vnionis ſubiiciat ea, quæ ſunt vnita, videbit, quod quæcunq; alioqui perfecta ad conſtitutionem alicuius ſumpta ſunt, hæc manentia perfecta partes fiunt totius, ex huiuſmodi partibus conſtituti; ita vt prius cogitentur res, & poſtea harũ vnio, poſtea diſtinctio ſecundum conſiderationem. Cum enim non poſſit mens hæc tria ſimul conſiderare, quæ ſunt ſimul, in parte cõſiderat. Propter hoc in modo vnionis, ſed non in ratione naturę verum eſſe conſideramus ſermonem noſtrum, non quod hæc contraria inter ſe ſint, id eſt, natura vnioni; ſed quod ſint differentia, & circa eundem, & eiuſdem, ſed non id ipſum, neque communis horum ratio. Hoc autem & ipſi confitentur. Siquidem vna ſecundum ipſos natura ex duabus, propter vnionem vna dicitur; etſi confuſionem, quæ eam ſequitur, non intelligunt. In ratione igitur naturæ diuinæ & ipſi concedent habere vnionem aliquid non communicabile, alioqui non erit condeſcenſus charitatis, ſed Phyſica alti cum humili, id eſt, diuinitatis cum humanitate coniunctio, ſiue copulatio. Et quis eſt, qui tantopere altitudinem diuinam ignoret, aut humanam humilitatem tam parum conſideret, vt exiſtimet has naturas naturali inter ſe propenſione recipere communionem & vnionem, cum tantopere à mixtione alienæ ſint? Ego vero, tantum abeſt, vt dicam habere verbum Dei in definitione naturæ vnionem cũ natura noſtra, vt nec animæ humanæ vnionem cum corpore naturaliter ſine virtute diuina fieri dicam. & quid dico animæ humanæ vnionem, quando neque mixtionem elementorum ſic ſimpliciter

σύνοδος. διάκρισις. θεωρίαν. χωλ. Græcũ.

Nõ ſecundum rationem naturalis neceſſitatis, ſed ſolius charitatis Dei erga homines modum vnionis dicentes verum dicimus. Hoc enim declarant, quæ ſequuntur.

ſola

ſola natura fieri dicam, quin potius ratione diuina, quæ præſtantior, & valentior eſt quam natura, ad ordinem, & concentum adduci. Quia igitur modus vnionis, & non ratio naturæ magnum pietatis myſterium continet: omittamus conſiderare de natura vnitorum, & de perfectione eorum. Non enim ſunt hæc præſentis quæſtionis, illud enim Theologiæ eſt; hoc vero Phyſicæ contemplationis. Et illud quidem contra Arianos accommodatius conſiderabitur; hoc vero contra eos, qui penitus naturæ noſtræ aſſumptionem negant. & illud demonſtrat, quomodo ſe habeat natura verbi vnita reſpectu patris; hoc autem declarat, natura noſtra vnita quomodo ſe habeat reſpectu noſtri, ſed non quomodo partes eius ſe habeant cum ipſo comparatæ, His inquam omiſſis, de modo vnionis, & de confecto per eam excutiamus.

Tres igitur opiniones de vnione naturarum in Chriſto ſupra confutatæ ſunt, diuidens, confundens, & quæ propriè dicitur vniens. in duabus hæretici luſerunt, & ludunt, pulchre enim diuinus Gregorius prius eos notauit. Vnio enim diuidens, ad habitudinem pertinens, & nec à principio naturas copulans, res ſeparatas relinquit, nec eis quæcunque ſunt communia, neque quæcunque ſunt propria, tribuens, aut viciſſim reddens, vt iam hinc duæ penitus ſpecies, & inter ſe diuiſæ ſtatuantur. Hoc excepto, quod hæc opinio diuiſionem naturarum inumbrat & tegit vnione ſecundum dignitatem, & voluntatem, & ταυτοβουλία, atque ita decipit inſipientes. Altera autem opinio, huic prorſus contraria, & confundens, omnia delens, vnam rem adulterinam fingit, & cogitatione format, in neutro eorum, quæ vniuntur, proprietatem purè ſeruans, ſed hoc eſſe illud, concedens, & illud hoc, & idcirco nec hoc, nec illud eſſe. Adulterinum enim eſſe demonſtratur omne id, quod ex confuſione exiſtit, nihil habens purum, nec in ſua proprietate ſtabili fundatum. Vnio autem inter has media neque confuſa, neque diuiſa, nouit quidem ea, quæ vnita ſunt, perfecta eſſe ſecundum ſuas proprietates propter immutabilitatem, communia vero hæc & vnius eſſe facit propter ipſam ſubſtantialem vnionem, vt ſint illa quidem proprie propria alterutrius, communia totius; hæc vero communia totius, propria alterutrius propter proprietatem non confuſam in alterutro. Non enim fieret mutua communicatio idiomatum, niſi in vtroque maneret & in vnione proprietas immobilis. Eſt igitur huiuſmodi vnio

Digitized by Google

magis vna, quam illa, quæ omnino diuidit; & copioſior, quam illa, quæ penitus confundit, vt quæ neque faciat penitus idem eſſe, quæ inter ſe vnita ſunt; neque penitus diuerſum.

Si igitur nec omnino idem, nec ex toto diuerſum reddit, quod ex iſta vnione exiſtit, quærendum eſt, qua ratione idem, & qua, diuerſum. Doctrina igitur veritatis idem quidem ſecundum hypoſtaſim nouit; diuerſum vero ſecundum naturam, contra atque in Trinitate fit, vt Gregor. notauit. Si autem hoc aduerſariis non probatur, concludant ipſi, quod deinceps ſequitur. Si enim non ſunt idem hypoſtaſi, concedent ergo natura eſſe idem. Si autem hoc, vna ſcilicet & eadem erit ratio diuinitatis, & humanitatis propter vnionem. Et ſi hoc, idem erit vnio & natura. Commune enim eſt in ambobus prædicatum. Sicut enim quorum eſt natura vna, horum eſt eadem ratio; ſic neceſſe eſt, quorum eſt vnio ſimul, & in eodem, horum ſecundum ipſos ſit & natura communis; & vice verſa, quorum natura vna, horum ſunt hypoſtaſes differentes, quia nullam naturam vna perſona circumſcribit. Hinc autem quid concluditur? Nempe vnam eſſe naturam carnis & diuinitatis, duas vero hypoſtaſes. Si autem neque natura, neque hypoſtaſi & numero vnum ſunt, quæ coierunt, vbi erit identitas per vnionem vnitorum? Si autem & natura & hypoſtaſi ſunt vnum inter ſe, vbi ratio immutabilitatis, & non confuſi in vnione ſeruabitur?

In Trinitate enim alius & alius; non autem aliud & aliud, id eſt, diuiſum & diuerſum.

Quòd autem fieri poſſit, vt ex imperfectis, & perfectis idem efficiatur, teſtantur, qui ſub Chriſto ex ſanctis mortui reſurrexerunt. Tales enim ipſos alioqui ſecundum partes perfectos vnio per reſurrectionem reddidit, quales natura in vtero formans copulauit. Id ipſum in communi reſurrectione futurum eſſe credimus. Corporum enim quæ iam ſoluta, & corrupta ſunt eorum qui nuper vixerunt, vel recenter mortui ſunt, imperfectorum & perfectorum eandem ex reſurrectione concretionem faciendam eſſe credimus. ex quibus demonſtratur, quod ex rebus, quæ prius hypoſtaſim habuerunt, contingit fieri hypoſtaſim ſine mutatione, & ſi hoc, ex toto in Chriſto non conceditur. Quia non fuit prius formatus. Non tamen quia non fuit formatus, naturam Chriſti vnam ex duabus ſine confuſione factam eſſe, nec in alia quacunque natura cognouimus, ne dum in Chriſto; in quo vel cogitare tale quid non

eſſ. ſ. ſudij.

Non fuit ante vnionem formata humanitas Chriſti

non poteſt, qui pius eſt. Si enim natura dicitur παρὰ τὸ πεφυκέναι τι, id eſt, ab eo, quod aptum natum eſt, nulla autem natura apta nata eſt ad habendum contrarium, & oppoſitum, vna autem natura Chriſti ſecundum ipſos, hoc paſſa eſt, non erit igitur vna natura. Si enim inſitũ ſit huic tali naturæ, vt viſibilis ſit, non eſt inſitum eidem, vt ſit inuiſibilis, & ſi inſitum eſt ei, vt ſit mortalis & incorruptibilis, non eſt inſitum illi, vt ſit incorruptibilis, & immortalis, alioqui erit eadem ratio contrariorum. Sed abſurdum eſt hoc. Si enim contraria recipit ἀνὰ μέρος, id eſt, viciſſim, at cum aliquid horum habet actu, non iam contrarium actu habere vnquam poteſt. Dicant igitur, an non viſibilis & inuiſibilis, mortalis, & immortalis, circumſcripta, & infinita, & in ſumma generabilis, & ingenerabilis ſimul & in eodem vna natura Chriſti ab ipſis conceditur? Vna quidem hypoſtaſis, & perſona poſſunt ſimul, & in eodem contraria, & oppoſita prædicata recipere, vna vero natura, vt dictum eſt, non nata & apta eſt ad contraria & ad oppoſita ſibi. Prius enim à ſeipſa deficiet, quam hoc patiatur. Atque hæc quidem contra illos. φύσις

Quòd autem nonnulli dicunt, quia humanitas Chriſti non fuit prius formata, neque prius in ſe habuit hypoſtaſim, neque perfecta aſſumpta fuit, ſed in verbo habuit hypoſtaſim, idcirco vnam hypoſtaſim amborum facere. Hoc quidem ex parte verum eſt; ex parte non. Etenim non habuiſſe in ſe hypoſtaſim, neque prius formatam eſſe, nos etiam dabimus; fieri vero propter hoc vnam hypoſtaſim amborum, tanquam non poſſet aliter fieri, neque poſſent Deus, & perfectus homo ſic vniri, hoc non dabimus. Quid enim ſic, aut illo modo habenti amplius erit Deo ad vnionem? Nec enim tempus vnionis, vel locus, vel imperfectio corporis, ſed ipſe modus vnionis vnum Chriſtum fecit. Non igitur propter impoſſibile, ſed quia non decebat nudam eſſe vnquam, & ſine diuinitate humanitatẽ Domini, ideo reiicimus anteformationem. Iis autem, qui dicunt, ex hypoſtaſibus ſequitur anteformatio, & ſcire aliquando nudum hominem, & alium, atq; alium Chriſtum, & verbum: ſin autem non prius formatus eſt, nec ex hypoſtaſibus eſt: ſi autẽ non ex hypoſtaſibus, nec hypoſtaſes ſunt. quomodo enim, niſi ex his hæc? quandoquidẽ neq; ſi ex his concedatur hypoſtaſibus, iam neceſſe eſt & hypoſtaſes dare, vt demonſtratũ eſt. προδιάπλασις. Id eſt, ex hypoſtaſibus hypoſtaſes.

quod ſi ex hypoſtaſibus dicunt, cur non magis ex perſonis? & ſi hoc dicunt, cur non ex filiis altero Dei filio, altero virginis dicere audent? Nihil autem poteſt eſſe magis hæreticum, neque quod propius ad impietatem Neſtorij accedat, quam ſic intelligere & loqui, quamuis ex diametro cum Neſtorio pugnare iſti videntur; vt audacia cum timore pugnat. Sunt autem hæc ſpecies communes vitij, & nimium ac parum contra ſe, & contra virtutem ſeditionem mouent.

Sed hoc aduertere oportet, quod hypoſtaſis non ſimpliciter, neque præcipue perfectum declarat, ſed quod per ſe exiſtit; ſecundo autem loco perfectum. Natura vero quod perſe exiſtit, nequaquam declarat, propriè autem perfectum. Siquidem proprietates, quæ ad rationem hypoſtaſis ſumuntur, faciunt eſſe vnum quemque, aliquem ab aliquibus; quæ verò ſumuntur ad rationem naturæ, non faciunt eſſe aliquem, ſed aliquid ab aliquo. Quæ igitur ſunt ſolius, ſolum etiam eſſe faciunt. Quæ vero communiter exiſtunt ſunt communia, nihil eorum magis vniuerſale vniuerſalibus dicitur, quamuis comprehenderit omnes, ſub eadem ſpecie contentos.

προηγουμένως principaliter.
τινὰ ἀπό τινων.
οὐ τὸν τινὰ μὲν, τὶ δὲ ἀπό τινος.

Et hoc etiam non eſt ignorandum, quod ea quæ naturam ſignant, conſtituunt ſubſtantiam; quæ autem ſignant hypoſtaſim veluti accidentium rationem habent, ſiue ſint ſeparabilia, ſiue inſeparabilia. & in vtriſque ſubſtantiis ſcilicet, & hypoſtaſibus, ſimplicium ſimplices ſunt proprietates; compoſitorum compoſitæ. Sicut in homine, & in definitione eius ſubſtantiam quidem eius ſignant animal, quod eſt contrariorum capax ἀνὰ μέρος, id eſt, diuiſe, ſiue viciſſim, aut per partes, rationale, mortale. Hæc enim eſt ſubſtantiæ eius definitio ἀπλαυς, id eſt, vera. hypoſtaſim vero ſignant figura, color, magnitudo, tempus, locus, parentes, educatio, inſtitutio vitæ, & quæcunque ſunt his conſentanea, quæ ſimul in vnum coacta, aiunt in nullo alio vere dici poſſe, & tamen hæc ſunt vnius hominis, τοῦ τινὸς δηλονότι huius ſcilicet, & proprietates naturæ illa proprie participant, quæ ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, ſiue naturæ. Proprietates verò hypoſtaſis illa etiam participant, quorum ratio diuerſa eſt, poſtquam in vnionem alicuius & coagmentationem naturalem aſſumptæ ſunt. Sic igitur fit in Emanuele, vna quidem hypoſtaſis diuinitatis & humanitatis eſt, & idcirco quæ prædicantur tanquam

Id eſt, huius alicuius, ſiue alicuius huius.

de

Digitized by Google

de hypoſtaſe, communia ſunt vtriusque naturæ; non autem eſt vna natura, ac proinde neque proprietates tanquam naturæ. etſi enim omnia dicuntur de eodem tanquam de vno, non tamen ſecundum idem, neque tanquam de vna natura. Vt idem eſt viſibilis, & inuiſibilis; mortalis, & immortalis; tactilis, & non tactilis non ſecundum idem, nec eadem ratione. quia igitur eſt vnus & idem, tanquam de vno omnia dicuntur, ſed tamen ſecundum aliud, & aliud Ob hanc cauſam non tanquam de vna & ſimplici natura hæc dicuntur, ſed de diuerſis, & compoſitis, & ſeruantibus in vnione naturalem ſuam proprietatem.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONTII BYZANTINI LIBER CVI TITVLVS, DVBITATIONES HYPOTHETICÆ ET DEFINIENTES, contra eos, qui negant eſſe in Chriſto poſt vnionem duas veras naturas.

Nunc primùm in lucem editus.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

EIVS

Digitized by Google

EIVSDEM DVBITATIONES HYPOTHETICÆ, ET DEFINIENTES CONTRA EOS, QVI NEGANT ESSE in Chriſto poſt vnionem duas veras naturas.

Id eſt, ex poſitis & conceſſis.

I.

SI quæ ſunt omnino eadem, ſunt vnius naturæ, hæc autem ipſa etiam vna natura dicuntur; quomodo, quæ non ſunt omnino eadem, vel vnius naturæ erunt, vel vna natura dicentur?

II.

ὁμοούσιος ἡ ὕπαρξις.

Quorum vna eſt natura, communis eſt ratio; quorum autem communis ratio, eiuſdem ſubſtantiæ ſunt. non eſt autem ſecundum ipſos diuinitas Chriſti eiuſdem ſubſtantiæ cum humanitate, non eſt igitur vna horum ratio. quorum autem non eſt vnquam vna ratio, horum naturæ ſemper ſcilicet erunt differentes.

III.

Si qui dicunt Chriſtum eſſe ex diuinitate, & humanitate, etiam ex duabus naturis eſſe dicunt, & idem ſignificare ambo ipſis videtur, quomodo dicentes Chriſtum eſſe poſt vnionem in diuinitate, & humanitate, non cogentur dicere ex datis ac conceſſis à ſe in duabus naturis eſſe? Idem enim etiam hic, quod ambo iſta declarant.

IV.

Si ij, qui dicunt Chriſtum ex duabus naturis, ex diuinitate, & humanitate dicunt, & qui dicunt ex diuinitate & humanitate, ex duabus

duabus naturis eum dicunt,& diuinitatem, atq; humanitatem poſt vnionem etiam dicunt,duas igitur & ipſi naturas poſt Chriſti vnionem quoque dicunt,ſi verò negant dicendum eſſe duas naturas in Chriſto poſt vnionem,igitur negant dicendum eſſe in Chriſto poſt vnionem diuinitatem & humanitatem.

V.

Si cognoſcunt non eſſe confuſa in vnione,quę coierunt;duo autem ſunt quæ coierunt, vt ipſi fatentur; quomodo quæ in vnione non ſunt confuſa,etiam poſt vnionem non cognoſcunt duo eſſe? Si autem cognoſcunt,quomodo non confitentur? Sin verò confitentur,quomodo numerare hæc recuſant,quorum naturæ proprietatem non confuſam poſt vnionem ſciunt? Quod enim confitentur,inquit beatus Baſilius,numerent etiam.

VI.

Si ex duabus naturis dicunt Chriſtum,duas autem naturas Chriſtum non dicunt; ex his quidem,non autem hæc dicunt Chriſtum, dicant igitur,vtrum ex quibus conſtituunt Chriſtum, etiam in his cognoſcere eum volunt? Si enim non ſunt in eo ea, ex quibus ipſe eſt, vel nequaquam ſunt, vel in altero ſunt ſcilicet in aliquo præter ipſum,& quis erit hic, clarè doceant.

VII.

Si in iis,quæ ſunt eiuſdem ſubſtantiæ cum dicitur vna natura, nō identitatem ſubiectorum principaliter declarat, quomodo in iis, quæ ſunt diuerſæ ſubſtantiæ duæ naturæ non differentiam, ſed ſeparationem neceſſariò ſignificant?

IIX.

Si neceſſariò numerus diuiſionem ſecum infert, numerus igitur erit cauſa diuiſionis,non autem diuiſio cauſa numeri, & ex duobus alterum erit neceſſarium,vel nihil numerari eorum, quæ ſunt vnita,vel nihil vniri eorum,quæ numerantur. at quomodo non hoc ridiculum erit talem poteſtatem tribuere numero?Cum omnis numerus quantum in rebus,non autem naturam,vel qualis ſit harum habitudo, demonſtret.

IX.

Si vnio,& vnita ſunt eorum,quæ ad aliquid dicuntur,quę autem ſunt ad aliquid,ſimul ſunt,& ſemper.Simul igitur & ſemper vnio,& vnita.Sin autem vnita deſierunt,deſinit etiam cum ipſis vnio.

X

Digitized by Google

X.

Si numerus omnino ſeparat numerata, non ſolum numerus naturarum ſeparat naturas, ſed & numerus proprietatum omnino ſeparabit. Quomodo igitur qui dicunt duas proprietates, non erunt ipſi ſubiecti cauſæ diuiſionis?

XI.

Si ſecundum Gregorium Theologum contrà eſt in Trinitate, quam in myſterio incarnationis ſaluatoris, tres autẽ hypoſtaſes ſemper, vnam autem naturam in trinitate confitemur; quomodo non duas quidem naturas, vnam vero hypoſtaſim in incarnatione concedemus? Siquidem contra eſt, omnium contraria conuerſio ſecundum totum.

XII.

Si alius, & alius pronomen eſt hypoſtaſeon ſecundum eundem Gregorium; aliud vero & aliud pronomen naturarum; ſemper autem eſt primum in Theologia, id eſt, in myſterio Trinitatis, ſemper igitur ſecundum in incarnatione. Si autem ſemper ſecundum in incarnatione, ſemper ergo naturæ. Siquidem ſemper ſunt pronomina earum.

XIII.

Si idem eſt dicere aliud natura, & aliam naturam, ſemper autem vere dicitur primum in diuinitate ſaluatoris, & humanitate, ſemper igitur ſecundum neceſſario verè ſimul dicitur in eiſdem.

ſcilicet alia & alia natura.

XIV.

Si non eſt idem ſimplex natura, & compoſita, ſimplex autem natura verbi vnam ſolam naturam declarat, compoſita ſecundum ipſos natura Chriſti non vnam naturam declarabit, quod ſi ſimplex & compoſita vnam naturam ſecundum ipſos declarat, dicant differentiam naturæ Chriſti ſecundum ipſos compoſiti, & naturæ ſimplicis verbi.

XV.

Nominum, & verborum partim quidem habent pronunciationem plurium, ſignificationem ſingularis, vt Thebæ, caſtra; partim verò contrà, pronunciationem ſingularis, ſignificationem vero plurium, vt chorus, & exercitus, & ciuitas: dicant igitur, quomodo vna compoſita natura ab ipſis dicitur, ſiquidem, ſicut apud patres natura compoſita natura duplex dicitur, non habet locum, vt compoſitam naturam, vnam exiſtiment, quia neq; duplicem, eritq; inanis eorum concertatio aduerſus duas naturas, ipſi enim ſcilicet patres ſignificationi ſingulari ſenſum plurium reddiderunt, ſin autem,

Digitized by Google

tem, ſicut habet appellationem ſingularem, ſic volunt ſignificationem eſſe ſingularem, idem ipſis ſignificat ſimplex & compoſita natura. Et ſuperuacanea eſt vox compoſiti. Eadē enim notio ipſis redditur ex ſimplici, & ex compoſita natura. Si autem neutrum ex dictis eſt, adulterinam igitur, & confuſam vnam naturam ex duabus naturis confingunt, qualis natura mulorum, & aliorum eiuſmodi excogitata eſt; & quale apud Gentiles deſcribitur multiformium & contrariorum animantium monſtrum.

XVI.

Si dicere vnam naturam verbi incarnatam, contrarium eſt atque dicere duas naturas vnitas, alterutrum neceſſe eſt, aut carnem hanc non eſſe naturam, neque naturam carnis habere; aut cum alioqui ſit, non tamen dici eſſe, quod eſt, eligant ſapientes, vtram harū impietatum malint, naturam hanc non eſſe carnem; an carnem non dici naturam.

XVII.

Vna natura verbi incarnata, triplicem habet notionem, aut enim dicitur κατὰ τὴν ἀντιστροφήν, id eſt, ſecundum reciprocationem, hoc modo eſt vna natura verbi incarnata, quia incarnata rurſus vna natura eſt, hoc eſt, nuda corpore, ſicuti æris ſtatuæ vna natura eſt æris figurata; aut dicitur ſecundum mutationem ſubſtantiæ, vt vna natura verbi carnea facta, vt ſi quis dicat, vnam naturam aquæ lapideſcentem; aut dicitur, quod vna natura verbi cum ſit, non ſola, & per ſe, ſed cum carne conſideratur. Si igitur ſecundum primas notiones vnā naturam verbi incarnatā dicunt, ex eo ipſo, quod dicunt, ipſorum impietas redarguitur, cum Apollinario enim & cum Eutyche myſterium incarnationis tollunt. Si autem ſecundum extremum ſignificatum dicunt, quomodo natura verbi cum carne, cum natura carnis, quæ cum verbo eſt, vna eſt ſecundum naturam? aut quomodo ſi non eſt vna ſecundum naturam, natura vna dicetur?

ἀποσαρκωθεῖσα. ἀπολιποῦσα σάρκ.

XIIX.

Quæ proprie inter ſe ſunt oppoſita, totam negationem toti affirmationi opponūt; vt affirmationi dicenti, Paulus Apoſtolus eſt, opponitur negatio, quæ dicit, Paulus Apoſtolus non eſt. Sic igitur & duabus naturis vna natura oppoſita eſt. Si enim vna natura eſt Chriſtus, non eſt duo. Et ſi duo, non eſt vna. Si autem vnam dicentes, aliud quid addunt, non iam dicuntur ἀντιφατικῶς, id eſt, oppoſitè, ſed diuerſè, & ſecundum periphraſim, & confeſſio duarum naturarum conſtat ipſis ex nomine, & ex defini-

tione: ex nomine quidem naturæ verbi, ex definitione verò carnis animatæ anima rationali, & intelligente, hæc enim eſt definitio naturæ humanæ. Quomodo igitur dicentes definitionem naturæ, appellationem eius recuſant? Aut quomodo appellationem vtriuſque naturæ concedentes, numerum repudiant? Reſpondeant iſti, qui neque quæ ipſis conueniant, neque quæ repugnent, intelligere poſſunt.

XIX.

Simplex natura non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum compoſita; ſi autem ſimplex eſt natura patris, compoſita vero Chriſti natura, nõ eſt igitur natura Chriſti eiuſdem ſubſtantiæ cum natura patris. At ipſi ſimulant homouſion eſſe patri Chriſtum, & nobis homouſion eundem. Dicant igitur, an poſſit vna, vt ipſi dicunt, compoſita natura Chriſti, ex toto eſſe homouſios patri, & ex toto rurſus nobis? Et an non hoc nos etiam ad patris conſubſtantialitatem reuocet? Quod ſi dicant non ex toto vnam naturam Chriſti patri, & nobis eſſe homouſion, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, relinquitur vnius naturę dimidium eſſe patri homouſion, & dimidium nobis: at quid aliud eſt hoc, quam diuidere, quam ipſi dicunt vnam Chriſti naturam in naturam eiuſdem ſubſtantiæ, & diuerſæ ſubſtantiæ, & in partes cõplentium ipſis vnam naturam compoſitam. Eſt autem impietatis Apollinarij, & inſaniæ Arij negare perfectum in diuinitate Chriſti, & in humanitate eius.

XX.

Si Deus, & homo, etiam ſecundum ipſos, vnus Chriſtus etiam poſt vnionem dicitur, natura verò vtrumque, quomodo non duæ naturæ vnus Chriſtus poſt vnionem? Siquidem nunquam ſunt idẽ natura Deus & homo: neque eadem natura vnquem, qua quidem eſt Deus, hac eſt & homo.

XXI.

Si qui dicunt homouſion, & homouſion Chriſtum poſt vnionem, ad aliud, & aliud referentes dicunt, id eſt, ad patrem, & ad nos, nequaquam verò pater, & nos homouſij ſumus, igitur neque quod eſt nobis homouſion, erit vnquam homouſion homouſio patris. Si autem homouſia vnius naturæ ſunt, & dicuntur, non eſt autem homouſios etiam ſecundum ipſos diuinitas humanitati, quæ vero ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, differentis naturæ ſunt, quæ ſunt alia ſecundum naturam, erunt etiam naturæ ſcilicet diuerſæ.

Pro-

Digitized by Google

XXII.

Proprietates non ſuæ, ſed aliquorum ſunt proprietates, ſi vero ſunt duæ etiam ſecundum ipſos proprietates poſt vnionem, duo igitur ſunt poſt vnionem ea, quorũ ſunt proprietates, at duas proprietates qui dicunt, naturales has dicunt, dicant igitur an duæ proprietates naturales non ſint duarum naturarum proprietates. Si autem duas proprietates naturales poſt vnionem confitentur, ſemper igitur erunt duæ naturæ, ſiquidem & duæ harum naturales proprietates.

XXIII.

Differentia neceſſariò eſt differentium differentia. Differentiæ enim conſtituentes diſtinguunt, quæ ſecundum ſubſtantiam differunt. Dicant ergo an dicentes differentiam diuinitatis, & humanitatis, non dicant naturalem differentiam etiam poſt vnionem? Si verò naturalem dicunt differentiam, naturarum differentiam neceſſariò dicunt. Si vero hoc, duas igitur naturas differentes & ipſi poſt vnionem dicunt. Siquidem duæ naturæ naturali differentia neceſſario duæ naturæ ſunt.

XXIV.

Si ſecundum veritatem, & ſanctos patres, hanc habet differentiam ſubſtantia ab hypoſtaſi, quam habet commune à proprio, vna natura verbi, non dicitur vna cum carne ſed cum patre; cum ipſo enim habet vnitatem naturæ, & identitatem. Si autem vna natura eſt & dicitur cum patre, manifeſtum euadit, quod nunquam natura vna cum carne dicetur. Si autem verbum non vna natura cum carne dicitur, liquet, quod neque caro cum verbo vna natura dicetur. Si autem neque verbum cum carne, neque caro cum verbo vna natura dicitur, inter vnam autem, & duas nihil medium eſt, manifeſtum eſt, quod negatio vnius naturæ confeſſionem duarum naturarum ſecum ex conſequenti infert.

XXV.

Si hypoſtaſis verbi proprietatem à patre diſtinguit, hac autem proprietate à patre diſtinguente, quæ eſt hypoſtaſis, alius eſt à patre; non autem hac diſtinguente proprietate à carne diſtinguitur, quomodo alius erit verbum à carne; vel tanquam hypoſtaſis ab ipſa ſeparabitur? Si autem non hac proprietate à carne diſtinguitur, alia ſcilicet proprietate naturæ diſtinguetur, quæ cum patre copulans, à carne eum diſtinguit. Hinc igitur pateſit, quomodo duas quidem natu-

ras in Chriſto dicimus, vnam vero hypoſtaſim: quoniam proprietate diſtinguente à patre vnitur cum carne; ſicut ſane proprietate naturali vniente eum cum patre differentiam à carne habet. Et ſicut eſt vna natura cum patre propter eandem vnitatem naturę, ſic etiam non eſt vna natura cum carne propter naturalem, & immutabilem proprietatem huius in vnione cum verbo.

XXVI.

Si omnia eiuſdem ſubſtantiæ, ratione naturæ vnita ſunt, & idcirco dicuntur vna natura; quæ autem diuerſæ ſubſtantiæ ſunt, vnione, non natura vt copulentur, apta nata ſunt, non eſt autem idem vnio & naturâ, non eſt igitur idem, quod ex vtriſq; fit. Si autem quæ natura copulat, natura vna dicuntur; vnione copulata, hypoſtaſi quidem, ſed non natura ac ſubſtantia vnum eſſe dicentur.

XXVII.

Communiter ab omnibus conceſſum eſt, nomē hominis naturam declarare, Pauli autem, & Petri hypoſtaſim. Secundum autem beatum Cyrillum nomen Chriſti neque vim definitionis habet; nec alicuius ſubſtantiam declarat, vt hominis, & equi, & bouis, & vniuſcuiuſque eorum, qui ſub eadem ſpecie continentur; igitur non eſt idem hominem ſimpliciter dicere, & Chriſtum, quomodo igitur exemplum hominis, quod nomē naturam ſignificat, ad perſonam Chriſti transfertis; cum nomen Chriſti ſecundum Doctorem non naturam, ſed hypoſtaſim declaret? Si verò dicitis ipſum Cyrillum, & alios patres vſos eſſe exemplo hominis ad rationem vnionis, non hominem ſimpliciter, ſed aliquem ſumunt, hic autē hypoſtaſis eſt. Aduertite autē, ꝙ in duobus hircis ipſum Chriſtum deſcribit. Sicut igitur hic nō ad hypoſtaſes hircorū refert exemplū, ſed ad differentiā viui, & immolati, ſic etiā hic non ad interimendas naturas, ſed ad vnitatem perſonæ imago alicuius hominis ab ipſis patribus ſumitur. Quod autem hic aliquis homo ex duabus naturis, & duæ naturæ eſt & dicitur ab eiſdem patribus, ex ſcriptis eorum multis locis probari poteſt.

Leuit. 16. τὸν τινὰ. *Vide Epiſt. 39. S. Cyrilli,* ἄτις.

XXIIX.

Dici Chriſtum ex duabus naturis, aut tanquam ex principiis, aut tanquam ex ipſis partibus vnitis intelligendum eſt: ſi tanquā ex principiis; ex hypoſtaſibus potius quam ex naturis erunt principia eius. Siquidem principia eius ſecundum diuinitatem, pater; ſecundū humanitatem mater. Qui autem eſt ex his tanquam ex cauſis, manifeſtum eſt, quod non eſt eadem, non enim eſt pater, neque mater. Si

vero

vero tanquam ex partibus, quomodo non ſunt in toto partes? Aut quomodo totum non eſt in partibus? Si enim neque totum eſt in partibus, neque partes in toto, relinquitur, vt antea dictum eſt, vel minime eſſe hæc, vel in altero præter Chriſtum cerni diuinitatem Chriſti, & humanitatem; & in aliis Chriſtum, & non in diuinitate, & humanitate eius, hoc autem non ſolum humanitatis eius, ſed ipſius diuinitatis verbi eſſentiam tollit.

XXIX.

Quantum in rebus non ſolum exiſtit ex numero definito, vt duorum, vel trium, vel quatuor, & deinceps, ſed ex non definito, vt ſunt multa, pauca, plura, pauciora, & ſimilia, & ex analogia, ſiue proportione, vt maius, minus, æquale, ad aliquid, & ex voce, quæ vocatur indicatiua, vt hoc, & illud, & hæc, & aliud, & diuerſum; aut ex ordine, vt ante hoc, & poſt illud, & à principio, & poſtea. & ex aliis etiam modis, vt conſentaneum eſt, ſi igitur omnes modos declarantes res, ſciunt iſti diuidere res declaratas, ex eo ipſo redarguitur eorũ abſurdum, etenim ipſi vnam, & vnam dicunt, & naturas infinitè, & proprietates, & hoc, & illud, & aliud, & aliud, & diuerſum, ac diuerſum, & maius, & minus, & æquale, & ad aliquid, & ante hoc, & poſt illud. Sin verò non omnes modos, ſed numerum definitum tantũ, præſertim numerum duorum ponunt diuidere, ſortiri eſt ſic loqui. Dicant enim ipſi, cum multis modis quantitas ſubiectorum declaretur, quare ſolus numerus duorum, ſuſpicionem diuiſionis, quam tantopere metuunt, ipſis iniicit, cum aliter in re & veritate ſit? Duo enim ſimul, quæ numerantur, ſed non ſeparata ſecundum vim colligentem huius numeri magis demonſtrant, quàm numerus *vnius*; & *vnius* ſolutus per ſe conſideratus.

XXX.

Si omnis compoſitio ſingulariter effertur, & numerum eiicit ex compoſitis, alterum duorum neceſſarium erit, aut non eſſe compoſitum corpus noſtrum, & totum hominẽ; aut non prædicari de corpore, & toto homine ſecundum ipſos numerũ. Dicant igitur, an nõ ſignificent nobis numerum cõpoſitorum hæc, quæ ſic in ſcriptura ſunt: poſuit membra, vnum quodque eorum, in corpore: & multa quidem membra, vnum vero corpus. & illud, dinumerauerunt omnia oſſa mea; & foderunt manus meas, & pedes, & effuſa ſunt omnia viſcera eius. Immo in ambabus partibus

partibus hominis tria numerat Apoſtolus, animam, & corpus, & ſpiritum, quæ fermentata ſunt ſecundũ parabolam ſaluatoris in farinæ ſata tria. Et rurſus, glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. Et iterum de eiſdem, hæc autem ſibi inuicem aduerſantur. Dicant ergo, an non ſunt, quæ, & hæc, & ſibi inuicem aduerſantia ſpecies numeri? Dicant præterea, qui duo in tecto & duæ in mola, quorũ vna aſſumitur, & vna relinquitur? Præterea, dicant, an non intelligit dominus eſſe hominem duo, corpus ſcilicet, & animam? Ex quibus corpus quidem occidere poſſunt, qui inſidiantur; anima vero non poteſt inſidiis occidi; ambo vero in gehenna pereunt, ſi digna eſſe interitu iudicentur. Si enim dicamus naturã temporis continuam magis vnitam, poſtea in duodecim horas à domino diuiſam eſſe; vel rurſus, ſicut ipſe dixit, totam legem in his duobus mandatis pendere charitatis in Deum, & in proximum, fortaſſis, ipſe dominus nobiſcũ crimen diuiſionis non effugiet, qui diem in XII. horas diuiſit, & totam legem in duo generalia mandata. Denique qui ſtudioſe ſcripturã, & patres legerit, varium, & multiplicem vſum numeri reperire poterit in ſimplicibus, in compoſitis, in vnitis, in diuiſis, in iis, quę ſunt per ſe, & iis, quæ cogitatione conſiderantur, qui varius vſus vſque ad ea progreditur, quæ ſunt penit° ſine hypoſtaſi, illud etiã non eſt ignorandum, quod ſimulant apud ſimpliciores, quaſi aliquid differat dicere duo, & ambo, & vtraque, & in ambobus, & per ambo. Hæc .n. omnia, & quæ huiusmodi ſunt idem ſunt inter ſe, licet partim quidem horum in communi conſuetudine, partim vero apud elegantiores reperiantur. Sicut multa alia huiusmodi multis partibus orationis declarantur. Diuinus igitur Apoſtolus variũ vſum horum in eiſdẽ rebus variat cum ait, qui fecit vtraq; vnũ: & rurſus, vt condat duos in ſe ipſo, & quæ ſequuntur, & reconciliaret ambos, vt veriſſimũ ſit, nec in diuina ſcriptura, nec in ſanctis patrib° facere hæc differentẽ ſenſum in ſignificatione differente, ſed potius in quo vnũ horum reperitur, idẽ declarari differente horum omniũ ſignificatione. Nos vero gratias Deo pro iis, quæ hactenus diximus, agentes, hic numerũ dubitationũ finiemus. Non .n. propoſitum nobis fuit, libros ſcribere, ſed tradere ſtudioſioribus adiumẽta, & ſemina perfectioris retractationis horũ; vt poſſint ſcire ſapientes, qui non de omnibus dubitant, eſſe alia, quę vt magis à nobis dubitentur, ipſi digni ſunt.

Finis dubitationum Leontij Byzantini.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

CVm Leontius in libro de Hæreſibus Act. 8. percenſeret, quænam Seueriani argumenta ex libris patrũ obiicere ſolerent: ſic inter cætera ſcribit. *Producunt & aliam auctoritatem ex Erechthio, cuius inter patres nec auditum eſt vnquam nomen. Adeo quidem, vt cum Timotheus contra Synodum ſcripſiſſet, & auctoritatem Erechthij citaſſet, Cyrus, qui apud ipſum presbyteri loco eſſet, his ad eum verbis perſcripſerit: mallem hoc te corrigere: nã Erechthij nomen inter patres auditum nunquam fuit.* Hæc Leontius de Timotheo hæretico Seueriano, de cuius opere aduerſus Synodũ Chalcedonenſem fortaſſis fragmentum eſt hoc, quod inter clariſſimi Turriani ſchedas repertum, ad calcem Leontij adiicere placuit; vt Leontio de Erechthio & Timotheo ſcribenti lux inde accendatur.

Auctoritates Sanctorum patrum contra eos, qui diuidunt in duas naturas vnum dominum Ieſum Chriſtum poſt vnionem: Collecta à quodam Hæretico, ſiue is Timotheus, ſiue quis alius fuerit.

BEati Erechthij epiſcopi Antiochiæ in Piſidia ex homilia recitata in ſancta epiphania in eccleſia Conſt. ſedente beato epiſcopo Proclo, Ex magno propheta Eſaia audiuimus, cum ait, puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius; & vocatur nomen eius magni conſilij angelus, admirabilis, conſiliarius, princeps pacis, pater futuri ſæculi. Ne igitur aliquis Iu-

daicus ſurculus vos decipiat, ſic enim appellandi ſunt, qui hæreticos ſectantur, quaſi alius ſit, qui natus eſt; & alius, qui in eo habitauit Deus; & quaſi duæ ſint eius, qui natus eſt, naturæ. Si quis enim hoc de Emmanuele dicere auſus fuerit, oppone ei hoc ſolum nomẽ, memoria huius nominis erit ei frænum ſilentij. Non enim duas naturas, ſed Deum incarnatum virgo myſticè peperit, cum ſpiritus ſanctus in eam ſuperueniſſet. Etenim ſi Chriſtus eſſet fœtus ſeminis humani, concederem fructum ſecundum naturam imitari radicem. Sin vero eſt ex ſpiritu ſancto ſecundum vocem archangeli, Deus eſt qui natus eſt, quia Deus eſt cauſa ortus.

Beati Theodoti Epiſcopi Ancyræ.

QVa de cauſa paſſiones hominum fecit proprias? Quia volebat paſſionem paſſione tollere, & morte mortem conſumere, & quia voluit ſimilia ſimilibus expugnare, propriam facit crucem; ꝓpriam facit alapam; ſuum facit vinculum, & ligationem. Et factæ paſſiones Dei poteſtatem accipiunt contra paſſiones. Non enim natura Dei affecta eſt iniuria, neque propria mutatione paſſiones ſuſcepit. Et vires acceperunt à Deo paſſiones contra ſimiles paſſiones. Deinceps enim mors tanquam Dei facta, mortem delet, & mortuus tyrannidem mortis diſſoluit.

Cyrilli ex Epiſt. ad Succeſſum.

QVid neceſſe eſt pati eum, in propria natura, ſi dicitur poſt vnionem vna natura filij incarnata? & paulo poſt, temerè nugantur, qui aiunt ſequi, oportere eum in propria natura ſuſtinere paſſionem, ſuppoſita carne, circa quam accidere pati, conſentanee intelligitur, verbo remanente impatibili. Sed non propterea extra paſſionem eum ponimus. Sicut enim factũ eſt corpus propriũ eius, ſic omnia corporis, excepto ſolo peccato, nihilo minus eius eſſe dicentur ſecundum œconomiam, οἰκείωσιν, id eſt, appropriationem.

Beati Theodoti Epiſcopi Ancyræ.

TAnquam vnum & eundem eſſe diuinè quidem glorificatum, & humanè patientem, omnes nobis fatebuntur, qui vnionem diuinitatis & humanitatis fatentur. Quod enim vnitum eſt, non iam duo, ſed vnum nominatur. Quod ſi vnum, quæ rurſus παρείσδυσις, id eſt, occultus aditus? Quid vnumquodque priuatim conſideras?

ſideras? Ergo ſoluis vnionem. Fieri enim non poteſt, vt ſeruetur vnio, & vnumquodque priuatim ſpectetur. Quin potius quod vnitum eſt inſolubiliter, vnum factum eſt, & non ſunt iam duo. Sed κατ' ἰδίαν. cogitatione, inquit, ſeparo. Igitur eadem cogitatione vnionem ſoluiſti, vt enim ſeparas alterum ab altero, ſic vnionem ſcindis. Quid igitur diſſoluis œconomiam ſaluatoris, cum duo intelligis, & vnionem reiicis? Et paulo poſt, ſi enim ratione vnis, ne ſcindas cogitatione. Sin vero cogitationibus ſcindis, vnionem negaſti. Ne igitur ad naturas ſeparatas deducas cogitationem, Deo ſummam vnionem operante crede miraculo, & ne ſcruteris ratiocinationibus quod factum eſt, ne diſſoluas miraculum, dum contendis reperire rationem. Non enim manet admirabilis ratio, ſi noſcitur.

Eiuſdem; vbi eſt qui diuidit Chriſtum? Vbi qui myſterium noſtrum vertit in homonymiam, cum vnum Chriſtum dicit, & duos ſubiicit, vnum quidem ſeruum, alterum vero dominum; vnum patientem; alterum non patientem. Quæ vtilitas vnius nominis, duabus rebus ſubiectis?

Eiusdem, quomodo propter nos factus eſt pauper, dicant, qui humanitatem à verbo diuidunt? Qui vnitum diſſeparant memoria duarum naturarum? Qui duo quædam dicunt Chriſtum, & vnum ſola cogitatione ad apologiam afferunt?

Annotatio in præcedens fragmentum.

VT hodie hæretici citant ſanctos patres; ita & olim citabãt; perperam nimirum, impudenter & deprauatè. Nihil opus exemplis. Vel iſte quisquis fuit ſatis exempli ſuppeditat: qui tam audacter S. Cyrillum & Theodotum Ancyranum teſtes laudat, quaſi Seuerianæ impietati patrocinarentur. De loco Cyrilli fusè diſputat Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium in Bibliotheca. Et Concilium Chalced. Act. 1. Damaſcenus lib. 3. de fide Orthod. cap. 7. & alij.

Digitized by Google

De Theodoto Ancyrano hæc Gennadius in Catalogo ſcriptorũ Eccleſiaſticorum. *Theodotus Ancyranus Galatiæ Epiſcopus, ſcripſit aduerſus Neſtorium adhuc Epheſi poſitus librum redargutionis & confutationis: Dialectica quidem arte ordinatum, ſed auctoritate ſanctarum ſcripturarum detextum; multis enim aſſertionibus vſus eſt antequam ſcripturarum teſtimonia poneret.* Hæc Gennadius. Subſcripſit hic Theodotus in Concilio Epheſino cum reliquis Epiſcopis exauctorationi Neſtorij. Exſtat tõ. ſecundo Synod. Ephe. edit. Peltani c. 10. De eodẽ Trithemius lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſt. Clarus fuit inter patres Concilij Epheſini: in quo tres eius leguntur Homiliæ: vna contra Neſtorium: duæ in Natalem ſaluatoris noſtri.

Notæ

Notæ in librum primum Leontij.

CLaruit Leontius iſte ſub Iuſtiniano Imperatore, huius nominis primo, patria Byzantinus: malè enim apud Cyrillum in vita S. Sabæ cap. 95. *Byzancenus* fuiſſe ſcribitur. Monaſticam vitam profeſſus eſt in Palæſtina, in Noua Laura S. Sabæ: cum tribus ſociis; quorum vnus erat Nonnus, cuius non ſine Elogio meminit Leontius in præfatione ſui operis. Quæ fortè cauſſa eſt, cur Leontius in Codice Bauarico nominetur *Hieroſolymitanus*: nam Laura S. Sabæ Hieroſolymis procul non aberat: Hinc fortaſſis librarius, aut alius quiſpiam, Hieroſolymitani titulo eum cohoneſtauit, cum reuera Byzantinus eſſet. Ingreſſus eſt autem Lauram cum ſociis ſub præfecto Paulo; qui, vt ait Cyrillus in vita S. Sabæ, *erat quidem Romanus genere, ſed ſimpliciſſimus & ab omnibus negotiis alieniſſimus*: In cuius locum ſubiit Agapetus. De quo hæc Cyrillus: *cum Agapeto Lauræ commiſſa eſſet præfectura, inuenit quoſdam ex fratribus (erant autem hi quatuor à Paulo Abbate admiſſi, qui fuit ſimpliciſſimus, nec bene examinati) tanquam virus ſub labris quædam Origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat Nonnus Paleſtinus*; quem, vt & Leontium alioſque, hæreſi Originiſtarum infectos miras turbas in Monaſteriis Palæſtinæ excitaſſe idem Cyrillus in vita S. Sabæ ſæpius memorat: vt & in vita S. Quiriaci Anachoretæ. *Apud Surium Tom. 6. & Tom. 5.*

Addit; illos non tantum Origenis, ſed & Theodori Mopſueſteni dogmata defendiſſe. quod mirum videri poteſt; cum Leontius toto libro tertio eius operis; quod nunc vulgamus, Theodorum Mopſueſtenum, Diodorum Tarſenſem; eorumque diſcipulum Neſtorium acerrimè oppugnet; & tanquam omnis impietatis magiſtros deteſtetur. Vt & in alio opere, quod de ſectis edidit: quod Ioannes Leunclauius Græcè & Latinè primus publicauit, Latioque donauit.

donauit. Et cum in eodem libro actione vltima Origenem & Origeniſtas ex profeſſo refellat; difficilè creditu eſt; Leontium hac labe fuiſſe inquinatum: niſi quis dicere velit; hæc non ſeriò ab illo ſcripta: nam ſi qui Hæretici vnquam fuerunt; qui aliud in ore, aliud in pectore ferebant: in his certè Origeniſtæ poſtremi non ſunt cenſendi: aut Leontium poſt librum illum de ſectis euulgatum in hæreſin Origenicam incidiſſe:. Et hæc dicta ſint in eius gratiam; qui Cyrilli narrationibus fidem præbere velit: nam & libro 3. præſentis operis num. 40. fatetur Leontius Origenẽ à veritate excidiſſe. Quod non videtur dicturus fuiſſe ſi Origenis erroribus adhæſiſſet.

Scribit idem Cyrillus Ioannem Silentiarium litteras dediſſe ad S. Quiriacum Anachoretam; quibus rogabat; Deum impenſius oraret; vt Origeniſtæ; *qui erant in noua Laura cum Nonno & Leontio, vincerentur; & ſummam illam amitterent arrogantiam.* Illum autem reſpondiſſe: *ne animo angamur, ô pater, citò enim videbimus Nonnum quidem & Leontium è vita exceſſiſſe miſerrimè: lupos autem qui verſati ſunt in Laura, turpiſſimè illinc expelli.*

Præter libros, quos nunc primum publici iuris facimus ex Schedis Franciſci Turriani; doctiſſimi & clariſſimi Theologi, de Societate IESV; beneficio & liberalitate R. P. Antonij Poſſeuini; qui Schedas illas Turriani malè, neſcio vbi; quà ab aqua, quà à blattis & tineis paſſim acceptas, nobiſcum candidè communicauit; ſcripſit Leontius librum de Hæreſibus decem capitibus, ſeu, vt ipſe vocat, Actionibus conſtantem:. quem ex tenebris in publicum extraxit Leunclauius; vt paulò antea dicebamus. Eſſe autem Auctorem libri huius hunc noſtrum Leontium probatur primò ex cognomento Byzantij. Secundò, ex ipſo diſputandi genere. Eſt enim argutum, doctum, planeque Philoſophicum; Leontium enim Theologicis & Philoſophicis diſciplinis excellenter excultum fuiſſe; vt cætera argumenta deeſſent; libri profectò; quos nunc publicamus, abundè id docent. Tertiò; ex titulo libri; qui eſt iſte: λεοντίου σχολαστικοῦ βυζαντίου σχόλια ἀπὸ φω-

νῆς

ὑπὲρ θεοδώρου, τοῦ θεοφιλεστάτου ἀββᾶ, καὶ σοφωτάτου φιλοσόφου, τήν τε θείαν καὶ ἐξωτικὴν φιλοσοφήσαντος γραφήν. *Leontij Aduocati Byzantini, Scholia ſeu Schola, excepta ex ore Theodori religioſiſſimi Abbatis, doctiſſimique Philoſophi, diuinis pariter externiſque litteris eruditi.* Nam iſte Theodorus alius non eſt; quam ille cuius Cyrillus in vita S. Sabæ & S. Quiriaci ſæpius meminit; quemque cum Nonno & Leontio non ſemel Origeniææ hæreſeos, & ſeditionum in Monaſteriis concitatarum inſimulat: qui poſtea ex Monacho, Cæſareæ Cappadociæ Antiſtes creatus eſt; vt idem Cyrillus teſtatur.

Porro Scholaſticum reddit Leunclauius *Aduocatum*. Non male: nam inter cæteras hanc etiam notionem Scholaſtici vocabulum habet; vt multis exemplis oſtendit Cuiacius, ad lib. 12. Cod. Iuſtin. titulo 61. Leg. 2. & ad Nouellam 80. Vide Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. die 6. Februarij. Sed cum Scholaſtici nomine ſignificentur quoque Rhetores, & declamatores litium fictarum; vt ex Tacito, Plinio, S. Hieronymo & alijs Cuiacius & Baronius demonſtrant; incertum relinquitur; hancne an illam ſignificationem vox *Scholaſtici* habeat, quando tribuitur Leontio; qui tamen antequam Monaſticam vitam complecteretur; forenſium actionum non videtur fuiſſe expers: quem incautum & improuidum Neſtoriani in ſuam naſſam pellexerant; vt ipſe ſcribit lib. 3. ex tribus: qui iam prodeunt.

Præter hæc librum aduerſus Philoponum elucubrauit; de quo Nicephorus lib. 18. cap. 48. *Quinetiam poſt illum eruditi quidam homines, ea quæ perperam à Philopono prolata ſunt, refellerunt. Et cùm plerique alij ea ſcriptis ſuis oppugnarunt, tum Leontius Monachus omnium maximè egregium librum triginta capitum contra illum conſcripſit; quo ſimul & hæreſin illam prorſus euertit; & piam noſtram ſententiam valdè confirmat.* Hæc Nicephorus.

Exſtat in Bibliotheca Bauarica num. 117. eiuſdem Leontij inſigne volumen aduerſus Eutychianos, ſeu Seuerianos & Neſtorianos, in octo libros diſtinctum, quorum primus hanc habet inſcriptionem, Sexaginta tres ἀπορίαι ſeu quæſtiones propoſitæ illis, qui v-

nam

Digitized by Google

nam in Chriſto naturam ſtatuebant: huiusque dogmatis refutatio & teſtimonia ſanctorum patrum.

Secundus. Aduerſus illos, qui duas in Chriſto hypoſtaſes ponunt, nullamque compoſitionem in illo admittunt.

Tertius. Redargutio eorum, qui aſſerunt duas, & non vnam hypoſtaſin in Chriſto, idque ex ipſo Incarnationis myſterio probare contendunt.

Quartus. Redargutio eorum, qui duos filios ex Incarnationis myſterio introducunt.

Quintus. Redargutio eorum, qui beatam virginem θεοτόκον ſeu Deiparam nominare abnuunt.

Sextus. Demonſtratio aduerſus eorum impietatem, qui impudenter naturalem diuinitatem Chriſti veri Dei noſtri negant.

Septimus. Demonſtratio impietatis, qua laborant ij, qui fatentur quidem Chriſtum Incarnatum, fuiſſe hominem θεοφόρον, *Deiferum*, ſed non Deum.

Octauus. Refutatio eorum, quibus ſolenne accuſare illos, qui dicunt, vnum ex ſancta Trinitate paſſum eſſe in carne.

Hic tantus theſaurus adhuc in Bauarica Bibliotheca latet. Vtinam eruditus interpres exſiſtat; qui eruat. Eruditum poſtulo; quia Leontius eruditiſſimus eſt; & ſemper illis in argumentis occupatur, quæ etiam acutiſſimos Scholaſticæ Theologiæ profeſſores exercent: videturque Leontius eò omnem ſuam operam & induſtriam conuertiſſe: vt Eutychis, & Neſtorij ſectatores excinderet, funditusque exſtirparet. Indicio ſunt tot in illos ſcripta volumina; tanto doctrinæ & ingenij apparatu. Scripſit autem Leontius tres libros, quos nunc à nobis lector accipit, ante quintam Synodum Conſtantinopoli ſub Iuſtiniano coactam: nam Synodum Chalcedonenſem nominare ſolet poſtremam. Sed ſatis de Leontio.

Nunc breues notulas accipe; quas ferè Turrianus margini ſuorum aduerſariorum adſcripſerat: ſed eas huc transferre placuit: quod oræ libri earum vix capaces eſſent: idque hoc etiam nomine libentius fecimus; quod Græca nonnulla admixta ſint; quæ latinis obſcurioribus aliquid, vt ſpero, lucis accendent.

p. 1. v. 23. Et ſunt tanquam ex iuſſione) ὅτον ἐξ ἐπιτάγματος συντρόπ. Ibid. v. penult. aliter. σαπροφιλοσόφους, id eſt, *putres philoſophos.*

p.2. Abbas Nonnus.) Aliter depingitur Nonnus iſte à Cyrillo in vita S. Sabæ & S. Quiriaci.

p.4.v.28. Definitio verò hypoſtaſis) Hypoſtaſis ſignificat ſubſtantiam particularem non quocunque modo, ſed quatenus eſt in ſuo complemento, id eſt, per ſe ſeparatim & incommunicabiliter exiſtens. Quatenus verò venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypoſtaſis. Anima & corpus, ex quibus homo componitur & completur in ſpecie ſeu natura humana; ſunt ἐνυπόςατα. Conuenit cum his definitio Damaſceni in Logica cap.44.

Ibid.v.23. Rationem eſſentiæ recipit) τὸν τοῦ εἶναι λόγον.

Ibid. Hypoſtaſis verò rationem per ſe eſſentiæ) τὸν τοῦ καθ' ἑαυτὸν εἶναι. Ibid.v.25. Declarat aliquem vnum.) τοῦ τινὸς δηλωτική.

Ibid.v.30. Communionem verò eſſentiæ.) τοῦ εἶναι.

Ibid. Simul etiam inter ſe.) ἅμα καὶ ἐν ἀλλήλαις.

pag.9.v.10. Duplicem eſſe.) Duplex definitio perfectionis in Chriſto, altera ſimplex dicta: altera, in habitudine. ſimplex ad diuinitatem verbi ſpectat: illa, quæ in habitudine conſiſtit, pertinet ad vnionem verbi cum humanitate.

Ibid.v.17. Hoc autem annotandum eſt.) Aduerte, quod definitiones non inferunt ſimul cum definitis loca & tempora, nec enim, quæ definiuntur, conſtant ex his, quamuis in his: hominem enim definientes, animal rationale mortale dicimus, quando autem natũ ſit, aut vbi exiſtat, non ſubijcimus: eſſentiam enim animalis ſolum ſignificamus, relictis illis, quæ in omni re creata coniunctè intelliguntur: quæ ſunt tempus & locus. ſine tempore enim & loco nihil rerum creatarum dicere aut intelligere poſſumus.

p.7.v.14. naturaliter.) οὐσιωδῶς, q. d. eſſentialiter.

Ibid.v.23. propter vnionem cum corpore.) διὰ τὴν κρᾶσιν τοῦ σώματος. q. d. propter mixtionem cum corpore.

Ibid.v.26. ratione exiſtentiæ.) ὑπάρξεως λόγῳ.

Ibid.v.33. contemplationes.) ἀΰλους ἐμφάσεις vocat τὰς θεωρίας τῶν ἀοράτων, ἤτοι τῶν μὴ βλεπομένων, conſiderationes inuiſibilium vel non apparentium, vt S. Paulus ait.

p.9.v.1. cauſſæ hypoſtaſin.) vtitur vocabulo *cauſſæ* pro principio, more Græcorum.

p.10.v.33. communicatio quidem indiuiduorum.) communicatio indiuiduorum ad ſpeciem eſt ſecundum naturam, & non ſecundum appellationem; quia indiuiduum naturaliter participat ſpeciẽ,

Digitized by Google

quæ cum ipſo communicatur ſecundum naturam; ſed non prædicatur indiuiduum de natura, directa ſcilicet & vſitata prædicatione, non enim dicimus: Homo eſt Petrus. Contrà verò fit in communicatione vniuerſalium ad particularia. Eſt enim hæc communicatio ſecundum appellationem ſeu prædicationem; cum vniuerſalia de particularibus directa prædicatione prædicentur; dicimus enim Petrus eſt homo.

p.11.v.2. ab homine vniuerſali) πρὸς τὸν καθόλου ἄνθρωπον.

verbum caro
Ibid. v.30. ſcribe igitur tria latera) pater. △ caro. Verbum △ pa-
pater
ter. caro △ verbum.

p.12.v.24. niſi in inſcitia) σοφοὶ τὴν ἀπαίδευσίαν.

Ibid. v.35. nomen certum) κλῆσιν ὁμολογουμένην.

p.13.v.3. nomini artis) τεχνικὸν καὶ ἐπιστημονικὸν ὄνομα.

p.15.v.10. vnita non ſunt confuſa) κραθέντα οὐ συγκέχυται. vtuntur Orthodoxi ſcriptores vocabulo κράσεως, q. d. mixtionis, in myſterio Incarnationis explicando: ſed vtuntur ſenſu bono & cõmodo vt præciſe vnionem ſignificet. Photius de Eulogio Patriarcha Alexandrino. κέχρηται δὲ καὶ τῇ λέξει τῆς κράσεως εὐσεβῶς μέν. *Vſus eſt & Craſeos vocabulo: ſed pie, teſtatus ſe id non vſurpare more amentis Apollinarii: neque impii Eutychis; ſed vt pietatis regula præſcribit.*

p.17.v.13. per partes explicatio) ἐξάπλωσις εἰς τὰ κατὰ μέρος.

Ibid. v.23. quod ſummum eſt in vnitis.) τὴν ἀκρότητα τῶν ἡνωμένων.

Ibid. v.29. talis habitudo.) ποιὰ σχέσις. *habitudo qualificata.*

Ibid. v.30. lucerna) θρυαλλίς.

p.19.v.5. vnum quoddam) ἕν τι τούτων εἶναι ἀποτέλεσμα.

p.28.v.18. S. Iulij Epiſcopi Romani) Alibi, nempe in libro de ſectis actione octaua, negat Leontius hanc Epiſtolam in Synodo Epheſina citatam tom.2. cap.7. eſſe Iulij Romani Pontificis: ſed ait eſſe Timothei Apollinariſtæ. Verum Elogius Alexand. Patriarcha apud Photium non diffitetur à Iulio ſcriptam illam Epiſtolam, quæ eſt, vt ipſe loquitur ad Docium, ſeu vt habent Acta Concilij Epheſini, ad Proſdocium. citatur autem in Concilio non is, quem Leontius adducit locus, ſed alius; vt Concilium cum Leontio conferenti patebit.

Notæ

Digitized by Google

Notæ in ſecundum librum Leontii.

pag.41. Inſitum eſt) συμπέφυκε τῇ ἀσεβείᾳ τὸ φιλεχθρὸν, καὶ τὸ πολεμοχαρές.

pag.44.v.28. vt nullam hyperbolen) ὥστε μηδεμίαν ἔχειν σοφίας ὑπερβολήν. Hyperbole ſapientiæ fuiſſet, ſi corpus natura impaſſibile paſſum fuiſſet. Quis enim crederet? Etſi enim credimus, quæ ſunt ſupra naturam, quam videmus; & ſupra rationem, quam attingimus, non tamen ſunt contra naturam & contra rationem ſimpliciter.

pag.52.v.10. altè ſtimulent) τὸ βάθος κεντρίζοντα.

Ibid.v.16. Quantum in natura eſt) ὅσον γε ἐπὶ τῇ φύσει.

p.55.v.29. rationem formationis corporis) οὐσιώσεως τοῦ σώματος.

Ibid.v.32. ſed ex tota & ſubſtantiali) ὁλικῆ καὶ οὐσιώδους ἑνώσεως.

p.60. v.2. circumdedit) περιτέθεικεν.

Ibid.v.3. ſeipſum circuminduit) ἑαυτὸν περιπλάσας.

Ibid.v.9. proprietatis filij.) υἱικῆς ἰδιότητος. Ibid.v.10. vnio verbi cum natura noſtra) συμφυὴς ἕνωσις τοῦ λόγου. Producit deinceps Leontius teſtimonia ſanctorum patrum, qui probandæ veritatis modus ſcriptoribus, qui aduerſus Neſtorianos, Eutychianos, & Iconomachos pugnarunt, admodum familiaris fuit: vt intelligere licet ex operibus S. Damaſceni; S. Anaſtaſij Sinaitæ; & ex ipſo Concilio Epheſino; etſi nec ipſi Eutychiani ſegnes erant in adducendis patrum auctoritatibus; ſed more omnium hæreticorum vel ſuppoſititiis; vel male intellectis prauèque detortis: maximè autẽ gloriabantur teſtimoniis Gregorij Thaumaturgi, Athanaſij, Iulij Pontificis Romani, Cyrilli Alexandrini, & Erechthij, hominis planè obſcuri, & Eutychiano fermento infecti; vt apud Photium oſtendit Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, cùm ex teſtificatione aliorum; tum ex propriis Erechthij ſcriptis.

Notæ in librum tertium Leontii.

p.71.v.3.quod ſit ad ſtudiũ) ἐμπόδιον πολιτικῆς φιλοσοφίας.

Ibid.v.16. in actu ſuo perſonali.) δραματικῷ φάσει καὶ προσώπῳ.

Ibid. v.20. ſicut illi ſe in Electos) εἰς τοὺς καλουμένους ἐκλεκτοὺς καὶ ἀδιαφόρους.

Ibid.v.38. qui promiſſionem abiurauerat) τὴν ἐπαγγελίαν ἐξομοσάμενος *fœdifragus factus.*

p.74.v.16.aliam Miſſã) ἀναφοράν.

p.75.v.5. qui præcipiebat.) Aiebat Eunomius, δεῖ διδόναι τὸν τόπον τοῖς πάθεσι καὶ μὴ παρέχειν τῷ νῷ πράγματα.

Ibid.v.11. à lecto non legitimo.) κοίτη ἄθεσμος

Ibid.v.34. tenebras ſubſtantiales.) οὐσιῶδες σκότος ἢ ἀγεννήτως παρυποστᾶν, παρὰ θεοῦ γενόμενον.

pag.78.v.13. mox per hunc admirabilem) διὰ τοῦ θαυμασίου τούτου καὶ ὑπερφυοῦς τῆς δειλίας δράματος ἀληθινῆς ὄντως δειλίας.

Ibid.v.17.confortans eum) ἐνισχύων ἤγουν ὑμνῶν καὶ θεολογῶν.

Ibid.v.32.contra Maguſæos.) Suidas verbo, *Perſæ & Magog*, ait Perſas dictos eſſe Maguſęos.

Intelligit autem Leontius tres libros Theodori, περὶ τῆς ἐν Περσίδι μαγικῆς, de magia in Perſide: ipſosque Perſas Magos nominat Maguſæos: meminit huius operis Photius in ſua Bibliotheca.

p.79.v.34.qui omnino ex aduerſo.) κατὰ διάμετρον αὐτῷ. Etiam hinc liquet Leontium Origenis Sectatorem non fuiſſe, ſaltem cum hæc ſcriberet: cum Origenem errorum arguat.

p. 80. v. 28. quibus nihil eſt magis vnum) ἑνικώτερον καὶ συμφυέστερον.

p.81.v.12. ſecundum habitudinem) σχετικὴ καὶ γνωμική.

p.82.v.21.Rhambulo.) Hunc alij vocant Rabulam.

pag.83. Prologus auctoritatum Theodori.) Bene factum, quod Leontius impij Theodori impia dogmata commemoraturus, ſe & lectorem ſuum præmunit. ſimilia Theodori dogmata prodiderunt ex ipſis Theodori libris, cum alij, tum Pelagius Pontifex in Epiſtola ſecunda ad Epiſcopos Iſtriæ: vbi, inter cætera, iſta leguntur. *Hæc de innumeris pauca prætulimus, vt quaſi per foramen anguſtum, quàm nimiũ*

baratbrum

Digitized by Google

barathrum intus lateret, monſtraremus: ecce quales plusquam decem millia libros Theodorus ſcripſiſſe perhibetur. Penſate, quæſo, ſi non tanto acriora tormenta promeruit, quantò pluriora conſcripſit? ſed hæc illius dicta quæ prolata ſunt, vtrum eius ſint fortaſſe dubitatur. Patrum, ſi placet, ſcripta proferamus. Armeniæ quippe Epiſcopi Proclo Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopo libellos contra Theodorum porrigentes, dicunt: Fuit autem aliquis peſtis homo, magis autem fera: hominis habens formam diabolicã, mentito nomine Theodorus, qui ſchisma & nomen Epiſcopi habuit, in angulo & ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopſueſtano Ciliciæ ſecũdæ vel oppido, verè quidem & principaliter à Paulo Samoſateno deſcendens, licet Photino & cæteris hæreſiarchis in libro de Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti in toto ſuo propoſito ipſis verbis inueniatur vſus. Hæc & plura alia in ſuis litteris Pelagius Pontifex; conſentientia cũ his, quæ Leontius adducit ex Theodoro; à quo Neſtorius ſuam impietatem hauſit: Theodorus autem à Diodoro Tharſenſi; omnesque à Paulo Samoſatenſi, vt productis teſtimoniis copiosè demonſtrat Leontius.

p.86.v.1. nullam vtilitatem indignis) οὐδ' ἐν τῷ ἀναξίων ἀπὸ τοῦ παρεῖναι τὸν θεὸν ὠφελουμένων, ἀληθὲς αὐτοῦ καὶ ἀκέραιον τὸ τῆς φύσεως ἀπερίγραφον διασώζεται.

Ibid.v.21. fecit eum comparticipare) παρεσκεύασε δὲ αὐτὸν συμμετασχεῖν αὐτῷ πάσης τῆς τιμῆς, ἧς αὐτὸς ὁ ἐνοικῶν υἱὸς ὢν φύσει μετέχει.

Ibid.v.24. ſecundum vnionem) γνωμικὴν καὶ ἀξιωματικήν, nõ hypoſtaticam & ſubſtantialem. Ita enim hæreticus Theodorus hæreticè ſentiebat.

Ibid.v.27. quæ ſecundum naturam propria ſunt) ἐν τοῖς κατὰ φύσιν χαρακτηρίζουσι.

p.88.v.14. intelligentiam acquirens) τὴν σύνεσιν προσκτώμενος.

p.95.v.6. relatione) ἀναφορᾷ, nam ſecundum Theodorum Hæreticum, Deus verbum erat in illo homine, quem D. Virgo peperit; κατ' ἀξίαν, ſecundum dignitatem, κατὰ σχέσιν γνώμης, ſecundum habitudinem voluntatis, κατ' ἀναφορὰν, ſecundum relationem, κατ' ἐνέργειαν, ſecundum operationem, idem omnino plurib⁹ verbis ſignificans: ponebat itaque vnionem ἀξιωματικὴν, γνωμικὴν, ἐνεργητικὴν, συνεργητικὴν, ἀναφορικήν.

Digitized by Google

pag. 100. v. 6. ab Euſebio.) Huius Euſebij celebris mentio eſt paſſim apud veteres, maximè in concilio Chalcedonenſi, Act. 1. Indefeſſus Neſtorij & Eutychis oppugnator fuit.

Ibid. v. 28. matrem ex tempore) μητέρα χρονικήν.

p. 103. v. 9. ſecundario) κατὰ δεύτερον λόγον.

Finis notarum in librum tertium.

Digitized by Google

S. IOANNIS DAMASCENI LIBER CONTRA ACEPHALOS SEV MONOPHYSITAS.

Nunc primùm in lucem editus.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

S. IO.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

EXſtat inter opera Damaſceni liber de natura compoſita contra Acephalos: Sed hic, quem nunc vulgamus, diuerſus eſt ab illo, vt intelliget, quiſquis conferre volet: etſi nulla collatione opus. Satis enim erit ſola vtriusque libri inſpectio. Illud dolendum; quod adeo eruditus Damaſceni partus aduerſus Acephalos ſit ipſemet acephalus, cum careat ſeptem prioribus capitibus, quæ iactura moderatè ferenda eſt, donec melior fortuna integriorem calamo exaratum codicem offerat. Multa autem hic leges ſimilia illis, quæ Leontius contra Acephalos ſcribit: vt probabile ſit, Damaſcenum ex fontibus Leontii hortulos ſuos rigaſſe. Vale.

Digitized by Google

S. IOANNIS DAMASCENI LIBER CONTRA ACEPHALOS, SIVE MONOPHYSITAS.

RECte tractate verbum veritatis, non enim, ſicut ſancti patres dixerunt, ſic vos idem dicitis eſſe naturam, & hypoſtaſim, quin potius naturam particularem tanquam hypoſtaſim per ſe exiſtentem confitemini. Sed quod non oporteat dicere naturas particulares, hinc intelligemus. Si naturas particulares in ſancta Trinitate confitemini, diuerſæ ſubſtantiæ eam eſſe ſentitis; & iterũ Arius ſuſcitatus eſt, aç rurſus, ſi ſingulis perſonis diuinis ſanctæ Trinitatis propriam ſubſtantiam tribuitis; has autem ὁμοουσίους eſſe, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ ſecundum communem ſubſtantiam confiteamini, idem autem ſit ſubſtantia & hypoſtaſis, erit igitur opinione veſtra quaternitas hypoſtaſeon, trium quidem particularium, vnius verò communis: & ſimiliter quaternitas ſubſtantiarum; & vnaquæque hypoſtaſis duarum naturarum, & hypoſtaſeon, vnius quidem communis, & vnius particularis, eruntque eiuſdem ſubſtantiæ, & diuerſæ ſubſtantiæ; eiuſdem hypoſtaſis, & diuerſæ hypoſtaſis. Ecquis non ridebit? immo vero flebit in tanta inſania? an non ſunt hæ nugæ, & infelicis mentis fictio? Inuentum tenebricoſum dæmoniorum? Monſtrum præſtigiarum Gentilium? Quis vnquam ſanctorum patrum hoc dixit? Niſi forte aliquis apud nos ſanctum Ariſtotelem nobis tanquam decimum tertium Apoſtolũ

Deſunt non pauca.

 intro-

introducit: & idolorum cultorem ijs anteponitis, qui ab ſpiritu ſancto afflati, locuti ſunt.

Sed reuertamur ad propoſitum. tametſi enim non eſt natura ſine hypoſtaſi, neq; ſubſtantia ſine perſona, neq; rurſus ſine ſubſtãtia hypoſtaſis, & perſona; tamen non eſt idem ſubſtantia, & hypoſtaſis; neque natura & perſona. non enim eſt idem ſubſtantia, & exiſtens in ſubſtantia; neque hypoſtaſis, & enhypoſtaton, id eſt, exſiſtẽs in hypoſtaſi. aliud enim eſt, quod eſt in aliquo; & aliud in quo eſt. Exiſtens .n. in ſubſtantia, eſt quod in ſubſtantia contẽplamur, id eſt, congregatio accidentiũ, quæ hypoſtaſin declarat, non ipſam ſubſtantiã. Enhypoſtaton vero nõ eſt hypoſtaſis, ſed ꝙ in hypoſtaſi contemplamur, hoc autem ſubſtantia eſt, quomodocunque exiſtat, ſiue per ſe, ſiue cum alio, ſiue in alio. Per ſe, vt ſubſtantia ignis; cum alijs, vt anima & corpus, hæc enim hypoſtaſim habent inter ſe; in alio autem, vt ignis in lucerna; & vt caro Domini in hypoſtaſi eius æterna. Hypoſtaſis enim aliquem, vel hoc declarat, quod intento digito indicatur. Enhypoſtaton vero declarat ſubſtantiam. Ac hypoſtaſis quidem perſonam proprietatibus characteriſticis, id eſt, deſignantibus definit; ἐνυπόςατον vero non eſſe ipſum, accidens, quod in alio habet exiſtentiam. Si enim idem eſſet quod in aliquo, & in quo, diceremus idem eſſe virtutem, & virtute præditum, & conueniente reciprocatione, liceret dicere, idem eſſe malitiam, & in quo eſt malitia. atque ita tua opinione ipſe diabolus erit malitia; & diaboli effector erit malitiæ effector. Et quia in ſubſtantia eſt accidens, erit accidens ſubſtantia. & ſubſtantia accidens. Aut quia in corpore humano eſt anima, erit ſententiâ tuâ corpus anima. ecquis inſaniam huius confuſionis ferre poterit?

ἐνούσιον.

Differentia eorum, quæ contemplamur in hypoſtaſi, quæ dicuntur enhypoſtata.

Quod autem non ſit ſubſtantia ſine hypoſtaſi, plane ſcimus. at non dicimus idem eſſe enhypoſtaton, id eſt, eſſe in hypoſtaſi, & eſſe hypoſtaſin; nec idem eſſe ſubſtantiam, & enuſion, id eſt, eſſe in ſubſtantia; ſed dicimus in ſubſtantia quidem eſſe hypoſtaſim; & in hypoſtaſi ſubſtantiam. Subſtantiam enim ſanctæ diuinitatis enhypoſtaton eſſe ſcimus, in tribus enim hypoſtaſibus eſt; & vnamquamque hypoſtaſin ſimiliter enuſion, id eſt, in ſubſtantia eſſe ſcimus. In ſubſtantia enim ſanctæ diuinitatis ſunt hæ hypoſtaſes: & in incarnatione domini admirabili, & quæ omnem mentem ſuperat

Digitized by Google

perat, hypoſtaſin dicimus enuſion, id eſt, exiſtentem in ſubſtantijs, ex quibus compoſita eſt; vnamquamque vero ſubſtantiam eius enhypoſtaton, id eſt, eſſe in hypoſtaſi, habent enim communem vnam hypoſtaſim eius. diuinitas quidem eius æternè, ſicut æternè habet hypoſtaſim patris, & hypoſtaſim ſpiritus ſancti. Caro vero eius animata, & rationis particeps, humanitas, inquam, idem enim eſt, recenter in ea ſubſiſtens, ipſamque hypoſtaſim ſortita, neque eſt ſine hypoſtaſi; nec eſt diuerſa à naturis Chriſti, nec vnaquæque earum eſt per ſe hypoſtaſis; vel ſeparatim, & particulariter hypoſtaſim habet, ſed potius ambæ naturæ vnam & eandem.

Intellige, non eſſe diuerſam hypoſtaſi à naturis.

His ſic prius diſtinctis, & præſcriptis, veniamus ad quæſtionem. Eſt autem quæſtio, ſit ne Chriſtus duæ naturæ, & in duabus naturis, an vna, vt inſtar monſtri fingitis. Oportet igitur de aliquo diſputantem, ex communibus & veris notionibus propoſitiones conſtituere, communes vero dico, quæ à ſapientioribus ſunt conceſſæ. Sic enim fit, vt argumentatio ſit, quæ nectitur, & non fallacia; & concluſio rationis vera, & non abſurda.

CAP. IX.

Conceſſum igitur eſt ab omnibus ſanctis patribus, ex diuinitate, & humanitate factam eſſe vnionem, & Chriſtum in diuinitate perfectum, & eundem perfectum, & nulla re defectum in humanitate. Dicite igitur nobis, videntur etiam vobis hæc? Confitebimini, vt ego quidem puto. Quid vero eſt diuinitas, & quid humanitas, ſubſtantia, an accidens? Natura, an hypoſtaſis? Puto vos reſponſuros ſubſtantiam, & naturam. Quòd enim non ſint accidens, omnibus eſt manifeſtum; quòd autem nec hypoſtaſis, ſatis ſupra demonſtratum eſt. Si enim nomen diuinitatis, & nomẽ humanitatis ſignificant hypoſtaſim, potes dicere tres diuinitates eſſe propter tres hypoſtaſes; & infinitas humanitates propter infinitas hypoſtaſes, aut hypoſtaſim in hypoſtaſibus eſſe. Hoc vero quis, non dico ſapiens, ſed ingenio tardiſſimus dicere vnquam auſus eſt? Significat igitur naturam nomen diuinitatis

& nomen humanitatis. Diuinitas ergo & humanitas vnane natura ſunt? Non dico in Chriſto, ſed abſolute. nemo non inſanus dicturus eſt vnam eſſe; non enim creatura idem eſt cum increato, & creatore; neque corpus cum incorporeo; neque quod cœpit, cum eo, quod non cœpit. Alia igitur eſt natura diuinitatis, & alia humanitatis, ſuntque duæ naturæ. Chriſtus ergo cum ſit ex diuinitate, & humanitate, ex duabus naturis eſt. Si igitur Chriſtum ex diuinitate, & humanitate, & ex duabus naturis eſſe dicitis, dicite nobis, hæc duo, ſcilicet diuinitas, & humanitas, ſuntne in Chriſto, an non? Concedetis quidem, niſi velitis penitus impij eſſe. Quomodo igitur non dicitis duas naturas in Chriſto? Si enim eum Chriſtum ex diuinitate, & humanitate dicitis, ex duabus naturis eſſe eum confitemini, & idem apud vos valet ex diuinitate, & humanitate, & illud ex duabus naturis, quomodo dicentes Chriſtum diuinitatem, & humanitatem etiam poſt vnionem, & in diuinitate, & humanitate, non duas naturas ipſum, & in duabus naturis confitebimini?

CAP. X.

SI non eſt idem diuinitas, & humanitas, ſed tanquam in naturali qualitate aliud, & aliud, diuerſum & diuerſum, aduertat quicunque ſanæ mentis eſt, an aliud, & aliud ſecundum naturam, vnũ ſecundum ſubſtantiam, & non duo ſunt? Si autem duo ſunt, & non vnum, naturæ ſcilicet duæ, ſiquidem aliud, & aliud naturam ſignificat, vt ij, qui ſunt in hac diſciplina valentes, tradiderunt; natura autem, & natura vna eſt, an duæ? duæ certè, vna enim, & vna vel pueris patet, quod duæ ſunt. Sin autem dicitis, quæ vnita ſunt, vnum eſſe, audite tamen, quod ea, quæ vnita ſunt, non per omnia vnum ſunt, ſed quatenus vnita ſunt.

CAP. XI.

SI enim quæ vnita ſunt, per omnia vnum ſunt, quia homo ex diſſimilibus naturis compoſitus eſt, neceſſe erit dicere, quod anima & corpus per omnia vnum ſunt: eritque incorporeum corpus, & corpus incorporeum. Et quia diuinitas, & humanitas vnitæ ſunt, erunt vnum ſecundum ſubſtantialem differentiam. Eritque quod diuinum eſt, creatum; vel quod humanum, increatum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

SI quæ vnita ſunt, vnum ſunt per omnia, corpus autem ex contrarijs qualitatibus compoſitum eſt, dicemus, quod calor, & frigus idem ſunt; & ſiccitas, atque humor ſimiliter idem ſunt. Et Petrus atque Ioannes, quia natura vnita ſunt, ſunt igitur duo vnus hypoſtaſi, at non ſic videtur iis, qui recte ſentiunt, neque ſic in re eſt. Quinpotius quæ vnita ſunt, quatenus vnita ſunt vnum eſſe. Atque ita Petrum, & Ioannem, quia natura vniti ſunt, eiusdemque ſubſtantiæ, vnum eſſe ſecundum naturam; animam vero & corpus, qua ſecundum hypoſtaſim vnita ſunt, vnum eſſe hypoſtaſi. Non enim vllus ſanæ mentis dicet vnum eſſe ſecundum naturam animam, & corpus.

CAP. XIII.

SI ex duabus naturis vnio facta eſt, aut ante vnionem erant duæ; aut in vnione; aut poſt vnionem; ſi ante vnionem per ſe extiterunt, quid Neſtorium reprehendimus? Si poſt vnionem caro hypoſtaſim habuit, quid nos reprehenditis? Si autem in vnione dicitis, manet autem vnio & nunc, & in ſæculum inſeparabilis, igitur & nunc, & in ſæculum duæ ſunt, & erunt. Si vero tempore incarnationis verbi vnum vnione dicitis, antequam vnirentur, erant duæ, an vnitæ? Si antequam vnirentur, ambæ extiterunt, neceſſe eſt dicere ex duabus hypoſtaſibus factam eſſe vnionem. Sin vero duas dicitis in vnione, numerus autem opinione veſtra neceſſario inducit diuiſionem, diuiſionis igitur cauſa eſt vnio, & in vnione diuiditis vnionem.

CAP. XIV.

SI vnumquodque eorum, ex quibus exiſtit Chriſtus, ſeruat propriam ſubſtantiæ definitionem, & rationem, etiam in vnione; & alia eſt definitio diuinitatis Chriſti, & alia humanitatis eius; quomodo quæ non ſunt ſub vna & eadem definitione poſita, vnam, & non duas naturas dicitis?

CAP. XV.

SI caro verbi Dei eſt, vt veſtra ſententia eſt, homouſios, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ cum diuinitate eius increata, ex coëſſenſificatione ægrotatis, & cur quod iam olim parturitis, non erumpit? Sin

Digitized by Google

autem non eſt eiuſdem ſubſtantię, quomodo quę non ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, erunt vnius naturæ? Aut quomodo quæ ſunt vnius naturæ, non ſunt homouſia, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ? Si enim non ſumus ebrij, definitio conſubſtantialitatis eſt, habere eandem ſubſtantiam.

CAP. XVI.

SI Chriſtus eſt conſubſtantialis patri, & conſubſtantialis nobis ſecundum eandem naturam, & nos neceſſariò patri ſumus conſubſtantiales; quæ enim ſunt eidem ſecundum eandem naturam conſubſtantialia, inter ſe ſunt conſubſtantialia. Si autem ſecundum diuinitatem eſt patri conſubſtantialis, nobis vero ſecundum humanitatem, dicite, eſtne diuinitas, & humanitas vna natura? At ſi vna non eſt, neceſſariò duæ ſunt; & Chriſtus eſt duæ naturæ, & in duabus naturis. Si autem vna, quomodo differunt? Quæ enim differunt, vel οὐσιωδῶς, id eſt, ſubſtantialiter differunt; vel ἐπουσιωδῶς, id eſt, ſecundum id quod cernitur in ſubſtantia. Si ἐπουσιωδῶς: hypoſtaſes erunt, & non naturæ: ſi vero οὐσιωδῶς differunt, naturæ erunt. Quæ enim differunt, vt minimum, duo ſunt. Siquidem quatenus vnum eſt, non differt. Differentia enim neceſſario numerum infert ſecum.

Differre ſubſtantialiter eſt differre ſecundum ſubſtantias: differre ſecundum id quod eſt in ſubſtantia, eſt differre ſecundũ hypoſtaſim, quæ eſt in ſubſtantias Subſtantia, & natura idem.

CAP. XVII.

QVæ ſunt homouſia, eandem recipiunt rationem, ſi igitur Chriſtus vna natura eſt incarnata, & hæc, vt dicitis, eſt definitio ſubſtantiæ eius, eſt autem conſubſtantialis patri & nobis, erit igitur pater nobiſcum vna natura diuinitatis incarnata.

CAP. XVIII.

DIfferentia duo, vt minimum, infert quæ differunt, vel naturas, vel hypoſtaſes, vel vnam hypoſtaſim à ſe differentem. Si naturas, ſubſtantialiter differunt; ſi hypoſtaſes, differunt ſecundum id, quod eſt in ſubſtantia; ſi vnam hypoſtaſim, differt à ſe mutatione ſecundum accidens ſeparabile. Eligite ergo alterum horum, aut dicite Chriſtum duas hypoſtaſes poſt vnionem, aut in vna ſcilicet hypoſtaſi ſecundum accidens ſeparabile differre diuinitatem eius ab humanitate: & erunt increatum, & non cœptum & impaſſibile, & omnipotens & alia huiuſmodi, ſimiliter vero creatum, & cœptũ, & paſ-

Digitized by Google

& paſſibile, & alia eiusmodi, erunt inquam, accidentia & quidem ſeparabilia, & mutabilia, ac variabilia ea, ex quibus Chriſtus conſtat: aut Chriſtum duas naturas nobiſcum, & cum veritate prædicate, quarum differentiam fatemini. Qui enim ſubſtantiarum differentiam dicitis, cogemini dicere ſubſtantiarum exiſtentium, eius enim quod non eſt, neque differentia eſſe poteſt. Quomodo enim differunt, quæ non ſunt ſalua? Quod ſi vere ſeruantur, numerentur etiam.

CAP. XIX.

SI vero dicitis, quod ex duabus naturis vna natura compoſita dicta eſt, dicite nobis, quomodo quæ compoſita ſunt, natura cõponuntur? Vna enim natura compoſita ex diuerſis naturis cõſtituitur, quando vnitis naturis, aliud quid præter vnita effectum eſt; & nec hoc propriè nec illud, ſed diuerſum intelligitur, & dicitur. Vt ſi ex quatuor elementis igne ſcilicet, aëre, terra, & aqua conſtituatur corpus, vnitis videlicet quatuor, & commixtis quod effectum eſt, nec ignis eſt, neque dicitur, nec aër, nec aqua, neque terra, ſed ex his aliud præter hæc. Similiter ab equo & aſina mulus, & nec equus, nec aſinus eſt, neque dicitur; ſed ab his aliud præter hæc. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus ex diuinitate, & humanitate exiſtens, in diuinitate eſt & in humanitate perfectus; & Deus atque homo eſt, & dicitur, & totus Deus, & totus homo. Quod quidem in compoſita natura non poteſt reperiri. Non enim totum corpus eſt ignis; neque totus homo anima; aut totus mulus equus eſt, quare non vna natura compoſita eſt Chriſtus, ſed vna hypoſtaſis compoſita; non ex aliis aliud; ſed ex aliis eadem. ex diuinitate enim & ex humanitate Deus eſt & homo perfectus; duæ tamen naturæ in vna compoſita hypoſtaſi; & in duabus naturis vna hypoſtaſis compoſita.

CAP. XX.

SI Chriſtus eſt eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ cum patre naturæ ſimplicis, habet autem etiam naturam compoſitam, duas habebit naturas, vnam ſimplicem, & vnam compoſitam.

CAP. XXI.

SI neque creata, neque cœpta eſt Chriſti diuinitas, creata vero & cœpta humanitas eius, quomodo quod non cœptum, & quod cœptum eſt vnius naturæ erunt?

CAP. XXII.

SI vna natura compoſita eſt Chriſtus, ſimplex autem, & compoſitum non ſunt homouſia, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, ſimplicis autem naturæ pater eſt, non eſt igitur Chriſtus conſubſtantialis patri.

CAP. XXIII.

SI Chriſtus eſt vna natura compoſita ex diuinitate, & humanitate, non eſt autem huius mater ex diuinitate, & humanitate; neq; matri eſt homouſios, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ: & transmouiſtis terminos æternos, quos patres noſtri poſuerunt, dicentes Chriſtum conſubſtantialem patri ſecundum diuinitatem; nobis verò eundem conſubſtantialem ſecundum humanitatem.

CAP. XXIV.

SI vero naturas Chriſti ſecundum cogitationem, & contemplationem ſiue ſpectationem dicitis, dicite nobis, naturarum cogitatores, & ſpectatores, eſtne cogitatio verarum, & exiſtentium rerum, vt ſi ea, quæ ſenſui videntur ſimplicia, notione diſpiciat, & diſtinguat; vt in homine ſi animam, quæ ſub aſpectum non cadit, ſimul cum corpore, quod cernitur, cognoſcat; an effictio mentis ſecundum ſenſus, & phantaſiæ connexionem, ex iis, quæ ſunt, ea quæ non ſunt; componens, & effingens, vt fictio hippocentaurorum, & tragelaphorum? Rem igitur ſignificat vel nuda vox, & expers ſignificationis eſt, vt ſcindapſos, vel blitiri. Si igitur ſecundum dicitis, myſterium incarnationis fictio eſt, & illuſio: ſi vero primum, duas autem naturas cogitatione ſpectatis, ſpectatio vero eorum eſt, quæ ſunt, quare quæ ſunt, non numeratis? Siquidem ſancti patres non naturas, ſed harum diſtantiam ſecundum cogitationem dixerunt, quando enim, inquit, naturæ cogitationibus diſtant. Si igitur cogitatione diſtant naturæ, manifeſtum eſt, quod non eſt actu, nec exiſtentia, quod eſt cogitatione. Si enim quod cogitatione eſt, exiſtentia eſt, cogitatione autem dixit pater diſtantiam naturarum, actu igitur & exiſtentia inquit diſtantiam, quod fieri non poteſt. Vos igitur

Cogitatio quarum rerũ ſit?

Digitized by Google

igitur cum poſt vnionem cogitatione diuinitatem, humanitatem in Chriſto dicitis, non actu & re has confitemini; ergo ſecundum ſententiam veſtram neque Deus erit re, & veritate, nec homo, ſed aliud quid præter hæc.

CAP. XXV.

AC rurſus, ſi contemplatione dicitis duas Chriſti naturas, contemplatio vero ſiue ſpectatio rerum exiſtentium eſt, vt ij tradunt, qui in his ſunt valentes, neceſſario ſunt Chriſti naturæ, quod ſi ſunt, quid numerum tanquam formidinis plenum fugitis?

CAP. XXVI.

SI vero dicitis, quod qui dicit duas naturas, diuidit myſterium incarnationis, duoſque Chriſtos dicit, ergo qui vnionem dicit ex duabus naturis, vnionem ex duobus Chriſtis dicit.

CAP. XXVII.

SI dicere duas naturas, Chriſtum diuidit, in vnione autem duas naturas dicitis, igitur in vnione diuiditis vnionem, & erit ſecundum ſententiam veſtram diuiſio.

CAP. XXIIX.

NAtura, & natura vnius naturæ nunquam dicentur, ſed vnius fortaſſe hypoſtaſis; nec hypoſtaſis, & hypoſtaſis vnius hypoſtaſis dicentur, ſed vnius naturæ. Qui igitur ea, ex quibus Chriſtus eſt, vnius naturæ eſſe dicitis, hypoſtaſes has, & non naturas confitemini. Sin autem veritatem mendacio præponentes, ea, ex quibus eſt Chriſtus, poſt vnionem, vnius hypoſtaſis dicatis, naturas has confitebimini.

CAP. XXIX.

SI differentiam naturarum etiam poſt vnionem fatemini, quomodo dicentes numero plurium naturas, non duas naturas fatemini? Si enim ſecundum vos vna natura compoſita eſt poſt vnionem, oportebat, vt diceretis non differentiam naturarum, ſed vnius naturæ à ſe ipſa differentiam, quod quidem veſtrum eſt, non noſtrum ſic loqui, & ſentire. Ipſa enim natura ſubſtantialem differentiam à ſe ipſa, nunquam habebit.

Digitized by Google

CAP. XXX.

SI vna eſt Chriſti natura, dicite nobis huius nomen. Oportet enim vt quod eſt, etiam nominetur, & proprie nominetur, vt natura Dei diuinitas, & hominis etiã humanitas. Quomodo igitur naturam Chriſti nominabimus, an Chriſtitatẽ? At nullus ex iis, qui ſpiritu ſancto aſpirante loquuti ſunt, ſic nominauit. An diuinihumanitatem? Nec hoc. Quid igitur nobis naturam innominatã introducitis? Si vero dicitis, ꝙ nouãtur naturæ, & quod nouitate myſterij aliquid nouum, & peregrinum efficitur. At nihil eſt altius, & quod minus comprehendi poſſit, quàm natura Dei, & tamen quod ſolum comprehendi non poteſt, voluit à nobis nominari. Vel igitur naturam à vobis effutitam altiorem, & meliorem diuinitate eſſe dicite; & ſatis eſt nobis; vel huius nomen efferte; vel cum prædicatoribus veritatis diuinitatem, & humanitatem naturas Chriſti dicite, & non naturam. Diuinitas enim & humanitas non ſunt vna natura.

θεοτητοανθρωπότητα.

CAP. XXXI.

SI ex diuinitate, & humanitate vna natura Chriſti eſt, pars naturæ, & non perfecta natura diuinitas eſt in Chriſto, ſimiliter etiam humanitas.

CAP. XXXII.

καθόλου.

SI natura veſtra compoſita neque patri ex toto eſt conſubſtantialis, neque matri, totum autem eſt Chriſtus, Chriſtus quatenus Chriſtus, nulli eſt conſubſtantialis. Quod ſi ita eſt, qui eſt alicui conſubſtantialis, non eſt Chriſtus. Igitur qui eſt conſubſtantialis patri, non eſt Chriſtus. Quare alterum duorum eſt neceſſarium, aut qui eſt conſubſtantialis patri, non eſſe Chriſtum; aut qui eſt Chriſtus, non eſſe conſubſtantialem patri.

CAP. XXXIII.

QVæ ſunt compoſita, ex contrariis ſunt compoſita; ſubſtantiæ vero ſecundum Philoſophos nihil eſt contrarium; impoſſibile ergo eſt eſſe ſubſtantiam ex ſubſtantiis compoſitam.

CAP. XXXIV.

NAturas, id eſt, ſubſtantias, ſubſtantiales differentiæ conſtituũt, ſi igitur ex diuinitate, & humanitate vna natura conſtituta eſt, erunt diuinitas, & humanitas non naturæ, ſed ſubſtantiales differentiæ.

CAP.

CAP. XXXV.

QVæ ſunt vnius ſubſtantiæ, neceſſario ſunt ἑτεροϋπόστατα, id eſt, diuerſarum hypoſtaſeon; quæ vero ſunt vnius hypoſtaſis, diuerſarum ſuſtantiarum: igitur diuinitatem, & humanitatẽ Chriſti vel dicentes eſſe vnius naturæ, dicite alterius, & alterius hypoſtaſis eſſe; vel dicentes eſſe vnius hypoſtaſis, duas naturas, non vnam fateamini. Vbi enim eſt ἑτεροούσιον, id eſt, diuerſitas ſubſtantiæ, non eſt natura vna: vel igitur dicite carnem eſſe conſubſtantialem diuinitati verbi; vel dicentes eſſe diuerſæ ſubſtantiæ, duas naturas confitemini. ἑτεροούσια

CAP. XXXVI.

QVi vnam naturam diuinitatis Chriſti, & carnis eius dicitis, dicite nobis, qua natura Chriſtus paſſus eſt? Compoſita ſcilicet reſpondebitis. Vnam enim dicentes, neceſſario paſſionem ei adiungetis; & erit ſecundum ſententiam veſtram diuinitas, & humanitas Chriſti paſſibilis.

CAP. XXXVII.

SOlet ratio Philoſophica præponere ſermonem de quantitate ſermoni de qualitate; & cauſam adiungit, quod vbi qualitas, ibi quantitas neceſſario ſpectabitur; differentia enim differentium differentia eſt. Quomodo igitur dicentes differentiam qualitatum ſubſtantialium, numerum differentium ſubſtantialiter non confitemini?

CAP. XXXIIX.

SI eſt vna natura Chriſti compoſita, vel erit ſolum paſſibilis, vel impaſſibilis, vel vtrumque ſimul paſſibilis & impaſſibilis, vel mutabilis, quandoque paſſibilis, quandoque impaſſibilis; vel pars eius paſſibilis, & pars impaſſibilis; eligite quam ex his impietatibus malueritis. Si enim ſolum paſſibilis, Chriſtus non eſt Deus; ſi impaſſibilis, non eſt homo. Si quandoque paſſibilis, quandoque vero impaſſibilis, neutrum eſt natura; quin potius ſecundũ accidens eſt; quod enim natura inſitum eſt, non mutatur. Sin autem pars eius paſſibilis, & pars impaſſibilis, natura autem vtrumque eſt hoc, quod quidem eſt, non erunt partes eiuſdem naturæ; atque ita Chriſtus erit duæ naturæ, qui non eſt vna natura, ſed vna hypoſtaſis compoſita ex duabus naturis, & in duabus naturis, & duæ naturæ.

Digitized by Google

Eandem enim naturam ſimul eſſe paſſibilem, & impaſſibilem impoſſibile eſt; ſiquidem vna & eadem natura non poteſt recipere contrarias differentias ſubſtantiales.

CAP. XXXIX.

IN omni vnione quæ vniuntur, quamuis confundantur, & quãuis commiſceantur, manent non recedentia à natura propria. Licet enim vinum aqua miſceatur, duæ naturæ ſunt in mixtione; & cera, ac pix licet confuſæ ſint, neutrum tamen à natura ſua receſſit. quin immo in mixtione duæ naturæ manent. Si enim vnita ſunt, & vnumquodque proprietatem ſuam puram, & integram nõ demonſtrat propter confuſionem, & commixtionem cum vnito, tamen ſecundum naturam vnumquodque eſt quod quidem erat; & duæ naturæ, non vna ab ijs, qui talia iudicare ſciunt, reputantur. Quis enim ignorat, quod in vino, & aqua mixtis duæ naturæ ſunt? Si igitur ſic ſunt iſta, quomodo vos, qui differentiam ſcitis, & proprietates naturarum confitemini, vnam has, & non duas prædicatis? & neque confuſionem naturis, quæ confundi non poſſunt, tribuitis? Sed manifeſtum eſt, quod mutationem, & deletionem, ac coeſſentificationem parturitis, in apertum verò proferre præ pudore impietatis non vultis.

συνουσίωσιν.

CAP. XL.

QVæ vniuntur, vnione fiũt vnum, non poſt vnionem, ſed in vnione; & quoad vnio ſeruatur, vnum ſunt, quatenus vnita ſunt; quomodo igitur vos in vnione quidem duas naturas dicitis, poſt vnionem verò vnam naturam factam eſſe cõtumaciter aſſeueratis? Beatus Cyrillus poſt vnionem dixit pro eo, quod eſt in vnione. Quando enim vnio facta ceſſauit? Aut quid ceſſationem ei attulit? Vt ſuſpicari liceat aliud ab vnione eſſe, quod manet effectũ poſt vnionem, non in ipſa vnione, præter ea, ex quibus eſt. Non enim eſt vnio ſicut natura eorum, quæ fiunt, & non ſunt, vt tempus, & ſaltatio, & alia eiuſmodi.

Quomodo intelligendum ſit, fieri vnum duas Christi naturas poſt vnionem, id eſt, quandiu ſunt in vnione facta; quæ nunquam ceſſabit, ſed in æternum manebit facta ſemel.

CAP. XLI.

SI aliud quid poſt vnionem propter vnionem factum eſt, confuſio certe, & non vnio facta eſt.

CAP. XLII.

SI confuſio duas naturas vnam facit, idem verò apud vos facit nõ

confuſio, dicite, quænam apud vos erit differentia inter confuſionem & non confuſionem?

CAP. XLIII.

SI ſecundum aliud, & aliud dicitur Chriſtus viſibilis, & inuiſibilis, mortalis & immortalis; tactilis, & non tactilis; & non ſecundum alium, & alium; aliud autem ſubſtantiam ſignificat, cur duas ſubſtantias non dicitis?

CAP. XLIV.

ALiud ſignificat ſubſtantiam ſecundum logicam, alius vero hypoſtaſim. ſi igitur dicentes Chriſtum eſſe aliud & aliud, non cogemini dicere duas naturas, dicite alium, & alium, nõ enim ſignificabitis duas hypoſtaſes.

CAP. XLV.

SI autem dicitis, quod duorum numerus diuiſionem infert, diſcite recte edocti, quod ratio Philoſophica non definit numerum eſſe diuiſionem, ſed aceruum vnitatum, vel fluxum quendam vnitatum. Quamobrem magis vnionem declarat, quam diuiſionem. Diuiſio enim vnitatis dimidium eſt, & dimidium; numerus verò duorum appoſitio vnitatis eſt. Immo dicere duo, vnum & vnum, diuiſionis eſt; vnum autem, & vnum ſub vno numero comprehendere, & duo dicere, coniunctionis eſt & vnionis. Si congregat igitur numerus & non diuidit, ſiquidem ſectio vnitatis eſt numerus duorum, quod autem ſecatur, in duo ſecatur, ſectio, & non appoſitio eſt numerus. Et ſi hoc ita eſt, ſicut vnitas diuiſa numerum duorũ facit, eodem modo oportebat, vt etiam numerus duorum diuiſus numerum quatuor faceret. Et vnde venit numerus trium? Oportebat enim ſolum numeros pares numerari ſubductis imparibus. Vel quod verius dici poteſt, ſicut numerus dupliciter dicitur, vnus eſt ſecundum ſe, vt ipſa natura numeri; alter vero in habitudine & re cernitur; ſicut album, ipſa albedo, & quod albefactum eſt. Ipſa igitur natura numeri neque diuidit, neque copulat, ſed vtrumque recipit, vt numerus duorum, ſi vnitates, ex quibus conſtat, conſideras, in has diuiditur. Duo enim diuiduntur in vnum & vnum. Si vero harum vniuerſitatem ſpectas, ex his potius copulatur, vnum enim & vnum ſunt duo; & duo, ac duo quatuor. Et rurſus numerus non eſt diuiſio, ſed ſignum declarans quantitatem ſubiectorum ſiue

Fortaſſe legendum. Si diuidit numerus, & nõ congregat.

Digitized by Google

vnita ſint, ſiue diuiſa, alia ratione, & non numero hæc diuidente, vel copulante. Dicentes enim decem cubitos huius ligni verbi gratia, quod continuum eſt, non ſimul numero diuidimus vnitatem ligni decemcubitalis. Ac rurſus cum decem palmas dicimus, ſcimus eas eſſe in diuiſione, & rurſus cum dicimus vnum modium verbi gratia frumenti, vel dactylorum, in diuiſione grana in modio contineri ſcimus, quod ſi numerus imponatur naturis, non quantitatem earum principaliter, ſed diuerſitatem demonſtrat, vt cum dicimus bouis verbi gratia & equi duas naturas, non diuiſionem eorum ſecundum quantitatem, ſed diuerſitatem eorum in ſpecie ſignificamus. tres vero equos, aut homines cum dicimus, Petrum verbi gratia, & Iacobum, ac Ioannem, magis diuiſionem declaramus, & quod hi ſunt tot. Atque in ſancta & conſubſtantiali trinitate tres hypoſtaſes prædicantes, vnam harum ſubſtantiam & naturam confitemur. in myſterio autem incarnationis cum duas naturas dicimus, diuerſitatem earum, non ſeparationem ſignificamus. Et vt illic numerum ſubſtantiarum excludimus, quamuis nulla hypoſtaſis ſit ἀνούσιος, id eſt, ſine ſubſtantia; ſic hic numerum hypoſtaſeon excludimus, quamuis nulla natura ſit ſine hypoſtaſi.

CAP. XLVI.

SI numerus duorum, neceſſario inducit diuiſionem, & idcirco numerorum naturum fugitis, quare numerum proprietatum non declinatis?

CAP. XLVII.

VNam naturam verbi Dei incarnatam confitemini. Et communis vobis, & nobis eſt ſententia. à patribus enim dictum eſt hoc. Sed ſi duas naturas his verbis declarare vultis: fruſtra bellum cum veritate geritis. Sin autem hoc tanquam declarans ſimpliciter vnam naturam, contradicentes veritati, contra duas naturas opponitis, inaniter, & vanè adiectum eſt illud incarnata. Sin vero neque vnam ſimpliciter, neque duas naturas vnitas repræſentat, quicunque numerus ſuperparticularis inter vnum, & duo aſſummatur

matur, hunc declarabit illud incarnata, huius ſiue duas partes, ſiue dimidium quanti ſit in veſtra poteſtate; quandoquidem beati Athanaſius, & Cyrillus, per abuſionem, & non proprie nomine naturæ tanquam generaliore hypoſtaſim ſignificarunt; prędicantur enim magis vniuerſalia de particularibus, & idem quidem omnibus modis non ſunt. Non enim hypoſtaſis eſt natura; quia hypoſtaſis non eſt vniuerſale; recipit tamen nomen, & definitionem vniuerſalis: non tamen retro commeat; hypoſtaſis enim, id eſt, indiuiduum naturæ natura eſt, at non ſolum natura, ſed cum proprietatibus; natura vero non eſt hypoſtaſis, id eſt, indiuiduum. Sic per abuſum, & non proprie nomine naturæ hypoſtaſim ſignificarunt, vt perinde ſit quod dictum eſt, ac ſi dixiſſent, vnam hypoſtaſim verbi incarnatam: non enim natura verbi Dei incarnata eſt, ſed hypoſtaſis: teſtisque eſt euangeliſta, cum clare clamat, & dicit, verbum caro factum eſt, verbum autem non eſt natura, vt ſupra declaratum eſt, ſed hypoſtaſis.

Et ipſe diuinus Cyrillus in alio loco hæc dicit, natura verbi ſcilicet hypoſtaſis, quod eſt verbum ipſum. Si enim natura verbi, ſcilicet diuinitas incarnata eſt, (aliam enim naturam non habebat verbum præterquam diuinitatem, eiuſdem autem naturæ cum patre, & ſpiritu eſt verbum, ſuntque omnia communia patris, & filij, & ſpiritus ſancti, excepto modo exiſtentiæ) etiam pater, & ſpiritus ſanctus incarnati ſunt. Vnionem igitur naturarum ſecundum hypoſtaſim, & verbi incarnationem & carnis deificationem confitemur. Incarnatio enim eſt participare carnem. Incarnatur igitur hypoſtaſis verbi quæ eſt in ſubſtantia, id eſt, Deus verbum, & craſſeſcit, & aduenit hypoſtaſis carni; & qui prius erat Deus, fit poſtea caro, id eſt, homo; vocaturque vna duarum naturarum hypoſtaſis compoſita: & in ipſa per incarnationem vniuntur duæ naturæ diuinitatis, & humanitatis: & in ſeipſis inter ſe circumincedunt, circumincesſio autem fit ex diuinitate; ipſa enim communicat cum carne gloriam ſuam, & ſplendorem, non participans paſſiones carnis. Quocirca natura quidem carnis deificatur, non autem incarnat naturam verbi; natura vero verbi deificat quidem naturam aſſumptam, non autem incarnatur. Iuuatur enim quod deterius eſt, à meliore; & non lęditur, quod melius eſt, à deteriore. ἐνσάρκωσις.

Sicut

Sicut enim ferrum quidem ignitum efficitur, ignis autem non efficitur ferrum; & ſicut caro quidem animatur; anima vero non incarnatur; ſic diuina natura deificat quidem carnem; ipſa vero non incarnatur. Non enim eſt diuina natura capax cuiuslibet acceſſionis, vel ſubtractionis; & eſt communicatrix, ſed non participatrix, quamobrem non eſt facta vna natura compoſita. Dicere ergo hypoſtaſim ἐνούσιον, id eſt, in ſubſtantia, perinde eſt, ac dicere, naturam verbi Dei. Vt enim dictum eſt, beati patres Athanaſius, & Cyrillus nomine naturæ hypoſtaſim ſignificarunt. Hypoſtaſis enim etiam natura eſt; non eſt autem natura hypoſtaſis. Non enim reciprocatur. Siquidem vniuerſa de particularibus prædicantur; particularia vero non affirmantur de vniuerſis. Quod ſi ferro facto igneo, natura ferri dicitur facta ignea, aduertendum tamen eſt id euenire, quia natura ferri capax eſt inflammationis, & inflammatio opus naturæ eſt; in incarnatione verò verbi non eſt opus naturæ incarnatio, ſed modus œconomicæ condeſcenſionis.

Incarnatio modus ſecundæ exiſtentiæ τρόπος δευτέρας ὑπάρξεως, natura diuina Chriſti eſt in propria hypoſtaſi verbi, caro vero, quæ eſt ſecunda eſſentia, ſiue exiſtentia, ſiue ſubſtantia, non eſt in propria hypoſtaſi, ſed in hypoſtaſi verbi, & hic eſt modus ſecundæ exiſtẽtiæ proprius incarnationi.

Non licet igitur dicere, vnam hypoſtaſim diuinitatis habere aliquid, quod non omnes hypoſtaſes habeant, excepto modo exiſtentiæ, incarnatio vero modus eſt ſecundæ exiſtentiæ, ſoli vnigenito filio & verbo conueniens, vt proprietas maneat immobilis.

Sed fortaſſe dicetis, quomodo igitur dicimus naturam carnis deificatam eſſe, & paſſam, non hoc de omnibus hypoſtaſibus, ſiue perſonis diuinitatis affirmantes, dicentes vero naturam verbi incarnatam eſſe, ad patrem, & ſpiritum incarnationem referimus? Quoniam omnis natura hominum capax eſt eorum quæ ſunt ſecundũ naturam, & præter naturam, & ſupra naturam non mutatione naturæ; natura vero diuina omnis mutationis, & appoſitionis eſt expers. Nec hoc ſolum, ſed quia caro illa primitiæ fuit noſtræ maſſæ, & non fuit hypoſtaſis ἰδιοσύστατος, id eſt, per ſe ſeparata, ſed potius natura exiſtens in hypoſtaſi complens compoſitam Chriſti hypoſtaſim; & non propter ſe, ſed propter communem ſalutem naturæ humanæ vnita eſt verbo. Dicimus igitur naturam diuinitatis vnitam eſſe naturæ humanitatis, incarnatam vero eſſe hypoſtaſim verbi. Incarnatio enim eſt aſſumptio carnis, & fieri hypoſtaſim carni; vnio vero eſt concurſus, & congreſſus duarum naturarum in vnũ.

Quid incarnatio.

Quid vnio,

Exemplum hominis ſi de ſpecie, & natura accipiatis, non habebit locum in Chriſto, ſpeciem enim Chriſtorum nunquam audiuimus,

mus, quamobrem neque Chriſtus natura eſt, ſed hypoſtaſis. Auctore enim Cyrillo, nomen Chriſti neque vim definitionis habet; nec alicuius ſubſtantiam declarat. Si vero accipiatis de aliquo homine, ſic autem hypoſtaſis eſt, non eſt abſonum exemplum. Aduertendum tamen eſt non neceſſe eſſe, vt exempla ex toto ſimilia ſint iis, cum quibus conferuntur, quin potius in aliqua re diſſimilia eſſe, alioqui nec exemplum eſſet.

De exemplo vnionis animæ & corporis comparatæ cum vnione diuinitatis & humanitatis Christi, quatenus vtrobique eſt ratione vnionis vnus, & duæ naturæ.

Iuſtinus igitur Philoſophus, & martyr ſic ait in expoſitione rectæ confeſſionis, quidam vnionem tanquam animæ cum corpore intelligentes, ſic ediderunt. aptum enim exemplum tametſi non ſecundum omnia, igitur ſecundum aliquid. Sicut enim vnus eſt homo, habet autem duas naturas. ‹‹

Aduerte, quod non dixit, vnus eſt homo ex duabus naturis; ſed habet duas naturas. Itaque poſt vnionem duarum naturarum duas naturas habere hominem dixit: ſicut enim, inquit, vnus eſt homo, habet autem in ſe duas naturas diuerſas, & alio ratiocinatur, alio efficit id, de quo ratiocinatus eſt. Anima enim intelligente ratiocinatur, verbi gratia de ædificatione nauis, manibus cogitatum ad effectum perducit; ſic filius cum ſit vnus & duæ naturæ, ſecundum aliam operatur miracula; ſecundum verò aliam humilia admittit. Quatenus erat ex patre Deus, operatur miracula; quatenus erat ex virgine homo crucem, & paſſiones, & ſimilia naturaliter, volens ſubſtinuit. Cui videtur tibi patrocinari exemplum, iis, qui vnam in Chriſto naturam dicere audent, an iis, qui duas orthodoxè non confuſas, neque diuiſas prædicant?

Et Gregorius Theologus hæc dicit, naturæ quidem duæ ‹‹
Deus & homo, quia & anima, & corpus; filij vero non duo, ne- ‹‹
que dij. Quod vero plurimum habeat diſſimile, hinc ſciemus. Ex quibus dicitis compoſitum eſſe hominem? Ex anima ſcilicet, & corpore. Cur igitur non fatemini Chriſtum eſſe compoſitum ex Deo, & homine? Aut quam ob cauſam non ex animalitate, & corporeitate hominem conſtare, ſicut Chriſtum ex diuinitate, & humanitate dicitis? Quare homo non totus anima, & totus corpus dicitur, ſicut Chriſtus totus Deus, & totus homo? Et totus in animalitate perfectus, & totus in corporeitate perfectus; ſicut Chriſtus totus in diuinitate perfectus; & totus

Quanta diſſimilitudo ſit in exemplo hominis, quod Acephali ad defendendam vnã in Chriſto naturam poſt vnionem, obiiciunt.

in hu-

in humanitate perfectus? Et totus anima cum corpore, & totus corpus cum anima, ſicut Chriſtus totus Deus cum carne ſua, & totus homo cum diuinitate ſua non cœpta? Homo enim ex anima & corpore, aliud quid præter hæc genitus eſt, nempe homo; Chriſtus verò ex diuerſis eadem; ex diuinitate, & humanitate Deus, & homo. Si autem in omnibus ſimile eſſet exemplum, oportebat nominare naturam veſtram compoſitam Chriſtitatem, ſicuti natura hominum eſt & dicitur humanitas.

Præterea anima paſſionibus corporis anticipata, ſæpe prius corpore patitur; aſſidue cōpatitur. Angitur enim ſæpe in ſectione corporis, & antequā corpus patiatur, patitur, & mutationem capit; & poſt ſectionem nihilo minus quam corpus, dolore afficitur, quod quidem in diuinitate domini nemo ſanæ mentis euenire dixerit. Sic igitur vnius naturæ homo dicitur, tanquam ſpecies, non tanquam hypoſtaſis: cum enim homo cum homine confertur, vnius naturæ tanquam homouſij, id eſt, conſubſtantiales dicuntur, & tanquam ſub vna ſpecie collocati; cum autem de natura hominis diſſeritur, duæ in eo naturæ conſiderabuntur, animæ ſcilicet & corporis, cum vero anima cum corpore confertur, quis eſt tam amens, vt vnam naturam vtriusque eſſe dicat? Chriſtorum autem ſpecies non eſt; ſiquidem non ſunt plures Chriſti compoſiti ex diuinitate, & humanitate, vt omnes ſub eandem ſpeciem collocati vnius naturæ dicantur. Sed potius vnus Chriſtus eſt ex duabus, & in duabus naturis cognitus.

Quòd autem in duobus hircis eum beatus Cyrillus delineat, át non ſpectat exemplum delineationis ad hypoſtaſes, ſed ad diuerſitatem viuentis & immolati. Atque hoc quidem dicimus, quod ex duobus creatis fortaſſe non eſt impoſſibile naturam vnam fieri, at ex creato, & increato fieri vnam naturam impoſſibile eſt, ſiue participantem duas, ſiue aliud quid factam præter hæc. Quomodo enim vt ait Gregorius eadem natura cœpit eſſe, & non eſſe?

CAP. XLIIX.

SI dicere ex diuinitate, & humanitate perinde eſt, ac dicere ex duabus naturis, qui non dicunt duas naturas in Chriſto

poſt vnionem, neque diuinitatem, & humanitatem in ipſo poſt vnionem fatentur.

CAP. XLIX.

QVæ ſunt vnius naturæ, eaſdem nulla deficiente differentias habebunt. Nec enim quia homo eſt rationis particeps, & angelus item rationis particeps, idcircò vna natura angeli & hominis dicetur; immortalis enim eſt angelus, & mortalis homo; & non habent in omnibus ſimilitudinē: ac mortalis quidem homo, mortalis verò etiam canis, at rationis quidem particeps homo; canis verò rationis expers, & non vnius naturæ. Neceſſe igitur eſt quæ ſunt vnius ſubſtantiæ, eaſdem habere integrè ſubſtantiales differentias. Si ergo vna eſt ſubſtantia diuinitatis verbi, & carnis eius, erunt penitus eædem vtriuſque naturæ differentiæ.

ἀπαραλείπτως.

Vna ſubſtantia, id eſt, vna natura.

ἀπαραλείπτως.

CAP. L.

SI ea, ex quibus eſt Chriſtus, non ſunt in ipſo, vel interierunt; vel ſunt in alio; dicite igitur, vbi?

CAP. LI.

SI in homouſiis quæ dicitur vna natura, vnitatem naturæ, & non hypoſtaſis declarat, quomodo in diuerſis ſubſtantiis duæ naturæ non diuerſitatem ſubſtantiarum, ſed hypoſtaſeon diuiſionem declarabunt?

CAP. LII.

QVæ ſunt ad aliquid ſimul ſunt, & ſemper ſimul; vnio autem, & vnita eorum ſunt, quæ ad aliquid dicuntur, ſimul igitur ſunt vnio, & vnita, vel igitur prædicate vnita; vel facite, vt deſinat eſſe vnio; & quis erit deinceps auctor diuiſionis?

CAP. LIII.

ALius, & alius pronomina hypoſtaſeon ſunt; naturarum verò aliud, & aliud ſecundum Gregorium Theologum. Si igitur ſemper alius & alius in Trinitate hypoſtaſes ſignificant, aliud & aliud in incarnatione ſemper naturas declarabunt.

Digitized by Google

CAP. LIV.

DIcere aliud natura,& dicere aliam naturam,idem eſt. Si igitur primũ ſemper in diuinitate Chriſti,& in humanitate eius locũ habet; ſemper etiam ſecundum; alia autem,& alia natura non erit vna.

CAP. LV.

QVid vobis ſignificare vult compoſita natura? Vultne ſingulari voce duas res ſignificare,vt apud patres gemina, aut duplex natura,& vt chorus,& populus? An voce plurium vnam,vt Athenæ,Thebæ,& alia eiusmodi? Si primum,ſuperuacaneum eſt dicere vnam naturam. Nec enim patres vnam dixerunt.Si ſecundum, ſuperuacuum eſt dicere,compoſitam naturam. Idem enim vobis ſignificatur ex ſimplici,& compoſita natura. Si vero aliud præter dicta,aliam naturam nobis confuſam introducitis, tanquam mulum,& monſtrum ex multiformi animalium apud Gentiles genere.

CAP. LVI.

VNa natura incarnata vel tanquam habitum, ſiue figuram induta eſt carnem, vt æs figura ſtatuæ formatum; vel carne aſſumpta mutata in naturam eius, qui aſſumpſit; aut tanquam natura aſſumentis mutata in naturam aſſumpti, & alienationem à propria ſubſtantia ſubeunte; vel ſubſtantia ſubſtantiæ vnita eſt, & duæ ſunt. Prædicate quod eligitis.vel Chriſtus eſt duæ naturæ; vel penitus non eſt duæ;quæ enim dicuntur contradictorie,ex toto oppoſita ſunt. Vel ergo duas naturas prædicate; vel vnam abſolute dicite. Quid enim vocem obiicitis, cuius vim ad decipiendos ſimpliciores negatis?

CAP. LVII.

QVi vnam naturam verbi incarnatam dicitis, aut vim illius vocis incarnati negatis; aut ex nomine , & definitione duas naturas per circuitum dicitis,vnam quidem naturam apertè nominantes,alteram vero ex definitione indicantes; ſiquidem caro animata anima rationis participe,& intelligente,natura hominis eſt.

CAP. LIIX.

QVæ ſunt diuerſæ ſubſtantiæ,vnione fiunt vnum, & non natura.Natura enim ſunt vnum homouſia,id eſt,quæ ſunt eiuſdem

Digitized by Google

dem eſſentiæ. Aliud igitur eſt natura; & aliud vnio; & quod ex vtroque perficitur, aliud. Ex conſubſtantialitate natura vna; ex vnione ſecundum hypoſtaſim vna hypoſtaſis.

CAP. LIX.

NOmen Chriſti auctore beato Cyrillo neque vim definitionis habet; nec alicuius ſubſtantiam declarat. Si autem nō declarat ſubſtantiam alicuius, & vim definitionis non habet, erit hypoſtaſis, & non natura. Definitione enim ſubſtantia declaratur; deſcriptione vero perſona & hypoſtaſis. Siquidem definitio ex ſubſtantialibus compoſita eſt; deſcriptio vero ex ijs, quæ ſunt ἐπουσιώδη, id eſt, in ſubſtantia. Nomen autem Dei ſubſtantiam declarat, ſimiliter nomen hominis; quare igitur vnum Chriſtum Deum, & hominē non vnam hypoſtaſim compoſitam quatenus Chriſtum; quatenus vero Deum & hominem non duas naturas prædicabitis?

CAP. LX.

ETſi ex perfectis vnio fiat, tamen ratione totius, id eſt, eius, quod ex vnione effectum eſt, partes dicuntur, quæ ad vnionem concurrerunt; ſicuti ex terra, verbi gratia, & ex palea, atque aqua lateres ſunt; quorum quodlibet per ſe perfectum eſt, ratione tamen laterum, pars habetur. Partes igitur Chriſti duæ naturæ; ex diuinitate enim, & humanitate exiſtit. Quomodo igitur non ſunt partes in toto; & totum non eſt in partibus? Aut enim ſunt in ipſo, aut alibi; aut etiam ipſe peremptus eſt; aut eſt in aliis præter hæc, aut nuſquam eſt.

CAP. LXI.

SI caro eſt eiuſdem naturæ cum diuinitate verbi, quomodo Trinitas non eſt facta quatuor. Quæ enim ſunt homouſia, diuerſæ hypoſtaſis ſunt. Si vero caro eſt diuerſæ ſubſtantiæ à diuinitate verbi, quomodo non eſt duæ naturæ Chriſtus? Si Deus verbum, & pater ſecundum aliquid ſunt duo, caro autem, & Deus verbum ſecundum nihil ſunt duo, plus vnitum eſt Verbum carni, quam Deo patri. Quod ſi non eſt vnitum plus, ſecundum aliquid ſunt duo Deus verbum, & caro. Quod ſi ſecundum aliquid ſunt duo, ſecundum naturam ſunt duo; non enim ſecundum hypoſtaſim.

CAP. LXII.

VNus Chriſtus, compoſita hypoſtaſis, natura quidem idem eſt

Digitized by Google

cum patre, & ſpiritu; cum matre, & nobiſcum; eſt enim patri, & nobis conſubſtantialis, differt autem ſecundum hypoſtaſim. Si igitur vnam naturam ei tribuitis compoſitam, dicetis patrem, & ſpiritum ſanctum eſſe naturæ compoſitæ. ac ſic quidem vnius naturæ Trinitatem, & homines dixeritis; ſi autem hypoſtaſim in duabus naturis exiſtentem ei detis; ſecundum aliud erit homouſios patri; & ſecundum aliud nobis.

CAP. LXIII.

Diuinitas in tribus viuificæ Trinitatis hypoſtaſibus fertur; ſimiliter humanitas in infinitis humanæ naturæ hypoſtaſibus; ſi igitur vnam naturam diuinitatis, & humanitatis dixeritis, vna natura ſecundum vos in Chriſto fuit trium ſanctarum Trinitatis hypoſtaſeon, & infinitarum humanitatis hypoſtaſeon.

CAP. LXIV.

SI particularem, & ſpecialem ſubſtantiam verbi dicitis, idemque eſſe naturam, & hypoſtaſim, indicate nobis aliquem ex ſanctis patribus, qui tres naturas, aut ſubſtantias in ſancta Trinitate dixerit, & nos tacebimus, manumque ori imponemus, ſin vero indicare non poteſtis, quid fruſtra de corde, & non ex Deo loquentes fremitis?

CAP. LXV.

QVantitatem rerum non ſolum numerus definitus repræſentat, ſed etiam non definitus, multa, & pauca, plura, & pauciora. Comparatio etiam idem ſæpe ſolet facere, vt maius, & æquale, & minus. immo & vox demonſtrans, hoc, inquam, & illud, & hæc, & aliud, & diuerſum, & ordo, vt ante hoc, & poſt illud, & à principio, & poſtea, & alij fortaſſis modi. Si igitur omnes modos quantitatem rerum declarantes, diuidentes eſſe dicitis, in proximo eſt confutatio, vnam enim, & vnam naturam, diuerſum, & diuerſum, aliud & aliud, & naturas infinite, & proprietates, & maius, & minus, & prius, ac poſterius dicite diuidere; ſin vero ſolum numerum finitum, & maxime numerum duorum, diuidere ponitis, veſtræ licentiæ eſt. quæ enim iſta ſortitio, cum aliter ſit in re, & veritate? Dualitas enim & duo ſimul ea, quæ numerantur, vi quadam colligente repræſentant.

Digitized by Google

ſentant, vel vnius, & vnius, vt vos loquimini, numerus ſolutus, & per ſe conſideratus.

CAP. LXVI.

PRæterea hoc nobis dicite, habetne diuinam naturam Chriſtus poſt vnionem? Habere dicetis. Habetne etiam humanam? Et hoc confitebimini, niſi velitis nudo capite eſſe impij. Natura igitur diuina, & natura humana vna natura, an duæ ſunt? At ſi vnam dixeritis, erit igitur pater nobis homouſios: ſin vero duæ & non vna, cur ſuperbia, & huius parente procul eiectis non vnum Chriſtum nobiſcum, vnum filium, vnum dominum, vnam hypoſtaſim ex duabus naturis, & duas naturas, & in duabus naturis poſt vnionem confitemini? Si enim nunquam duarum naturarum Chriſtum dicitis, quid ipſum vnius naturæ poſt vnionem vanè dicitis? Si vero dicentes eſſe duarum naturarum ante vnionem, vnius naturæ poſt vnionem eſſe fatemini, plane cum veritate pugnatis. Ante vnionem enim, id eſt, ante diuinam incarnationem vnius naturæ ſimplicis, hoc eſt, diuinæ, vna hypoſtaſis, non erat Chriſtus. Vel igitur penitus duas naturas in Chriſto tolletis; aut duplicis naturæ ante incarnationem ex virgine Chriſtum dicetis nolentes tribuere ipſi poſt vnionem duas naturas, quæ ipſius propriæ ſunt. Nos enim in portu pietatis poſiti & omnem procellam hæreticæ malitiæ flatu ſpiritus ſancti depellentes in ſancta, & ſupraquam laudabili trinitate vnam ſubſtantiam, & naturam diuinitatis, tres vero perfectas hypoſtaſes colimus, confitentes nullam inter ſe ſubſtantialem differentiam habere: omnia autem diuina nomina communiter, & vnite, & ταυτῶς, id eſt, eodem modo, & ſimpliciter, & impartibiliter, & ὁλικῶς, id eſt, vniuerſe de tota diuinitate accipimus, ſubſtantiam ſcilicet, vel naturam trium perſonarum, dominationem, & ſanctitatem, regnum, potentiam, operationem, voluntatem, auctoritatem; diſcrete vero cognoſcimus patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, ingenitum, inquam, & genitum, & procedentem, ſcientes ſolum ingenitum patrem, ſolum genitum filium, ſolum procedentem ſpiritum ſanctum non translata, aut mota vniuscuiusque proprietate. Non cognoſcentes eſſe hæc accidentia, nihil enim accidit Deo, ſed eſſe proprietates characteriſticas cuiusque hypoſtaſis diuinæ, Deum perfectum patrem, Deum perfe-

Diabolus eſt pater ſuperbiæ.

ἑνιαίως.

perfectum filium, Deum perfectum ſpiritum ſanctum. Deum, & Deum, & Deum, ſed vnum tria Deum, ſecum inter ſe intellecta, & cognita, non contracta in vnam perſonam, & vnam hypoſtaſim, abſit. Sed ad vnum principium patrem relato filio, & ſpiritu ſancto. vnus enim Deus, quia vna diuinitas; non tres Dei, ſicut tres homines; nec enim ſubſtantia diuiduntur; non ſeparantur poteſtate, nõ loco, non operatione, non voluntate partiuntur. habentes in ſe ipſis fixum circumincesſum ſine receſſu à ſe ipſis. Vbi .n. erunt, in ſeipſis inter ſe non manentes? Alioqui circumſcripta eſſet vnaquæq; perſona. Vnus igitur Deus ex tribus perfectis hypoſtaſib⁹ ne natura ex imperfectis compoſita cogitetur; vna ex tribus perfectis ſimplex, & compoſitionis expers, ſupraquam perfecta & origo perfectionis.

σὺν ἀλλήλοις ἐν αἴτιον. *Perſonæ, ſiue hypoſtaſes diuinæ non diuiduntur ſubſtantia, quia vna diuina natura communis eſt re & veritate. hypoſtaſes vero naturæ humanæ diuiduntur ſubſtantia, quia non eſt in re vna natura humana communis, ſed in cogitatione tantum.*

In incarnatione verò ſalutari, quæ omnem intelligentiam ſuperat, confitemur vnum ſanctæ Trinitatis, vnigenitum filium verbum Dei beneplacito patris incarnatum eſſe de ſpiritu ſancto ex Maria ſancta virgine, & Dei matre; & duas eius generationes colimus, vnam ante ſæcula, & æternam ἀναιτίως, id eſt, non factam, ex patre, ſine matre; & vnam ex virgine matre ſine patre propter noſtram ſalutem; neque patrem incarnatum, neque generatum dicimus; neque ſpiritum ſanctum. proprietas enim filiationis immutabilis eſt. Filius igitur cum eſſet, rurſus filius factus eſt; filius enim Dei & patris, filius hominis factus eſt, ex duabus naturis vna hypoſtaſi compoſita. Cum enim eſſet hypoſtaſis ἐνούσιος, id eſt, in ſubſtantia, naturam aſſumpſit ἐνυπόστατον, id eſt, in hypoſtaſi exiſtentem, primitias noſtræ maſſæ. ἐνυπόστατον, id eſt, in hypoſtaſi exiſtentem dicimus non tanquam quæ habuiſſet propriam hypoſtaſim, ſed quæ extitit in hypoſtaſi verbi. ſimul enim caro, ſimul verbi Dei caro; ſimul caro animata, rationis particeps, ſimul Dei verbi caro animata, rationis particeps, differentia naturarũ nequaquam ſublata propter vnionem; (manſerunt enim illa, ex quibus vnus Chriſtus & Dominus, immota, & non mutabilia.) ſed in vnam hypoſtaſim compoſitam concurrentibus ſine confuſione, & diuiſione. Vnionem enim profitemur ſecundum hypoſtaſim. Vnio vero ſecundum hypoſtaſim, naturarum concurrentium differentiam ſeruat, & perſonæ vnitatem cuſtodit. Si enim non eſt verbum conſubſtantiale carni, nec eſt ſeparatum ab eo, quod ſimul cum ipſo per ſe eſt; nec vnam in ipſo naturam dicere, fas eſt, neque naturas duas; hæc enim hypoſtaſes faciunt. Conſubſtantiale enim eſſe vnum, & idem

ſecun-

ſecundum ſubſtantiam declarat, differens vero ſecundum hypoſtaſim. Contra vero eſſe diuerſæ ſubſtantiæ, idem ſecundum hypoſtaſim declarat, differens verò ſecundum naturam vnitorum, ita ſit, vt non ſit alius, & alius Chriſtus, ne quaternitati ſeruiamus; aliud vero & aliud ſit, ne diuinitati paſſionem adiungamus.

Si enim alius & alius, vanè & fruſtra gloriaremur factam eſſe naturæ noſtræ deificationem per verbi incarnationem. Etenim ſi inhabitatio alterius in altero eſt incarnatio, plurimas incarnationes Deus ſuſtinuit. inhabitabo, inquit, in vobis, & inambulabo. &: neſcitis, quod templum Dei eſtis. ſpiritus Dei habitat in vobis? Si vero non eſt aliud & aliud, idem eſt ſecundum naturam caro, & diuinitas; & omnia confuſa ſunt, & commixta. Si igitur non eſt alius, & alius, vnus eſt Chriſtus, & vna hypoſtaſis. Alius enim eſt ipſa hypoſtaſis. Si autem eſt aliud & aliud, non eſt ſanè vnum ſecundum naturam. Quod ſi non eſt vnum, patet omnibus, duo eſſe. Vnus ergo eſt & idem in ſe ſecundum hypoſtaſim, extremorum tamen proprietatibus characteriſticis ἀφοριζόμενος, id eſt, diſcretus. Si enim ſancta caro non fuit expers proprietatum characteriſticarum, harum tamen congregatio, & carnis hypoſtaſis, & (σύμπηξις) conſtitutio non eſt per ſe facta, ſed in hypoſtaſi verbi. Et ipſam hypoſtaſim verbi, & non propriam habuit. hinc fit, vt neque fuerit ἀνυπόστατος, id eſt, ſine hypoſtaſi; neque propriam hypoſtaſin habuerit. Eſt autem duæ naturæ, conſubſtantialitate extremorum vnitus, & diuerſitate partium diuiſus. πρὸς ἑαυτὸν ταυτιζόμενος.

Cum autem duas naturas dicimus, non diuidimus vnionem, ſed conuerſionem, & confuſionem fugimus; ratione enim & modo differentiæ has numerari intelligimus. vt enim confuſionem fugimus, ſic diuiſionem recuſamus tum in ſancta, & diuina Trinitate, tum in incarnatione vnius ex ſancta Trinitate. Sicut enim illic tres hypoſtaſes confitemur, vnam verò ſubſtantiam, & naturam prædicamus, nullam vero ex illis tribus ſine ſubſtantia eſſe cognoſcimus, ſed neque ſic vnicuique hypoſtaſi ſubſtantiam particulariter tribuimus, neque numerum ſubſtantiarum, qui quantitatem deſignet, profitemur, ne diuerſitatem naturæ, & ſubſtantiæ introducamus, ſic etiam hic duas naturas cum dicimus, non diuidimus vnionem ſecundum hypoſtaſim, neque numerum hypoſtaſeon inducimus, tametſi non ſunt hæ naturæ ſine hypoſtaſi, ſed diuerſitatem naturarum & ſubſtantiarum declaramus. ἰδιαζόντως.

Digitized by Google

Sicut enim illic numerus perſonarum non lædit conſubſtantiale, nec inducit perſonis diuiſionem naturæ, ſed potius ſignificando differentiam perſonarum, ſingularitatem ſubſtantię non ſcindit, ſic hîc quantitas naturarum vnam & eandem hypoſtaſim non diuidit; differentiam vero tanquam in qualitate naturali, & congeriem cōgredientium declarat. Quamobrem cum ex duabus naturis perfectis vnionem factam eſſe dicimus, non dicimus factam eſſe ſecundum conuerſionem, aut confuſionem, aut mutationē, aut mixtionem, aut habitudinem, aut dignitatem, aut ſecundum communionem eiuſdem voluntatis, aut nominis, aut honoris, ſicut dixit impius Neſtorius, quinpotius vnionem ſubſtantialem, & ſecundum hypoſtaſim orthodoxè prædicamus; non quaſi duæ ſubſtantiæ vnam ſubſtantiam compoſitam perfecerint; ſed quod vnitæ fuerint inter ſe ſecundum veritatem in vnam hypoſtaſim compoſitam filij Dei; & ſeruari earum ſubſtantialem differentiam definimus. Manſit enim creatum, quod creatum erat; & non creatum, quod non erat creatum; mortale item, quod erat mortale; & immortale, quod immortale. Et aliud ſplendet miraculis; aliud contumeliis obiicitur.

Differentia tanquam in naturali qualitate ſignificat differentiam naturarum cum differentia proprietatum naturalium; has vocat naturales qualitates.

Etſi enim vnus eſt, qui hæc patitur, & illa mirabiliter operatur, & vtraque communia vnius erant; aliud tamen, ex quo communia erant illa contumelioſa; & aliud, ex quo communia illa glorioſa. Aliud tamen & aliud ratione, & modo differentiæ; communia vero vtriusque vtraque modo mutuæ communicationis propter circuminceſſum partium in ſeipſas, & propter vnionem ſecūdum hypoſtaſim. operatur enim vtraque forma cum communione alterius hoc, quod proprium habebat. Vnde & dominus gloriæ crucifixus dicitur, ſcilicet non diuinitate, ſed carne cū diuinitate coexiſtente. Et filius hominis aſcendiſſe ſcribitur, vbi erat prius; non vbi prius, quatenus homo erat, ſed vbi quatenus Deus, & à patre nō diuiſus. Nec enim diuinitatem paſſibilem prædicamus, aut carne paſſam; neque carnem, id eſt, humanitatem ante ſæcula eſſe profitemur, ſed ambas habentem hanc, & illam, quandoque ex vtraque Chriſtum nominamus; quandoque verò ex vna ex partibus, ex diuinitate quidem Deum, hominem vero rurſus ex humanitate; ac Deum quidem paſſibilem dicimus non tanquam Deum, ſed tanquam etiam hominē; puerum autem ante ſæcula prædicamus non tanquam puerum, ſed tanquam etiam Deum; vnus enim eſt hoc & illud,

τρόπῳ ἀντιδόσεως.

Ex epiſtola Leonis ad Flauianum.

Digitized by Google

& illud, Deus, & homo, Deus perfectus, & homo perfectus, omnes diuinitatis proprietates in ſe ferens, diuinitatem non cœpiſſe, eſſe immortalem, eſſe dominum, habere voluntatem omnipotentem, & operationem, ac etiam ferens omnem ſubſtantiam carnis nulla re defectam, animam, corpus, mentem, & horum naturales, & extra reprehenſionem paſſiones, & proprietates, liberam voluntatem, & operationem, famam, ſitim, lachrimas, dolorem, angorem, & mortem; dominus enim meus, & Deus meus ait Thomas; & Deus erat verbum, & verbum caro factum eſt dixit in Spiritu Theologus; & in principio erat verbum; item volo, mundus eſto; & nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent; hæc & alia eiusmodi & poteſtas miraculorum diuinam eius naturam, & operationem prædicant.

Præterea, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, & palpate me, & videte, quod ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, & nos vero mentem Chriſti habemus; &, ingreſſus domum, voluit, vt nullus ſciret, & non potuit latere, &; pater, non fiat voluntas mea, ſed tua, & fractio panum, & ambulatio, & extenſio manuum in cruce, & intellectio, & virtus vitalis, ac vis alendi, & augendi ac ſentiendi humanam energiam demonſtrant; & illud, poſtea eſuriit, & illæ in Lazaro lachrimæ, & illud, ſitio. & nunc anima mea turbata eſt valde, & triſtis ſum vſque ad mortem, & cœpit triſtis eſſe, & pauere, & tedere, & pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, & cum hoc dixiſſet, expirauit; an non plane ſicut illa priora diuinitatem teſtantur, ſic etiam hæc ipſius humanitatem, & duarum naturarum differentiam, & non confuſionem? Quomodo enim hæc & illa in vna natura dicentur?

Deus igitur eſt perfectus, & homo perfectus, Deus ſecundum naturam, & homo ſecundum naturam in diuinitate perfectus, & in humanitate nulla re defectus. Etſi enim ſecundum œconomiam factus eſt homo, natura tamen factus eſt homo, totus Deus cum carne; & totus homo cum diuinitate ſuperſubſtantiali. Dicimusque hoc Gregorium Theologum ſignificaſſe cum dixit, ex quibus (naturis ſcilicet) hæc quidem deificauit; hæc vero deificata eſt, & audeo dicere, ὁμόθεον, id eſt, ſocia diuinitatis. Sicut enim incarnationem ſine conuerſione, & mutatione verbi factam eſſe ſcimus, ſic & deificationem; ipſum enim verbum caro factum eſt, natum quidem ex virgine; editus vero Deus cum aſſumptione *In 2. Orat. de Paſcha.*

 carnis

carnis iam ab ipſo deificatæ, ſimul vt eſſe cœpit. Ita vt tria ſimul facta fuerint à verbo, aſſumptio ipſius carnis, exiſtentia, & deificatio: atque ita intellecta, & dicta ſit mater Dei ſancta virgo non ſolum propter naturam verbi, ſed etiam propter deificationem humanitatis, quorum conceptus & exiſtentia ſimul mirabiliter facta ſunt, conceptus quidem verbi; carnis vero exiſtentia in ipſo verbo per ipſam Dei matrem, quæ ſupra naturam præbuit formatori, vnde formaretur; & Deo auctori vniuerſi & aſſumptum deificanti præbuit, vnde homo fieret, ſeruante vnione ea, quæ vnita ſunt talia, qualia vnita ſunt. non dico ſolum quod diuinum eſt, ſed etiam quod humanum Chriſti; quod eſt ſupra nos, & quod eſt ſimile nobis. Nec enim quod prius fuit ſimile nobis, poſtea factum eſt ſupra nos; ſed potius ſemper ex prima exiſtentia ambo extiterunt, quia ex ſummo conceptu in ipſo verbo habuit exiſtentiam caro. Quod ergo humanum eſt Chriſti, ſecundum naturam eſt; diuinum vero eſt ſupra naturam.

ἡ ὕπαρξις

ἐξ ἄκρας συλλήψεως

Sanctam verò virginem proprie & vere matrem Dei prædicamus. Sicut enim verus Deus eſt, qui ex ipſa natus eſt, ſic vera mater Dei eſt, quæ Deum ex ipſa incarnatum peperit. Deum verò dicimus ex ipſa natum eſſe, non quaſi ex ipſa habuerit propriam exiſtentiam diuinitatis, ſed quod ex ipſa incarnatus ſit, & factus homo, & natus, vnus Chriſtus, vnus filius, vnus dominus, vna hypoſtaſis, idem Deus & homo, non alteram perſonam in Trinitate introducens. Hinc adiunctionem in Triſagio blaſphemam decernimus eſſe, tanquam interſerentem quartam perſonam in Trinitate & ſeparatim ponentem virtutem Dei in hypoſtaſi exiſtentem, & ſeparatim crucifixum, velut alium præter fortem, vel tanquã laudantem ſanctam Trinitatem paſſibilem, & cum filio crucifigentem patrem, & ſpiritum ſanctum, vel tanquam demonſtrantem ſpiritum ſanctum immortalem, paſſibilem. Hic enim hymnus triſagios, id eſt, ter ſanctus, olim ab ſpiritu ſancto per Seraphinos ſpiritus ſancti miniſtros Eſaiæ ſpectatori Dei reuelatus eſt; qui tres hypoſtaſes diuinitatis myſticè declarabat, vnamque dominationem, & naturam. Ipſe enim Eſaias dixit vidiſſe ſe Deum patrem; Ioannes filium dixit ſibi reuelatum eſſe; Paulus verò Apoſtolus ſpiritum ſanctum. Hinc omnes ſancti patres hunc hymnum triſagion de ſancta Trinitate acceperunt. Ait igitur Gregorius Theologus, hic itaque ſancta ſanctorum, quæ Seraphinis contecta ſunt, & tribus ſancti-

θεοῦ δύναμιν ἐνυπόστατον.

ſanctificationibus celebrantur, in vnam dominationem, & diuinitatem concurrunt, in quo alius ante nos optime & altiſſimè Philoſophatus eſt.

Fertur in libris hiſtoriarum ex quadam diuina reuelatione, Proclo Patriarchâ Conſtantinopolitano, cum populus ibi ſupplicaret propter quaſdam Dei minas, raptum eſſe è populo puerum, & hunc hymnum ex quadam angelica & myſtica diſciplina didiciſſe: ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri; & iuſſum eſſe canere. Confirmauit breui euentus reuelationem; ſimul enim vt cecinerunt, ceſſauit ira. Dicimus autem hanc eſſe vim hymni, ſanctus Deus, pater ſcilicet, ex quo Deus filius; & Deus ſpiritus ſanctus; ſanctus fortis, filius ſapientia patris, & virtus; ſanctus immortalis, ſpiritus ſanctus. ſpiritus enim eſt viuificus, & lex ſpiritus vitæ, & Dei pater Dauid, ſitiuit inquit; anima mea ad Deum, fortem, viuum. Hæc autem dicimus non circumſcribentes in ſolo Deo patre diuinitatem; nec in ſolo filio virtutem, vel in ſolo ſpiritu ſancto immortalitatem, quin potius in vnaquaq; hypoſtaſi diuina omnia nomina diuina ſimpliciter, & ἑνιαίως, id eſt, vnitè accipimus imitantes Apoſtolum, cum ait, nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos ex ipſo; & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, & vnus ſpiritus ſanctus, in quo omnia, & nos in ipſo. Immo & Gregorium Theologum, cum ait, nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia; & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia; & vnus ſpiritus ſanctus in quo omnia, illud ex quo, & per quem, & in quo non ſunt ſcindentium naturas, ſed ſignantium proprietates vnius, & non confuſæ naturæ.

Hiſtoria de Triſagio.

Χάραξ Ἰνηλ-ζόντων.

Ridiculum ergo eſt, & ludicrum, canticum Triſagion & quod angeli & prius, & poſterius docuerunt, ceſſatio plagæ inflictæ comprobauit; ſancti patres teſtimonio ſuo confirmauerunt tanquam diuinitatem Trium perſonarum declarans, inſana arrogantia Petri Gnaphæi veluti conculcari. Exiſtimans enim ſe inſtar paleæ hunc ſacrum hymnum repurgare, & ſplendidum reddere tanquam Seraphinis præſtantior, adiunctionem Triſagio inſerſit, cum tanquam legem contra ſpiritum ſanctum ferret. Sed ô ſuperbam contumaciam, ne dicam, amentiam. Nos autem ſic dicimus, etſi dæmones rumpantur, ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis miſerere noſtri. Ad confirmationem

autem eorum, quæ dicta ſunt, auctoritates ſanctorum patrum, quorum os, os Dei vocatum eſt, ſubiecimus; vt reuerentia erga eos adhibenda moti, nobiſcum, & cum veritate vnum Deum, & vnam naturam in tribus perſonis, & vnum ſanctæ Trinitatis vnigenitum Dei filium, & poſt incarnationem vnum Chriſtum, vnum filium, vnum Dominum, & vnam hypoſtaſim in duabus naturis ſine confuſione, & ſine diuiſione orthodoxè prædicetis.

AVCTORITATES SANCTORVM PATRUM,

quæ docent, vnum eſſe Chriſtũ ex duabus naturis, & duas naturas, & in duabus naturis poſt ſalutarem, & infinitæ bonitatis eius incarnationem.

Sancti Irenæi Epiſcopi Lugdunenſis contra Valentinum.

SIcut enim arca aurata erat intus, & extra, auro puro; ſic corpus Chriſti purum, & ſplendidum erat, intus quidem verbo decoratum, extrinſecus vero ſpiritu cuſtoditum, vt ex vtriſque ſplendor naturarum demonſtraretur.

Alia ſplendeſcens. φρουρόμενον *aliâs* φωτιζόμενον ἢ λαμπρυνόμενον ἢ διαυγαζόμενον.

Sancti Iuſtini philoſophi & martyris ex libro 3. de ſancta Trinitate c. 3.

ET in huius vterum ingreſſus tanquam diuinum ſemen, format ſibi templum, & in templi formationem ſubſtantiam perfecti hominis ſumpti, & non partem illius naturæ contulit; & indutus

hanc

hanc perfectam humanitatem ſumma vnione cum ambabus naturis filius Dei exiuit.

Eiusdem ex eodem libro c.17.

SIcut vnus eſt homo, habet autem naturas differentes duas, & ſecundum aliud ratiocinatur, & ſecundum aliud, id, de quo ratiocinatus eſt, operatur, anima enim intelligente de ædificanda naui ratiocinatus, quod ratione habet comprehenſum, manibus ad effectum perducit; ſic filius cum vnus eſſet, & idem naturæ duæ, ſecundum aliam naturam miracula operabatur, & ſecundum aliam humilia ſuſcipiebat.

Ex eodem libro Iuſtini recitat Leontius propoſito accommodatiſſima de exemplo ſolis, & luminis.

Sancti Athanaſii Epiſcopi Alexand. ex libro contra hæreſes.

QVi cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Duas formas habes, tene has, ne alteram adulteres, nec enim homo cum eſſet filius Dei & Deus diuinam formam deleuit; neque cum Deus eſſet, humanam formam recuſauit. Quia igitur duas formas habemus, formam inquam domini, & formam ſerui, vnam quidem natura Dei, alteram vero natura humana; vnam quidem ante ſæcula; alteram vero ex poſterioribus temporibus; vnam quidem ex patre; alteram verò ex virgine; vnam quidem ex ſolo; alterā verò ex ſola; quoniam hæ duæ res per ſe extiterunt duo in vno; nec enim Deum verbum à corpore diuidimus; neque duos filios, & Chriſtos nouimus: ſed potius filium Dei ante ſæcula factum poſterioribus temporibus ex ipſo vtero virginis hominem perfectum. Sicut enim pater qui genuit, perfectum filium genuit, ſic idem & vnus filius, & verbum patris cum hominem, qui perfectè interierat, ſaluare vellet, perfectus homo factus eſt; ne ſi ſaluum faceret, quod exterius eſt, quod interius eſt, proderet. Nec enim corpus aſſumpſit, & animam reliquit; ſed potius animam, & mentem aſſumpſit.

Sancti Methodij Epiſcopi Patarorum & Martyris ex oratione in occurſum Simeonis in templo.

IN aſpectu inſpectabilem; in circumſcriptione incircumſcriptū; in paruitate ſupraquam magnum; in templo & in altiſſimis; in throno

Digitized by Google

Eccleſ.hier. throno virginali,& in vehiculo Cherubinorum; infra,& ſupra ſine interuallo,& diſtantia; in forma ſerui,& in forma Dei patris, ſubiectum, & regem omnium.

Quòd idem ſit ſubſtantia & forma ex Baſilio Epiſcopo Caſarea Cappad. ex libro contra Eunomium.

EGo enim eſſe in forma Dei tantum valere dico, quantum eſſe in ſubſtantia Dei, ſicut enim aſſumpſiſſe formam ſerui ſignificat fuiſſe dominum in ſubſtantia humanitatis, ſic dicere eſſe in forma Dei proprietatem diuinæ ſubſtantiæ exponit.

Eiuſdem ex diſputatione contra Aëtium Arianum.

NOn enim poteris vnquam tu, aut alius quis exponere, aut demonſtrare verè ſanctos patres, quos diximus, & magiſtros ſanctæ eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ dixiſſe, vel docuiſſe ſcripto, vel ſine ſcripto, vt tu ais, in Chriſto Deo noſtro vnam naturam compoſitam, vel μονοειδῆ, id eſt, vnius formæ, vel vnam voluntatem, & vnam energiam, id eſt, operationem; aut aliquod ex interdictis dogmatibus, & à ſancta Catholica, & Apoſtolica eccleſia reiectis. Si enim quæ deſtruximus, hæc rurſus ædificamus ſecundum Apoſtolum, transgreſſores nos conſtituimus. Contra potius, duplicem eſſe prædicauimus ſecundum omnia dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in vna hypoſtaſi, & vna perſona ſine vlla qualicunque diuiſione, vel confuſione. dicere enim vnam naturam, & voluntatem, & operationem in ipſo domino noſtro Ieſu Chriſto, & non duo, doctrina & ſententia eſt hominum prauè opinantium, & blaſphemorum, ac tecum ſentientium.

Sancti Athanaſij ex Epiſtola ad Epictetum.

SI verbum eſt conſubſtantiale corpori, quod ex terra naturā habet, eſt autem verbum conſubſtantiale patri ſecundum confeſſionem patrum, erit igitur pater conſubſtantialis corpori ex terra facto. Et quid iam Arianos accuſant, qui dicunt filium eſſe creaturam, cum ipſi dicant patrem eſſe conſubſtantialem creaturis? Et paulo poſt. Quis infernus ructans protulit hoc dictum, corpus ex Maria conſubſtantiale eſſe diuinitati verbi?

Sancti

Sancti Gregorij Theologi ex ſecunda epiſtola ad Cledonium.

NAturæ quidem duæ Deus, & homo, quia & anima & corpus; filij vero non duo, neque Dei. Non enim hic duo homines; & ſi Paulus ſic exteriorem, & interiorem hominem appellauit.

Eiuſdem ex Apologetico.

HOc nobis vult lex pœdagogus; hoc prophetæ Chriſto & legi interiecti; hoc Chriſtus ſpiritualis legis perfector, & finis; hoc diuinitas exinanita; hoc caro aſſumpta; hoc noua mixtio Deus, & homo vnum ex vtriſque, & per vnum vtraque.

Eiuſdem ex ſecundo libro de filio.

SIgnum vero, quando naturæ diſtant cogitatione, ſimul diuiduntur nomina; audi Paulum dicentem, vt Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ, Chriſti quidem Deus; pater vero gloriæ. Si enim vtrumque vnum, at non natura, ſed congreſſu.

Eiuſdem ſupplementum auctoritatis paulo ante citatæ ex epiſtola 2. ad Cledonium.

SI vero dicendum eſt in ſumma, aliud, & aliud ſunt ea, ex quibus eſt Saluator, ſiquidem non eſt idem inaſpectabile eſſe, & aſpectabile; eſſe ſine tempore, & eſſe ſubiectum tempori; non tamen alius, & alius, abſit. Ambo enim vnum temperatione Deo facto homine, & homine facto Deo, vel quomodocunque nominare libet. Dico autem aliud & aliud, contra atque in ſancta Trinitate euenit. Illic enim alius & alius, ne hypoſtaſes confundamus. Non aliud & aliud; vnum enim ſunt tria, & idem diuinitate.

Scholium Damaſceni.

Si non eſt aliud & aliud, quia vna eſt natura, aliud igitur & aliud non ſunt vna natura. & ſi contra atque in ſancta Trinitate, illic autem tres hypoſtaſes, quia alius, & alius, vna vero natura, quia non eſt aliud, & aliud. hic igitur duæ quidem naturæ, quia aliud, & aliud; vna vero hypoſtaſis, quia non eſt alius & alius.

Vnionem vocat temperationem, ſiue commixtionẽ. Cum ait, vel quomodocunq nominare libet, excuſat verbum temperationis, ſiue commixtionis, tanquam non proprium, ſed adhibitum ad ſignificandum unionem ſine vlla confuſione, quæ quidẽ & S. Cyrillus, vnio, quia exprimi non poteſt, vt ait Greg. Nyſſ. in epiſ. ad Philippũ monachũ, hinc factum eſt, vt varie nominetur à S. patribus, tametſi melius nominatur vnio.

Eiuſdem ex ſecundo libro de filio.

HOc eſt, quod eſt hæreticis erroris cauſa, adiunctio nominum, commutatis nominibus propter vnionem: ſignum vero eſt, quod quando naturæ cogitatione ſeparantur, ſimul diuiduntur nomina. audi Paulum dicentem, vt Deus domini noſtri Ieſu Chriſti, pater gloriæ; ſi enim vtrumque eſt vnum, at non natura, ſed congreſſu, ſiue concurſu in vnum, quid his clarius eſſe poteſt?

διὰ τὴν ἐγκράσιν.

Scholium Damaſceni.

QVæ non ſunt natura vnum, neceſſario ſunt duo. Si autem cõgreſſus fit ſecundum hypoſtaſim, igitur diuinitas Chriſti, & humanitas eius duo quidem ſunt natura, vnum vero hypoſtaſi.

Eiuſdem ex verſibus.

VEnit Deus & mortalis, qui naturas duas in vnum copulauit, vnam quidem occultam, alteram verò hominibus patentem.

Sancti Ambroſij Mediolanenſis ex libro de incarnatione, id eſt, contra Apolinarium.

SEd dum hos conuincimus, alij orti ſunt, qui aiunt corpus domini, & diuinitatem vnius naturæ eſſe. Quis infernus hanc blaſphemiam ructauit? Ariani enim iam ſunt tolerabiliores, quibus accreſcit hinc contentionis, & perfidiæ truncus. Contentioſius enim aſſeuerabunt, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum non eſſe vnius ſubſtantiæ, quandoquidem iſti diuinitatem domini, & carnem vnius ſubſtantiæ eſſe dicunt.

Eiuſdem ex libro ad Gratianum Imperatorem. Hanc auctoritatem produxit Cyrillus in Synodo Epheſina.

SEruemus differentiam diuinitatis, & carnis, vnus enim Dei filius in vtraque eſt, ſiquidem in ipſo vtraque natura eſt.

Eiuſdem ex interpretatione Symboli.

EOs vero, qui dicunt nudum hominem Chriſtum, aut patibile verbum Dei, aut mutatum in carnem, aut habuiſſe corpus

Digitized by Google

ὁμοούσιον, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ cum verbo; aut è cælo illud traxiſſe, aut phantaſma eſſe, aut mortalem eſſe Deum verbum, aut opus illi fuiſſe, vt ſuſcitaretur à patre, aut corpus eſſe inanimatum, aut aſſumpſiſſe humanitatem expertem mentis, aut duas Chriſti naturas commixtione confuſas vnam naturam effectas eſſe, & non confitentur dominum noſtrum Ieſum Chriſtum duas naturas eſſe non confuſas, vnam autem perſonam, quatenus vnus eſt Chriſtus, vnus filius; hos anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Sancti Amphilochij Epiſcopi Iconij ex epiſtola ad Seleucum.

SIc Deum & hominem Chriſtum confiteor filium Dei, vnum filium duarum naturarum patibilis, & impatibilis, mortalis, & immortalis. Et paulò poſt: vnum filium duarum naturarum dico ſine confuſione, ſine conuerſione, ſine diuiſione. Patitur igitur Chriſtus filius Dei non diuinitate, ſed humanitate.

Eiuſdem ex eadem epiſtola.

PAtitur natura aſſumpta, quæ autem aſſumpſit manet impatibilis. Facit autem Deus verbum ſuas humanas paſſiones proprij corporis, crucem dico, & mortem, & alia, quæcunque circa ipſum œconomicè ſpectantur, hæc ſibi vendicat nihil ipſe patiens; quia in vnam perſonam duæ naturæ conueniunt, & concurrunt.

Oeconomicè, id eſt, propter vnionem carnis.

Sancti Gregorij Epiſcopi Nyſſeni ex epiſtola ad Philippum Monachum.

QVæ ſunt homouſia, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, idem ſunt; contra verò quæ ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, non ſunt idem. Etſi enim ambo vnione, quæ exprimi non poteſt, vnum ſunt, non tamen natura, propter inconfuſum. Chriſtus igitur cum ſit duæ naturæ, & in eis verè agnoſcatur, ſingularem perſonam filiationis habet.

ταυτότητι κέκτηται.

Eiuſdem contra Apollinarium.

SI igitur in contrariis proprietatibus cernitur natura alterutrius horum carnis ſcilicet, & diuinitatis, quomodo duæ naturæ ſunt vna?

Sancti Cyrilli Archiepiſc. Alex. ex Allocutione ad Alexandrinos.

EGo τὸ σύγκεκραμένον, id eſt, commixtum non probo, alienum enim eſt ab Apoſtolica fide, & à recta Chriſti traditione. Commixtio enim interitum naturarum efficit; vnio vero quæ exprimi non poteſt, quam ſancti patres confitentur ... ambas naturas extra confuſionem ſeruat; & vnum ex ambabus Chriſtum, qui apparuit, conſtituit eundem Deum ſimul, & hominem; & non duos Chriſtos, vnum vero potius vnitum, & non mixtum. Si enim mixtæ ſunt duæ naturæ in vnam, quæ ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, neutra ſalua eſt, ſed potius ambæ confuſæ deletæ ſunt. Et paulo poſt. Et ſoluitur quidem templum triduo ſepulturæ, ipſo volente; & rurſus excitauit illud, vnitusque eſt ei modo, & ratione, quę exprimi non poteſt, non mixtus in eo, neq; ἀποσεσαρκωμένος, id eſt, excarnat' ſed ſeruãs in ſe ipſo proprietates duarũ naturarũ diuerſæ ſubſtantiæ extra confuſioné. Non enim mixtæ ſunt naturæ in illa inexplicabili & non cõfuſa vnione, quin potius vnitæ ſunt ratione, quæ neque dici, neque exprimi poteſt, ſuntque ſupra omnem intelligentiam ſecundum beatum, & verè œcumenicum orthodoxæ fidei magiſtrum, & Archiepiſcopum noſtrum Athanaſium, qui in magna Synodo Nicæna inter trecentos decem & octo patres ſplenduit, qui dixit, duarum rerum diſſimilium & inæqualium ſecundum naturam coitio, non commixtio Dei ineffabilis, & mortalis corporis facta eſt, non per interitum, aut excarnationem, ſed per vnionem inexplicabilem, & inenarrabilem duarum naturarum diuerſæ ſubſtantiæ, quæ in vno Chriſto filio Dei ſaluæ ſunt extra confuſionem, & interitum, atque diuiſionem.

Scholium Damaſceni.

VIdete, quomodo ſancti patres æque confuſionem, & diuiſionem fugientes ſaluas eſſe aiunt duas in vno Chriſto naturas, id eſt, in vna hypoſtaſi.

Eiusdem ex libro de fide.

NVnquam enim receſſit à ſua diuinitate, quamuis ſe ipſum exinaniuit, forma ſerui propter nos ſumpta, non amiſſa forma diuina, vt ſicut tu, facile deificaretur tanquam homo; apage quin

potius

potius templum ſibi animatum, & perfectum in vtero virginis fabricauit, & in illud ingreſſus, eiq; modo ineffabili vnitus, ambabus naturis ſaluis, non mixtis egreſſus eſt, in eo quidem quod comparebat, homo; in eo vero quod intelligebatur, Deus Ieſus Chriſtus.

Eiuſdem ex epiſtola ad Ioannem Antiochenum.

SCimus viros theologos Euangelicas, & Apoſtolicas de Chriſto voces, alias quidem communes facere tanquam in vna perſona; alias vero diuidere tanquam in duabus naturis; & alias quidem Deum decentes ſecundum diuinitatem Chriſti; alias verò humiles ſecundum humanitatem.

Scholium Damaſceni.

SI verè eſt vna perſona in Chriſto poſt vnionem, neceſſario verè etiam duæ naturæ.

Eiuſdem ex epiſtola ad Acatium epiſcopum Melitenæ.

SEd enim fortaſſis illud dicent aduerſarij, ecce iam apertè qui rectæ fidei confeſſionem faciunt, duas quidem naturas nominant; diuidi verò contendũt voces ſanctorum patrum ſecundum differentiam ipſarum naturarum. At quomodo non pugnant hæc cum tuis? non enim potes voces iſtas duabus perſonis diſtribuere. Sed ô boni viri, dicam ego, ſcripſimus in capitibus, ſi quis duabus perſonis, id eſt, hypoſtaſibus diſtribuit voces, & has quidem tanquam homini ſeparatim cogitato præter Deum verbum accommodat, has verò tanquam Deum decentes ſoli verbo Dei patris, hic eſt damnatus, differentiam verò vocum nullo modo negauimus.

Capita vocat anathematiſmos quos ſcripſit, & defendit à calumniis reprehenſorum.

Scholium.

VIdes, quomodo non recuſet dicere duas naturas, ſed recuſat confiteri eas ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος, id eſt per ſe & ſeparatim.

Eiuſdem ex Glaphyris in Leuiticum.

DVas autem auiculas mundas, & viuas iubet accipere, vt intelligas ex volucribus cœleſtem hominem ſimul & Deum in duas naturas diſcretum, quantum pertinet ad rationem cuiq; naturæ conuenientem, (verbum enim erat ex Deo patre, in carne ex muliere) ſed non partitum, vnus enim ex ambabus Chriſtus.

Eiuſdem ex libris de Trinitate.

VEluti confinium quoddam diuinitatis, & humanitatis habens con-

Digitized by Google

concurſum vtriuſque vtpote in vno, & natura differentium coitionem in idem ſecundum vnionem, & implicationem.

Eiuſdem ex epiſtola ad Succeſſum.

COgitantes igitur, vt dixi, modum incarnationis, videmus duas naturas coiſſe inter ſe per vnionem inſeparabilem ſine conuerſione & mutatione. caro enim caro eſt, & non diuinitas, etſi facta eſt caro Dei; ſimiliter & verbum Deus eſt, & non caro; etſi propriã fecit carnem œconomicè. Cum hoc cogitamus, nihil lędimus concurſum in vnitatem, dicentes factum eſſe ex duabus naturis; poſt vnionem tamen non dirimimus naturas inter ſe; nec vnum, & impartibilem in duos filios ſcindimus; ſed vnum filium dicimus, & vt patres dixerunt, vnam naturam verbi Dei incarnatam. Igitur quãtum poſſumus cogitare, & ſolum oculis animæ cernere quomodo vnigenitus factus ſit homo, dicimus duas naturas eſſe, vnum vero filium & Chriſtum, & dominum confitemur verbum Dei factum hominem, & incarnatum.

Id eſt, per myſterium incarnationis.

Scholium Damaſceni.

COnſideret quiſque non cæcus mente ſententiam patris, non enim dixit, poſt vnionem tamen non confitemur naturas; ſed non dirimimus. Duas namque naturas eſſe ait, vnum vero filium, & Chriſtum, & dominum. Et poſtquam dixit, vnum filium dicimus, ſubiunxit, & vnam naturam verbi incarnatam. naturam hic vocauit hypoſtaſem. non enim natura, vel ſubſtantia, eſt filius, ſed hypoſtaſis eſt filius. Si enim natura eſſet filius, non eſt autem pater filius, igitur neque pater eſſet eiuſdem naturæ cum filio: oſtendit tamen naturam carnis, cum ſcribit ad eundem Succeſſum. quare etſi hic ſubſtantiam opinione veſtra naturam vocat, inducit etiam naturam carnis, cum ait incarnatam. Sic igitur ſcribit.

Eiuſdem ex ſecunda epiſtola ad Succeſſum.

SI qui vnam naturam verbi diximus, & non ſubiunxiſſemus incarnatam, ſed potius tacuiſſemus, veluti extra ponentes œconomiam, id eſt, myſterium incarnationis, fortaſſe eorum ſermo nõ eſſet improbabilis, cum percunctantur, ſi totum eſt vna natura, vbi eſt perfectum in humanitate? Aut quomodo noſtra ſubſtantia habuit hypoſtaſim? Quoniam vero perfectio in humanitate, & noſtrę ſubſtantiæ declaratio inducta eſt, cum diximus incarnatam, deſinant inniti virgæ arundineæ.

Schol-

Scholium Damaſceni.

DEſinite ergo vos niti in virga arundinea, & credite magiſtro. Sciebat enim dicendo incarnatam perfectionem in humanitate & noſtræ ſubſtantiæ declarationem adhiberi, & quod non eſt totum vna natura; quod ſi non eſt vna, perſpicuum eſt omnibus, eſſe duas.

Sancti Ioannis Chryſoſtomi ex homilia in Lazarum.

STannum plumbi & argenti particeps eſt, argenti quidem, aſpectu; plumbi verò natura. Sic Chriſtus Deus, & homo, duas naturas in ſe conſeruat; & ſicut in ſe ipſo naturas conſeruat; ſic & ipſe in ipſis eſt, nec alius ipſe exiſtit præter eas.

Scholium Damaſceni.

NOn neceſſe eſt, vt exemplum ex omni parte ſimilitudinem eius, cum quo comparatur, habeat. vt hic ſtannum videtur quidem eſſe argentum, ſed non eſt, Chriſtus autem verè eſt homo.

Eiuſdem ex epiſtola ad Cæſarium monachum.

SIc etiam hic, diuina natura in ipſo inſidente vnum filium, vnam perſonam vtrumque conſtituit; agnoſcitur tamen extra diuiſionem, & confuſionem non in vna tantum natura, ſed in duabus perfectis. Si enim in vna, vbi illud, extra confuſionem? Vbi extra diuiſionem? Vbi vnio dicetur? Vnam enim ſibi ipſi vniri, vel diuidi impoſſibile eſt. Quis infernus eructauit dicere vnam naturam in Chriſto poſt vnionem? Aut enim diuinam naturam tenentes, humanam negant, hoc eſt, noſtram ſalutem; aut humanam tenentes, diuinam naturam negant. Dicant, vtra amiſit proprium? Si enim adhuc ſalua eſt vnio, neceſſe eſt proprietates vnionis ſaluas eſſe; alioqui non eſſet vnio hæc, ſed confuſio, & interitus naturarum.

Finis libri S. Damaſceni contra Acephalos.

Digitized by Google

S. IOANNIS DAMASCENI LIBER CONTRA NESTORIANOS

Nunc primùm in lucem datur.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

FF S. IO.

Digitized by Google

S. IOANNIS DAMASCENI LIBER CONTRA NESTORIANOS

CONtra eos, qui cum Neſtorio ſentiunt, ſic exordiendum eſt: dicite nobis vos, Quem concepit ſancta virgo, filium Dei, & Deum natura, an hominem? Si dicant natura filium Dei, & Deum, rectam fidem habent; neceſſariò enim confitebuntur matrem Dei ſanctam virginem. Quæ enim Deum concepit, & hunc incarnatum, quomodo non fuerit mater Dei? Si verò dicant hominem; tunc tanquam cum hæreticis ſic diſputabimus. Filium Dei patris & verbum ante ſæcula, natura filium Dei, & natura Deum dicitis, & homouſion Deo patri? Maxime, dicent. Deinde dicimus, filium virginis, natura filium Dei, & natura Deum dicitis? Minimè, dicent. Tunc dicemus, Ergo duos filios Dei confitemini, vnum natura, alterum ſecundum gratiam; & duos filios adoratis, & ſententia veſtra, facta eſt Trinitas quaternitas. Dicite ergo nobis, vnde didiciſtis prædicare duas hypoſtaſes?

1. Non auditis euangelium, cum clarè dicit, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. & paulo poſt: & verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis?

2. Vnde verò poſt conceptum carnis animatæ, habitationem verbi Dei dicitis? An non ſcriptum eſt, quod ingreſſus angelus ad Mariam dixit, aue gratia plena, dominus tecum. Illa autem turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus

gelus ei: ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur: & dabit ei dominus Deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus dixit illi, ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Ecce clarè demonſtratum eſt, quod cum Maria quæreret de modo conceptus, non dixit Angelus: concipies prius, & tunc erit habitatio Dei, ſed per aduentum, & operationem ſpiritus ſancti, & per habitationem verbi erit conceptio. Vt iam primum facta ſit inumbratio virtutis altiſſimi, id eſt, verbi conceptio, & tunc extiterit eſſentia carnis in ipſo verbo ſubſiſtētis. Quòd autem ipſum verbum factum fuerit homo, Ioannes Theologus clamat inquiens, & Deus erat verbum; & verbum caro factum eſt; factum vero eſt ſine conuerſione, & ſine mutatione. Deus enim immutabilis eſt, & inuariabilis. Verbum igitur caro factum eſt non mutata natura, οὐδὲ φαντάσας τὴν οἰκονομίαν, id eſt, neque ſimulata, ac ficta incarnatione; ſed cum eſſet vna ex perſonis diuinitatis; facta eſt etiam vna ex perſonis humanitatis ex virgine intacta, carnē animatam anima rationis, & intelligentiæ participe in ſua hypoſtaſi ſuſtinens. Sicut enim gladius ex ferro factus, vna hypoſtaſis eſt ex natura ferri, & eſt ignis incendens vna hypoſtaſis naturæ ignis; & accedens gladius ad ignem incenſus eſt, & non accepit ipſam ignis hypoſtaſim, quæ prius erat, ſed acceptis primitiis ex ipſa natura ignis, facta eſt ipſi hypoſtaſis; factusque eſt gladius, qui prius erat ſimplex hypoſtaſis naturæ ferri, compoſita hypoſtaſis; & habet naturam ferri non mutatam, & naturam ignis ab eo aſſumptam non imminutam, ſic Christus vna hypoſtaſis diuinitatis, habens in ſe ipſo totam naturam diuinitatis nulla re defectam, aſſumpſit ex ſancta virgine carnem in hypoſtaſi exiſtentem, non hypoſtaſim, quin potius in ſe ipſo ſubſiſtentem, primitias ſcilicet naturæ noſtræ; cumque prius ſimplex eſſet, facta eſt poſtea compoſita, nō natura compoſita, ſed hypoſtaſis compoſita ex diuinitate ſcilicet, quæ prius erat, & ex carne aſſumpta animata anima rationis, & intelligentiæ participe.

ἐνυπόστατον.

3. Si verò dicitis, quod ſicut factus eſt peccatum, & maledictum, ſic factus eſt caro. Dicamus igitur, quod ſicut ad tollendum peccatum, & maledictum factus eſt peccatum, & maledictum, ſic ad tollendam carnem, factus eſt caro: vel ſicut ad conſtitutionem & renouationem carnis factus eſt caro, ſic ad conſtitutionem, & renouationem peccati, & maledicti, peccatum, & maledictum factus eſt. At peccatum & maledictum non eſt ſubſtantia, neque creatura Dei, caro autem creatura Dei eſt; non igitur ſicut peccatum & maledictum factus eſt, ſic caro factus eſt.

4. Quis eſt particeps, ſicut nos, carnis & ſanguinis? homo enim nudus, cum caro & ſanguis ſit, non dicitur participare carnem, & ſanguinem.

5. Si per omnia nobis factus eſt ſimilis, quis nobis aſſimilatus eſt? Quod enim aliquibus aſſimilatur, neceſſe eſt omnino differens eſſe.

6. Quomodo miſit Deus filium ſuum factum ex muliere? Qui enim non eſt, non mittitur. Quid ergo erat, & quid ex muliere factus eſt? Dicite.

7. Si non eſt ſecundum naturam filius Dei, qui eſt ex virgine natura, Deus, quomodo ſedit in dextera Dei patris? Perſpicuum eſt, quod ſublato, qui eſt natura Deus, quaternitatem adoramus; & nos atque omnes angeli hominilatræ, id eſt, cultores humanitatis ſumus.

8. Gloriam meam, ait Deus, alteri non dabo quomodo igitur ſi alius eſt ex virgine præter filium Dei, & Deum natura, adoratur, & colitur?

9. Si non eſt natura filius Dei, & Deus Ieſus filius virginis, quomodo in nomine Ieſu omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum? Sin autem Deo ſecundum naturam, flectitur omne genu, quomodo Deo, niſi idem ſit etiam homo, quod eſt ſuper omne nomen donatur? Quatenus enim Deus eſt, non accipit, habet enim id ex æternitate.

10. Si Chriſtus ex Iudæis ſecundum carnem, relinquitur, vt intelligatur, & ſit, & dicatur ex alio ſecundum aliud. Dicendo enim ſecundum carnem definiuit, ac deſignauit eſſe ex alio ſecundũ aliud; ex quo autem, & ſecundum quid, niſi ex Deo vt Deus? Cum enim dixit, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, ſignificat, quod cum eſſet Deus benedict⁹ ſuper omnia ante ſæcula ex patre, Deus ſcilicet

ex

Digitized by Google

ex Deo, ſecundum carnẽ ex Iudæis factus eſt, cum factus eſt homo. 11.

Beatus Paulus ait, Hoc ſentite in vobis, quod & in Christo Ie-
ſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æ-
qualem Deo; ſed ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſi-
militudine hominum factus; & habitu inuentus vt homo, humili-
auit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem
crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ,
quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu flecta-
tur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confite-
atur, quod dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Dicite, quis in forma Dei cum eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens? homo non eſt in forma Dei; non enim eſt in natura Dei homo. Siquidem vniuerſus cœtus ſanctorum naturam nouit eſſe formam. Et ſeruus non exinanit ſeipſum formam ſerui accipiens, quomodo enim accipit, quod eſt? Et quomodo homo hominibus aſſimilatur? vel obediens Deo factus humiliat ſeipſum? homo .n. magis exaltatur, obediens Deo factus; & æqualis Deo conſtitutus rapinam arbitratur. Quare de filio Dei & Deo natura dicta ſunt hæc, quando factus eſt homo. Non enim cum eſſet prius homo, poſtea vocatus eſt Deus, ſic enim rapinam arbitratus eſſet; ſed cum eſſet ab initio Deus, poſtea factus eſt homo; vt autem factus homo ſuperexaltatur nomine filij Dei, quod eſt ſuper omne nomen. idem enim erat, & eſt filius Dei, & Deus natura, & filius hominis factus eſt & homo natura; ſic enim diuinus Apoſtolus pronunciauit. Non enim dixit, cum eſſet, factus eſt Deus; ſed cum eſſet in forma Dei, nõ rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. Non enim exaltatur altiſſimus, ſed humiliat ſe ipſum factus ſponte homo. Non igitur de alio humiliationem dixit, & de alio exaltationem, ſed de eodem; vnus enim eſt, qui hoc, & illud ſuſcepit, illud quidem, id eſt, humiliationem, quatenus cum Deus eſſet, factus eſt homo: hoc verò, id eſt, exaltationem, quatenus factus homo, quæ erant naturæ humanæ ſua fecit, atque ita dicitur ſuperexaltatus eſſe.

Ait dominus ad Deum patrem, Pater glorifica me ea gloria 12.
quam habui, antequam mundus fieret, apud te. Si Deus tantum, quomodo glorificatur? Si verò homo tantum, quomodo ante ſæcula habebat gloriam?

Non erit, inquit, in te Deus recens, quomodo igitur homo 13.

Digitized by Google

apud vos ſit Deus habitudine copulationis cum verbo, & efficitur particeps gloriæ, & dignitatis cum patre? Nos verò non hominem recenter fieri Deum dicimus, ſed qui erat filius Dei, & Deus ex æternitate, hunc incarnatum eſſe ſine mutatione. Manſit enim nihilominus Deus & factus homo.

14. Beatus Paulus ait, Si enim ſunt dij multi, & domini multi, ſed nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos ex ipſo, vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Vnum, inquit, Chriſtum, per quem omnia. Quem hunc dicitis? Si eum, qui ex virgine, neceſſe eſt vobis, eundem dicere ex Deo, ante ſæcula, per quem omnia. ſin eum, qui ex Deo, alium dicitis præter eum, qui ex virgine, non erit opinione veſtra Chriſtus, qui ex virgine. Vnum enim Chriſtum dixit, per quem omnia. Si vero eum, qui ex virgine, alium præter eum, qui ex Deo, vel duos creatores vniuerſi dicetis; vel non erit Chriſtus ex Deo, neque creator.

15. Ait ſcriptura, quod qui confeſſus fuerit, quod Ieſus eſt ipſe filius Dei, Deus in ipſo manet; & ipſe in Deo. Non dixit υἱὸς τοῦ θεοῦ, id eſt, filius Dei ſine articulo, ſed ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ μόνος, ὁ εἷς, id eſt, filius Dei cum articulo, qui eſt ſolus, & vnus.

16. Duas naturas Chriſti dicitis, an vnam? Duas dicunt. Quaſnam has? Diuinitatem planè ac humanitatem; quomodo igitur non eſt Deus natura, & homo natura, ſi duas naturas habet?

17. Si vnionem verbi Dei, & carnis ſecundum habitudinem dicitis, vbi eſt vnio? Vbi incarnatio? Vbi aſſumptio humanitatis? Si enim hæc in vnione ſecundum habitudinem exponitis, plurimas Dei incarnationes, & aſſumptiones humanitatis, etſi particulares, introducetis. Multis enim diuinis viris, iuſtis, Patriarchis, & Prophetis vnitus fuit Deus σχετικῶς, id eſt, ſecundum habitudinem. In vnoquoque igitur, noſtri ſimilium, incarnationem, & aſſumptionem humanitatis ſubiit.

18. Michæas Propheta de nato ex virgine in Bethleem ſic ait, Et egreſſus eius à principio à diebus æternitatis. quomodo egreſſus huius à principio à diebus æternitatis, ſi non erat idem Deus ante ſecula?

19. Cum dominus de exiſtentia ſua ante ſæcula teſtimonium perhibet, Amen amen, inquit, antequam Abraam fieret, ego ſum: & rurſus, nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit filius homi-

hominis,qui eſt in cœlo. Quomodo qui erat ex ſemine Dauid filius Abraam,priusquam Abraam fieret, erat, niſi vt Deus? Quomodo autem idem eſt filius Abraam,niſi vt factus homo nouiſſimis temporibus? Nemo aſcendit in cœlum,niſi qui de cœlo deſcendit filius hominis,qui eſt in cœlo. Quomodo filius hominis è cœlo deſcendit,& eſt in cœlo? Et quomodo qui eſt in cœlo, aſcendit in cœlum? Niſi quod idem Deus,& homo, vt Deus quidem συγκαταβατικῶς κάτεισι, id eſt,ſecundum condeſcenſum incarnatur,& fit homo, & à cœlis,& à patris ſinu non diſcedit; vt vero homo factus eſt, aſcendit vbi erat prius vt Deus,ſicut ipſe rurſus dixit,qui mentiri nō poteſt,quique eſt veritas ſubſiſtens: ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem,vbi erat prius. Vt enim Deus,ante ſæcula eſt, & incircumſcriptus,etſi deſcendiſſe dicitur. Deſcenſum enim in eo dicimꝰ illum condeſcenſum,& humiliationem & in terra ſui manifeſtationem; vt autem homo apparuit, circumſcriptus & ſub tempus. ἡ ἐνυπόστατος ἀλήθεια.

Ioannes præcurſor & baptiſta ait,hic eſt,de quo dixi, poſt me venit vir,qui ante me factus eſt,quia prior me eſt, & ego neſciebam eum; ſed vt manifeſtetur Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans; & ecce agnus Dei,qui tollit peccatum mundi. Conſiderate quemadmodum cum vocat virum,& nominat agnum, non alium dicit tollentem peccatum mundi. Atque hanc vere magnam & Deum decentem dignitatem ei tribuit. Ante verò & priorem dicit eſſe quamuis poſt venientem,ſecundum tempus inquam generationis ſecundum carnem. Si enim eſt poſterius natus quatenus homo Emmanuel, at erat quatenus Deus ante ſæcula. Ipſius ergo eſt & recens humanè,& æternum diuinè. Vnde Zacharias pater Ioannis Prophetans, filio ſuo ait, & tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem domini parare vias eius. 20.

21. Filius virginis interrogabat diſcipulos ſuos inquiens, quem me dicunt homines eſſe filium hominis? Igitur cum alij alium dicerent, & vnum ex Prophetis eſſe, coniecturam facerent, non approbans dominus, vt qui non dicerent verum, rurſus interrogabat, Vos autem qui pluſquam alij ſcitis, quem me eſſe dicitis? Tunc optimus Petrus,& Apoſtolorum ſummus non intuens in verbum nudum,& ſine carne, nec in nudum hominem deiferū, ſed in filium Dei,& Deum natura, & natura factum hominem, & in vnum, qui hoc, & illud erat, Chriſtum, tu es Chriſtus, ἡ κορυφαῖα τῶν ἀποστόλων ἀκρότης

dixit,

dixit, filius Dei viui. non dixit Χριστὸς ſine articulo, ſed ὁ Χριστὸς ſcilicet qui expectatur, qui prophetatus eſt. Nec hic ſubſtitit, ſed ſubiunxit: filius Dei viui. non dixit, υἱὸς ſine articulo, ſed ὁ υἱὸς ſcilicet vnigenitus, vnus, ex æternitate. Audiuitque, beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Nemo enim cognoſcit filium, niſi pater. Et diſcipuli admirati illud miraculum ambulationis ſuper mare, dixerunt, Vere filius Dei es. at ſi adulterinus, & adoptatus, non verè eſſet. Accuſate ergo

εἰσποιητός. vos beatos diſcipulos. Si vna eſt natura ſanctæ Trinitatis & vna operatio, & omnia in ea communia ſunt præter hypoſtaſim, habitudine autem, & operatione vnitum fuit verbum carni animatæ anima rationali, & intelligente, & non ſecundum hypoſtaſim, nihilo minus pater, & ſpiritus ſanctus huic carni vniti ſunt. Si autem æqualis vnio, & vna eſt patris, & filij, & ſpiritus ſancti cum carne, dicatur natus ex virgine pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Quæ enim ſortitio eſt verbum ſolum, & filium Dei nominare? Si ſolus filius habuit cum ipſa carne vnionem ſecundum habitudinem, & operationem,

ἑτεροενεργής. erit diuerſæ operationis à patre, & ſpiritu ſancto, quod quidem abſurdum eſt. Sin vero ſecundum hypoſtaſim facta eſt vnio, nihil abſurdi erit, filius enim diuerſa hypoſtaſis à patre & ſpiritu ſancto eſt.

22. Beatus Paulus ait, Vnus Deus, & pater, ex quo omnia; & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Quare Ieſus Chriſtus immediate cum patre collocatur nullo interiecto? Deinde vbinam vnigenitum ponemus, adducentes ad locum eius hominē, & hunc, ab ipſo vt dicitis operationem recipientem? Si dicitis, quod ſicut Chriſtus natus eſt in Bethleem, & quia in Nazareth habitauit, vocatus eſt Nazoræus, ſic & Deus verbum homo vocatus eſt, quia habitauit in homine; igitur non caro, neque homo genitus eſt, neque recte vocabitur homo, ſed ἀνθρωπαῖος καὶ σαρκαῖος, ſicut Nazoræus. non enim Nazareth vocatus eſt Chriſtus, ſed Nazoræus.

23. Si verbum Dei homo nominatur propter habitationem in homine, & propter vnionem ſecundum habitudinem; igitur pater, & ſpiritus ſanct⁹ vocentur homines; habitat enim in nobis plenitudo ſanctæ Trinitatis. Atqui Paulus ait, Neſcitis, quod templum Dei eſtis? Et ſpiritus Dei habitat in vobis? Et ipſe Chriſtus, ſi quis, inquit, diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus, nequaquam tamen dictus eſt pater homo, neque ſpiritus ſanctus, pro-

pter

Digitized by Google

pter habitationem ſui in nobis. Igitur neque filius propter habitationem in homine homo dicitur; ſed quod verè factum eſt caro, & ita factus homo.

Si quia erat Verbum in Chriſto, fuit effector miraculorum; fortaſſe dicitis eſſe eum vnum ex prophetis ſanctis; operatus enim eſt per manus ſanctorum miracula. 24.

Dicitur in ſcriptura Chriſtus ſanctificatus à patre, & aduentum ſpiritus ſancti recepiſſe, quomodo igitur in ſancto baptiſmate baptizat, & implet, quæ ſola diuinam naturam decent? Præbet .n. ſanctificationem; & hoc demonſtrans tanquam proprium bonum, accipite, inquit, ſpiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Sanctificatur igitur vt homo, ſanctificat autem vt Deus, vnus, & idem Deus homo. 25.

Scriptum eſt de Chriſto, qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia, & quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam; & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Præterea ipſe dominus, Deus Deus meus, inquit, vt quid me dereliquiſti? Si hæc dicebantur de nudo homine, dolentis igitur erant, & impetum tentationis intolerabilem ducentis, ac victi metu, & non generoſam & virilem animam habentis. Videntur enim verba hæc hominis in angore ex anguſto, & paruo animo poſiti, triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; & nunc anima mea turbata eſt; &: pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Hæc verba vel ſunt ignorantis voluntatem diuinam, vel reſiſtentis diuinæ voluntati. Si vero dicta ſunt de Deo ab humanitate nudo, diſſentanea penitus, & diſcrepantia ſunt. Dicta vero de Deo incarnato, & facto homine, & propriis carnis ſuæ paſſionibus paſſiones noſtras curante, & normam nobis relinquente, valdè apposite dicta ſunt. Hoc enim ſignificat illud, in diebus carnis ſuæ & quidem cum eſſet filius Dei. Admiratus eſt enim diuinus Paulus myſterium, & Dei circa nos œconomiam, ac condeſcenſum ex amore erga homines profectum, quod cum eſſet alioqui filius Dei, in diebus carnis ſuæ hæc omnia in natura noſtra ſuſtinuit, vt hanc contra paſſiones roboraret; doceretque nos in Deum in tentationibus aſpicere, eumque ad ferendam opem implorare; & in quantam conſum- 26.

Digitized by Google

mationem, & in quæ præmia deſinit paſſionum tolerantia, & obedientia. Vnde beatus Petrus ſcripſit: quæ enim gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuſtinetis? Sed ſi benefacientes, & patientes ſuſtinetis hæc eſt gratia apud Deum. Quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Igitur non homo ſolum, neque Deus nudus, ſed Deus incarnatus, qui eſt Chriſtus in diebus carnis ſuæ paſſus eſt hæc, & hæc fecit, nobis relinquens exemplum. Alioqui quomodo increpat Petrum, cum dixit: propitius eſto tibi domine; non erit tibi hoc, quando paſſionem eis prædicebat?

27. Si dicatur Ieſus proficere ſapientia, & ætate, & gratia, ne ſuſpiceris nudum hominem eſſe, ſed Deum factum hominem, & incarnatum permittentem carni propriæ ire per ea, quæ erant propria naturæ ſuæ, ne aſſumptio humanitatis prodigium, ſiue monſtrum eſſe videretur.

28. Audet Paulus, & non hominem vocat Ieſum, non tanquam non hominem, ſed tanquam & Deum. Scribit enim ad Galatas, Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum. Et rurſus manifeſtum vobis facio Euangelium, quod Euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem; nec enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

29. Scriptum eſt: non Angelus, neque legatus, ſed ipſe dominus ſaluauit nos, ait Paulus, eſtote imitatores mei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis. Qui dolebat, & recuſabat calicem, quomodo ſeipſum tradidit, ſi ſolum homo erat?

30. Beatus Petrus ait, Chriſto igitur paſſo carne. quare addidit carnem, niſi quia ſciebat, quod Deus erat diuinitate impatibilis.

31. Si nudus homo paſſus eſt pro nobis, quomodo verbum crucis virtus Dei eſt? Aut quomodo qui ſanguinem eius communem eſſe duxit, damnatus eſt tanquam qui filium Dei conculcauerit?

32. Quomodo Chriſtus ait aſcendere ſe, vbi erat prius? Nec enim quatenus Deus, aſcendit, incircumſcriptus enim eſt. Aſcendere enim & deſcendere naturæ circumſcriptæ eſt; neq; quatenus homo, erat in cœlo, priuſquam aſcendiſſet. At aſcendit vt homo, vbi erat vt Deus; Deus enim erat idem ſimul & homo.

Scriptum

Digitized by Google

Scriptum eſt ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, habeat vitam æternam. Quæ iſta dilectionis exuperantia, ſi communem hominem gratia adoptatum filium pro nobis dedit? Quomodo vnigenitus eſt, qui eſt adoptione filij honoratus, & non potius qui eſt natura filius? Cum ſcriptura dicat: ego dixi, dij eſtis, & filij altiſſimi omnes. Et: quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Verum ſicut cum multi ſint dij poſitione & gratia, vnus vero eſt natura Deus; ſic cum multi alioqui ſint adoptione filiorum honorati, vnus tamen eſt vnigenitus Dei, quem pro nobis dedit. 33.

Clamat diuinus Ioannes, Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Quis autem eſt, qui enarrauit, niſi qui natus eſt ex virgine, & cum hominibus conuerſatus? 34.

Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quomodo viſus eſt in terra, & cum hominibus conuerſatus eſt, ſi non eſt factus homo? Ipſe enim dixit, Deum nemo vidit vnquam. 35.

Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo dominus de cœlo. Non enim è cœlo corpus traxit, ſed cum eſſet Deus, & natura filius Dei, è cœlo deſcendit, & factus eſt homo ſecundus Adam, tãquam ſecundum principiũ eorum, qui reformantur, & ad immortalitatem per reſurrectionẽ mutantur. Quamobrẽ ait, primus Adã in animam viuentem; nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem. 36.

Ait dominus diſcipulis ſuis: euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. & Paulus ait: quicunque in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem eius baptizati ſumus. Vnius filij meminit dominus, cum dixit, Et filij, non autem, Et filiorum; Apoſtolus verò in Chriſtum, & in mortem eius ait nos baptizatos eſſe. Eiectus igitur eſt ſecundum ſententiam veſtram natura filius, & introductus filius per gratiam adoptatus; aut vos in quaternitatem baptizati eſtis, non nos; apage. Nos enim baptizati ſumus in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti in trinitatem conſubſtantialem, & indiuiduam. Manſit enim nihilominus conſubſtantialis patri etiam factus homo natura filius Dei, & Deus, vnigenitus; ſicut Symbolum eccleſiæ docet, credimus in vnum Deum patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum dominum 37.

Digitized by Google

Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia ſæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitũ, non factum, conſubſtantialem patri; per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, ex Maria virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, & paſſus & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas; & aſcendit ad cœlos, & ſedet in dextera Dei patris; & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis.

Vide, quemadmodum multitudo illa ſanctorum, ac diuinorum patrum vnum dominum Ieſum Chriſtum dixit ante ſæcula ex patre genitum, & non factum, conſubſtantialem patri, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, incarnatum, & paſſum carne, & ſuſcitatum, & eleuatum in cœlos, & ſedentem in dextera Dei patris, & iterum venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Significatiſſime enim dixerunt illud: & iterum venturum. quippe qui iam è cœlis deſcenderat, cum ſecundum exinanitionem voluntariam incarnatus, factus eſt homo. Non enim alium ante ſæcula genitum, & alium ex virgine incarnatum dixerunt, ſed vnum, & eundem. Sed dices, ipſũ igitur Dei patris verbũ propter nos paſſum eſſe dicimus? Maxime quidem, ſed carne tamen, non diuinitate. Siquidem verax
„ eſt Paulus, qui de eo ait, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus
„ omnis creaturæ; quia in ipſo condita ſunt omnia viſibilia, & inuiſi-
„ bilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſta-
„ tes; omnia per ipſum, & in ipſum creata ſunt; & ipſe eſt ante omnia,
„ & omnia in ipſo conſiſtunt, & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ, qui
„ eſt primitiæ primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum
„ tenens. Ecce, ecce & quidem valde aperte dicit imaginem inuiſibilis Dei, primogenitum omnis creaturæ viſibilis, & inuiſibilis, per quem omnia, & in quo omnia, datum eſſe caput eccleſiæ, eſſe vero primogenitum ex mortuis, qui ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Non enim hominem ſimpliciter, copulatione cum ipſo, neſcio quomodo, vt vos dicitis, honoratum, pro nobis datum eſſe dicimus; quin potius ipſe eſt dominus gloriæ, qui crucifixus eſt. Si enim, inquit, cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Quomodo igitur idem & paſſus eſt, & non paſſus? Si enim omnino non eſt paſſus vt Deus, paſſus vero dicitur, quomodo erit Deus? Igitur qui paſſus eſt, intelligatur ſolꝰ qui eſt ex ſemine Dauid.

At

Digitized by Google

At quomodo non eſt imbecillis animi hæc dicere? Non enim communem hominem copulatione ſecundum habitudinem, & adoptione honoratum dedit pro nobis pater. Sic enim ſcribit Euangeliſta: ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, habeat vitam æternam.

Quia igitur voluit pati pro ſalute mundi, hoc autem fieri non poterat ſine carne, quia erat ipſe natura impatibilis vt pote Deus, carnem aſſumpſit paſſionis capacem; cumque eſſet Deus, factus eſt homo, vt pati poſſet. Quare vtrumque ei inerat, carne quidem pati, diuinitate vero non pati. Erat enim in eodem idem Deus, ſimul & homo. Infirma quidem eſt omnis exemplorum cogitatio ad planā delineationem myſterij, tamen ad tenuem quandam ſignificationem hoc dicimus: ſicut ferrum, vel alia huiusmodi materia, applicatione ignis ignem ipſum recipit, & flammam parturit. Si vero forte à percutiente feriatur, accipit quidem materia detrimentum, natura tamen ignis nullum penitus incommodum à percutiente accipit: ſic intelliges euenire in eo, quod dicitur, carne quidem paſſus filius Dei, diuinitate verò non paſſus.

Quandoquidem reperimus voces Propheticas, & Euangelicas, & Apoſtolicas de Chriſto, partim quidem tanquam de Deo, partim tanquam de homine, partim tanquam de Deo ſimul & homine dictas, quomodo dicemus non eſſe has inter ſe contrarias? niſi dicamus natura filium Dei, & Deum, natura factum eſſe hominem, eſſeq; poſt aſſumptā humanitatem eundem Deū ſimul & hominē. Sic enim etſi crucifixus eſt ex infirmitate carnis ſecundum Apoſtolum, ſed viuit ex virtute Dei; & ſuſcitatus eſt à patre, & ſeipſum ſuſcitauit; & aſſumptus eſt, & ſua poteſtate aſcendit; & ſedit in dextera patris in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur. 38.

Si non immediate propria verbi facta eſt caro, quæ ei ineffabiliter vnita eſt, quomodo intelligetur viuifica? Ego, inquit, ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, & vitam do mundo. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Si hæc non dicebantur de ipſo, qui deſcendit, diceremus, tanquam de homine adoptato filio dici; ſed quia ait, ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi, quomodo caro eius alterius erit, præterquam ipſius? Si autem ſcriptum etiam eſt, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij 39.

ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Digitized by Google

hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis: intelligimus vnum eſſe filium Dei, & filium hominis, illud quidem ex æternitate, vtpote Deum; hoc vero, vt factũ hominẽ nouiſſimis tẽporibus. Alioqui quomodo filius hominis eſt, & de cœlo deſcẽdit?

40. Beatus Paulus in epiſtola ad Hebræos, multifariam, inquit, multiſq; modis olim Deus locutus patribus in Prophetis, nouiſſimis his diebus locutus eſt nobis in filio. Vide, quemadmodũ Prophetæ etiã digni habiti ſunt adoptione filiorum; hic autem, in quo nouiſſimis diebus loquutus eſt nobis Deus, non eſt adoptione filius, ſed natura. οὐ θετὸς υἱός. Quamobrem diſcretus eſt à Prophetis, idq; manifeſtũ eſt, ait enim: quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Quomodo conſtituitur hæres vniuerſorũ ille, per quem fecit & ſecula, niſi ſit Deus ſimul & homo? Et quatenus quidem Deus, auctor eſt ſæculorum; quatenus vero homo, hæres conſtituitur. Qui cũ ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantię ejus, portáſq; omnia verbo virtutis ſuæ, per ſeipſum purgationem peccatorũ noſtrorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectꝰ, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Vide, quomodo ipſe, qui eſt ſplendor gloriæ, & character paterna hypoſtaſis, q portat omnia verbo virtutis ſuę, hic omnium hæres conſtituitur, & nomen angelis excellentius ſortitus eſt. Quomodo igitur idem eſt ſplendor glorię, & portat vniuerſa, & fit hęres omnium, & nominis, niſi quia idem cum eſſet Deus, homo factus eſt? Non enim hæc de alio, & alio dicuntur; ſed de vno & eodem filio Dei, in quo nobis nouiſſimis diebus locutus eſt.

41. Ad hæc omnia, quid magnum, & nouum, & abſconditum, quod alijs generationibus non eſt agnitum; aut quæ diuitiæ, vel quæ ſapientia ineffabilis, vel quæ charitatis exuperantia, ſi per hominem ſalus facta eſt? Aut quomodo myſterium œconomiæ exinanitio, & incarnatio, & aſſumptio humanitatis dicetur, ſi non per filium Dei, & natura Deum ſalui facti ſumus, ſed per vnum ex iis, qui erant ſub interitu, & qui nobiſcum per gratiam ſortiti ſunt ſalutem? Si autem natura filius Dei, & Deus, non vere factus eſt homo, & voluit pati omnia, vbi exinanitio? Quomodo ſe ipſum humiliauit? Quæ incarnatio erit non factum eſſe carnem? Si vero nunc nudum hominem colunt cœleſtia cum terrenis, & genua ei flectunt, quomodo non in peiorem ſtatum adductæ ſunt res? Olim enim homines ſolùm creaturæ cultum adhibebant, nunc verò, vt vos auctores eſtis,

cum

cum terrenis, & infernis etiam cœleſtia creaturam colunt. Atqui vos quidem cum ſpem in homine poſitam habeatis, & homini gratia ſeruato cultum adhibeatis, merito cultores hominis nominari debetis; nos vero adoramus, & colimus, & credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, & in vnum dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia ſæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, conſubſtantialem patri, ante ſæcula ex patre genitũ, & nouiſſimis temporibus incarnatum de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, & hominem factum, & crucifixum, & paſſum, & ſepultum, & ſuſcitatum, qui aſcendit in cœlos, & ſedet in dextera patris, & iterum venturus eſt cum gloria, cuius regni non erit finis; & in ſpiritum ſanctum.

Quòd autem qui genitus eſt ex ſancta virgine & crucifixus, ipſe eſt filius Dei, qui eſt ante ſæcula, teſtatur primum quidem cœtus Prophetarum. Dauid enim clamat inquiens, thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi. Ecce cum Deo diſſerit, virga rectitudinis virga " regni tui; dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te " Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. En, clare " Deum, cuius thronus in ſæculum ſæculi, ait vnctum eſſe à Deo & " patre, à patre quidem vtpote Deo, à Deo autem ſuo, vtpote incar- " natum, & tanquam hominem vnctum. Michæas autem, Et tu, in- " quit, Bethleem terra Iuda, domus Ephratha, nequaquam minima " es in principibus Iuda; ex te enim egredietur dux, qui paſcet popu- " lum meum Iſrael, & egreſſus eius ab initio ex diebus ſæculi. Quis ha- " buit exitum à principio, niſi de quo Ioannes Theologus ait, in prin- " cipio erat verbum? Et rurſus Dauid, Deus iudicium tuum regi " da; & iuſtitiam tuam filio regis. Et paulo poſt: & humiliabit ca- " lumniatorem. Et permanebit cum ſole; & ante lunam in ge- " neratione generationum. An hæc non plane declarant exiſten- " tiam Chriſti ante ſæcula? Et Baruch: hic Deus noſter, non æſtima- " bitur alius aduerſus eum; inuenit omnẽ viam ſcientiæ, & dedit illam " Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo, Poſthæc in terris viſus eſt, & cũ " hominibus conuerſatus eſt. Ioannes Theologus in principio, in- " quit, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat ver- " bum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum fa- " cta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. & pau- " lo poſt, Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. "

Et

Digitized by Google

Et vidimus gloriam eius, gloriam eius quaſi vnigeniti à patre plenũ gratiæ & veritatis. Ioannes teſtatur de ipſo, & clamauit dicens: hic eſt, quem dixi, qui poſt me venit, & ante me factus eſt, qui prior me erat. Prior erat, vt Deus ſcilicet; vt enim homo, poſt Ioannem natus eſt Chriſtus. Et rurſus: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit. Quis autem enarrauit niſi Chriſtus? Ipſe igitur eſt vnigenitus filius, qui erat in ſinu patris. Et Ioannes præcurſor, & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quod hic eſt filius Dei, cum dicit ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, id eſt, ipſe filius Dei, & non υἱὸς θεοῦ, id eſt, filius Dei ſine articulo, ſignificat ipſum vnum filium Dei vnigenitum.

Et ipſe dominus Nicodemo. Nemo, inquit, aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. Quomodo filius hominis deſcendit de cœlo? aut quomodo qui deſcendit, erat in cœlo, niſi quia filius Dei cum eſſet, & natura Deus, factus eſt filius hominis, & humiliauit ſemet ipſum? Hoc enim ſignificat deſcẽſus. Non enim Deus natura ſua ex locis ad loca tranſit, eſt enim incircumſcriptus. Et iterum dominus, Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in ipſum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Et iterum Ioannes, Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt; Qui de terra eſt, de terra loquitur; qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Et paulo poſt: pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius; Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum. Hæc omnia de Chriſto dicta ſunt. Et rurſus Dominus: pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Propter hoc igitur magis quærebant Iudæi interficere eum, quoniam non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed quia patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſeipſum faciens Deo, & iterum dominus: panis Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & vitam dat mundo. & paulo poſt. ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Et rurſus: omnis, qui videt filium, & credit in ipſum, habet vitam æternam. Si Chriſtus deſcendit de cœlo, quomodo eſt alius præter verbum Dei filium? Et ſi fides in eum eſt vita æterna, quomodo non eſt natura Deus? Non enim qui in creaturam credunt, aut in prophetam, habent vitam æternam, ſed qui in ſolum Deum verum. Et iterum: non quia patrem quis vidit,

niſi

Digitized by Google

niſi qui eſt ex Deo, hic vidit patrem. Et iterum: ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. & iterum: ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius. Si non eſt idem filius hominis, & filius Dei, qui eſt ante ſæcula, quomodo vbi erat prius aſcendit? Aſcendit quidem vt homo, vbi erat prius vt Deus, idem Deus ſimul & homo. Et iterum: ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit ipſam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Quis vitæ, & mortis poteſtatem habet niſi ſolus Deus?

Et rurſus: ego, & pater vnum ſumus. Nunquam dicet homo, Ego & Deus vnum ſumus; nec, Ego & Angelus vnum ſumus; ſed nec Angelus dicere queat, ego & Deus vnum ſumus, aut ego, & homo vnum ſumus. Præcipue autem creatura nunquam dicet, ego, & creator vnum ſumus. In creaturis enim fortaſſe dicere queat homo, ego & Angelus vnum ſumus quantum ad creationem, & ſeruitutem. creatura vero, & creator in nulla re ſunt vnum. Et paulo poſt, cõparans ſe cum ijs, qui ſunt poſitione, & non natura dij, Nonne, inquit, ſcriptum eſt in lege veſtra, ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura, quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, filius Dei ſum? Et oſtendens, quod erat Deus, & patri conſubſtantialis ex ſimilitudine operum, ait, ſi non facio opera eius, qui miſit me, ne credite mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non creditis, operibus meis credite, vt cognoſcatis, & credatis, quod ego in patre, & pater in me; ſicut ſuperius ait, ſicut enim pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat, quoniam filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quoniam venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Poſtquam dixit, ſicut pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſubiunxit, ſic & filius, quos vult, viuificat; demonſtrans, quod ſua poteſtate, & natura eſt viuificus filius, ſicut & pater, & non gratia.

κατὰ τὸ κτιστόν, κατὰ τὸ δοῦλον.

Deinde ſubiungit, quod hic filius Dei, qui eſt natura viuificus, filius hominis eſt. Non dixit filius hominis dicitur, ſed eſt. Et non, inquit, miremini, quod filius hominis viuificat, hic enim filius hominis filius Dei eſt non nomine, & gratia, ſed natura

Deus, ſicut & pater. Et iterum ad Martham: ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Et rurſus, Qui videt me, videt & patrem. Non credis, quod ego in patre, & pater in me? Et iterum, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et cum dixiſſet Philippus, Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis, ſciretque dominus, impoſſibile eſſe videre Deum oculis corporeis, ac rurſus ſciret, quod cognitio eius cognitio eſt patris, vtpote eiuſdem ſubſtantiæ, eorum enim, quæ eiuſdem ſubſtantiæ ſunt, vna & eadem eſt cognitio, increpanter dicit illi: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me Philippe? Nouerat quidem eum hominem, increpatur tamen, quod eum eſſe Deum, fide, & oculis mentis non nouiſſet. Etenim ſi eum agnouiſſet Deum, agnouiſſet vtique & patrem. Qui enim vidiſſet ipſum Deum, vidiſſet ſcilicet & patrem. Non enim qui ipſum nouit hominem tantum, continuo etiam nouit patrem; quia non eſt pater homo. Hæc vero cognitio, cognoſcere videlicet patrem & ipſum Ieſum Deum, vita æterna eſt. Siquidem non cognoſcere hoc mors æterna eſt. Et Thomas quem attrectabat, dixit Dominum, & Deum. Ac reprehenditur quidem ipſe, quod non crediſſet, antequam videret; & beati prædicantur, qui non viderunt, & crediderunt. Et Paulus Apoſtolus; Quando iudicabit, inquit, Deus mundum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Et in Epiſt. ad Galat. Quando autem venit plenitudo temporum, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Et in Epiſt. ad Hebr. Vnde fratres ſancti vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum Chriſtum, qui fidelis eſt ei, qui præfecit illum, ſicut & Moyſes in tota domo eius. Amplioris enim iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creauit, Deus eſt. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant, Chriſtus autem tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos. Vide, quomodo poſtquam dixit Ieſum factum eſſe tanquam hominem, & eum cum Moyſe contulit, ait ampliore gloria quam Moyſem dignum habitum eſſe, ac tanto ampliore, quãto fabricator fabrica, & filius ſeruo præſtan-

præſtantior eſt. Moyſes enim famulus deifer, Chriſtus vero Deus & dominus in domo ſua, cuius domus ſumus nos; templum enim Dei ſumus. Et ſpiritus Dei habitat in nobis. Deus igitur eſt Ieſus, & creator, & natura Deus. Non enim qui gratia, & participatione dij ſunt, continuo ſunt creatores.

Hæc omnia de nato ex Maria, & crucifixo dicta, an non aperte & ſignificantiſſime eundem Deum, & hominem iis, qui mente præditi ſunt, declarant? verum caligo inanis gloriæ tanquam lippitudo quædam oculis mentis hæreticorum inſidet, quæ non ſinit fulgere eis Euangelij illuminationem. Non enim poſſunt credere, gloriam ab hominibus accipientes, & gloriam ſolius Dei non quærentes. Nos vero, quibus datum eſt eſſe cum Deo, qui gratia Dei ſuperſtitioſum errorem effugimus, ſic intelligimus, ſic ſentimus, ſic prædicamus, vnum Deum patrem, vnum Deum filium, vnum Deum ſpiritum ſanctum, vnum Deum tres inter ſe intellectos, vnumquemque per ſe Deum, vnum Deum tres, hoc propter vnitatem diuinitatis; illud propter proprietates perſonarum. Vna enim natura eſt in tribus perſonis; & ad vnum quæ ex ipſo ſunt, referuntur. Quamobrem vnus Deus tres perſonæ, perfecta autem natura, ideſt, diuinitas in vnaquaque perſona, quare vna quæque per ſe perfectus Deus; & vnus Deus tres perſonæ. Deus enim, & verbum eius, & ſpiritus eius vnus Deus. Siquidem & homo, & ratio eius, & ſpiritus eius non ſunt tres homines ſed vnus. Vnaquæque perſona Deus perfectus. Non enim ſunt virtutes non per ſe exiſtentes, neque in aërem fuſæ verbum Dei, & ſpiritus eius ſanctus; quin potius vnaquæque earum per ſe exiſtit, & perfecta eſt, ne ſit Deus compoſitus, ex ſimplicibus compoſitione perfectus, ſed potius vnus perfectus in tribus perfectis ſupra quam perfectus, & ante perfectus.

τρία σὺν ἀλλήλοις νοούμενα.

ὑπερτέλειος καὶ προτέλειος.

Credimus autem, & ſine dubitatione prædicamus ipſum ex patre ante ſecula genitum vnigenitum filium, & verbum, conſubſtantialem patri, natura Deum, per quem facta ſunt omnia, nouiſſimis temporib' beneplacito patris conceptū eſſe in vtero ſanctæ virginis puriſſimo, & impollutiſſimo tanq̃ diuinū ſemen, & incarnatum eſſe ſine conuerſione, & mutatione, id eſt, in ſe ipſo carnem ſuppoſitaſſe anima rationali, & intelligente præditam; factumque eſſe perfectum hominem, ac manſiſſe ſimul id, quod erat, perfectus Deus.

ἐν ἑαυτῷ ὑποστήσασθαι.

Digitized by Google

Non enim hominem concepit ſancta virgo, ſed natura Deum, qui erat ante ſæcula filius, & verbum Dei ex ipſa incarnandum. In vnaquaque enim muliere conceptio fit ſemine ex viro ſato; eſtque conceptio ſeminis virilis, & ſemen eſt hypoſtaſis, præbente muliere ſimul cum conceptu ſuos ſanguines facto coitu; exiſtuntque per ſe ipſi ſanguines in ſemine viri ſato, quod quidem efficitur ipſis ſanguinibus hypoſtaſis, efficiturque ſemen ſibi ipſi & ſanguinibus communis hypoſtaſis. At in ſancta virgine non ſic. Non enim ex ſemine viri factus eſt conceptus, ſed poſt aſſenſum virginis ſanctæ iuxta verbum domini, quod Angelus dixit, ſuperuenit in eam Spiritus ſanctus emundans eam, & virtutem præbens ad recipiendam diuinitatem verbi, & tunc obumbrauit ei ſapientia & virtus altiſſimi per ſe ſubſiſtens filius Dei patri conſubſtantialis tanquam diuinum ſemen; formauitque ſibi ex puriſſimis, ac mundiſſimis ipſius ſanguinibus carnem anima rationis participe, & intelligente præditam, factus ei hypoſtaſis. Sicque Deus cum eſſet ex patre natura, factus etiam eſt natura homo ex matre. Eſt quei idem hoc, & illud, Deus perfectus vere; & natura perfectus homo item verè, vna hypoſtaſis in duabus ſine diuiſione naturis. Non enim confitemur hominem Deum factum, ſed Deum incarnatum, & factum hominem; verbum enim caro factum eſt. Et totum Deum, & totum hominem eundem prædicamus, totum Deum cum carne ſua, & totum hominē cum diuinitate ſua ὑπέρθεον. Et vnam naturam verbi incarnatam eſſe tradimus; & duas, natura filij Dei, & hominis generationes agnoſcimus, & prædicamus vnam ex patre geniti ante ſecula ſine corpore, & ſine cauſa; & alteram nouiſſimis temporibus propter noſtram ſalutem ex ſancta virgine incarnati, & facti hominis, corpoream, & temporalem. Vnde & virginem prædicamus θεοτόκον, id eſt, deiparam, vt quæ Deum proprie, & vere ex ipſa incarnatum genuit. Chriſtiparam vero ipſam quidem eſſe ſcimus; Chriſtum enim genuit; ſed quia impius Neſtorius hac voce abuſus eſt, non Chriſtiparam, ſed à meliore deiparam nominamus. Chriſtiparæ enim aliæ etiam fuerunt Prophetarum, & regum matres. Sola vero ſancta virgo

ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα.

ὑπέρθεος dicitur quia eſt ſupra eos, de quibus ſcriptura ait, ego dixi dii eſtis &c.

ἀσωμάτως καὶ ἀναιτίως, non dixit, ſine principio, ſed, ſine cauſa, ſic plane principium à cauſa diſtinxit, vt Latini patres.

γεννησιουργός.

Cauſam itaque intellexit efficientem ſiue creantem à qua dicitur Deus eſt alioqui pater αἴτιος filii, vt patres Græci dicunt, ſed non γεννησιουργός.

Digitized by Google

virgo Maria θεοτόκος, id eſt, deipara eſt. Duas itaque naturas vnius Christi filij Dei ſcimus; & duas naturales voluntates, & operationes. Operatur enim in vtraque forma, & hoc vult, quod proprium habuit, cum communione alterius; & Trinitatem, non quaternitatem poſt incarnationem filij Dei colimus, vnum patrem, vnum filium Dei, & virginis, eundem Deum & hominem, & vnum ſpiritum ſanctum in ſæcula Amen.

Finis libri contra Neſtorianos.

Digitized by Google

COLLECTANEA

INCERTI AVCTORIS CONTRA SEVERIANOS.

Nunc primùm in lucem edita.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

COL.

Digitized by Google

COLLECTANEA QVÆDAM

INCERTI AVCTORIS CONTRA SEVERIANOS ET ACEPHALOS

Francisco Turriano Interprete.

SEuerus in libro contra Cæſareum Grammaticum obiicit Catholicis percunctando qui vnam naturam dicunt in homine alioqui compoſito ex corpore & anima duabus ſubſtantiis, & dicunt, eſſe eundem modum compoſitionis in myſterio incarnationis, & in homine, quare non ſimpliciter confitentur vnam ſubſtantiam in Chriſto, ſiquidem dicunt idem eſſe ſubſtantiam, & naturam? Hæretici enim quod primum, & proprie, ac maxime ſubſtantia eſt atomum, id eſt, indiuiduum, libenter confitentur, de natura autem neq; Peripatetici tradunt, fortaſſe quia iudicauerunt nomen ſubſtantiæ & nomen naturæ differre.

Sciendum eſt, quod patres Concilij Chalcedonenſis, ſequentes patres Concilij Niceni, dixerunt idem eſſe naturam, & ſubſtantiam; aliud vero eſſe præter ſubſtantiam atomum, & hypoſtaſim. Philoſophi vero externi vnam primam ſubſtantiam eſſe dicunt atomū, & non idem eſſe ſubſtantiam & naturam. Hæretici autem Eutychis & Seueri τῷ ἑλλήνῳ diſcipuli non ſequuntur ſanctos patres, qui dicunt idem eſſe ſubſtantiam & naturam, & aliud præter hæc, atomum,

mum,& hypoſtaſim; nec externos Philoſophos, qui atomum vocant primam & maxime propriam ſubſtantiam, non autem primã naturam. Seuerus enim, vt dixi, & qui eum ſequuntur, idem dicunt eſſe naturam,& hypoſtaſim & atomum. Subſtantiam,& hypoſtaſim & atomum idem eſſe nolunt dicere, ſicut dicunt ſapientes Gentilium.

Ex Pamphilo.

INquit Ariſt. Subſtantia eſt propriiſſime,& primum, & maxime dicta, quæ nec de ſubiecto dicitur, neque in ſubiecto eſt. Propriiſſime dixit, quia propriè dicitur & non ſecundum metaphoram; primum, quia non per medium aliquod intelligitur, ſed ipſam primum cognoſcimus. Cum dixit maximè, ſignificauit multorum opinionem. In libris enim eius τελειοτέροις, id eſt, abſolutioribus non indiuiduam, & particularem vocat primam ſubſtantiam, ſed vniuerſalem, hoc eſt, genera & ſpecies. Non eſt in ſubiecto, quia non eſt accidens. Accidentia enim vtpote, quæ in ſubſtantia cernuntur, in ſubiecto dicuntur. Illud autẽ, Neque de ſubiecto, ſignificat, non prædicari de aliquo, neque ſubdiuidi in aliam ſubſtantiam, quia eſt indiuidua, & particularis.

De differentia ſubſtantiæ, & naturæ.

PHiloſophi externi aliud dixerunt ſignificare nomen ſubſtantiæ, & aliud nomen naturæ, vt eorum definitiones declarant. Doctores verò eccleſiæ indifferenter vſi ſunt his nominibus. Vnde & nos eos ſequentes indifferenter vtimur his nominibus in diuinis dogmatib⁹ de Chriſto ſaluatore noſtro. Poſſumus etiam alio modo limatius differentiam horum nominum exprõmere. Reperimus enim nomen naturæ per abuſionem dici de iis, quæ non habent hypoſtaſim, & de iis, quæ ſpectantur in ſubſtantia, & hypoſtaſi. Nomen verò ſubſtantiæ de iis tantum, quæ ſunt ἐνυπόστατα. ſubſtantiam enim nunquam dicimus ἀνυπόστατον, id eſt, carere hypoſtaſi, ſiue nõ eſſe per ſe. Naturas verò multas reperimus, q̃ per ſe ſine ſubſtantia nunquam ſubſiſtunt, vt naturam iræ, dilectionis, temporis, mendacij, & verbi nominat beatus Baſilius contra Eunomium ſcribens: magni, inquit, precij eſſet falſa dicere, ſi ſimul cum iis, quæ dicuntur, periret natura mendacij. At non habet hoc naturam. Et rurſus idem; tractus aquæ demonſtrat fontem, ſermonis autem natura demonſtrat cor, vnde manauit.

De hypoſtaſi Chriſti ſimiliter ex Pamphilo.

VNam hypoſtaſim, quam in domino Chriſto vt profiteremur, doctores eccleſiæ tradiderunt, vtrum oporteat nominare ſubſtantiam, an accidens, ex iis quæ ſupra dicta ſunt, poſſumus reperire ſolutionem quæſtionis poſitæ. Diximus enim ſignificare ſubſtātiam τὴν ὕπαρξιν, id eſt, eſſentiam vniuscuiusque rei; hypoſtaſim vero multitudinem proprietatum χαρακτηριστικῶν. Rurſus demōſtrauimus, quod ſubſtantia ſignificat communem naturam indiuiduorum, quæ eſt ſine proprietatibus ſignantibus ſiue ſeparantibus hypoſtaſes. Hypoſtaſis vero ſignificat proprium, & indiuiduum proprietatibus ἀφοριζόμενον, id eſt, ſeparatum. Subſtantia igitur commune ſignificat, hypoſtaſis vero τὸ ἰδικόν, id eſt, ſpeciale, ſiue particulare. Non eſt autem idem commune, & ſpeciale, ergo non eſt idem ſubſtantia cum hypoſtaſi. Idcirco non debemus hypoſtaſim Chriſti, quatenus eſt hypoſtaſis, ſimpliciter dicere ſubſtantiam. Ac rurſus ſi hypoſtaſim Chriſti, quæ compoſita eſt, ſubſtantiam appellamus, neceſſe eſt & ipſam ſubſtantiam compoſitam, & indiuiduam ponere. Et hoc, ſi verum eſt, quomodo erit immutabilitas, & non confuſio in naturis, ex quibus diuina, & ſupra naturam vnio facta eſt? quomodo eadem natura erit creata, & increata? Viuifica, & viuificata? Homouſios Deo patri ſecundum diuinitatem; & homouſios nobis ſecundum humanitatem? Propter hæc, & ea, quæ ſuperius dicta ſunt, quod non oporteat profiteri in Chriſto ſubſtantiam compoſitam, neceſſe eſt dicere hypoſtaſim Chriſti, accidens verò longè abeſt vt dicere debeamus, διὰ τὸ ὑπερτελὲς καὶ ἄυλον καὶ ὑπερκείμενον πάσης νοητῆς καὶ αἰσθητῆς ὑπάρξεως τῆς θείας καὶ μακαρίας φύσεως, id eſt, propter naturam diuinam pluſquam perfectam, quæ omnem eſſentiam intellectilem & ſenſilem infinito interuallo ſuperat. Ergo quia neque ſimpliciter ſubſtantiam, neque accidens nominare licet, reſtat, vt vocemus apoteleſma duarum naturarum vnitarum, id eſt, ſubſtantiarum cum proprietatibus diuinitatis ſcilicet, & humanitatis, vt ſit hypoſtaſis Chriſti res compoſita ſubſtantialis vel indiuidua, quæ in duabus naturis cognoſcitur.

ἀφοριζόντων.

Quomodo ſubſtantiam antiqui quatuor modis diuiſerunt.

EX Heracliano. Dicuntur, inquit, ſubſtantiæ incorporeæ. Dicitur etiam ſubſtantia materia, ſimiliter ſubſtantia dicitur forma,

ma, & vtrumque ex materia & forma. Subſtantia, & ſubſtantia vt forma idem cum natura. Subſtantia incorporea, & ſubſtantia ex materia & forma cum proprietatibus intellectę indiuidua dicuntur, id eſt, hypoſtaſes. Si autem compoſitum ex materia & forma vniuerſaliter intelligatur, aut tanquam materia, aut ſicut dicuntur ſubſtantiæ incorporeæ vniuerſaliter, neque hypoſtaſis, neque natura dicitur, ſed ſubſtantia tantum. Exempli gratia. Quercus arbor quatenus eſt in hoc loco, huius proceritatis, & cum aliis proprietatibus, hypoſtaſis eſt, quatenus verò quatuor elementis aduenit talis forma, quæ quercum in generatione fecit, ſecundum hanc formam dicitur eſſe natura. Non autem ſecundum materiam, id eſt, quatuor elementa, neque ſecundum rationem communem quercus, cuius ſunt participes omnes quercus, natura, aut hypoſtaſis dicitur, ſed ſubſtantia tantum.

QVOD IMPOSSIBILE EST

eſſe naturam compoſitam ex creato, & increato, & quod Apolinarius ad tollendum duas naturas peperit vocem naturæ compoſitæ in Chriſto, & ante Apolinarium Manichæus, Præterea Ariani, quos ſecuti ſunt Eutyches & Seuerus.

GReg. Naz. de ſpiritu ſancto probat commentitium eſſe vnam naturam ex diuinitate, & creatura compoſitam eſſe.

Cyrillus ex libro contra Synuſiaſtas.

δεῖ γὰρ τῇ πάντων ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω φύσει, σώζεσθαι καθαρῶς καὶ ἁπλοῦν καὶ ἀμιγέστερον, καὶ τὸ μὴ συντεθεῖσθαι δοκεῖν ἐν γε τοῖς καθ' ἑαυτὴν ἤγουν προσθήκης δεδέσθαι τινὸς καὶ ἀσυμφυοῦς αὐτῇ πράγματος εἰς κοινωνίαν ἐλθεῖν τὴν ἐν ταυτότητι φύσεως ἤγουν ὁμοουσιότητα. Oportet enim in illa, quæ omnes tranſcendit, ſupremaque natura purè conſeruare ſimplicitatem, & ne cum alio permiſceatur, neue compoſita cenſeatur in iis, quæ in ſe continet, quaſi additamento quodam alicuius rei ſibi non cognatæ indigens venerit in communionem ſecundum identitatem naturæ ſiue ſubſtantiæ.

Aduerte hic, quemadmodum negat doctor Cyrillus fieri poſſe, vt diuina natura ſiue, cum ſe ipſa, ſiue cum alia diuerſa componatur in identitatem naturæ, ſiue ſubſtantiæ.

Ambroſius in libro contra hæreſes.

DVces horum ſunt, qui diuinitatem, & corpus domini dicunt eſſe factum vnius naturæ. legi enim quod non credidiſſem, niſi legiſſem. legi, inquam, ſic ſcriptum, Inſtrumentum, & à quo mouebatur inſtrumentum, vnius naturæ fuiſſe in Chriſto.

Apolinarius ad Petrum.

NAtura quidem Deum, & natura hominem dominum dicimus, vna vero natura συγκεράστῳ, id eſt, commixta, humana & diuina. Idem Apolinarius De incarnatione. O noua fides, & admiranda mixtio. Deus & caro vnam naturam ἀπετέλεσαν, id eſt, effecit. Eiusdem Apolinarij contra Diodorum ad Heraclium. Alterius, & alterius naturæ vnam, & eandem eſſe adorationem nefas eſt, hoc eſt, creatoris, & creaturæ, Dei & hominis. Vna verò eſt Chriſti adoratio, & ideo in vno nomine intelligitur Deus & homo. non eſt igitur alia, & alia ſubſtantia Deus & homo, ſed vna ſecundum compoſitionem Dei cum corpore humano.

Tempus opportunum eſt comparandi quæ aduerſarij proferunt ex ſermone perperam inſcripto Athanaſio, cum ſit planè Apolinarij, vt teſtatur index librorum & ſermonum Apolinarij, quē Timotheus diſcipulus eius conſcripſit, immo etiam, quæ ex ſermone Iulij Pontificis Romani proferunt, qui etiam Apolinarij eſt falsò inſcriptus Iulio, vt ex cognatione ſermonum dignoſcatur legitimus pater & auctor. Sic ergo habet teſtimonium, quod ex ſermone Athanaſij falsò recitant.

ἐκ τῆς τῶν λόγων συγγενείας.

Apolinarius ex Epiſtola Athanaſii ad Iouinianum imperatorem.

" QVando venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum fa-
" ctum ex muliere, &c. Et eſſe ipſum filium Dei, & Deum ſe-
" cundum ſpiritum, filium hominis ſecundum carnem, non duas
" naturas vnum filium, ſed vnam naturam Dei verbi incarnatam, &
" adoratam cum carne vna adoratione. Hæc tanquam Athanaſij recitata, ſi quis ſtudioſus veritatis eſt, conferat cum reliquis Athanaſij dog-

Digitized by Google

ſij dogmatibus,& reperiet diſſimilia eſſe.Etſi igitur hæc à dogmatibus Athanaſij diſcrepant,& propinqua ſunt dogmatibus Apolinarij,& hæc collatio ſatis eſt ad demonſtrandam veritatem,nos tamen ſepoſita collatione veritatem tenemus lecto indice Timothei , vt ſupra diximus.

Sic etiam in Iulio Romano, quem falsò ſuppoſuerunt, nòn ſolum ex inſcriptione coarguitur eorum calumnia, ſed ex ipſo genere dictionis,quæ phraſis dicitur. Nec enim Romani vnquam huiusmodi inſcriptione vtuntur, cum ad aliquem epiſcopũ ſcribunt, quamuis ſit exprimarijs, nedum cum ad presbyterum ſcribũt. Nec ipſa phraſis conuenit,tanquã conuerſa è latino,cum ſit nimis Græca. Sic enim ſcribit Apolinarius,(non Iulius) ad quendam Dionyſium , ad quem huiusmodi inſcriptionẽ facit; Domino meo deſideratiſſimo,& comminiſtro Dionyſio Apolinarius. Sic autem πλασογραφήσαντες, id eſt , falſarij fecerunt inſcriptionem, Iulius Epiſcopus Romæ in domino ſalutem,& poſt prooemium, & multa alia, ſubiecit hæc Apolinarius:Neceſſe eſt eos , qui duas naturas dicunt,vnam quidem adorare,alteram vero non adorare; in diuinam " quidem baptizari, in humanam verò non baptizari. Si autem in " mortem domini baptizamur , vnam confitemur naturam impaſ- " ſibilis diuinitatis, & paſſibilis humanitatis. Hæc tanquam ex Iulio " producunt.

Adiungamus nos iſtis ea quæ ſunt Apolinarij , vt demonſtremus,quanta ſit propinquitas,& cognatio Apolinarij cum Diodoro. Quomodo,inquit, non eſt res impia aliã ſubſtantiã creatam,vel " ſeruam habere, & eandem adhiberi adorationem creatori & domi- " no.Et iterum in libro de incarnatione.Impoſſibile eſt eundem eſſe " adorabilem,& non adorabilem , ergo impoſſibile eſt eundem eſſe " Deum,& hominem,ſed in vnitate commiſtæ naturæ diuinæ, incar- " ἐν μονότητι. natæ. Hæc ſunt Apolinarij admirãda,ſicut Polemon diſcipulus eius ait.Hæc habent maximam ſimilitudinem cum iis, quæ ab ipſis ficta ſunt tanquam Athanaſij,& Iulij eſſent.

Manichæi Sceleſti ex Epiſtola ad Conarum Saracenum.

CVm Iudæi vellent aliquando lapidare Chriſtum,& audaciã ſce- " leris ſui ad effectum perducere, demonſtrauit clarè ſubſtãtiam " ſuam ſuperni luminis filius,& tranſiens per medium eorum non vi- " debatur.Natura enim expers materiæ quæ ſpeciẽ carnis præ ſe fere- " bat,non erat quidem aſpectabilis,nec attrectabatur, quia nullã ha- " bebat

bebat communionem materia cum experte materię, vna enim natura erat totum, quamuis forma carnis videretur.

Eudoxij Conſtantinopolitani Ariani in libro de incarnatione.

CRedimus in vnum ſolum verum Deum, & patrem ſolum principium ingenitum, & ſine patre, & in vnum dominum Ieſum Chriſtum vnigenitum quidem, vt præſtantiorem omnibus poſt cũ creaturis, primogenitum vero vt eximium, & primarium in creaturis, incarnatum, & non humanatum, non enim animam humanam aſſumpſit, ſed factus eſt caro, vt per velum ſiue tegumentum nobis loqueretur Deus, non duas naturas, quia non erat perfectus homo; ſed pro anima erat Deus in carne, vna totum natura ſecundum compoſitionem. Reſpondeat igitur quomodo paſſibilis, & mortalis poterat eſſe conſubſtantialis impaſſibili & immortali.

Quòd Ariani voce vnius naturæ cōpoſitæ vſi ſunt.

Lucij Alexandrini Ariani in oratione in paſcha.

QVomodo igitur opus fuit anima, vt perfectus homo ſimul cũ Deo adoraretur? Idcirco clamat Ioannes, verbum caro factum eſt, pro eo, quod eſt, compoſitum eſt cum carne, non cum anima, ſicut dicunt, qui nunc fidem cauponantur, ſed vnitus eſt corpori, & vnus factus eſt cum eo. alioqui quomodo eſt Chriſtꝰ, ſi non eſt vna perſona, vna natura compoſita, ſicut cognoſcimus hominẽ ex anima & corpore compoſitum? Sin autem habuit animam, ſicut prædicant, qui dogmata adulterant, pugnant igitur motus Dei, & animæ, vtrumq; .n. per ſe mouetur, & ad diuerſas actiones ducitur.

QVOD QVIDAM PATRES repudiarunt nomen mixtionis in myſterio incarnationis.

Ambroſius de diuina incarnatione.

EOs autem qui dicunt nudum hominem Chriſtum, aut paſſibilem Deũ, aut mutatum in carnem, aut duas naturas Chriſti ſecundum mixtionem confuſas vnam ſubſtantiam factas eſſe.

Chryſoſtomus ad Cæſarium monachum.

HOc eſt abſurdum Apolinarij amentis, hæc eſt hæreſis impiiſſima introducentium mixtionem, & compoſitionem.

Cyrillus

Digitized by Google

Cyrillus de fide.

EGo mixtum non recipio, alienum enim eſt ab Apoſtolica fide, & recta Dei traditione. Mixtio enim interitum naturarum operatur.

Eiuſdem ad Orientales.

EOs verò, qui dicunt, quod mixtio, aut confuſio, aut φυρμὸς, id eſt conſperſio, ſiue fermentatio facta eſt verbi cum carne, ſanctitas veſtra reprimat.

Quòd tota diuinitas toti humanitati vnita eſt, & non pars parti, ſicut Ariani, & Apolinarius dicunt, & qui particulares ſubſtantias profitentur ex Cyrillo ad Theodoſiũ 2. Ex Greg. de baptiſmate. Ex Dionyſ. Areop. in Eccl. Hier. c. 3. de communione, diuinæ autem bonitatis &c. Ex Baſil. in epiſt. ad Sozopolitas. ex Epip. in Ancyroto. Ex Athan. de ſalutari aduentu περὶ τῆς σωτηριώδους ἐπιφανείας. Omnia accepit ex virgine, quæcunque à principio ad conſtitutionem hominis formauit Deus, χωρὶς ἁμαρτίας, id eſt, præter peccatum, οὐ τῆς θεότητος μεταποίησιν ἐπιδεξάμενος, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπότητος καινοποίησιν ἐργασάμενος κατὰ τὸ αὐτοῦ θέλημα, non quod diuinitatem transmutarit, ſed quod ſecundum voluntatem ſuam, ipſam humanitatem innouarit.

Atq; hæc quidem hactenus in eos, qui dicunt ſumpſiſſe dominũ corpus inanimatum, contra eos verò, qui dicunt particularem ſubſtantiam verbi particulari naturæ hominis vnitam eſſe, & non confitentur totam diuinitatem in ſingulis perſonis diuinis eſſe nihilo deficiente, ea quæ ſequuntur, pugnant, ex Apoſt. in epiſt. ad Coloſſ. Quoniam in ipſo habitat plenitudo diuinitatis, & paulo poſt, videte, ne quis vos & c. ex Dionyſ. Areop. c. 2. de vnitis, & diſcretis, hoc enim & in aliis à nobis excuſſum & demonſtratum eſt, & c. Eiusdem circa finem, eiusdem cap. has nos communes, & vnitas τῆς ὁλότητος, id eſt, vniuerſitatis &c.

Ex Eulogio Alexandrino.

COntra eos, qui dicunt, ſi dicitis habere Chriſtum duas ſubſtantias, neceſſario ſancta Trinitas σεσάρκωται, id eſt, incarnata eſt. Hæc ſunt, quæ aduerſarij obiiciunt, fortaſſis enim opinantur partibilem eſſe ſubſtantiã diuinitatis, & partem ſpectari in patre, partem in filio, & partem in ſpiritu ſancto: tanquam vnaquæque perſona ex parte, & non in omnibus proprietatibus diuinitatis agnoſcatur.

Nos

Digitized by Google

Nos autem non eo impietatis proceſſimus, vt partitionem, & ſectionem in diuina ſubſtantia eſſe exiſtimemus, ſed dicimus vnamquãque hypoſtaſim characteriſticam, habere notiones diuinitatis nulla deficiente, vt bonum, poteſtatem creandi, & quæcunque ſunt circa naturam increatam. Sic enim dicimus Trinitatem eſſe homouſion, id eſt, conſubſtantialem, quia eadem ſubſtantia ex toto in tribus perſonis agnoſcitur. Siquidem pater perfectam habet diuinitatis ſubſtantiam, ſimiliter filius, ſimiliter ſpiritus ſanctus, vnde perfectus Deus pater, perfectus Deus filius, perfectus Deus ſpiritus ſanctus. Conſentit his Paulus prædicator veritatis, cum ait; In ipſo enim habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Non enim dicit patrem incarnatum eſſe, ſed quod tota diuinitas in tribus perſonis eſt, nihilo deficiente, in patre, & filio, & ſpiritu ſancto in vnaquaque perfecte ſecundum vocẽ domini, qui dixit, Omnia patris mea ſunt, id eſt, quæcunque ſunt notiones ſubſtantiæ patris, hæc verbi Dei etiam incarnati ſunt, non quod pater ſit filius; aut filius pater, hæc enim nomina habitudinem inter eos ſignificant. Quomodo igitur non dicemus ſubſtantiam diuinitatis eſſe in Chriſto plenè ſine defectu, ſiquidem perfectum eum eſſe dicimus? Quomodo autem perfectum etiam hominem confitentes, non omnem ſubſtantiam humanitatis in ipſo eſſe confitebimur? Non enim partem eius aſſumpſit, vt ait Apolinarius, carnem ſine anima, ſed totam ſubſtantiam, id eſt, carnem animatam anima rationali, & intelligente. Hæc enim communiter in ſingulis hominibus perfectè exiſtens, ὀυσία εἰκότως ἂν εἴη, id eſt, rectè eſt ſubſtantia. Singuli enim diſtinguũtur, ſiue ſeparantur inter ſe non ſubſtantia, ſed proprietatibus conſequentibus, ſiue comitantibus magnitudine, colore, & vt vno verbo dicã, characteriſticis perſonarum qualitatibus. Quomodo enim ex duabus naturis Chriſtum eſſe dicent, niſi nomen naturę pro ſubſtantiis intelligant? Non enim audebunt dicere pro hypoſtaſibus characteriſticis dici ex duabus naturis, ne cogantur dicere ex duabus perſonis. Hypoſtaſis enim characteriſtica perſona intelligitur. dico autem hypoſtaſim characteriſticam, ſiue in charactere, ne fraude hæreticis conſueta hypoſtaſim ſine charactere ſupponant. Tunc enim ſignificationem ſubſtantiæ fert hypoſtaſis. Quomodo autem conſubſtantialem patri, & nobis Chriſtum poſt vnionem ponunt, & non ſunt ſtupidi confitentes quidem duo conſubſtantialia, negantes vero duas ſubſtantias?

Characterem vocat proprietatem diſtinguentem perſonam à perſona.

Contra

Contra particularem ſubſtantiam humanitatis in Chriſto.

SI ſeparantes cogitatione proprietates accidentes, & in ſeipſa naturam Petri conſiderantes,ſic dicimus,quod eſt animal rationis particeps,& mortale,eadem autem definitio naturæ humanæ ſimpliciter à nobis redditur,eadem igitur erit ratio naturæ ſimpliciter, & naturæ in aliquo conſideratæ. quomodo igitur dicitur, quod nõ poteſt natura alicuius ſingularis communis eſſe? Et ſi communem naturam non aſſumpſit Chriſtus,me non aſſumpſit; quod ſi me aſſumpſit,aſſumpſit igitur & Iudam. reſpondeamus & nos,naturam quidem aſſumpſiſſe: non autem proprietates hypoſtaticas.hę enim faciunt Iudã,& illum,& illũ.quoniã vniuerſalia non inferunt particularia;particularia vero inferũt vniuerſalia,vt omnib⁹ liquet.Quãobrem cum dicimus fieri vnionem ex cõmunibus ſubſtantiis, non cogimur inferre hypoſtaſes, quæ ſunt ſub ipſis ſubſtãtiis,vt calũniatores nugantur. Si filium habentem in ſe ipſo naturam diuinitatis perfectam,nulla re defectam,ſupra quam plenã, factum eſſe hominem dicimus,quid cogit nos,qui hoc dicimus, patrem,& ſpiritum ſanctum ad humanationem neceſſario deducere? Petro enim crucifixo,& Paulo capite amputato, & vtroque plenam , & totam communem naturam hominum habente,quid hoc reliquis nocuit, qui ſub eandem naturam referebantur? Non naturarum , ſed hypoſtaſeon proprietates docemur, ait Greg. Naz. in 2. libro contra Eunomium.Sic enim ait de patre,& filio,& ſpiritu ſancto,quod per hæc nomina non naturarum differentiam docemur , ſed perſonarum proprietates γνωριστικὰς, id eſt, notionales.

Quomodo oporteat intelligere energiam id eſt,operationẽ in Deo.

Chryſoſt. in epiſt. ad Coloſſ.

HAbet,inquit,energiam illa ſubſtantia,ſcilicet diuina,& quæ eſt energia? Ergo in illo eſt motus. Quare non eſt immutabilis. Quod enim mouetur,nõ eſt immutabile, mouetur enim ex immotione,& tamen mouetur,& nunquam ἵσαται, id eſt, ſiſtit motionem. Quali ergo motione? Dic mihi, apud nos enim ſeptem ſunt motus,ſurſum,deorſum,extra,intro,ad dextram, ad ſiniſtram, circulo. Eſt præterea accretio,decretio.ſed nullo horum motu mouetur,neque quali motu mens mouetur, abſit. multis enim abſurdis

Digitized by Google

motibus mouetur mens. Deinde ſi velle eſt ἐνεργεῖν, id eſt operari, cum omnes homines velit Deus ſaluos facere, quomodo non fiunt ſalui? Ergo non ſufficit ad energiam, velle? Quomodo igitur dicit ſcriptura, omnia quæcunque voluit, fecit? Et Leproſus dixit Chriſto, ſi vis, potes me mundare. Si igitur ſimul vt vult, ſequitur hoc, ſcilicet mundatio, quid reſtat dicendum?

Dionyſ. Areop. de diuinis nominibus, cap. de paruo & magno, ſimili, diuerſo.

QVid eſt, quod Theologi dicunt, ad omnia procedentem, & aiunt moueri immotum? An non eſt hoc intelligendum, vt Deum decet? Moueri enim ipſum, piè exiſtimandũ eſt, οὐ κατὰ φορὰν, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ ἑτεροίωσιν, ἢ τροπικὴν ἢ τοπικὴν κίνησιν, nõ motu recto, non rotundo, non ex vtroq; compoſito, non motu mentis, nõ motu animæ, non motu naturali; ſed moueri Deum eſt εἰς οὐσίαν ἄγειν, id eſt, facere eſſe, & continere omnia, & omnia procurare, adeſſe omnibus præſentẽ τῇ πάντων ἀσχέτῳ περιοχῇ, καὶ ταῖς ἐπὶ τὰ ὄντα πάντα προνοητικαῖς προόδοις καὶ ἐνεργείαις, comprehenſione illa, quæ coërceri nequit, & prouidentiæ ſuę ſuper omnes res creatas quaſi progreſſionibus & operationibus.

Euſtathij epiſcopi Beryti Apologia, ſiue defenſio epiſtola Leonis Pontificis Rom. contra Timotheum Ælurum.

Apologia in locum epiſt. Leonis.

COgnoſce ex iis quę ſequuntur horum dogmatum ἀκρίβειαν, id eſt, limatã & perfectã rationẽ, nam cum dixiſſet: operabatur. n. vtraq; forma cũ alterius cõmunione, quod habuit propriũ; ſubiungit: verbo quidẽ operante hoc, quod eſt verbi, corpore verò perficiente quæcunq; erãt corporis. Cum dixit, τοῦ λόγου κατεργαζομένου, id eſt, verbo operãte, τὴν αὐθεντίαν καὶ ἐξουσίαν καὶ τὸ ἀδούλωτον, id eſt, auctoritatẽ, & poteſtatẽ, & libertatẽ diuinitatis ſignificauit, quæcunq; n. ſunt verbi, hæc ſunt ἀρχικὰ καὶ βασιλικὰ, id eſt, principalia & regia: non ſubiunxit autem, corpore ἐργαζομένου, ἀλλὰ ἐκτελοῦντος, id eſt, corpore operante, ſed perficiente quæcunq; ſunt corporis, vt tibi ſignificaret, quod corpus ad voluntatẽ verbi vniti, cuius erat factum proprium, mouebatur κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῆς φύσεως, ἡνίκα τοῦτο παρασταίη τῷ θεῷ λόγῳ, οὐ γὰρ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ πρὸς τὰ φυσικὰ πάθη τὴν ὁρμὴν ἐποιεῖτο, ἢ τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, ἀλλὰ τοῦ λόγου συγχωροῦντος οἰκονομικῶς, id eſt, ſecundũ ordinem naturæ, quando hoc placeret verbo, non enim ex ſe ipſo ad naturales paſſiones ciebatur,

aut

aut ad ea, quæ extrinſecus accidebant, ſed verbo permittente œconomicè.

Idem Leo.

EX nobis ipſis minor patre humanitas, ex patre vero æqualis ipſi cum patre diuinitas.

Scholium.

ADuerte hic, quod diuinitas, & humanitas non ſignificant perſonas, ſed ſubſtantias, quarum differentiam poſtquam dixit, ſubiungit ſtatim vnionem ſecundum hypoſtaſim in Chriſto.

Item vnam perſonam dicit, aliud tamen eſt illud, vnde in vtroq; commune eſt, quod ad contumeliam, & paſſionem pertinet, ſcilicet humanitas; & aliud illud, vnde commune fuit, quod ad gloriam: ſcilicet diuinitas.

Cyrillus in illud: & nunc anima mea turbata eſt.

SIcut œconomicè permittit carni interdum pati, quæ ſunt propria, ſic rurſus permittit animæ propria pati, & vbiq; menſuram exinanitionis ſeruauit, quamuis eſſet Deus natura, & ſupra omnem naturam.

Idem in Ioannem.

CVm Chriſtus ſecundum naturam nō modò Deus, ſed & homo fuerit: ideo ſubit cum aliis ea, quæ ſunt hominum. Quando. n. in ipſo incipiebat commoueri triſtitia; iamque ſancta illius carne ad lacrymas propendente, haud ſinit, vt more noſtro id agat immodicè. Infremit autem ſpiritu, hoc eſt, virtute ſpiritus: & quodammodo propriam carnem reprehendit. Illa vero motionem diuinitatis ſibi vnitæ non ferens tremit & turbatur. Hoc enim ſignificat illud: & turbauit ſemetipſum. Quomodo enim alioquin turbatio in illa exiſteret? Turbatur autem aliquo modo inconſumpta ſemper & trāquilla natura. Caro itaq; redarguitur à ſpiritu, vt doceatur ea, quæ ſupra naturam ſunt; ſapere. *Ioan. XI. infremuit ſpiritu, & conturbauit ſemetipſum.*

Cyrillus contra Neſtorium.

DEus ſecundum naturam vita poſtquam factus eſt vnum cum carne, viuificam eam reddidit. quare quamuis dicat nobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis &c. non tanq; vnius cuiuſpiam ex noſtro numero hominis carnem eſſe exiſtimabimus. Quomodo enim caro hominis natura erit viuifica? Sed tanquam propriam verè factam eius, qui propter nos factus eſt & vocatus filius hominis.

Digitized by Google

Ex S. Maximo.

NAtura quidem non eſt ἀνυπόστατος, id eſt, non caret hypoſtaſi, neque hypoſtaſis eſt ἐνυπόστατος, id eſt, non eſt in hypoſtaſi, hypoſtaſis enim eſt omne quod per ſe exiſtit, & propriam habet ὕπαρξιν, id eſt, exiſtentiam. ἐνυπόστατον verò, id eſt, exiſtens in hypoſtaſi, eſt, quod per ſe quidem ex toto non exiſtit, ſed in alio ſpectatur, vt ſpecies in indiuiduis, aut cum alio differente ſecundum ſubſtantiam ad generationem totius alicuius compoſitum: cum enim ſit concurſus differentium ſubſtantiarum ad compoſitionem vnius alicuius, vtraque natura concurrens ſimul ad generationem totius, aſſumens proprietatem diſtinguentem & ſeparantem ab homogeneis non per ſe & ἀνὰ μέρος, id eſt, particulariter, ſed in vnione & συνυπάρξει, id eſt, in coëxiſtentia, eſt ἐνυπόστατος, id eſt, in hypoſtaſi, & non eſt hypoſtaſis, quia non per ſe exſtitit. Si verò ſic vnita eſt natura humana, neque propriam & ſeparatam exiſtentiam habuit, ſed ſimul cum compoſito & coëxiſtente habuit eſſe: ambæ autem redditæ ſiue conſtitutæ ſunt vna hypoſtaſis: vnita enim inter ſe illa quæ concurrerunt, vnā habuerunt communem hypoſtaſin, & propria alterius partis, quæ illam ab homogeneis ſeparant, facta ſunt propria verbi. Quod enim eſt per ſe, & ſeparatim conſiſtit, hoc eſt hypoſtaſis, ſiquidem hypoſtaſim vocant, qui de his philoſophantur, ſubſtantiam cum proprietatibus, numero ab homogeneis differentem. Caro igitur verbi non fuit hypoſtaſis, neque enim vel tam breui, quam ſola cogitatione fingi poteſt, per ſe ipſam penitus extitit ſeparata, proprietatibus eam ab homogeneis ſeparantibus, vel habens πρὸς τὸ συγκείμενον καθ' ὑπόστασιν λόγον, proprium ſeparatum à communi, ſed potius ἐνυπόστατος, id eſt, in hypoſtaſi exiſtens tanquam in ipſo, & per ipſum accipiens exiſtentiæ ortum; & facta ipſius ſecundum hypoſtaſim caro, & cum ipſo ſecũdum hypoſtaſim vnita verbo proprietate eum à reliquis hominibus ſeparante: communem enim carnis & diuinitatis ſecundum vnionem factam eſſe dicimus concurſu ipſarum naturarum ſecundum vnionem naturalem, id eſt, veram, & realem vnam Chriſti hypoſtaſim completam. communem vero dico tanquam vnam & eandem partium ἰδικωτάτην, id eſt, ſpecialiſſimam ex vnione hypoſtaſim declaratam, quin potius vnam & eandem hypoſtaſim verbi nunc, & prius, ſed prius quidem ſimplicem, & non compoſitam, poſtea

Vna Chriſti hypoſtaſis completa facta eſt cõmunis vtriuſque naturæ.

vero

vero ſine mutatione compoſitam aſſumptione carnis animatæ anima rationali.

Quòd in creaturis non exiſtant per ſe, quæ communia & vniuerſalia dicuntur, in ſola autem diuina natura ſeruatur proprie vnum re, & veritate.

ADuertendum eſt, quod in nobis, & in omnibus creaturis cõmunitas ratione, & cogitatione ſpectatur, & conſideratur, diuiſum verò re; contra verò in diuinitate; illic enim inuenitur vnũ re propter coæternitatem, & identitatem operationis, & voluntatis, & bonitatis, cogitatione vero reperitur diuiſum; in ſolis enim proprietatibus paternitatis, & filiationis, ac proceſſionis ſpectatur, & in eo, quod eſt eſſe principium, & eſſe ex principio, eſſe ingenitũ, & genitum, & procedens, in his & ſolis eſt differentia. Non .n. diſtantiam loci, ſicut in nobis, poſſumus in diuinitate incircumſcripta dicere, neque differentiam voluntatis, aut virtutis, aut ſententiæ, quæ quidem in nobis generant diuiſionem realem. Alio etiam modo hoc conſiderandum eſt, quod in Trinitate tres quidem hypoſtaſes cognoſcimus, vnam vero ſubſtantiam, & diuinitatem, ſed nõ cogitatione illud vnum diuinitatis, & ſubſtantię ſpectamus, ſicut in nobis vnum ſubſtantiæ, & humanitatis, id eſt, communitatem, quin potius in diuinitate, ſcimus eſſe vnum re & veritate, quia nunquam fuit, quando non eſſet in tribus perſonis, quas credimus, vna diuinitas. Nec vnquam in pluribus, aut paucioribus fuit, nec erit, contra quam in nobis, fuit enim quando non erat in Petro, verbi gratia, & in Paulo, & in Ioanne communis natura, ſed in alio, vel aliis, & erit rurſus in aliis, & fuit aliquando, cum in nullo fuit. quomodo igitur non ſola cogitatione ſpectabitur, & conſiderabitur creata natura, quę vniuerſalis, & communis iis, quæ non ſunt dicitur, vel ex alio in alium tranſiens, quorum nihil in vera, & increata natura euenit?

Baſilius ad Amphilochium de ſpiritu ſancto.

Auctoritates ad probandũ ſuperiora.

AN intelligunt ὑπεραριθμήσιν, id eſt, ſupernumerationem ſcilicet ſpiritus ſancti diuiſionem communis εἰς ὑπεσαλμένα, id eſt, in ſubiecta & contracta? at non credam eos eo dementiæ progredi, vt dicant Deum vniuerſi tanquam communitatem aliquam

ſola ratione ſpectari poſſe, in nulla autem hypoſtaſi exiſtentem, in ſubiecta diuidi.

Scholium.

ADuertendum eſt, ſic opinari eos, qui dicunt ſubſtantias μερι-κάς, id eſt particulares.

Anaſtaſius contra διαιτητάς.

SI enim impoſſibile eſt cogitare corpus ſine loco & ſine aliis, extra quæ eſſe non poteſt, quamuis non habet corpus ſubſtantialem conſtitutionem ſui in ipſo loco; quomodo non erit magis impoſſibile naturam aliquam ſine indiuiduis, cogitare per ſe non exiſtentem, nec intellectilem?

Scholium.

QVomodo ponerent Ariani particulares naturas, ex Damaſceno etiam licet intelligere in libro contra Acephalos, ſic enim ait: ſed quod non oporteat dicere naturas particulares (has enim tã-quam hypoſtaſes per ſe exiſtentes ponebant) hinc intelligemus, ſi naturas particulares in ſancta Trinitate confitemini, diuerſæ ſubſtantiæ eam eſſe ſentitis. & iterum Arius ſuſcitatus eſt. Ac rurſus ſi ſingulis perſonis S. Trinitatis propriam ſubſtantiam tribuitis; has autem conſubſtantiales eſſe ſecundum communem ſubſtantiam confiteamini, idem autem ſit, (vt dicitis) ſubſtantia & hypoſtaſis, erit igitur opinione veſtra quaternitas hypoſtaſeon: trium quidem particularium, vnius vero communis: ſimiliter quaternitas ſubſtantiarum, & vnaquæque hypoſtaſis duarum naturarum & hypoſtaſeon, vnius quidem communis, & vnius particularis. Eruntque eiuſdem ſubſtantiæ, & diuerſæ; eiuſdem hypoſtaſis, & diuerſæ hypoſtaſis. Ecquis non ridebit? Imò vero flebit in tanta inſania, &c.

FINIS.

OPPO-

Digitized by Google

OPPOSITIO EX PERSONA SEVERIANORUM

contra fidem Orthodoxam, cum reſponſo Incerti Auctoris.

SCio plane, id quod negari non poteſt, quod vos Chalcedonenſes Cyrillum Archiepiſcopum Alexandrinū habetis magiſtrum, & columnam fidei Orthodoxæ, ſicut & nos. Hic autem ſanctus vſus eſt exemplo hominis è noſtro numero, loquens ſic de vnione in Chriſto in epiſtola ſecunda ad Succeſſum: Sit, inquit, nobis exemplum homo ſimilis nobis. Duas enim naturas in eo intelligimus, vnam quidem animæ, alteram vero corporis, & quæ ſequuntur. Ego vero hoc exemplo dogma noſtrum confirmare poſſum. Sicut enim Petrus vnus & idem eſt, & duas naturas habet, naturam dico animæ, & naturam corporis, & nec anima eius conuerſa eſt in corpus, neque corpus in animam, ſed remanſerunt in eo duæ naturæ, natura animæ, & natura corporis, immutabiles, non confuſæ, neq; diuiſæ, tamen ex vtriſque naturis animæ & corporis conſtitutus eſt Petrus, conſtitutaque eſt ex duabus naturis vna hypoſtaſis, & vna natura compoſita, ſic Chriſtus vnus & idem eſt, & habet naturas duas, naturam dico diuinitatis, & naturam humanitatis. & neque diuinitas eius conuerſa eſt in humanitatem: neque humanitas mutata in diuinitatem, ſed manſerunt in eo duæ naturæ immutabiles, non confuſæ, neque diuiſæ. Verumtamen ex vtriſque naturis conſtitutus eſt Chriſtus, factaque eſt vna hypoſtaſis, & vna natura compoſita.

Ego vero tibi reſpondeo, quod Petrus nō eſt anima ſua, neque ſuum corpus. Et à me interrogatus reſponde, quæ eſt animæ definitio? Neceſſe eſt dicas, animal rationale, immortale. Quæ rurſus definitio corporis? Animal dices irrationale, mortale. Quæ vero definitio Petri? Animal rationale mortale,

Digitized by Google

In Christo tota hypoſtaſis eſt Deus, & tota homo, totus Deus totus homo.

mortale. vides, quemadmodum Petrus definitionem corporis recipit? Accepit ex definitione animæ rationale, & abiecit immortale, ex definitione corporis accepit mortale, & reiecit irrationale.

Tredecem capita, in quibus demonſtratur, quid diſſimilitudinis habeat exemplum hominis cum vnione in Chriſto.

Anima Petri non eſt ante corpus eius, diuinitas vero Chriſti eſt ante humanitatem eius. Anima Petri non eſt hypoſtaſis ſui corporis; Deus verbum factum, eſt hypoſtaſis ſuæ carnis. Hypoſtaſis Petri non erat ante compoſitionem animæ cum corpore; Hypoſtaſis Chriſti erat ante vnionem diuinitatis cum humanitate. Petrus nō eſt anima ſua, neque ſuum corpus, quia non recipit definitionem animæ, neque definitionem corporis, ſicut ante demonſtratum eſt; Chriſtus vero eſt Deus perfectus, & homo perfectus, quia recipit perfecte definitionem diuinitatis, quæcunque illa ſit, quamuis nobis ignota, & perfecte definitionē humanitatis, quæ eſt, animal rationale. Petrus non recipit duo contraria ſecundum naturam verbi gratia, non potes dicere, eſt rationalis, & irrationalis, mortalis, & immortalis, paſſibilis, & impaſſibilis, corpus, & incorporeus, & alia ſimiliter; Chriſtus autem recipit duo contraria. Secundum enim naturam eſt idem creatus & increatus, æternus, & ſub tempore, circumſcriptus, & incircumſcriptus, impaſſibilis, & paſſibilis, immortalis, & mortalis, viſibilis, & inuiſibilis, & ſimilia.*Petrus non eſt in anima ſua eiuſdem ſubſtantiæ cum animis aliorum hominum, nec eſt homouſios in corpore ſuo cum corporibus reliquorum hominum; Chriſtus autem eſt homouſios in diuinitate ſua cum patre & ſpiritu ſancto, & in ſua humanitate homouſios cum matre, & nobiſcum. Petrus non dicitur anima corporata, id eſt, facta corpus: neque corpus animatum, id eſt, factum anima; Chriſtus autem dicitur, & eſt Deus factus homo. Anima Petri compatitur corpori ſuo, & recipit paſſiones, & dolores eius; Deus autem verbū non eſt compaſſus cum carne, neque paſſiones eius, & dolores communes habuit, ſed potius patiente carne propria Deus verbum manſit impaſſibile tanquam Deus. Mors Petri ſeparatio eſt animæ à corpore; mors verò Chriſti non eſt ſeparatio diuinitatis ab humanitate, ſed potius ſeparatio animæ à proprio corpore, remanente diuinitate inſeparabili ab anima ſua, & à corpore ſuo. Et in anima ſua prædicauit in inferno animis quæ ibi erant ab Adam vſque ad de-

Vide notas ſub finem primæ partis.

ſcenſum

Digitized by Google

ſcenſum ſuum illuc,& in ſepulchro ſeruauit corpus ſuum incorruptum,& poſt triduum ſepulturæ ſurrexit incorruptum, & cõpulauit illud cum propria anima,& perſeuerat in poſterum inſeparabile ab ea in ſæcula. Petrus autem melior eſt ſua anima, & ſuo corpore,partes enim eius ſunt; Chriſtus autem non eſt melior diuinitate ſua, aut humanitate ſua: Quia non ſunt propriè partes eius, vnaquæq; enim carũ eſt ſpecies ſpecialiſſima, quatenus de pluribus differentibus numero prædicatur. Ambæ partes Petri ſunt createę anima ſcilicet & corpus; Partes autem Chriſti altera eſt increata, ſcilicet diuinitas, altera creata, ſcilicet humanitas.

FINIS.

LI SAN.

Digitized by Google

SANCTI

NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI OPVSCVLA QVATVOR,

CONTRA ICONOMACHOS.

1. Duodecim capita contra principes Apoſtaſſæ de Incarnatione Chriſti.
2. Decem Syllogiſticæ demonſtrationes, de differentia imaginis Chriſti & Crucis.
3. De Cherubinis à Moyſe factis.
4. Ex libro S. Nicephori de Imaginibus.

Interprete

Franciſco Turriano Societatis IESV.

Omnia nunc primùm ex m.ſ. in lucem edita.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

HÆc quatuor opuſcula Nicephori habemus beneficio R. P. Poſſeuini Societ. IESV, qui optimè de Antiquitate adeoq; de Eccleſia Dei mereri non ceſſat. Is hæc à Turriano tranſlata, ad nos Venetiis miſit. Nos publico bono communicamus omnibus. Quis Nicephorus hic fuerit, ſi quis quærat, dicimus eſſe illum Sanctitate conſpicuum Patriarcham Conſtantinopolitanū, cuius memoria tam apud Latinos in Martyrologio, 13. Martij, quàm apud Græcos in Menologio 2. Iun. celebris eſt. In Menologio, quod tom. 2. Antiquæ Lect. edidimus, hæc de S. Nicephoro: Sancti Patris Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui fuit temporibus impij Imperatoris Conſtantini cognomento Copronymi, ortus & educatus in vrbe regia Conſtantinopoli, claris paren-

parentibus Theodoro & Eudocia. Fuit autem Theodorus Scriba regalium edictorum, qui delatus, vt cultor diuinarum imaginum, flagris cæſus, exul miſſus eſt in vrbem Nicæã, in qua multas ærumnas perpeſſus migrauit. Eius filius Nicephorus in numerum ſcribarum aggregatus, cùm omnia ſtercora & telas aranearum arbitratus eſſet, ſeceſſit in Propontidem, vbi dum ſibi ipſi & Deo vacaret, mortuo Taraſio, beato illo Conſtantinopolitanæ ciuitatis Patriarcha, in demortui locum eligitur, regnante Nicephoro Imperatore, patre Stauratij. Peruenit autem vſque ad Imperium Leonis Sanctarum Imaginum oppugnatoris, qui religioſiſſimum Michaëlem ab Imperio expulit. ab hoc impio Tyranno exul factus beatus Nicephorus & in carcerem coniectus, exacto ſeptuageſimo anno, in manus Dei ſpiritum commendauit, cum nouem annos in Patriarchatu, tredecim vero in exilio vixiſſet. Hæc Menologium. Theophanes ponit annos quatuordecim exilij, quẽ Baronius ſequitur, & ait diem obiiſſe anno

Chriſti 828. Scripſit S. Nicephorus Epiſtolam Synodicam ad Leonem III. quæ extat apud Baron. anno 811. num. 20. item aliam ad eundem, quæ extat, de qua vide Baronium ibidem. Scripſit quoq; chronographiam ab Anaſtaſio Bibliothecario Latinitati donatam, quæ extat tum alibi, tum in Bibliotheca SS. PP. & nos manuſcriptam habuimus. In Zonaræ magno canonum volumine extant item S. Nicephori Canones. Item Epitome Geſneri citat S. Nicephori librum hac inſcriptione: Aduerſus Mamone dicta contra Incarnationem Chriſti. Liber Græcus Romæ in Vaticana Bibliotheca. Qui tractatus ſine dubio, hic ipſe eſt, quem primo loco, inter quatuor opuſcula S. Nicephori damus.

SAN.

SANCTI PATRIS NOSTRI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI CAPITA XII. QVIbus redarguuntur principes Apoſtaſiæ, qui in ſacram & omni macula carentem fidem impegerunt, euertentes myſterium ſalutaris incarnationis Chriſti domini & Dei noſtri, vnde ſecundum diuinos Canones & pias leges à Catholica & Apoſtolica Eccleſia alieni ſunt, & cum eis nec in Eccleſia nec in iudicio communi & populari loqui licet.

I. TRaditionem, quam à principio ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia & omnes Chriſtiani ſeruauerunt, & ſeruant, hi improbauerunt, & reiecerunt. Omnibus autem liquet, quod vetuſta & priſca Eccleſiæ traditio valentiſſima eſt, & omni demonſtratione euidentior & firmior, vt ſancti patres noſtri docent Apoſtolica oracula ſequentes. magnus enim Apoſtolus traditiones tenere iubet, quas accepiſtis, inq̃t, ſcripto & ſine ſcripto. Et ſi quis præter hæc euangelizat vobis, anathema ſit.

II. Item ſanctas & œcumenicas Synodos abiecerunt. primam quidem Synodum repudiauerunt, obiicientes Euſebium Pamphili magiſtrum, & eos qui cum eo ſentiunt, qui fuit Arianæ inſaniæ princeps, & plura & peiora quàm omnes Ariani in filium Dei & dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum & Deum contumelioſe & impiè protulit, & eum creatum ac factum eſſe male & impiè docuit, vt tum cetera eius ſcripta declarant, tum Epiſtola, quam ad Conſtantiam Reginã dedit, in qua incircumſcriptum contra Chriſtum ſaluatorem noſtrũ vanè effutiuit. Qui autem impium eius dogma amplexi ſunt, & aiunt pœnituiſſe eum, & à Synodo ſuſceptum eſſe, ſciant falſum eſſe, ſiquidẽ poſt aliquot annos cum nonnulli ex ſimplicioribus cũ in Eccleſia

Conſtantia Auguſta, vxor Licinii. Ex 7. Synod, Seſſ. 6.

com-

commemorarent, coacta eſt Synodus Alexandriæ, & iſtis quidem pœnas conſtituit, memoriam verò eius ex Eccleſia deleuerunt, & tanquam ab hac ſancta Synodo eiecto nequaquam in Eccleſia memoria eius habetur. Qui autem à ſancta Synodo eiectos ſuſcipiunt, eodem anathemate damnantur.

III. Præterea à Sancta Synodo tertia anathema in eos decretum eſt, ſiquidem ipſa ſancta tertia Synodus prædicauit circumſcriptum eſſe Chriſtum Deum noſtrum ſecundum carnem, & in eos qui hanc vocem non reciperent, anathema decreuit.

IV. Deinde eadem anathemata ſunt in hos ſancita à ſancta & magna Synodo quarta, quæ hoc dogma tradidit, eſſe dominum noſtrum & Deum Ieſum Chriſtum ex duabus naturis & in duabus naturis, & in vna perſona perfectum in diuinitate, & perfectum in humanitate, quod nihil aliud eſt, quàm confiteri incircumſcriptum eſſe ſecundum diuinitatem, circumſcriptum verò ſecundum humanitatem. Perfectum enim in vtriſque non aliter ſeruari poteſt. Hi verò exploſa Synodo incircumſcriptum ei tribuunt in omnibus.

V. Tum etiam quæ rectè & piè à patribus ſanctæ ſextæ Synodi tradita & decreta erant, hæc reſpuerunt, & conculcarunt. Hi enim diuini patres noſtri cum in quibuſdam venerandarum imaginum picturis agnum etiam depictum reperiſſent, ad figurandum agnum Chriſti, qui tollit peccatum mundi, hunc quidem tanquam figuram & vmbram omiſerunt; gratiam verò & veritatem præferentes, decreuerunt, vt ex eo tempore deinceps humana tantum figura effigies Saluatoris poneretur.

De imagine Chriſti ſub forma Agni vide Bellarm. lib. 2. de Sanct. cap. 8 & Iacobum Gretſerũ. de S. Cruce tom. 1. lib. 2. cap. 18.

VI. Adhæc ſanctam Oecumenicam ſeptimam Synodum Nicææ ſecundò habitam reijciunt, quæ canonicè & diuinè coacta eſt, conſedentibus reliquis Apoſtolicarum ſedium præſidibus, in cuius definitione omnes ſubſcripſerunt, qui nunc ab Eccleſia defecêre, protritis propriis chirographis & gratia in ipſos collata ſpreta & repudiata, & gratia ſpiritus ſancti amiſſa, atque inani & humana opinione diuinæ & veræ ſententiæ præpoſita. Hæc autem ſancta Synodus conſuetudinem, quæ à principio in Eccleſia viguerat, Apoſtolicè, & more patrum dogmate decreto ſanxit, eos verò qui diuinam Saluatoris noſtri œconomiam, id eſt, myſterium incarnationis reijcerent & contumelia afficerent, anathemate affecit, tanquam ſceleratè & impiè manus Eccleſiæ Chriſti afferre auſos.

Digitized by Google

Hi rurſus Incarnationem verbi Dei propriè & non fictè neq; falſa ſpecie factam, negauerunt, impia dogmata impiorum Manichæorum docti & ſecuti, profitentes & nugantes incircumſcriptum eſſe Chriſtum ſecundum humanitatem, & fictè ac inani ſpecie factam eſſe diuinam incarnationẽ, & œconomiam, & idcirco imaginẽ Chriſti *idolum* vocare auſi ſunt, ſibi ipſis & Chriſtianis crimen Idololatriæ inferunt, accuſantes Chriſtum, quaſi non potuerit nos ab idolorum cultura liberare, quamobrem tanquam gentiles à fide alieni damnantur. VII.

Item negata fide Chriſtianorum, quæ ab omni macula vacat, & antiqua traditione, templa veneranda funditus demoliti ſunt, aras euerterunt, indumenta ſacra in medio fori incenderunt, & reliqua vaſa ſacra comminuerunt, cum quibus crucem Chriſti & Dei noſtri protriuerunt & diſſiparunt, peiora quàm Iudæi & gentiles auſi in fidei noſtræ ſigna; quæ quidem à principio pij Imperatores & Sacerdotes, aliique viri Dei amatores, deſiderio & fide in Chriſtum fecerant & ei obtulerant. IIX.

Item Authores & duces fuerunt mutilandi membra Chriſtianorum & ſanguinem eorum fundendi, & vt cædes nouæ ac inopinatæ fierent, & vincula, cuſtodię, fames, exilia, & publicationes bonorum, ſiquidem cum eſſent plani, id eſt, errones, veneficiis & præſtigiis vſi, impios propter peccata noſtra magiſtratus ad cædem piorum amplius incitabant, pollicentes eis diuturnitatem vitæ & felicitatem, quorum mendacium & fallaciam, finis calamitoſus, & durus exitus eorum, qui decepti fuerunt, conuicit. IX.

Accedit etiam quòd libros ſanctorum Patrum, quos ad doctrinam & Eccleſiæ vtilitatem ediderunt, improbarunt & corruperunt. X.

Præterea facti duces Apoſtaſiæ, & ſeipſos ſponte ab Eccleſia ſeparantes, & coitiones facientes ab Epiſcopis, qui tunc erant, per ſacros Canones deiecti fuerunt. XI.

Denique poſtquam penitus à fide Eccleſiæ Catholicæ defecerunt, & omnes gentes & leges & myſteria Chriſtianorum conculcarunt, & omnem traditionem Apoſtolorum & patrum contempſerunt, ipſoſque noſtros ſanctos patres anathemate affecerũt, ab Apoſtolicis & magnis præſidum ſedibus, atque ab omnibus Chriſtianis eiecti ſunt, nullamque communionem neque conſortium cum piis habent, quin immo mille mala meriti mille anathe- XII.

Digitized by Google

mata ſubierunt à ſancta Dei catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à ſpe atque ſalute Chriſtianorum diſiuncti & alienati ſunt. quamobrem etſi aliquando vllo tempore pœnitentiam innumerabilium blaſphemiarum ſuarum & flagitiorum atque impietatum cepiſſe hoſtes Chriſti videantur, tamen non ſunt ad recipiendum digni apud Deum & apud Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, non enim eſt pura eorum pœnitentia, quamuis conuerſionem promittant, ſed potius fictio & ſimulatio. talem enim fuiſſe ſcimus Manichæorum impiam & tenebris inuolutam ſuperſtitionem, cuius iſti participes & magiſtri fuerunt. lex enim eſt apud eos, & iis, quos docent, propoſitum eſt decretum, vt cum à Chriſtianis deprehenſi fuerint, & repoſcatur ab eis ratio nefarij erroris eorum, negent & reiiciant ſua dogmata, & rurſus tempus nacti & libertatem adepti, ad vomitum ſuum redeant erroremque ſuum & fœtorem retineant, & ei adhæreſcant. Quocirca qui hoc recipit, interitus eorum conſors eſt, & infinita anathemata meritus. Quod autem ex Eccleſia Catholica eiecti ſint, apertè teſtantur literæ ſanctiſſimi & beatiſſimi Pontificis Senioris Romæ, id eſt, primæ & Apoſtolicæ ſedis, præterea etiam legati eius & Apocriſarij, qui non ſolum communionem cum eis non habuerunt, ſed nec in aſpectum, nec in ſermonem eorum venire voluerunt, & cum eis comprandere penitus recuſarunt. Propter hæc igitur omnia nos etiam communionem eorum auerſamur, & cum eis verſari recuſamus, ne ſimiliter eadem iudicia ſubeamus, & ab Apoſtolicis ſedibus alieni & extranei reperiamur, &, quod grauius eſt, à regno Chriſti Dei noſtri excidamus, condemnati in ignem ſempiternum relegemur.

Scholium Turriani in Nicephorum.

ADuertendum eſt quomodo & qua ratione Euſebius imaginem Chriſti tollebat, non quidem quaſi Idolum eſſet, & cultus eius cultus idoli, minimè; ſciebat enim traditionem Apoſtolorum de veneratione ſanctarum imaginum Cæſareæ Paleſtinæ, vnde & ipſe erat, & vbi beatus Petrus prædicauit, relictam, & ſemper conſeruatam, & in Hieroſolymitana Eccleſia, vnde verbum domini in vniuerſam terram exiuit, iuxta Prophetiam Eſaiæ, immo in tota Syria; ſed tollebat ſecundum dogma Arianorum, quia aiebat incarnatam formam in naturam deitatis mutatam eſſe. ſic enim ſcri-

pſiſſe

pſiſſe in Epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam vxorem Licinij teſtatur in ſeptima Synodo Nicęæ ſecundò habita, actione ſexta, Epiphanius Diaconus & ibidem Gregorius Epiſcop' Neocæſareę, qui bonam partem epiſtolæ recitat, in qua ſuadet Conſtantiæ ne imaginem Chriſti habeat, quia non poſſet, vt ait, effigiari forma ſerui iam poſt reſurrectionem in domini & Dei gloriam translata, poſt mortis victoriam, poſt aſcenſum in cœlos, & cum Deo patre à dextris conſeſſum. In hac Epiſtola ſcripſit Chriſtũ eſſe ἀπερίγραπτον, vt Nicephorus Patriarcha Conſtant. teſtatur. hanc hæreſin renouauit noſtra ætate Brentius, fortaſſis eam ex Euſebij Epiſtola, quam dixi, ad Conſtantiam, hauſit. Redarguit igitur hæc Hæreſis Ariana Iconomachos Lutheranos, Ariani enim quamuis Chriſtum vnam naturam compoſitam facerent, quam hæreſim poſtea Acephali repetiuerunt; & ideo imaginem Chriſti tollendam tradebant & profitebantur, quia humana natura in diuinæ naturæ gloriam mutata nullo modo effigiari poſſet, tamen nunquã traditionem quam ab Apoſtolis in Eccleſiis relictam & omni tempore retentam & cultam in eccleſiis Catholicorum eſſe ſciebant, tollere aut negare auſi ſunt, & imaginem Chriſti non propter crimen Idololatriæ, vt dixi, ſed propter incircumſcriptum tollebant. nunquam itaque criminis idololatriæ, quod Lutherani obiiciunt, illis, alioqui inſanis, in mentem venit. Deinde quod illi imprudentes committebant cum imaginem Chriſti tollebant, hoc ipſum Lutherani neſcientes committunt, cum imaginem Chriſti tollunt. Negant enim myſterium Incarnationis reipſa, licet verbis confiteantur, vt ex his capitibus Nicephori Patriarchæ colligi poteſt, ſed melius & luculentiùs ex Dialogo eiuſdem eruditiſſimo contra Iconomachos, qui Orthodoxus inſcriptus eſt, cum ſcriptum ſit de Chriſto: & adorent eum omnes angeli eius, ſitq; omnis homo imaginis ſuæ prototypon, nec vllus homo reperiatur, quin eius forma effingi poſſit, liquet Chriſtũ vtpote qui debuit per omnia, ſicut Apoſtolus ait, fratribus aſſimilari, prototypon eſſe imaginis ſuę, tametſi verbis ſcriptũ nõ ſit. Quare cum quærit hæreticus, vbi ſcriptum ſit de adoranda imagine Chriſti, reſpondendum eſt, ibi ſcriptum eſſe, vbi ſcriptum eſt, adorandũ eſſe Chriſtum, ſiquidem inſeparabilis eſt à prototypo effigies eius. Etſi enim nunquam ſcriptum eſt verbis Chriſtum eſſe imaginis ſuæ prototypon, multa tamen alia ſimiliter non ſunt ſcripta verbis, quæ idem valent, atque illa quæ ſcripta ſunt, vt homouſios, theotocos,

quæ vocabula neceſſitas aduerſus hæreticos adinuenit, ad hunc modum hæreſis Iconomachorum fecit, vt diceremus prototypon imaginis Chriſti, quod eandem vim habet, vt illud, quod ſcriptum eſt. Etenim ſi nõ eſt Chriſtus ꝓtotypũ imaginis ſuę, ergo nec incarnatus eſt, manetque incircumſcriptus in finitate diuinitatis ſuæ. quod ſi factus eſt homo & in noſtra natura, & more noſtro apparuit, cur non tribuimus illi quod omni homini, vt ratio ſimilitudinis poſtulat? Hactenus Nicephorus Patriarcha eruditiſſimus & grauiſſimus author.

Hæc Turrianus.

ADdam in hoc Scholio ſi quid forte aliquos ex Lutheranis moueat quod Germanus Patriarcha Conſtant. de origine & authore Syntheręſis Iconomachorum ſcribit author grauiſſimus, & qui ætatem Synodi Nicęæ ſecundæ anteceſſit, ait enim fuiſſe authorem quendam Epiſcopum Natoliæ ciuitatis in prouincia Phrygiæ indoctum, qui in lectione ſanctorum ſcripturarum in ſolam inquit & nudam contemplationem, & intelligentiam litteræ intentus tradebat noua præter ea quæ ſancte & pie tradita ſunt. Is te contra traditiones patrum inſtruxit, & armauit, quem alij ab eodem Satana inſtigati ſecuti ſunt, qui Sanctarum imagines in idola conuertere nituntur. Quibus, inquit, hic author & Patriarcha Germanus, dicendum eſt, ſi, vt vos dicitis, imagines ſanctorum inſtar idolorum prohibetis, fere ſumma & potiſſima fidei euertetis, dicturi enim ſunt non ſemper Gentiles, ſiquidem Chriſtiani etiam dicent, quod nihil iam deinceps firmum traditio Eccleſiæ habere poterit quæ ſuperiora improbauerit. Reuera enim omnibus fidelibus & orthodoxis liquet & conſtat, nos adorationem noſtram, & culturam in ſolam ſanctam Trinitatem, diuinitatem vnam corde & ore confiteri, imagines vero ſanctorum propter deſiderium ſolum honorandi eos prodierunt, ſicut in tabernaculo effigies Cherubinorum, qui imagines erant cœleſtium poteſtatum.

FINIS.

SAN-

SANCTI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONſtantinopolitani, de differentia imaginis Chriſti & crucis, decem Syllogiſtæ demonſtrationes.

IMago Chriſti ſimilitudo eius eſt, & corpori eius ſimilis eſt, figuramque corporis eius nobis deſcribit & delineat, ac ſpeciem denuntiat, & modum actionis vel doctrinæ, vel paſſionis vt plurimum imitando ſignificat. Figura vero crucis nulla parte ſimilis eſt corpori eius, nihilq; eorum quæ dixi oſtendit, quod autem ſimile eſt alicui, magis propinquum & cognatum eſt ei, quam quod non eſt ſimile, notiusque illud propter ſimilitudinem efficit, ac proinde honoratior eſt imago Chriſti, vtpote magis illi finitima & notior. Cum igitur figura crucis apud nos ſit in honore & veneratione, erit honoratior & venerabilior imago Chriſti. I.

Præterea imago Chriſti primum & ſine medio, ſtatim & primo congreſſu ſpeciem eius nobis indicat & memoriam affert, ſiquidem eum, qui effigiatus eſt, in ipſa effigie tanquam in ſpeculo ſpectamus. Crux autem non hoc facit, cum enim crucem videmus, primum quidem mentem ad id quod apparet intendimus, deinde cogitamus, quid eſt, & quomodo ſanctificata eſt, & à quo, contemplamur, atque ita ſecundo loco ad crucifixum, & ad eum qui crucẽ ſanctificauit, tranſimus. Quocirca quod primum tranſit ad aliquid, & illud inprimis manifeſtum efficit, honoratius eo eſt, quod hæc ſecundo loco facit, imago igitur Chriſti honoratior eſt cruce Chriſti, quæ alioquĩ honorata eſt. II.

Deinde certum eſt apud omnes, qui cor habent, quod qui ſanctificat ſanctificanti præſtat, ſine contradictione enim inquit Apoſtolus, quod minus eſt à meliore benedicitur, quare ſi corpus Chriſti cru- III.

ſti crucem ſanctificauit cum eam tetigit, in ea crucifixum eſt, & nobis benedictionem per ſe immiſit, crux vero per ipſum ſanctificata eſt. quorum autem exemplaria honoratiora ſunt, & ipſa ſunt magis honorata, quandoquidem vtraque figura eſt, & figura crucis ſanctificatæ honorata eſt, figura igitur corporis quod crucem ſanctificauit, magis honorata eſt.

IV. Rurſus quantum typus extenſionis manuum Chriſti & figuræ differt à figura Chriſti, tantum different quæ ab eis proficiſcuntur; quorum enim exemplaria in maiore honore ſunt, eo in maiore honore ipſa erunt, ſiquidem figura propter corpus eſt, & extenſio; non autem retro corpus propter figuram. ac corpus quidem ſubſtantia & ſubiectum eſt, figura vero accidens & coniunctum. quanto igitur ſubſtantia præſtantior eſt accidente, aut quãto anima præſtantior eſt ſcientia, tanto corpus figura. ac figura quidem eſt & dicitur quod figuratum eſt: figuram vero factam eſſe corpus nemo ſanæ mentis dicturus eſt: ſic enim & corpus colore præditum dici poteſt, non autem corpus color, neque color corpus. præſtantiora igitur quæ corporis, quam quæ ſunt eius qui eſt typus figuræ.

V. Crux ſimplicem quodammodo & ſine varietate nobis paſſionem repræſentat; à ruſticis vero & agreſtibus vix intelligitur eſſe Symbolum paſſionis: ſacræ vero imagines non ſolum paſſionem variant & ſubtilius deſcribunt, ſed etiam miracula & prodigia quæ Chriſtus fecit, latius, & clarius nobis exprimunt. Quæ igitur explanatius & dilucidius hæc nobis oſtendunt, honoratiora & ſignificãtiora ſunt, quam quæ obſcurius hæc declarant.

VI. Crux paſſionis ſymbolum eſt, & modum, quo, qui paſſus eſt, paſſionem ſuſtinuit, in ænigmate ſignificat, quid enim aliud vult ſignificare illud: tolle crucem tuam & ſequere me, quàm illum qui confixus eſt timore domini & vanitatibus mundi nuntium remiſit, paratum eſſe ad ſufferendum omnia amore eius? ſic qui in carne ſua ſtigmata Chriſti ferebat, & in paſſione gloriabatur inquiens, Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, crucifixionem nobis, id eſt, paſſionem Chriſti his verbis depingebat. ſi vero imago eſt ipſi᷒, qui paſſus eſt, expreſſa ſimilitudo, quæ familiarius & probabilius ipſum nobis repræſentat quam figura, quæ exteriora & quæ Chriſtum circumſtant deſignat. Imago igitur quæ ipſum Chriſtum nobis deſignat probabilior eſt ad honorandum quam crux quæ paſſionis modum nobis denotat obſcurè.

Nomen

Nomen Chriſti homonyme de imagine Chriſti prædicatur, VII.
Chriſtus enim vocatur ipſa imago, ſicut vocatur rex ipſa imago regis; de cruce autem non poteſt prædicari, nemo enim cordatus crucem vllo modo appellabit Chriſtum. quare quod participat ipſum nomen, ſicut participat figuram corporis, magis honoratum eſt, quam quod nihil horum participat. imago igitur honoratior eſt, quam figura crucis.

Cauſa antecedit effecto, & magis cauſa efficiens. quod autem antecedit, magis honoratum eſt, quam id cui antecedit. Quia igitur cauſa figuræ crucis eſt paſſio corporis Chriſti, & corpus eſt principalis cauſa figuræ crucis, efficitur vt imago corporis Chriſti tanquam cauſa efficiens figuræ crucis, honoratior habeatur. IIX.

Quod alicuius cauſa factum eſt, inferius eſt eo, propter quod factum eſt: Si igitur Crux propter corpus Domini facta eſt, neceſſe eſt vt in figuris horum, corporis ſcilicet Chriſti, & carnis eius, inferiores partes ferat figura crucis. Demonſtratum igitur eſt pluribus rationibus, quod crux viuifica in honore alioqui habeatur, imago tamen Chriſti, vt ſuperioribus argumentis confectum eſt, honoratior eſt. quare qui crucem honorare profeſſus eſt, imaginem etiam Chriſti honorabit, ſin vero hanc non honorat, multo minus illam honorabit. IX.

Poſtremo, videmus in multis locis crucifixionem Chriſti in imagine depictam, & vt conuenientia rei poſcit, ſicut acta eſt, videmus Chriſtum pendere & manus extenſas ac clauis confixas, quibus ſalutaris paſſio Chriſti omnibus miraculis admirabilior, & ceteris, quibus ſalui facti ſumus, beatior depingitur nobis. Quid igitur inimici crucis Chriſti hic facient? Neceſſe eſt alterum ex duobus facere, aut adorantes crucem, imaginem adorare, niſi malint fruſtrari profeſſionem ſuam, aut demolientes imaginem, ſimul crucem demoliri. X.

FINIS.

EIVS.

EIVSDEM NICEPHORI DE CHERVBINIS À MOYSE FACTIS.

I. NAtura Cherubinorum aut vna eſt, aut non vna in multitudinem diſperſa, & omne quod Cherubin nominatur aut ſub intelligentiam cadit aut ſub ſenſum. At ſi Deus dixit Moyſi de cadentibus ſub intelligentiam, fac, eſt Moyſes effector incorporeorum. Quod autem ſenſu comprehendi poteſt duplex eſt, vnum quidem arte factum; alterum vero quod arte fieri non poteſt. hoc ſane eſt quod à Prophetis videtur, & Symbolicum proprie dicetur. Quod autem arte fieri poteſt, non videtur eſſe vnum quid, eſt enim aliud alterius arte facti imago, tanquam imago imaginis, & figura figuræ; aliud vero tanquam imago alicuius rei naturalis facta nullo intermedio ad ſimilitudinem prototypi. Vtro igitur modo facti ſunt Cherubini quos Deus dixit Moyſi? Nempe quatenus ſenſu percipi poterãt. quid igitur horum, vtrum quod arte fit, an quod non? Symbolicũ vero ſermo diuinus diſtinxit, non enim eſt hic ſermo ſimplex & nõ varius. Vel nemo dicet dicere hic ſcripturam Symbolicum eſſe. Non enim ſcriptum eſt, viſio, quam vidit Moyſes, ſed fecit Moyſes ſecundum exemplar. Si igitur non hoc modo, id eſt, ſymbolico, dixit, liquet dixiſſe commodo, quo proprie dicitur artefactum. Si igitur diuina ſcriptura introducit Moyſem ſpectatorem eorum, quæ à Deo primum facta ſunt, nec enim dixit: vide Cherubinos & facies, ſed dixit ſecundum exemplar tibi monſtratum, relinquitur feciſſe Moyſem Cherubinos, quatenus artifex ad artefactum refertur. quare quæ à Moyſe facta ſunt, imagines imaginum fuerunt, angelo enim adumbrante exemplar Cherubicum ipſi Moyſi oſtendebatur, qui igitur Cherubini artefacti à Moyſe oſtenſi ſunt, omne autem artefactum alicui ſimile eſt: lectus enim alteri lecto ſimilis, ſiue ſe-

Digitized by Google

cundum mentem, ſiue ſecundum ſenſum. Cherubini igitur facti ſunt alieni ſimiles. & rurſus, Cherubini vel ſub intelligentiam cadunt, vel ſub ſenſum, atqui de cadentibus ſub intelligentiam non dixit Deus Moyſi, fac, reſtat igitur vt de cadentibus ſub ſenſum, & artefactis dixerit. Rurſus, Cherubini ſimilitudines ſunt, vel ſymbolice vel ſecundum ſenſum, at ſi non ſunt ſymbolice, relinquitur vt ſint ſecundum ſenſum. Præterea nomen Cherubin aut dicitur ſecundum ſubſtantiam, aut quatenus reſpicit ſubſtantiam. At non eſt iuſſum Moyſi vt faceret quæ ſecundum ſubſtantiam eſſent, relinquitur igitur iuſſum eſſe, vt faceret quæ ad ſubſtantiam reſpiciunt. omnia quæ ad imaginem alterius imaginis facta ſunt, aut ſunt corpora aut incorporea, at incorporea non ſunt, cum igitur Moyſes Cherubinos corporeos fecit, vel ſub intelligentiam vel ſub ſenſum cadentes fecit, at ſub ſenſum cadere, quę ſub intelligentiam cadunt, impoſſibile eſt, ſenſibilia igitur ſunt, quæ Moyſes fecit. Symbola autem ſunt quæ diſſimiliter per ænigmata nos ad ea, quorum Symbola ſunt, reuocant. Hæc eſt enim proprietas Symboli, & quæ non ſingulariter & vno modo oſtenduntur à Deo iis quibus oſtenduntur. Hoc enim eſt etiam proprium Symboli, vt Deum alius vidit in ſolio, alius ex electro vidit. Imagines autem dicuntur quoniam cum ſimilitudine quanta eſſe potuit; nomen etiam prototyporum acceperunt; quod quidem imagines conſequitur. Hæreticus. Si imagines & ſimilitudines vocare oportet; quæ ſunt effigiata ac figurata ſecundum ſpeciem & formam Cherubinorum, quandoquidem omnis imago ſimilis eſt prototypo; perſpicuum eſt Cherubinos ab authore vniuerſi factos, eandem figuram & formam habere, atque illos quorum prototypa eſſe dicuntur, & nominantur. Si enim hæc illis ſimilia ſunt, non differunt ab illis figura & forma. Si autem non ſunt ſimilia; non habent figuræ imagines orthodoxas, eorum quæ ſunt partim natura & per ſe figurantur, partim θέσει & ſecundum accidens, natura quidem & per ſe illa, quorum viſio apta eſt ad perceptionem, poſitione vero & ſecundum accidens, ſicut ſubſtantiæ incorporeæ. Atque illa quidem priora neceſſario imagines ipſæ ſequuntur, cum ſint corpora, & vmbram habeant adiunctam. Eorum quæ corpore vacant, non neceſſe eſt imagines eſſe, ſicut nec eſt impoſſibile eſſe, poſſe enim eſſe concedit ſermo diuinus. Nemo enim dicet non potuiſſe Deum iubere Moyſi vt faceret, non quæ ipſe primum fecit, ſed eorum ſimilitudines. Licet enim

Digitized by Google

per diſſimilia Symbola aſſimilare incorporea, autore magno Dionyſio, vt cum ſimilitudo ignis & electri ad Symbola, ac ſigna virtutũ & operationum nos reuocant. Imago enim vel eſt ſolius figuræ, aut figuræ & formæ, aut ſolius operationis, aut horum trium ſimul coeuntium. ſolius figuræ, vt lapidis vel ligni imago, formæ autem & figuræ, vt pingere hominem nihil agentem, ſolius operationis, vt ſubſtantiarum incorporearum, figuræ, vt ſi quis Gabrielem Archangelum pingeret ſalutantem virginem, trium autem, id eſt, formę, figuræ & operationis, vt ſi quis Dauid Regem pingeret ſaltantem ante arcam. Quare effigies ſubſtantiarum incorporearum imagines erunt figuræ & formæ ſecundum accidens, operationis autem & actionis proprie & per ſe. Moyſes igitur ſi non fecit Cherubinos, mentiuntur ſcripturæ, ſi autem fecit, omnino iam erant, non enim quod non erat factum eſt, hæc autem quæ fecit, non ſunt, quæ primum facta ſunt, neque ſymbolica, relinquitur igitur, vt fecerit, quę figuris & materiis effinguntur, quamobrem Cherubini Moyſis & facti ſunt, & fuerunt, & ſimilitudines vocantur, & imagines honorantur.

Quod boni & venerandi fuerunt Cherubini.

II. Fuitne bonum facere Cherubinos, an malum? At ſi non fuit bonum, apage cum hac ignorantia. Quare fecit eos Moyſes ille amicus Dei? & non ſolum is, ſed Deus ipſe Moyſi iuſſit facere? Si bonum fuit facere, quod igitur factum eſt, bonum eſt. Si vero vtrumque bonum, facere ſcilicet & factum, igitur bona eſt factio. Liquet enim quod in iis quæ ſunt eiuſdem ordinis; quale vnum eſt vel bonum, vel malum, talia ſunt reliqua. Fecit Aaron idolum, ſi eum forte omnino interroges, malum hoc eſſe pronuntiat, quare contraria hic ſequentur in factionibus, & in faciente, & in factis imaginibus. Si igitur contrarium eſt bonum non bono, contraria autẽ ſunt in his venerari & non venerari: Si igitur in factis à Moyſe eſt facere, & bonum facere, in factis vero ab Aaron, eſt non facere, & non bonum facere, alterum conſequetur veneratio, alterum cõſequetur contrarium, quod enim fecit Aaron, conſequetur vt non habeat venerationem, quod vero factum eſt à Moyſe, conſequetur vt habeat, aut ſi hæc à Moyſe facta non erant veneranda, ſed potius quod Aaron fecit, omnino neceſſe eſt hoc eſſe venerandum, vtrũque enim eſſe non poteſt, vt habeat ſcilicet venerationem & non habeat.

Digitized by Google

habeat. Quare ſi in Aaron negatio conuenit, in Moyſe igitur conuenit affirmatio, ſunt autem inter ſe contrarie oppoſita, illa enim Moyſis ſunt bona, idolum autem malum. In contrariis autem, vt tradunt, qui in his ſunt valentes, contrariorum eſt conſecutio, omnes autem confitentur malum, quod eſt imago ab Aarone conflata, conſequi fugam ab eo & contumeliam, dedecus. Bonum igitur conſequetur electio gloria & honor. Si autem honorem ſequitur veneratio, & has igitur imagines honoratas ſequetur ipſa veneratio. Sed rurſus huc confugiunt, aiunt enim non dixiſſe Deum vt veneremur. Quid igitur? Si quid dictum eſt à Deo, hoc, faciendum & honorandum eſt. Si quid autem non dixit, non eſt hoc accuſandum & ſine honore relinquendum? At ſi quid prohibitum & vetitum eſt, fugiendum hoc eſt. Quæ enim prohibuit, etiam odit. Quæ autem non prohibuit, neque nobis quin ea honoremus, neceſſariò negabit; aut honore & veneratione indigna exiſtimabit. Si enim ita eſſet, neque crucem veneraberis, vbi enim habes vocem de hoc? Aut de veneratione Euangeliorum? Quare imaginem inhonoras? Quia non dixit Deus vt honoremus? Non dixit Deus, & dixerunt patres. Quid de arca, de tabulis à Deo ſcriptis, & de propitiatorio dices? Nunquid de his docuit? Nequaquam? Vnde tibi veneratio ſacrorum Euangeliorum, crucis, ſacrorum vaſorum, & venerandarum veſtium? Quod ſi hæc veneraris ſine doctrina patrum, venerationem quoque venerandarum imaginum admittes. Aut ſi has improbas quia non extat de hoc vox Dei, omnium quæ veneranda ſunt ratio effluet & euaneſcet.

Quod imagines Cherubinorum ſancta ſunt.

III. FAc mihi duo Cherubim, & ponas ea ex vtraque parte propitiatorij, poſtea, & cognoſcar à te illinc, & loquar è ſuperiore parte propitiatorij inter duo Cherubim. Audis quod per ea Deus apparet, & non credis quod ſancta ſint? An non ſunt ſancta? Etenim & terra ſancta & locus ſanctus, & omnia ſancta, vnde, & vbi, & ex quo vult Deus dignoſci. Quod autem ſancta ſint, ex his perſpici poteſt, facies enim & oleum vnctionis ſanctum, & vnges eo tabernaculũ, & omnia vaſa eius, & ſanctificabis ea, & erũt ſancta ſanctorũ, omnis, qui tetigerit ea, ſanctificabitur. Quæcunq; vero ſancta veneranda ſunt, omne enim ſanctũ eſt venerandum. Deinde ſi tangenti ſanctũ ſanctificatio aduenit, veneranti quid adueniet? An igitur non ſanctificabit?

Contra eos qui dicunt, Neque venereris, nec inhonores.

IV. IGitur fieri poteſt vt imagine culta, prototypum nec honoretur nec inhonoretur? Si imaginibus venerationem habentibus, & honoratis, prototypa honore & contumelia priuas, affirmans nec honorari, nec inhonorari ea, primum quidem ſuapte ſponte apparet hic fatuitas, quibus enim priuabis ipſum prototypum, cum rurſus volueris contumelia afficere, & inhonorare exempla prototypi? Non enim potes dicere priuare honore ſimul & dedecore. Si autem veniat tibi in mentem vt transferas in exempla, quæ nunc vereris dicere in prototypis, quas rationes & modos excogitabis, ex quibus hæc nectas & pendere facias? Si rurſus vero nec hic conſiſtas, ſed graueris honorare & inhonorare exempla, ſane quidem non omnibus proiectis effugies dubitans, quomodo prototypis inſultabis, & illudes? At dicis, inhonorari prototypum, ſi exemplũ prototypi honoratur. Quid igitur? Imagines Moyſis, quatenus imagines, exemplum fuerunt, prototypum vero ipſi Cherubini. ſimiliter dicendum eſt in eo quod fecit Aaron, quatenus imago exemplum fuit, dæmonium vero ad cuius ſimilitudinem factum eſt prototypum fuit, & ſicut imago dæmoniaca ad prototypum ferebatur, ſic imagines Moyſis ad ſua prototypa. Vtraque enim diſſimiliter ſimilia erant prototypis ſuis, & figuræ vocabantur eorum quæ figurari non poterant. Si igitur cultus, & veneratio Idoli non dedecus, ſed potius honorem prototypo adiungebat, vt omnibus conſtat, etiam veneratio imaginum Cherubicarum cultum & venerationem prototypis cherubicis adiungebat. Si vero veneratio imaginum Cherubicarum prototypa inhonorabat, idoli etiam Aaronis cultus dedecus erat dæmonis. Quod ſi hoc ita eſt, quia ſtudium nobis eſt vt faciamus, quæ ad dedecus diaboli ſpectant, pone tibi imaginem Antichriſti, & diaboli, & colatur vt ille inhonoretur, vt tu delirans dicis. Quod ſi non licet dicere inhonorari prototypum, ſi honoratur exemplum, liquet igitur omnibus honorem imaginis ad prototypum pertinere: & dedecus imaginis dedecus fieri prototypi. Si igitur oportet vos honorare Chriſtum, oportet etiam honorare imaginem eius; aut ſi hanc inhonoratis, Chriſtum inhonorare.

Digitized by Google

De Cauſa & effectu in prototypo, & imagine.

OMnis effectus habet plures cauſas. In iis quæ natura ſunt, quatuor cauſæ ſunt, in iis autem quæ arte facta ſunt, præter quatuor ſunt aliæ duæ. Et quia nunc non eſt nobis ſermo de iis quæ natura conſtant, his omiſſis de artefactis nobis tractandum eſt. In omni igitur effectu ſex ſunt cauſæ, materia, forma, efficiens, finis, inſtrumentum, exemplar. Vt in imagine materia cauſa aurum; forma cauſa, forma Petri: exemplar, ipſe Petrus, ad cuius ſimilitudinem facta eſt imago. Efficiens cauſa artifex; inſtrumentum, quo facta eſt; finis, propter quem facta. Omnis igitur imago, id eſt, effectus vel ad inhonorandum prototypum effecta eſt, vel ad honorandum, vel ad neutrum horum. Si ad inhonorandum, dicendum eſt, quomodo primum antiqui in Eccleſia imagines ad inhonorandum Chriſtum facere potuerunt. Sin vero ad honorandum prototypum factæ ſunt imagines, honorentur à vobis. ſi autem ad neutrum, fruſtra igitur factæ ſunt, neque tu inhonores. Deinde, aut eſt imago effectus malus, & tanquam malus fit, vt ſi quis proditorem ſe ſuſpendentem depingat, aut eſt bonus effectus, & tanquam malus fit, vt ſi quis Iudæus Chriſtum crucifixum pingat tanquam de malefico triumphans. Si autem ad honorandum cauſam, id eſt, prototypum fit effectus, id eſt, imago, & hoc dupliciter, aut enim bonum fit tanquam bonum, vt ſi quis Stephanum coronatum depingat, aut malum tanquam bonum, vt cum gentilis facit idolum, aut nec ad honorandum nec ad inhonorandum fit, vt pictura pauonis vel leonis. ſi bonus igitur effectus tanquam bonus fit, omnes eius cauſæ bonæ ſunt. Exempli gratia, exemplar bonum, ad cuius ſimilitudinem facta eſt imago Stephani, forma item bona, figura ſcilicet, qua facta eſt, finis bonus, vt ſpectetur ſcilicet coronatus, & excitans nos ad imitandum. Et bonum aurum ex quo facta eſt imago, & inſtrumentum; quo facta eſt; & efficiens, à quo ſcilicet effecta eſt. Omnis enim qui facit bonum, quatenus bonum, erit ſecundum illud bonus, non enim ſimpliciter qui cauſa bonorum eſt, bonus eſt, neque ſimpliciter cauſa malorum, mal⁹. cædes enim quatenus cædes mala, Phinees vero bonus, neque rurſus cum Iudæi crucem fecerunt, bonum feciſſe dicemus, non enim honoris cauſa, ſed dedecoris facta ab illis eſt. Illos autem bonos proprie vocare iuſtum eſt, qui tales eſſe V.

Digitized by Google

videntur, quia propter aliquem bonum finem faciunt. Si autem effectus fit ab aliquibus tanquam bonum quid, & reuera ſit malum, omnes cauſæ eius ſunt malæ. Exemplar Idololatriæ, ſcilicet dæmonia, malum eſt, ſimiliter artifex idoli malus, inſtrumentum quo factum eſt idolum, malum; imo & materia ex qua factum eſt. Etſi enim natura bona eſt, ſecundum accidens non bona, ſed mala eſt. Ferrum enim quatenus ferrum bonum eſt, quatenus vero gladius cædis iniquæ, malus eſt. Quare in omni effectu malo mala eſt cauſa ex exemplari, & ex forma, & ex fine ſicut Iudas, & ſpecies ſiue forma eius, & finis ſuſpendij. Cauſa vero efficiens, & alia non eundem modum habent. Qui enim effigiem Iudæ fecit, ad dedecus prototypi fecit. Si autem effectus bonus eſt, & tanquam malus fit, exemplar & forma bona ſunt, vt Chriſtus & forma eius, & inſtrumentum ſimiliter & materia. Cauſa vero efficiens, id eſt, Iudæi, & finis, malum. Oſtenſum igitur eſt in omni bono effectu quomodocunque facto, cauſam exemplar, & cauſam formarum neceſſario bona eſſe, ſicut in omni malo effectu, vtcunque exiſtat, exemplar cauſa, & forma cauſa omnino mala ſunt. Si autem eſt medium inter bonum & malum, id eſt neutrius particeps, in omni eiusmodi effectu exemplar, & ſpecies ſiue forma erunt talia, qualia poſtulat conſecutio ſuperius dicta. Imago igitur Chriſti, quæ effectus vocatur, aut bona eſt, aut mala, aut neutrum. ſi mala, apage cum iſta blaſphemia. ſi Chriſtus eſt exemplar, demonſtratum eſt in omni malo effectu, omnino malum eſſe exemplar. Si autem neque bona neque mala eſt, ſic etiam ſequitur abſurdum, erit Chriſtus neque bonus neque malus. Relinquitur igitur vt ſit bona. Si exemplar bonum eſt, vt Chriſtus, effectus autem vt imago, mala eſt opinione veſtra, vide quæ ſequuntur. Cauſa & effectus ſunt ad aliquid, ex his autem vt vos dicitis, cauſa eſt bona, & effectus malus, bonum igitur & malum ſunt ad aliquid, quæ autem ſunt ad aliquid, eorum eſſe dicuntur, quorum ſunt, malum igitur eſt boni malum; & bonum mali bonum.

Rurſus bonum & malum ſunt eorum quæ ſunt ad aliquid, quę autē ſunt ad aliquid, eorum eſſe dicuntur, quorum ſunt, cernũtur autem quæ ſunt ad aliquid in omni habitudine, & ea conſequitur amicitia, & coniunctio, igitur bonum & malum ſunt nobiſcum copulata & amica. Præterea cauſa & effectus opinione veſtra ſunt bonum & malum, hæc autem ſunt contraria, igitur cauſa &

effectus

effectus ſunt contraria. Quæ autem contraria ſunt, ſe interimunt, cauſa igitur & effectus interitum ſibi inter ſe afferunt, quod ſi hoc verum eſt, Chriſtus igitur imaginem ſuam tollit & interimit. Et rurſum cauſa & effectus ſunt eorum, quæ ſunt ad aliquid, non ſunt autem horum bonum & malum, non ſunt igitur hæc, id eſt, bonũ & malum cauſa & effectus. Ac rurſus non ſunt contraria cauſa & effectus, ſunt autem contraria bonum & malum, non ſunt igitur cauſa & effectus bonum & malum. Adhæc cauſa & effectus habitudine coniunguntur, bonum autem & malum minime, non ſunt igitur cauſa & effectus bonum & malum.

De Adoratione.

PRÆterea, Imago Apollinis eſtne colenda, an non? Quod ſi neutrum dicatis, id eſt, neq; colẽdam neq; inhonorandã, erit neceſſario vobis tale prototypum. Si autem imago Apollinis inhonoranda eſt, an quia aurũ eſt, an quia tulit ſpeciẽ prototypi, & appellatione nihil ab eo differt? quatenus enim materia eſt, bona eſt, & q̃a prototypum inhonoratum eſt, inhonoratione digna eſt. Quia ſi Apollo eſt exemplar imaginis cauſa, quale eſt exemplar, talis eſt omnis effectus, id eſt, inhonoratus. Imago igitur Chriſti vel honore digna eſt, vel dedecore, vel neutro, ſi dedecore, non quatenus aurum, aliud abſurdum ſequitur, erit inhonoratum quod accepit pro cauſa exẽplar, eſt autem Chriſtus cauſa vt exemplum participet ſpeciem ac formam prototypi, non eſt igitur primum, quod dedecore dignum eſt, imago, ſed Chriſtus, quo nihil eſſe poteſt magis abſurdũ & blaſphemũ. Relinquitur igitur vt imago Chriſti colatur, & honoretur. Vt autem neque honoretur, neq; inhonoretur, paulo ante & modo confectũ eſt dici non poſſe, neq; vos dicitis, ſed potius dicitis inhonorandã eſſe. Si ergo inhonorato prototypo, neceſſe eſt eius ſimilitudinẽ inhonorari, ratio reciprocationis poſtulat, vt honorata ſimilitudine, colatur & honoretur prototypum, honor .n. imaginis ad prototypum tranſit. Ponamus eſſe imaginẽ Iouis & Petri, & hominis nec honorati nec inhonorati. At imago Iouis, quia prototypum contumelioſum habet, & rurſus non eſt media inter honorata & inhonorata, ſequitur vt ſit inhonoranda, quoniam nomen Iouis qui eſt prototypum, participat. Rurſus hominis, qui neque honore, neq; dedecore dignus eſt, imaginem vbi pones? in honore, an in

an in dedecore? Non dices in honore, neque rurſus in dedecore. Quid enim iniqui fecit vt odio habeas? Prototypum vero imaginis ſancti Petri iuſtumné eſt colere an non? Eſſe dices. Quid igitur cultum & venerationem exempli moraris & recuſas? Si enim prototypum colis, liquet, quod exemplum quoque colis. Si enim hominis medij imaginem neque colis neque vituperas, quem colis & honoras, quomodo eius exemplum inhonoras? Si autem dicas te nec honorare, nec inhonorare, ſi ꝑpter prototypū, oportebat illud etiā nec honorare nec inhonorare, ſi vero quia ſimpliciter imago aurū, aut argentum eſt, hac ratione neque ſimulacra dęmoniorum confringere iuſtum erat, & abſurde Moyſes hæc confregit. Sin vero propter prototypum iuſte confracta ſunt, igitur imago ſancti propter eum honorabitur, ſi enim hanc imaginem ſancti non ſequitur honor; nec illas dæmoniorum ſequetur dedecus. Sin vero illas ſequitur contumelia; & hanc ſequitur veneratio, hæc eſt enim lex reciprocationis in contrariis, oportet igitur omnium ſanctorum imagines colere. ſi enim aurum alioqui bonum & Dei creatura cum ſpeciem & nomen dæmonis accepit, factum eſt malum, & execrabile, ſic cum ſit bonum, & nomen formamque ſancti accipit, quomodo non efficitur melius? Quod enim melius eſt, magis amat bonū, quàm malum, & vnumquodque magis ad ſibi cognatum, quam ad contrarium habet conuerſionem. Hoc in vaſis & in domibus, & in veſtibus euenit, ſi hæc ſanctis adhibentur, aut in eorum nomine ædificantur, ſancta ſunt & veneranda, & omnis diuinæ gratiæ plena. Si autem conſecrantur dæmoniis, profana & execranda.

Cum ſint duo circa corpus, vmbra ſcilicet, & imago, vmbra quidem tenuem ſignificationem hominis oſtendit, eſt enim vmbra priuatio luminis à corpore facta. Imago vero id quod pictum, vel fictum eſt, apertè & clare demonſtrat, & effigie exprimit, & in ſe prototypum oſtendit. Si igitur quod ſemper exiſtit, vt imago, præſtantius eſt eo quod quandoque eſt, vt vmbra, & quod per ſe eſt excellentius, quam quod per priuationem, & quod lucidum, magis eligendum, quam quod obſcurius, & tenuius, imago igitur præſtantior eſt vmbra, at qui vmbræ ſanctorum vtiles ſunt, igitur ſanctorum imagines multo ſanctiores erunt. Quod ſi ſanctæ ſunt, liquet venerandas & colendas eſſe.

VII. Interrogatio, quomodo Chriſtum Deum & hominem imagine exprimis, cum hæc ſeparari non poſſint? Reſp. Quid igitur?

Digitized by Google

Eſt ne homo corpus ſolum, an anima etiam corporis & figuræ expers? An igitur impedimentum eſt anima, quin hominis imago fiat? An potius adiuuat & plures habitus imagini imponit, vt habitum operantis, incedentis, aſpicientis? ſi enim ſine anima pingeretur & fingeretur, nihil horum pingeretur neque fingeretur: ſic in Chriſto diuina ſubſtantia non ſolum non prohibet, quin imago Chriſti fiat, ſed potius ornat imaginem oſtendens reſurgentem ex ſepulchro, aſſumptum in cœlum, & ſanantem morbos. Chriſtus vel habere dicitur imaginem, vel non. ſi non habet, quid de eo quod non eſt, diſceptatis? Nemo enim ſic inſanit, vt quod non eſt, tollere contendat. Si autem corpus Chriſti dixeritis eſſe imaginem Chriſti, ipſe quidem corpus proprium vocat. Conſtantinus vero Iconomachus, imaginem Chriſti vocat, quod nobis dedit Chriſtus ad manducandum, quomodo igitur idem dicitur corpus Chriſti & imago Chriſti? Quod enim eſt alicuius imago, hoc corpus eius eſſe non poteſt; & rurſus, quod eſt corpus, non poteſt eſſe eius imago. Omnis enim imago alia eſt ab eo, cuius imago eſt. Quod ſi filium dicit ſcriptura imaginem patris, at ſi non natura, hypoſtaſe tamen & perſona differt filius à patre. Si igitur ſanctum corpus, quod in communione ſacra ſumitur, imago Chriſti eſt, aliud dicitur eſſe præter corpus Chriſti, nullum enim corpus alicuius eſt imago, eius ſicut imago. ſi vero pars Chriſti eſt, & non aliud præter Chriſtum, recidet corpus in duo. quin potius Chriſtus habebit μέρια σώματος, id eſt, partes corporis. Homo, inquiunt, eſt imago Dei, at imago Dei, & ſecundum imaginem Dei, non ſunt idem, ſicut opus quod fit ſecundum voluntatem Dei, & voluntas Dei, non ſunt idē neque notionibus neque verbis. at nullus ex patribus dixit hominem eſſe imaginem Dei, ſed ſecundum imaginem Dei, quod de libera poteſtate voluntatis Dei intellexerunt. Si autem homo eſt imago Chriſti, vtrum ſecundum diuinitatem, an ſecundum humanitatem? Si ſecundum diuinitatem, primum omnino fuit eſſe Dei; & quomodo erat Adam imago Chriſti qui poſt multos annos factus fuit homo? Si autem quatenus erat Chriſtus homo, imago eius eſt homo, liquet quod quatenus Chriſtus eſt homo, dicemus Petrum eſſe imaginem eius; ſi autem hoc ita eſt, non ſolum Petrus eſt imago Chriſti, ſed nihilominus Chriſtus eſt imago Petri, & Petrus imago Iudæ, & omnes aliorum inter ſe imagines. Alij dicunt, quod Chriſtus nullam habet imaginem, nec eam quæ ex coloribus

Digitized by Google

ſit, nec eam quæ ex figura ſine coloribus. Omne igitur corpus non animatum vocat figuram & formam. imaginem autē habet omne quod figura & forma circumſcriptum eſt, igitur omne corpus animatum neceſſe eſt habeat imaginem. ſi igitur omne corpus animatum habet imaginem, ergo cuius non eſt imago, neque corpus animatum eſt hoc. Quod ſi non habet imaginem Chriſtus, neque corpus animatum eſt. at habet corpus animatum. igitur habet imaginem. Et ſi Chriſtus non habet corpus animatum, neque homo habet. at Chriſtus Deus & homo eſt, omnis autem homo, qui corpus animatum eſt, figuratur & imaginem habet. Chriſtus igitur qui Deus & homo eſt, imaginem habebit. Interrogant, qualem pingis & figuras Chriſtum? Pannis inuolutum, an baptizatum, an crucifixum? Tu vero quam partem membrorum Chriſti colis? Si vnum Chriſtum tu colis, qui hæc omnia operatus eſt, & ego vnum Chriſtum figuro, & pingo, qui hæc omnia operatus eſt.

De circumſcripto & incircumſcripto.

IIX. CVm duæ naturæ ſint in Chriſto, quia neutra ab altera ſecundũ hypoſtaſim aliena eſt, appellatio vero Chriſti non ſeparans naturas particulariter, ſed toti hypoſtaſi conueniens, ambas naturas ſignificare creditur, liquet ſi Chriſtus creditur circumſcriptus eſſe, etiã naturæ, ex quibus conſtat, erunt circumſcriptæ. Cum duæ naturæ ſint in Chriſto, quia neutra ab altera aliena eſt, liquet cum vos dicitis, Chriſtus crucifixus eſt, & paſſus eſt, & fuit tempori ſubiect᷒, naturas ſimul crucifixas eſſe & paſſas. alterum enim è duobus neceſſarium eſt opinione veſtra, aut diuinitatem vna cum carne Chriſti paſſam eſſe, & eidem tempori ſubiectam fuiſſe, aut cogitare, nec in carne eius hæc fuiſſe. in quibus enim negatum eſt circumſcriptum, in eiſdem negatum eſt aſpectabile, & tractabile. aut rurſus, cum duę naturæ ſint in Chriſto, quandoquidem appellatio Chriſti neutram ſolam præter alteram ſignificat, liquet, quod cum Chriſtus dicatur Deus, & filius Dei, dicatur inuiſibilis, & immutabilis, erit hæc omnia natura humana, ſiquidem neutram naturam ſeparat appellatio Chriſti. Sed aduertendum eſt quod circumſcriptum reperitur dictũ vel modo, *vel tempore, vel comprehenſione circumſcriptum eſt. cum igitur quatuor ſint ſignificata huius vocis, patet totidem eſſe differentias circumſcripti. Quot modis enim dicitur vnum oppoſitorum, totidem dicitur alterum. Quia igitur in rebus aliæ ſunt

*vel loco.

mate-

materia, aliæ habentes materiam, quæcunque materiam habent, loco & tempore ſunt circumſcriptæ, & noſtra intelligentia comprehenſæ ſunt: loco quidem, quia diſtantia & dimenſione comprehenſæ ſunt, tempore vero; quia omnia quæ materiam habent in tẽpore facta ſunt. Sunt autem cõprehenſione mentis terminatæ, quia nihil prohibet ea, quæ materiam habent, agitatione mentis & operatione indagare & circumſcribere. Circumſcriptione autem ſenſûs perſpicue licet videre vnumquodque eorum, quæ materiam habent, circumſcriptum, ac definitum, ſenſu quidem tactus, quæcunque tractari & tangi poſſunt; aſpectu, quæcunque aſpectabilia ſunt: manifeſtũ eſt igitur omne corpus materia præditũ neceſſario circumſcriptũ eſſe. nequaquã vero circumſcriptus eſt Deus, nulli.n. modo circumſcriptionis ſubiicitur, non loco, non tempori, non reliquis. Quæcunq; vero naturę expertes ſunt materię, infra diuinitatem, quæ ſupra ſubſtantiã eſt, ſunt. Hæ igitur partim circumſcriptæ ſunt, partim incircumſcriptæ, tempore quidem, tanq̃ quæ ſub tempore ſunt, comprehenſione mentis, vtpote quæ finitæ & terminatę ſunt, & definiri poſſunt, non enim effugiunt circumſcriptionẽ finiti & terminati. Hoc autẽ circumſcriptione eius, q̃ mente percipitur, comprehenſum eſt. Sunt autem incircumſcriptæ loco, & comprehenſione ſenſus, quia colore & figura carent. Loco autem quia carent magnitudine, & mole, & dimenſione. etſi enim Angeli dicũtur eſſe in loco, non tamen dicuntur loco circumſcribi, propter aliud enim dicuntur eſſe in loco, & non quia circumſcribuntur: ſic etiam anima eſt in corpore, ſed neq; circũſcribitur anima corpore, quia nõ poteſt ipſa eſſe, aut operari per ſe in alio corpore, niſi in quo eſt. Angeli vero quia non poſſunt ipſi eſſe, nec operari, ne vno quidẽ momento in diuerſis locis, hoc enim eſt ſolius Dei. Hoc autem cum eſſe in loco dicimus, non proprie dicimus, ſed quia loco certo, & definito, & non vbiq; operantur. quod vero ſubſtantiæ incorporeæ non poſſunt circumſcribi, perſpicuum eſt, locus enim ſemper corpora continet intermedia ſuperficie. Locus enim eſt terminus continentis, quatenus continet ea quæ continentur. Natura autem angelorũ incorporea eſt, etſi cum non eſt corpus, non eſt ſuperficies, cum vero ſuperficies non eſt, neq; locus eſt, vnum enim horum cum eſt, etiam reliqua conſequuntur.

FINIS.

EX LIBRO SANCTI NICEPHORI DE imaginibus.

AT qui diuini Cherubini ſimplices ſunt & materiæ expertes,ac ſine forma,& figura,ac proinde incorporei; & tanquam incorporei loco circumſcribi naturaliter non poſſunt,ſicut ante dictum eſt.Etſi enim aliquando angelos alicubi in corpore apparuiſſe audimus, nemo tamen aliud quidpiam ſignificari ſuſpicetur, quàm quia natura ſunt ignoti,apparuiſſe figuratos ſymbolice iis formis, quibus miniſteria mandata apud eos,qui in terra ſunt,quibus præſunt,obeunt,& eatenus dici in loco eſſe,quatenus non alibi oracula edunt, aut aliud quid operantur,quod quidem ſoli diuinæ naturæ, & quæ omni intelligentiæ antecellit,ineſt. Neque ſic apparuiſſe rationem incorporei vidit.Nec enim exiſtimandum eſt ſubſtantiam cœlitum formis animalium,& ferarum,aut pennis auium exprimi, ſed nutu Dei, cui omnia ſunt facilia, ſic figuratos & in imaginibus oſtenſos eſſe. Perſpicuum igitur eſt iis,qui aduertunt,poſſe diuinum in ſuſcepta tractatione,eſſe archetypum, principium,& exemplar, quod per ſe exiſtit, eius formæ,quæ ab ipſo exprimitur,& exempli, quod ei aſſimilatum eſt,cauſa.definitio autem imaginis hæc erit, vt in iis quæ arte fiunt, explicari poteſt,ſimilitudo archetypi, quæ in ſe totam ſpeciem,ſiue formam figurati per aſſimilationem exprimit, ſola diuerſitate ſubſtantiæ ſecundum materiam ab eo differenti;aut imitatio archetypi,& aſſimilatio,ſubſtantia, ac ſubiecto differens; aut ſic,effectus artis ſecundum imitationem archetypi formatus, ſubſtantia autem & ſubiecto differens.Si enim non in aliqua re differret, non imago, nec aliud quid præterquam archetypum eſſet.

Sic

Digitized by Google

Sic igitur imago ſimilitudo,& forma eſt ab iis, quæ per ſe ſunt, expreſſa.Idolum vero fictio eorum quæ non exiſtunt , neque per ſe ſunt.Cuiuſmodi ſunt formæ quædam,quas gentiles fatue & impie tanquam Deo carentes fingunt,vt Tritonum,& Centaurorum, & aliorum.Sic imago & idolum diſtinguuntur. Quare qui horum differentiam non approbant,neque tenent,merito idololatræ vocari poſſunt. Ac imagines quidem bonorum & malorum imagines ſunt,de quibus diſſimiliter exiſtimandum eſt. Bonorum quidem imagines honorandæ ſunt; malorum vero repudiandæ, & æque atque idola fugiendæ,& potiſſimum,quibus aliqui ex priſcis venerationem idolorum impie adhibuerunt, Deum vniuerſorum,& primam cauſam ignorantes. Quod quidem fecit tum hominum,cupiditatibus,& terrenis rebus ſeruientium, affectio erga ſuos, tum tyrannis in fines,& iura iuſti honoris dominata, idcirco nunquam in aliquo ex bonis idolum dicetur, quia imparticipata eſt maxime hæc vox in ethnico cultu,qui dæmonibus adhibetur,ſicut Apoſtolus ait. Arbitror non eſſe nunc inopportunum noſtro ſermoni addere hoc, habere ſcilicet imaginem ad archetypum habitudinem cauſæ & effectus,quare neceſſe eſt, eſſe & dici eorum, quæ ſunt ad aliquid. Quæ autem ſunt ad aliquid,ipſa illa quæ quidem ſunt, aliorum eſſe dicuntur,& reciprocatur ipſorum inter ſe habitudo,vt pater filij pater,& rurſus filius patris filius dicitur. Similiter amicus amici,& dextrum ſiniſtri,& reciproce,ſiniſtrum dextri, item dominus ſerui,& ſimiliter in aliis eiuſmodi. Sic igitur prototypum imaginis prototypum, & imago prototypi imago, nec vllus imaginem habitudine ſolutam alicuius imaginem dicat. Simul enim alterum cum vtroque introducitur,& cogitatur , & licet archetypum alio abierit,habitudo tamen non ſimul eſſe deſiit, non enim ratio ſimul intereundi, in omnia quæ huiuſmodi ſunt , manat.ſiquidem aliquando habitudines incolumes remanent rebus orbatæ,& nudę,vt in patre & filio,& ſimilibus euenit.Eum enim qui receſſit tanquam præſentem,dum per ſimilitudinem & memoriam forma & imago oſtendit habitudinem cum tempore continuatam ſeruat,id eſt,habitudo media, extremis interiecta eſt formæ ſcilicet aſſimilatæ, & cui aſſimilata eſt, copulans eam cum imagine,licet natura differat, etſi enim vtrumque aliud & aliud natura e , non tamen alius & alius, ſed ipſe ille cuius imago eſt. per figuram enim formæ, quæ à principio extitit,cognitio illius formæ efficitur,&in ipſa figura ille

Digitized by Google

ipſe qui pictus eſt,conſpicitur,quod quidem in alio eorum;quę huiuſmodi ſunt,non cernitur,vt in patre,aut filio,aut amico. Hæc.n. contra atq; illa,ſe habent,vnumquodq; enim horum non aliud, & aliud eſt,ſiquidē eandem ſubſtantiam participant. Alius vero & alij ſunt diuerſitate hypoſtaſeon.Quod ſi in his habitudo etiam partita in diuerſas hypoſtaſes, non perit, multo magis in illis conſeruabitur.Hoc vero amplius fit, quod ſimilitudo communitatem nominis largitur,vna enim eſt in ambobus appellatio. Rex enim dicitur etiam imago regis,quę dicere poſſet,Ego & rex vnum ſumus, ſcilicet præter ſubſtantiæ differentiam.Hæc autem diximus,vt oſtenderemus,quomodo imago ad archetypum,cum imago conſideratur, habitudinem habet,nec idem eſt cum eo ſecundum ſubſtantiā, nec enim quæcunque de archetypo dicuntur,neceſſario de eius imagine dicuntur.Illud enim fortaſſis eſt animatum,hæc vero inanimata. Aut illud eſt rationis particeps,& mouetur,hæc vero ſine ratione,& ſine motu,non igitur ambo idē.Quin potius partim ſimilitudinem imaginis inter ſe habent;partim ſimilitudinē ſubſtātiæ.Quia igitur imago eſt eorū,quæ ſunt in habitudine,idcirco honorato prototypo,ſimul honoratur imago eius:& rurſus inhonorato, ſimul inhonoratur.Nos autē à doctoribus eccleſiæ inſtituti, intra terminos & fines pietatis conſiſtimus,non naturā verbi ad paſſiones carnis trahentes,ſed has eum ſibi attribuentem œconomicè paſſum eſſe dicimus,nullo in his modo à recta ratione excidentes,ſiquidem vnus & idem eſt,qui honoris ac gloriæ,& contumeliarū particeps fuit.Sicut igitur paſſiones corporis œconomice attribuit, & ſicut corpus Dei dicitur,ſic imago ſanctiſſimi corporis eius, & ſimilitudo tanquam propria ad eum refertur,atque ita attributa & facta propria comuniq; nomine naturarum affecta, eadem appellatione qua prototypum,homoue appellatur. Diuina quidem operatio æterna, immo ipſa per ſe operatio eſt,quia non diſtinguitur operatio à ſubſtantia, quin potius eandem rationem recipit, propter ſimplicis & incorporeæ naturæ ſempiternitatem.adeſt autem in omni differenti κατ ταυτόν,id eſt,ſimul,& vt ita dicitur,incircumſcripte,non enim cum prius eſſet poteſtate, poſtea & poteſtate ad actum adducta eſt. Hnc pertinet quod dominus dixit, Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor,non ſolum dicit illam à principio creationem rerum ex nihilo,ſed earum conſeruationem & prouidentiam,vt facere angelos ſpi-

Digitized by Google

los ſpiritus,extendere cœlum ſicut pellem, & tegere aquis ſuperiora eius,& fundare terram ſuper ſtabilitatem eius, quæ quidem ſemel facta diuina operatione continuata permanent ac perſeuerant. Operatio autem humana non eſt æterna,ſed finita, &, vt magis proprie dicatur, circumſcripta. Silentium enim interrumpit differentem,& qui dormiebat,euigilauit,& quies motum circumſcripſit,& vt ſummatim dicam,qui hoc facit,ἐν ταυτῷ,id eſt,ſimul,ferme non aliud faciet. Quis enim, qui parum ſit rationis particeps,non intelligat aliud eſſe picturam,aliud circumſcriptionem? Pictura enim, vt à ſimplicioribus incipiamus,dupliciter dicitur, altera enim characteribus horum elementorum ſerie & ordine ſignata, & ſyllabatim procedens, à ſcriptoribus expromitur, altera vero per ſimilitudines ad imitationem exemplaris formatur ac figuratur, vt in ea pictura fit, quæ nunc in quæſtione poſita eſt. Atque illa quidem per voces, quæ proferuntur, patefacit ea, quæ ſermones contexti nunciant: hæc vero per ea, quæ apparet,oſtendit imitationem perſonarum,quæ repræſentantur.non eſt autem nunc neceſſarium conſiderare, an aliquando imago quarundam formarum , & rerum ἔμφασιν afferat.Pictores autem vtrique, qui hæc faciunt, conſuetudine ſic loquendi vocantur, qui ſcilicet ſermonem deſcribit , & qui ſcientiam pingendi conſecutus eſt. Quod enim veteres γράψαι dicebant pro eo,quod eſt polire, non longe abeſt à ſignificatione horum,id eſt,ſcribendi & pingendi. Circumſcriptio autem aiunt his efficitur,aut enim circumſcriptum loco circumſcribitur, aut tempore,aut inchoatione, aut comprehenſione. loco quidem vt corpora,loco enim continentur, ſiquidem locus eſt terminus corporis continentis; tempore autem,quæ non erant prius,à tempore autem cœperunt eſſe,ſicut angelos,& animas circumſcribi dicimus, corpore enim non continentur loco angeli, quia non figurantur, operãtur vero in loco ſecundum naturã ſuã,quia adſunt ibi νοητῶς, id eſt,ſpiritualiter, vtpote ſpiritus ac mentes,& non ſunt alibi, ſed illic vt mentes circumſcribuntur.Poteſt etiam dici definitos & circumſcriptos eos eſſe à creatore. tempore etiam circumſcripta ſunt non ſolum quæ cœperunt eſſe, ſed quæ finem habent, & extremum, cuiuſmodi eſt vita noſtra,immo ipſa valde circumſcripta & terminata eſt,vnuſquiſque enim morte finem vitæ accipit,& huius vniuerſi finis conſummatio eſt, in qua vniuerſum in aliam formam mutabitur. Circumſcriptum autem comprehenſione eſt, quod notione

Digitized by Google

notione & lingua comprehenditur. vna enim ſpecies circumſcriptionis eſt comprehenſio, qua angeli naturam ſuam inter ſe aliquantũ cognoſcunt, vt ſit circumſcriptio comprehenſio comprehenſi, & definiti, aut terminatio cœpti, & moti, aut comprehenſio intellecti & cogniti. quod autem nullo horum continetur incircumſcriptum eſt. Chriſtus igitur huiusmodi iam dictis modis humane circumſcriptus eſt, ſiquidem corpus vere, ſicut nos, non ficte geſtauit, loco circumſcribitur, qui eſt incorporeus, & qui non cœpit eſſe principium, cœpit in tempore, & cum hominibus corpore verſatus, comprehenſus eſt qui erat incomprehenſus. Cum tot modis dicatur circumſcriptio, magna in his differentia reperitur, nec enim qui pingit, id eſt, imaginem hominis facit, de quo nunc propoſitum eſt dicere, eundem ſimul pingendo circumſcribet, ſicut ſic includens eum etiam non præſentem, ſi quis aliquem loco, quo continetur, complectatur, in circumſcriptione enim neceſſario adeſt ille, cum depingitur vero, non neceſſario: immo neque circumſcribet præcipuè, quãuis aliquis exiſtimet ſe hoc facere, omnino enim in iis, quæ corporeè circumſcribũtur, locus eſt, qui ea proxime circũſcribit. q d autẽ ſit locus, iam dictum eſt. Neq; rurſus, ſi quis aliquem corporeè circũſcribat, eundem depingit, id eſt, imaginẽ eius facit, nulla enim ratio cogit hoc dicere, quia nec habent hæc, pingere ſcilicet & circumſcribere, inter ſe conſecutionem, vt dicetur. Ac rurſus in hoc loco, in aliquo ſcilicet pariete, aut tabula dicimus quidem pingi hominem, ſed in illo ipſo loco nemo prudens & cordatus dicat circũſcribi, id eſt, definiri. Homo enim in imagine ſua pingitur quidem, non tamen in ipſa circumſcribitur, ſed in loco ſuæ propriæ circumſcriptionis. Et modus horum propter multa differt, pingitur enim homo coloribus, & calculis, ſi ita facere contingat, idque variè & multipliciter figuratus, diuerſiſque coloribus, nequaquam tamen poteſt his ipſis circumſcribi, quia circumſcriptionem aliter ſe habere diximus. Præterea pictura, id eſt imago, ſpeciem corpoream picti repræſentat, & figuram ac formam eius ſignatum, & ſimilitudinẽ. Circumſcriptio vero nihil horum commune habens, tribus modis ea quæ continet, terminat, & imago ad ſimile relata, iuxta archetypum eſt, & imago archetypi eſt, & dicitur, & ab eo ſeparata eſt, & ſeparatim aliquando eſt, & exiſtit: circumſcriptio vero neque ſimilis, neque diſſimilis ſit, neque facta eſt ſpecies, neque forma; neque dicitur

tur circumſcriptio archetypi, nec ad archetypum refertur, & inſeparabiliter ac ſuapte natura cum iis ſimul exiſtit, quæ continet, & ſemper illis adeſt. Semper enim in loco eſt homo, & in tempore, & in comprehenſione, & natura circumſcriptum neceſſario ſequitur circumſcriptio ex loco, nullo vacuo dirempta, ſicut quis poteſt cernere in circumſcriptione, quam facit locus, quæ terminos vtriuſq; corporis, ſcilicet continentis & contenti, ad ſuperficiem amborum adiungit: vbi enim eſt moles & magnitudo, neceſſe eſt cogitetur locus. Pictura autem, id eſt, imago ſimpliciter, & infinite definiens, cum iis omnibus, quæcunque circumſcribi natura ſua poſſunt, circumfertur. Non enim in hoc quidem circumſcribit, in illo vero non. Atque imago quidem in ſenſu, & oſtenſione tota conſiſtit. circumſcriptio vero magna parte in notione. forſitan enim ſolum locum circumſcribētem ſentimus. Et vt in ſumma dicam, nec imago hominis circumſcribit hominem, licet ſit circumſcriptus, vtrumque enim rationem ſuam habet. Præterea imago quidem continetur à circumſcriptione, circumſcriptio vero non continetur ab imagine, ſed continet eam, idcirco non fit reciprocatio. Latius namque patet circumſcriptio. nam ſi quid eſt pictum, id eſt, imaginem habet, homo inquam & ipſa imago dici poteſt circumſcriptum, de quo nunc nobis ſermo eſt, quod vbique notare oportet, non enim de alio agimus. Non tamen remeat, vt ſi quid eſt circumſcriptum, etiam imaginem habeat, imo & ſermones ipſi imagines rerum ſunt, & eas ſequuntur tanquam cauſas, ac primum quidem auditu accipiuntur, & ſonitus dictorum in eos, qui ſono pulſi ſunt, incurrunt, ſecundo autem ſermo auditus per ratiocinationem in notionem rerum ſignificatarum venit. Imago vero primum, & nullo medio ad ipſas res tanquam præſentem animum inſpectantium adducit. Ac ex prima inſpectione & congreſſu planam & limatam cognitionem horum præbet, ſiquidem quæ narratio deſcripſit, hæc imago tacens per imitationem demonſtrat. quanto igitur opus ſermone præſtantius eſt, tanto imitatio & ſimilitudo operis ſonitu verborum ad declarationem rerum excellentior erit, vnde ſæpenumero ſermones per huiuſmodi imaginum inſpectionem potentiores & clariores fiunt. ſæpe namque ex verbis dubitationes & quæſtiones proficiſcuntur, ac diuerſi ſenſus in animis, vt conſentaneum eſt, oriuntur. Itaque multi à ſeipſis & aliis diſſentiunt, ac de verbis certant, de iis, quæ dicuntur ambigentes; facere

Digitized by Google

vero fidem per ea, quæ videntur ex omni parte ab omni dubitatione liberat. Tanta autem eſt in vtriſque, in imagine ſcilicet & narratione communitas, ac ſocietas, vt in vno eodemq; libro, ſicut multis in locis in vetuſtis chartis videre licet, ex vna parte contingat, depingi ſermonem per Symbola & imagines, ex altera per hiſtoriam, eandemque narrationem in literis oſtendi. Videmus autem leges ſcriptas, neglectas tamen, quia traditio & conſuetudo, quæ alia eſt, vigeat. Conſuetudo enim eſt, quæ omnia confirmat, quia opus potentius validiusq́ue ſermone. Quid enim aliud eſt lex quam conſuetudo ſcripta? Conſuetudo vero lex eſt non ſcripta. Hoc autem facile perſpici poteſt in externis. Grammatici enim, ſi forte accidat vt aliqua vox præter regulam poſitam, aliter propter conſuetudinem vigentem ſcribatur, traditionem excuſant tanquam regulam regulæ. Quod autem nomen imaginis non eſt è numero earum vocum, quæ ſimpliciter, ſed potius vox homonyma, ex iis quæ multipliciter dicuntur, ſubtiliter hic ipſe pater alio loco de hac diſtinctione diſſerit, vt prima quidem notionis informatione imago in naturalem, & artificioſam diſtinguatur , altera vero diſtinctione infra hanc, imaginem artificioſam ait eſſe formæ, & figuræ, & ſpeciei, ac coloris. Dicant ergo nobis quis modus cogit alteram partem diſtinctionis amplecti, quæ in naturalibus imaginibus accipitur, & exiſtimare affinitatem & habitudinem pure ſeruari, alteram vero partem quæ in artificioſis eſſe dicta eſt, reijcere? Cur non hæc etiam habitudinẽ & cognationem ſecundum propriam rationem non habebunt? Siquidem ratio imaginis vt imaginis ſimpliciter in vtriſque æqualiter, & æque honorate apud eos, qui mentem habent, accipitur, licet res ipſæ ſignificatæ, in quibus verſatur ratio imaginis, differentes ſint. ſicut enim in naturalib' ratio imaginis, vt imaginis, ſimilitudinem habet, & non variatur: ſic in artificioſis ſecundum ſpeciem & formam, quamuis natura in ſeipſis differentiam oſtendunt, vnde vnum & idem nomen homonyme comparticipauerunt. Dicimus igitur, vt à ſimili ordiamur, ſiquidem ſimile eſt imago, quoniam imago Chriſti ſimilitudo eius eſt, &c.

FINIS.

Digitized by Google

THEODORI HAGIOPOLITANI

DISPVTATIONES TRES.

1. Diſputatio de nomine Dei.
2. Diſputatio de Deo & Deitate.
3. Diſputatio cum Neſtoriano.

Interpretè

Franciſco Turriano Societatis IESV.

Nunc primùm ex m. ſ. edita.

Digitized by Google

THEODORI HAGIOPOLITANI DISPVTATIO DE NOMINE DEI.

NOmen Dei à quadam operatione dictum eſt, non tamen ſignificat operationem, ſed naturam operantem. Si enim nomen, Deus, ſignificat operationem, omne autem nomen cuius habet ſignificationem, illius eſt nomen, igitur nomen Deus nomen operationis eſt. Quare quod nominatur Deus, operatio Dei eſt, operatio igitur Dei eſt Deus; & Deus eſt operatio ſua. Idem igitur eſt Deus, & operatio Dei.

Si quis vero contentioſè dicat, poſſe hoc poni, & concedi, ſciat is, multa abſurda inde ſequi.

Primum, ad idem dici; Quæ enim ſunt eadem, ad idem dicuntur. At operatio Dei, Dei operatio dicitur; Deus vero non dicitur eſſe Deus Dei.

Prætetea, operatio operantis operatio eſt; Deus autem non eſt Deus operantis.

Rurſus, ſi idem ipſum eſt Deus, & operatio Dei, dicentur ambo de eiſdem, at Deus de patre dicitur, & filio, & ſpiritu ſancto; operatio vero non ſic. Pater enim Deus eſt, ſimiliter & filius, & ſpiritus ſanctus; pater autem non eſt operatio, vel filius, & ſpiritus ſanct' ſed operantes.

Quod vero maximum eſt, non dicere Deum eſſe ante ſuam operationem, ſed ſimul. Quæ enim ſunt eadem, neceſſe eſt confiteri ſimul eſſe. Si igitur Deus eſt æternus, & operatio eius æterna eſt, ex quo

Digitized by Google

quo ſit, vt effectus operationis æternus ſit. Eſt autem effectus operationis mundus, vt poſitum eſt. Atqui dicere, hoc non ſolum non licet, ſed impium eſt. ἀποτέλεσμα

Ad hæc, omnia, quæ proprie, & maxime de indiuiduis ſubiectis dicuntur, aut natura ſunt, aut pars naturæ. Deus autem proprie & maxime dicitur de tribus perſonis. Deus igitur aut natura eſt, aut pars naturæ. Sed quia pars non poteſt in Deo dici, relinquitur, vt ſit natura. Deus igitur eſt natura; & nomen, Deus, naturam ſignificat. Sicut enim nomen homo, à quadam operatione dictum eſt, non tamen ſignificat operationem, ſed naturam, & ſubſtantiam, ſimiliter anima, & angelus, & fere omnia nomina ſubſtantiarum ab operatione, aut affectione ſiue paſſione dicta ſunt, non tamen operationem, aut affectionem, ſiue paſſionē ſignificant. Sic intelligendum eſt in nomine Dei. & non oportet ſequi per errorem Etymologias, & leges Grammaticæ, neglecta regula veritatis, qua multi profiteantur vti, pauci vero vtuntur. Sed de his hactenus. ἐπὶ ὑποτεταγμένων ὑποστάσεων.

FINIS.

EIVSDEM THEODORI HAGIOPOLITANI

Diſputatio de Deo, & deitate.

HÆReticus. Vtrum tibi videtur, idem eſſe, Deus, & deitas? An aliud?

ORTHodoxus. Idem.

HÆReticus. Nonne, quæ eadem ſunt, de eodem dicuntur?

ORTHodoxus. Non eſt neceſſe.

HÆReticus. Si eadem ſunt, quomodo non de eodem prædicantur? Si verò non prædicantur, quomodo non ſunt diuerſa, quæ eadem ſunt, quod quidem fieri non poteſt?

ORTHodoxus. Non ſatis eſt, vt prædicentur eadem de eodem, eſſe tantum eadem, ſed oportet in eo conuenire, vt ſimiliter dicantur, & intelligantur. Quia igitur Deus, & deitas, ſenſu noſtro idem ſunt, modus autem, ſignificandi ſcilicet, diuerſus eſt. Non enim ſimiliter intelligitur Deus & deitas; ſiquidem Deum intelligentes, & dicentes, naturam tanquam in hypoſtaſe intelligimus, & dicimus. Deitatem vero cum dicimus, ipſam naturam tanquam nudam, & ſine perſonis, ratione tantum conſideratam intelligimus, & dicimus. idcirco Deum prædicamus de hypoſtaſe, tanquam in hypoſtaſe conſideratum; deitatem vero nequaquam (Non enim dicimus, pater eſt deitas, ſed Deus) tanquam per ſe, & ſolam

καθ' ἡμᾶς.

Digitized by Google

lam ſine perſonis conſideratam. aduertendum autem eſt, quod deitas non eſt ſine tribus perſonis. Conſiderata vero per ſe & ſola, ſine perſonis conſideratur. Siquidem conſideratio non prohibet exiſtentiam. Quia enim deitas ſecundum ſe conſiderata, natura ſine proprietatibus intelligitur, liquet ſine hypoſtaſibus conſiderari, ſi enim conſideratur per ſe ſine hypoſtaſibus, liquet conſiderari ſine proprietatibus, quod quidem non erat poſitum.

Deinde, quod non poteſt intelligi ſine alio, neceſſe eſt ad aliquid eſſe, & non ſubſtantiam: deitas autem non eſt ad aliquid, ſed eſt ſubſtantia ſupra ſubſtantiam, quare poteſt conſiderari per ſe ſolam, & non cum alio. Rurſus, ſicut homo non eſt ſine loco, conſideratus vero per ſe, & definitus, ſine loco cõſideratur, & definitur. Item anima hominis viuentis non eſt ſine corpore, conſiderata vero per ſe, ſine corpore conſideratur: Sic deitas ſine perſonis non eſt, conſiderata vero per ſe, ſine his conſideratur.

HÆReticus. Aliud ne eſt ſubſtantia, & aliud hypoſtaſis?

ORTHodoxus. Aliud & aliud, non tanquam res alia, & alia: ſed tanquam aliud ſignificet hypoſtaſis, & aliud ſubſtantia. Sicut granum frumenti dicitur, & eſt ſemen & fructus, non tanquam res alia & alia. Aliud vero ſignificat ſemen, & aliud fructus, quoniam ſemen quidem ſemen eſt futuræ agriculturæ; fructus vero præteritæ agriculturæ fructus eſt.

HÆReticus. Quid ſignificat ſubſtantia? Et quid hypoſtaſis? τὸ κοινὸν τα.

ORTHodoxus. Subſtantia ſignificat quid commune, & ſi quid eſt proprium ſubſtantiæ, hoc commune eſt hypoſtaſeon, quæ ſunt ſubter ſubſtantiam. Hypoſtaſis autem proprietatem habet, quæ non eſt communis hypoſtaſeon eiuſdem ſubſtantiæ, & numerum recipit.

HÆReticus. Subſtantia ne non habet proprietatem?

ORTHodoxus. Neque proprietatem habet, quæ non ſit communis hypoſtaſeon ſubſtantiæ: neque numerum plurium recipit, cum ſit vna. Quod enim numerum plurium recipit; omnino etiam proprietatem habet; & quod habet proprietatem, numerum recipit. Ipſa enim proprietas numerum introducit.

HÆRe-

Digitized by Google

HÆReticus. Non intelligo, quod ais, dic planius.

ORTHodoxus. Dicisne patris ſubſtantiam immortalem, & incorruptibilem, & inuiſibilem, & creatricem, & deum?

HÆReticus. Maxime.

ORTHodoxus. Dicis ſimiliter de filio?

HÆReticus. Etiam.

ORTHodoxus. Sicut dicis ſubſtantiam patris immortalem, & reliqua, ſicne etiam dicis patrem ipſam ſubſtantiam?

HÆReticus. Ita eſt.

ORTHodoxus. Filium vero dicis patrem?

HÆReticus. Minime.

ORTHodoxus. Non eſt igitur pater proprium ſubſtãtiæ, ſed ipſius hypoſtaſis.

HÆReticus. Quomodo?

ORTHodoxus. Quia propria ſubſtantiæ ſimiliter ſunt cõmunia patris, & filii, & Spiritus ſancti. Pater autẽ non eſt commune, non eſt igitur pater ſubſtantiæ, ſed hypoſtaſeos. Si igitur alia eſt proprietas hypoſtaſis, & alia proprietas ſubſtantiæ, nõ eſt idem ſignificatum ſubſtantia & hypo aſis.

HÆReticus. Nonne eſt proprium patris ingenitum, & filii genitum, & Spiritus ſancti procedens? Quare non dicimus tres ſubſtantias?

ORTHodoxus. Quia neceſſe eſt dare proprietatem numero. Proprietas autem diuerſitas eſt. Diuerſitas autem ſubſtantiæ diuerſum ſubſtantia facit. Quod autem diuerſum eſt ſubſtantia, non eſt ſimiliter immortale, ſimiliter incorruptibile, & ſanctum, & immutabile, & reliqua. Vna igitur ſubſtantia eſt patris, & filii, & Spiritus ſancti. Cum vero dicimus tres hypoſtaſes, dicimus quod verum eſt, differentiam proprietatum eſſe in hypoſtaſe.

HÆReticus. Si vna eſt deitas, vna eſt hypoſtaſis.

ORTHodoxus. Si ſcires donum Dei, cognoſceres, quod deitas ſignificat eſſe commune hypoſtaſeon. hypoſtaſis vero ſignificat τὸ τί εἶναι, id eſt, eſſe hoc aliquid. ſicut humanitas ſignificat eſſe commune, hypoſtaſis vero eſſe hoc aliquid. Non enim omnis hypoſtaſis eſt deitas, nec omnis hypoſtaſis eſt humanitas. Si autem non omnis hypoſtaſis eſt humanitas, nec omnis hypoſtaſis eſt deitas, igitur non ſignificant idem hypoſtaſis, & deitas, & humanitas.

HÆReticus. Humanitas οὐχ ὑφέστηκεν?

ORTHo-

ORTHodoxus. Maxime, ſcilicet conſiderata in indiuiduis.

HÆReticus. Igitur hypoſtaſis eſt?

ORTHodoxus. Dixi, in indiuiduis conſiderata.

HÆReticus. Quid eſt indiuiduum? Et quid eſt humanitas?

ORThodoxus. Indiuiduum eſt vnaquæq; hypoſtaſis noſtra. Humanitas vero communitas ſubſtantiæ.

HÆReticus. Et quæ eſt differentia communitatis, & hypoſtaſis?

ORTHodoxus. Quod tua hypoſtaſis non eſt omnium hominum; humanitas vero communis eſt omnium hominum.

HÆReticus. Hypoſtaſis patris non eſt deitas?

ORTHodoxus. Maxime. Verum deitas, eſſe ſiue eſſentiam ſignificat, hypoſtaſis vero hoc aliquid eſſe, ſiue hanc eſſentiam.

HÆReticus. Et hypoſtaſis filij non eſt deitas?

ORTHodoxus. Eſt.

HÆReticus. Duæ igitur ſunt deitates?

ORTHodoxus. Nequaquam. Non enim alia & alia deitas eſt.

HÆReticus. Alia & alia hypoſtaſis eſt.

ORTHodoxus. At non idem ſignificant, vt dixi, deitas, & hypoſtaſis. Sicut enim non ſunt duæ humanitates Petri, & Pauli, ſic non ſunt duæ deitates patris & filii. τὸ εἶναι. τὸ τί εἶναι.

HÆReticus. Non eſt igitur hypoſtaſis patris deitas?

ORTHodoxus. Hypoſtaſis quidem patris deitas eſt. Hypoſtaſis item filij, deitas etiam eſt, non tamen quia ſunt duæ hypoſtaſes, idcirco ſunt duæ deitates.

HÆReticus. Quomodo non?

ORTHodoxus. Quia non eſt differentia immortalitatis. Immortalitas enim ab immortalitate non differt.

HÆReticus. Si verè eſt alia & alia hypoſtaſis, quomodo non eſt alia & alia immortalitas?

ORTHodoxus. Nos enim aliam & aliam hypoſtaſim habemus, non autem aliam & aliam humanitatem. Et hypoſtaſis Petri homo eſt; & hypoſtaſis Pauli homo eſt, & duæ ſunt hypoſtaſes, & non duæ humanitates. Et aliam, & aliam hypoſtaſim habemus, nõ tamen aliam & aliam immortalitatem, quam per vnum baptiſma accepimus. Alia enim & alia immortalitas, aliud & aliud baptiſma; alia, & alia fides. & non eſt vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma.

HÆReticus. At noſtra hypoſtaſis alia eſt præter immortalitatem, & præter baptiſmum. Igitur hypoſtaſis Dei alia eſt præter immortalitatem.

ORTHodoxus. Nequaquam, imm[?]o ipſa hypoſtaſis immortalitas eſt; & non ſolum immortalitas, ſed incorruptibilitas, & iuſtitia. Et non eſt hæc Deus compoſitione, ſed ſic dicitur ſecundum diuerſas notiones. immortalitas quidem, quia caret fine. Incorruptibilitas, quia non poteſt diſſolui. Iuſtitia, propter æqualitatem. Sanctificatio, quia ſeruat à peccato. Redemptio, quia vitam noſtram ſeruat à corruptione. Dominatio, quia in omnibus dominatur, & in omnia habet imperium. Virtus, quia nihil ei reſiſtit. Hæc omnia in hypoſtaſi etiam filij ſimiliter vt in patre, & non participate conſiderantur. Et idcirco duas hypoſtaſes dicimus patris & filij, vnam verò deitatem, virtutem, & quæcunque huiuſmodi ſunt. δύναμις.

HÆReticus. Quomodo dictum eſt de ſpiritu ſancto, non loquetur à ſemet ipſo; ſed quæcunque audiet, loquetur, ſiquidem eiuſdem naturæ eſt?

ORTHodoxus. Hoc eſt, quod declarat, ipſum non eſſe mendacem, & eiuſdem naturæ eſſe.

HÆReticus. Quomodo?

ORTHodoxus. Quia omne creatum, ſi eſt particeps rationis, quando vult, à ſe ipſo loquitur, quia habet propriam voluntatem, cui imponit ſilentium, vt voluntatem Dei dicat. Spiritus autem ſanctus non ſic, ſed tanquam ſpiritus Dei, voluntatem Dei habet. Et hoc eſt, quod ait, Non loquetur à ſemet ipſo. Siquidem de ſe etiam dixit filius, A me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater, loquor.

FINIS.

EIVS-

EIVSDEM THEODORI HAGIOPOLITANI

Diſputatio cum Neſtoriano.

ORTHodoxus. En, adeſt certamen diſputationis. Vnde igitur incipienda nobis eſt diſputatio? Ab ea ne arte, quæ ad ſcientiam comparandam pertinet? An potius primum ab eo, quod ex aliis quæſtionibus maxime neceſſarium eſt? Sed quod nam hoc eſt? Ea ſcilicet accurate indagare, quæ de fide dubitantur.

HÆReticus. Incipiendum profecto eſt à dogmatibus fidei.

ORTHodoxus. Filius Dei ex muliere natus, quid ex ea accepit, naturam, an hypoſtaſim?

HÆReticus. Naturam.

ORTHodoxus. Deinde, cum proprietatibus, an ſine proprietatibus?

HÆReticus. Solam naturam accepit ſine proprietatibus.

ORTHodoxus. Relinquitur igitur, vt ſine colore, & figura, & mixtione elementorum, & ſine magnitudine? Quamobrem, neque agnoſcebatur, neque videbatur, neque tenebatur. Neque creſcebat, vt ex puero fieret vir. Quid igitur? Confiteris interitum coloris, & figuræ & aliorum, quæ expoſita ſunt, in Chriſto?

HÆReticus. Minime.

ORTHodoxus. Confiteris igitur fuiſſe hæc in eo?

HÆReticus. Confiteor.

ORTHodoxus. Quid? An non ſunt hæc proprietates?

HÆReticus. Cur non?

ORTHodoxus. habuit igitur Chriſtus naturam noſtram

cum proprietatibus. Natura autem cum proprietatibus hypoſtaſis eſt. An non videtur tibi?

HÆReticus. Maxime.

ORTHodoxus. Hypoſtaſim ergo aſſumpſit, & non ſolam naturam, vt prius poſuiſti?

HÆReticus. Sic eſt.

ORTHodoxus. At hoc fieri non poteſt.

HÆReticus. Et vnde hoc docere potes?

ORTHodoxus. Quia vel vnitæ ſunt hypoſtaſes, vel ſeparatæ manſerunt ſeparatæ; & tunc Chriſtus erit duo, & non vnus. Quare cum colis Chriſtum qui ſit duo, colis etiam patrem, & ſpiritum ſanctum; ergo cultor quatuor videris eſſe. Si autem vnitæ ſunt in vnam hypoſtaſim compoſitam, erit hypoſtaſis compoſita, neque omnino pure diuina, neque humana, ſed intermedia. Si autem Chriſtus hypoſtaſis compoſita eſt, Chriſtus igitur opinione tua neque hypoſtaſis diuina eſt, neque humana. Sed media inter Deum & hominem. At fugienda eſt impietas. Quomodo enim ſoluis nobis argumentum hoc?

HÆReticus. Non ſum idoneus ad ſoluendum. Quare in gratiam noſtram, doce, quid aſſumpſerit Chriſtus, naturamne, an hypoſtaſim?

ORTHodoxus. Naturam.

HÆReticus. Cum proprietatibus, an ſine his?

ORTHodoxus. Cum proprietatibus.

HÆReticus. Hypoſtaſim igitur aſſumpſit.

ORTHodoxus. Minime.

HÆReticus. Et vnde hoc conſtat?

ORTHodoxus. Ego tibi explicabo. Eſt enim aliquid, quod dicitur hypoſtaſis; & eſt aliquid, quod dicitur hypoſtaticum, & commune vtrique eſt componi ex natura & proprietatibus. Differunt tamen, quia hypoſtaſis non eſt pars alicuius, hypoſtaticum vero pars eſt. Verbi gratia, Petrus non eſt pars alicuius, quare hypoſtaſis eſt. Corpus autem Petri pars eſt, quare hypoſtaticum, & non hypoſtaſis eſt corpus Petri, quamuis natura eſt cum proprietatibus. Sed non ſatis eſt compoſitam eſſe naturam cum proprietatibus ad generationem hypoſtaſis, ſed oportet concurrere ad hoc, & non eſſe partem. Quia igitur pars Chriſti eſt aſſumptum corpus animatum, idcirco non eſt hypoſtaſis, ſed hypoſtaticum. Et ſicut non connumeratur cum Petro corpus eius, vt ſint duo alterum cum

cum

cum altero [illegible] ſic neque cum filio Dei incarnato con-numeratur corpus animatum aſſumptum, vt ſint duo. Atque hæc quidem videntur mihi ſatis eſſe ad ſolutionem dubitationis.

Aliud principium.

HÆReticus. vtrum videtur tibi eſſe Chriſtus, Deus, an homo?

ORTHodoxus. Vtraque ſeorſum, & vtrumque ſimul.

HÆReticus. Quomodo?

ORTHodoxus. Etenim Deus eſt ſeparatim, ſimiliter & homo, & ſimul Deus & homo.

HÆReticus. Deinde, eſt hoc ſecundum naturam, an alio modo? Gratia ſcilicet, vel exercitatione quapiam, & progreſſu?

ORTH. Natura.

HÆR. Vnius igitur naturæ eſt Deus & homo?

ORTHodoxus. Minime. Non enim ſecundum eandem naturam, ſed ſecundum aliam eſt homo, & ſecundum aliam Deus.

HÆReticus. Igitur quia aliud eſt Deus, & aliud homo, ſecundum autem naturam eſt hoc Chriſtus, Chriſtus igitur alius eſt à ſeipſo?

ORTHodoxus. Minime, ſed aliud natura dixi. Hoc enim oportet concludere ex iis quæ conceſſa ſunt.

HÆReticus. Quod dicis obſcure dixiſti, ſed explana.

ORTHodoxus. Chriſtus & Deus & homo eſt. Deus autem, & homo aliud natura, Chriſtus igitur aliud natura. Teipſum igitur decepiſti. Non enim ſi aliud natura, continuo alius à ſeipſo Chriſtus. Non eſt Chriſtus natura, ſed habet naturam. Χωρίς.

HÆReticus. Sint iſta ſic. Quid igitur tibi videtur, non ne Chriſtus homo, homo autem aliud à Deo?

ORTHodoxus. Maxime.

HÆReticus. Chriſtus igitur aliud à Deo?

ORTHodoxus. Adhibe diſtinctionem, ſecundum humanam naturam aliud à Deo. Secundum diuinam naturam non aliud.

HÆReticus. Deus igitur & non Deus, quæ quidem contradictio eſt.

ORTHodoxus. At non eſt hæc contradictio. Non enim ſecundum idem eſt Deus & non Deus, vt ſit contradictio. Sicut

enim homo eſt ſub ſenſum cadens, & non ſub ſenſum cadens ſecundum aliud, & aliud. Secundum enim corpus ſub ſenſum cadit; ſecundum vero animam non cadit. Et non eſt hæc contradictio ſecundum regulam veram. Sic Chriſtus Deus & non Deus ſecundum aliud, & aliud. & non eſt hæc contradictio. ſecundum enim diuinitatem Deus, ſecundum vero humanitatem non Deus. Ac de his hactenus.

FINIS.

Errata ex Leontio.

p. 4. v. 25. atque nos.

Ibid. in Marg. ὠμὰ ἐκφύκλιας.

p. 5. v. 44. viſibilis.

NB.

pag. 248. v. 22. Difficile intellectu eſt, cum aſſerit Auctor ille, quiſquis fuit: Animam Petri non eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum animis aliorum hominum; & corpus Petri non eſſe homoouſion, ſiue conſubſtantiale corporibus reliquorum hominum: [illegible] animæ humanæ & corpora humana ſint eiuſdem ſpeciei. Nec video, qua ratione aſſertio iſta [illegible] [illegible].

ANTIQVÆ LECTIONIS

Tomi quarti

PARS SECVNDA,

I Henrici Kalteiſen oratio, qua in Concilio Baſileenſi, anno 1433. per dies tres refutauit tertium articulum Bohemorum, De libera Prædicatione verbi Dei, quem propoſuit per biduum Vdalricus Presbyter Orphanorum, fol. 1.

II. Ioannis de Polemar Barcinonenſis oratio qua in Concilio Baſileenſi an. 1433. Per dies tres refutauit 4. articulum Bohem. de ciuili Dominio Clericorum, quem propoſuit per triduum Petrus Rayne Anglus. fol. 228.

III. S. VVillibaldus de S. Bonifacio. fol. 338. Variæ Lectiones in hunc. f. 742.

IV. Othlonus Fuldenſis de eod. S. Bonifacio. f. 392.

V. De fundatione Illminenſi & de S. Arſacio. f. 470.

VI. Thadæi Scoti fragm. chronicon. f. 473.

VII. Hodœporicon S. VVillibaldi à conſanguinea, Sanctimoniali Heidenheimenſi ſcriptum. f. 479.

IIX. Hodœporicon aliud eiusdem à Diacono S. VVillibaldi vel alio quopiam ſcriptum. f. 705.

IX. Eiusd. S. VVillibaldi vita. f. 693.

X. Heidenheimenſis Sanctimonialis de vita S. VVunibaldi, fratris S. VVillibaldi. f. 513.

XI. Ermenoldus ſeu Ermenricus de vita S. Solæ f. 542.

XII. Eiusdem Ermenrici Epiſtolæ ad Gundramnum, & Rudolphum: & Gundrammi ad Ermenricum. & variæ lectiones in S. Solam f. 742.

XIII. Philippus Epiſc. Eiſtetenſis de S. VValpurga. fol. 559.

XIV. VVolfhardus Haſenrietanus de ead. S. VValpurga. f. 604.

XV. Eiusd. VVolfhardi de miraculis S. VValpurgæ liber 2. fol. 717.

XVI. Vita S. Kiliani & Soc. mart. f. 625.

XVII. Alia vita eorundem SS. 642.

XIIX. Vita S. Burchardi. f. 646.

XIX. De S. Tyemone Archiep. Saltzpurg. mart. æquaeuus autor. f. 659.

OMNIA

NVNC PRIMVM EX MANVſcriptis edita

AB

HENRICO CANISIO NOVIO, MAGO I. C. SS. CANONVM Profeſſore Ingolſtadij.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO, HENRICI KALTELSEN DOMINICANI, PROFESSORIS SACRÆ THEOLOGIÆ

in celeberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ prauitatis inquiſitoris,

QVA IN CONCILIO BASILIENSI, ANNO M. CCCCXXXIII. PER dies tres refutauit tertium articulum Bohemorum,

DE LIBERA PRÆDICATIONE VERBI DEI,

Quem propoſuit per biduum

VDALRICVS PRESBYTER Orphanorum.

Nunc primùm ex codicibus m. ſ. edita,

AB

HENRICO CANISIO SS. CANONVM PROFESSORE INGOLSTADII.

Digitized by Google

PATRES & Domini Reuerendiſſimi, Doctores prudentiſſimi, inclyti Bohemiæ regni Oratores egregij, cæteriq; confratres mei præclariſſimi, in medio tam magnatorum, tamq; auditorij diuiniſſimi locuturus, renuit conſolari anima mea, niſi conſolationes Dei lætificaſſent eā cum Pſalmiſta. Quāobrem ſpem finaliter in eius poſui exuberātiam, qui dat omnibus affluenter, Iacobi primo, qui aſſecurat, promittens, *Aperi os tuum, & ego implebo illud*, dans verba Euangelizantibus virtute multa, in Pſalmo, Beatiſſima interueniente Dei genitrice virgine Maria, per quam veluti per canalem, & aquæductum gratiarum, quidquid diuina largitas influit, quidquid humano generi dare virtutis & gratiæ diſpoſuit, largiſſimo ſancti Spiritus imbre infundit, ſecundùm mellifluum Bernardum in ſermone, beatis omnibus occurrentibus Dei Sanctis, qui charitatis vinculo conſtricti nobis miſeris inuocantibus, non minus quàm Hieremias Dei Propheta multum orans pro populo & vniuerſa ciuitate dicitur 2. Machabæ. vltimo, quorum ſuffultus meritis iuxta materiam articuli tertij, in ordine propoſitorum, qui eſt de prædicatione verbi Dei, parumper locuturus, aſſumo verba thematis Dominicæ iam currentis, Lucæ 8. conſcripta: *Qui in corde bono, & optimo audientes retinent verbum, fructum afferunt in patientia.* Pro cuius introductione noto cum B. Thoma 2. 2. quæſt. 177. articulo primo, Ad hoc, quod verbi Dei orator efficaciter loquatur, tria requiruntur, vt ſcilicet doceat, delectet, & flectat, doceat intellectum inſtruendo, delectet affectum demulcendo, flectat effectum procreando, Et quanquam duo prima in facultate docentis vt plu-

Pſalm. 93.

Iacob. 1.
Pſalm. 80.
Pſalm. 67.

Bernardus ſermone de natiuitate Mariæ.

2. Mach. 15.

Lucæ 8.

vt plurimum reperiantur, tertium tamen ſolius Dei eſſe dinoſcitur. niſi enim interius Spiritus ſanctus doceat, incaſſum exterius vox Doctoris laborat, ſecundùm beatum Gregorium, in homilia de feſto Pentecoſtes. ſicut enim impoſſibile eſt, quod ſola pluuia fructificet terram, niſi flauerit etiam ventus, ſic non eſt poſſibile, quod ſola doctrina corrigat hominem, niſi cooperatus fuerit Spiritus ſanctus in corde ipſius, vt ait beatus Chryſoſtomus, homilia vigeſima. Idcircò, vt per medicenda, in cunctis nobis fructū afferant in patientia, tria noto. Primum, vt locus cōgruus adaptetur, *in corde bono & optimo*. Secundum, vt modus debitus obſeruetur, *audientes verbum retinent*. Tertium, vt fructus debitus reportetur, *fructum afferunt in patientia*. Primum docet intellectum. Secundum demulcet affectum. Tertium flectet effectum, vt ſic his ſimul concurrentibus opus præſentis actus optatum reportet profectum. Dico primò & principaliter, reſeruatis duobus membris pro ſequentibus diebus, vt fructum verbi Dei in patientia auferamus, neceſſe eſſe nobis locum congruum, vt adoptemus, qui eſt *in corde bono & optimo*, bono per induſtriam naturalem, & optimo per gratiam iuſtificantem, ait Nicolaus de lyra ibidem; *bono*, per fidem illuminantem, & *optimo*, per gratiam operantem. Optimum enim eſt gratia ſtabilire cor. Vnde Gorra ſuper eodem, *in corde bono*, per diſciplinæ & virtutis exercitium, & *optimo*, per internæ contemplationis & conſolationis ſolatium. Secundùm Albertum, *in corde bono*, id eſt, mundo à peccato, Matthæi quinto, *& optimo*, ſcilicet diuinæ voluntati in omnibus conformato, ſecundùm beatum Auguſtinum, ſuper illo Pſalmo. *Qui ſaluos facit rectos corde*, *in corde*

Greg. ho. 30.

Chryſoſt. ho. 25 in opere imp.

Nicol. de lyra.

Hebr. 13.

Matth. 5.

Albertus Magnus in Luc. c. 8.

Auguſtinus, Pſalm. 7.

bono, per dilectionem Dei, vt ſeipſum, *& optimo*, per dilectionem Dei ſuper omnia. ſic *Maria optimam partem elegit*, Lucæ 10. ac vt reor ex cauſa quidam hæſitanti, quid offerre poſſet Deo gratiſſimum, edoctus eſt per Angelum, offerre curuitatem lunæ, rotunditatem ſolis, & primam partem rotæ: per quæ intelligi docuit, C per curuitatem, O per rotunditatem, & R per rotæ primã partem ſeu literam, quæ tria ſimul compoſita hoc nomen, *cor*, efficiunt, hinc ſecundùm Iſidorum & Catholicon *cor* etymologiſatur. c. cuſtos. o. omnium. r. rerum. quare hoc volens ſibi Dominus præparare, clamat: *Quis eſt iſte, qui cor ſuum applicet, vt appropinquet mihi? eritisq; mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*, Hieremiæ 30. Aliter autem formatur animal à natura, aliter à pictura. Nam natura animal formando, incipit à corde, & ſic ſecundùm proportionem cordis cætera membra figurat, ait Ariſtoteles 16. de animalibus. pictor verò nihil curat de corde, & tota ſollicitudo eſt circa membra exteriora cõponenda: ſic ſi ſacram vnionem cupimus, ſi veritatis normam quærimus, ſi reformationem ſalutarem appetimus, non in verbis exteriorib9, ſed cordis optimi penetralibus, id eſt, non lingua tantùm, ſed opere & veritate amplecti debemus. Ad hoc quæſo *hodie, Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ait Pſalmiſta, quoniam *cor durum malè habebit in nouiſſimis*. Eccleſiaſtici tertio. Cor durum eſt, quod ſeipſum non exhorret, nec ſentit, quod cor durum ſit, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum. Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi fortè quem miſerans Deus, abſtulerit ab eo cor lapideum, & dederit cor carneum, iuxta Prophetam. Bernardus de conſi-

Lucæ 10.

Hierem. 30.

Ariſt. de partibus animalium, lib. 3. c. 4.

Pſalm. 94.

Eccleſ. 3.

Ezech. 36.

Digitized by Google

conſideratione libro primo. quidam namq; reproborum in poteſtatem dæmonum occulto & iuſtiſſimo Dei iudicio rediguntur, Iſaia atteſtante: *Ipſe miſit eis ſortem, & manus Dei diuiſit eis eam in menſuram, vſq; in æternum poßidebunt eam.* quidam electorum dimittuntur à Deo, ex diuina iuſtitia incidere in errorem peccati, ſed tamen miſeratione eius reducti, denuò conuertuntur. de talibus enim Dominus per Prophetam loquitur. *& diuiſi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi:* Sanctus Iſidorus de ſummo bono, lib. 20. cap. 15. talis ſic à Domino reductus, poteſt aptè cum Propheta dicere: *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oret te*, 2. Regum 7. ſic Nabuchodonoſor per tempora multa ſua exigente culpa à Deo derelictus, tandem reductus eſt, & reſtituta figura priſtina, id eſt, intelligentia humana, Danielis 4. hoc Dauid petiuit, cùm ait: *Cor mundum crea in me Deus*, ſciens, quod *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matth. 5. quæ viſio tota merces eſt, quæ viſio ſummum bonum finale & ęternum gaudium eſt, quam nobis concedat benedictus Ieſus, qui imperat & regnat, Amen.

Bernard. lib. 1. de conſid. ad Eug. *Eſaiæ 34.* *Eſaiæ 57.* *Iſidorus.* *2. Reg. 7.* *Daniel. 7.* *Pſalm. 50.* *Matth. 5.*

QVemadmodum Deus & natura nihil agunt fruſtra, ſed ſicut in neceſſariis non deficiunt, nec abundāt in ſuperfluis, ita imitator vtriuſq;, prout ipſe ex alto conceſſerit, nec in ſuperfluis abundare, nec in neceſſariis deficere, propono: ſed iuxta materias per dominum proponentem miniſtratas, notanda quædam obſcurè poſita declarabo, omiſſa ſupplebo, ſed & à veritate deuia arguendo emendabo, iuxta Apoſtolicam doctrinam, vt ſit veritatis Doctor exhortari potens in doctrina, & eos, qui contradicunt arguere. Obtulit Dominus venerabilis Vlricus

Tit. 1.

Digitized by Google

ricus proponens in ſua propoſitione certa enthymemata, circa quæ intendo declarationi inſiſtere arguendo ſic: Chriſtus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum. Chriſtus prohibet hoc, ergò hoc non eſt faciendum. benè ſequitur, non autem ſequitur de puro homine ſic. Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum. Papa prohibet hoc, ergò hoc non eſt faciendum, &c. niſi addito iſto medio, & in lege Dei veraciter ſe fundat. Obtulit in primo notabili, duplex eſſe verbum Dei, ſcilicet, CHRISTVM IESVM, qui eſt verus Deus & homo, & vtrumque Teſtamentum, ibi defectum per eum commiſſum intendo ſupplere, deinceps quædam intulit, quæ intendo conſtanter redarguere, vel modificare, & veritatem credi neceſſariam adducere. quorum primum eſt: Tantæ perfectionis ſunt verba Dei, quod eis nil licet addere, nec ſubtrahere. Secundum quod cauſa ruinæ populi maximè eſt culpa malorum ſacerdotum. hoc declarabo lucidius propter multa mala de ſacerdotibus Domini. In ſecundo notabili, enarrata, vbi additur, quod nemo amplius nocet, nec Eccleſiam ſcindit, ſicut ſacerdotes mali, hoc intendo modificare. in notabili tertio, quod tenetur præceptiuè, vbi inter multa redarguenda ſunt hæc inſerta. Primum quod non obſeruantia conſilij Dei obligat non obſeruantem ad peccatum veniale, ſicut præcepti ad mortale. Secundum, quod eſt præceptum Domini cuilibet diacono & preſbytero liberè prædicare verbum Dei, ita quod ſub præcepto obligante non prædicantem ad peccatum mortale, cadit actus prædicandi in ipſis. In quarto propoſuit ſuper verbo, *liberè*, quod diaconus & preſbyter libertantur ad prædicandum, dum ſuſcipiunt diaconatus & preſbyteratus ordinem legiti-

Aduerſarij notabile primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Digitized by Google

legitimè, & quod ex tunc nullum impedimentum illegitimum obſiſtere debet, ſecundùm legem Domini noſtri IESV CHRISTI. ibi etiam reprehendit, quod miſſantes plurimi, ſed prædicantes ſunt pauciſſimi, & altarium multiplicationem. Conſequenter prædicta probando venerabilis Vlricus proponens probat articulum auctoritatibus & rationibus ſibi gratis. Et infert primo iſtam concluſionem. Non obſtante inhibitione, aut prætenſa excommunicatione lata iam aut minata, ſacerdos Domini debet fideliter & liberè verbum Domini annunciare, quia debet Deo magis, quàm hominibus obedire. Addit ſecundò, quod ſacerdos dimittens fidelem prædicationem, propter hominum inhibitionem, ſeu prætenſam excommunicationem, eſt apud Deum excommunicatus, quia tales non ſeruant mandatum Dei, & ergò maledicti, & excommunicati. Et ſunt hæc, primæ veritatis, quæ Deus eſt, cum adiutorio conſtanter reprobanda. Tertio, quod ſacerdotes Dei verbi prædicationem fidelem non debent omittere propter ſcandalum peruerſorum. Quartò, quod non ſolùm ſacerdotes minores, ſed & prælati maiores tenentur verbum Dei fideliter annunciare. Hæc eſt dicendorum materia, prout propoſitio cogit veſtra. Antequam harum difficultatum declarationem aggrediar, præſuppoſita recognitione ignorantiæ meæ, & imbecillitatis notoriæ, quam recognoſco corde, & confiteor ore. Nihilominus ex mihi iniuncto, colla obedientiæ ſubmittens, iugo, vires hinc reſumo, quoniam cauſam Dei agimus, quoniam ſalutem animarum quærimus, in quibus noſtra ſufficientia ex DEO eſt, qui promiſit, *dum ſteteritis ante Reges*

I. *Actor. 5.* *II.* *III.* *IV.* *2. Cor. 3.* *Matth. 10.*

Digitized by Google

Reges & præſides nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Duo autem inter multa mihi neceſſaria proteſtor. Primo, quod omnia per me vnquam dicta, nunc & in futurum dicenda, iudicio, ac diffinitioni huius ſacroſancti generalis Concilij Baſilienſis ſincerè & plenè ſubmitto, credens & confitens, quidquid ipſa ſancta Synodus credit & confitetur. quod ſi aliud dixero, quod auertat Altiſſimus, ex nunc reuoco & retracto, pro non dicto haberi deſiderans; ſecundùm quod non eſt mentis meæ piarum aurium offendicula verba proferre, aut ſaluo conductui venerabilium oratorum inclyti regni Bohemiæ quouis modo præiudicare. quod ſi ex lapſu linguæ contigerit, ex nunc veniam poſtulo, qua indiget lingua ſeu maxilla in chamo & fręno rationis ſeu imperio voluntatis non conſtricta, quibus proteſtationibus in qualibet ſequentiũ materiarũ, quaſi innouatis ac iteratis, præſuppoſitis Prædicatorum Ordinis ego minimus prædicationem verbi Dei defenſurus iuxta articuli tertij exigentiã, quam adduxit venerabilis Vlricus dominus proponẽs inclyti regni Bohemię orator, ſecundùm formam per ipſum ſeruatã procedere intendo. Et ideò ſi formalitatem aliquãdo egreſſus fuero, non mihi indignemini, quia formam traditam inueſtigabo.

Articulus propoſitus. Verbũ Dei exemplo Chriſti & Apoſtolorum à ſacerdotibus Domini liberè & ſine impedimento, fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.

Articulus proponentis iſte eſt. *Verbum Dei exemplo Chriſti & Apoſtolorum, à ſacerdotibus Domini liberè, & ſine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.* iuxta cuius deductionem dñs Vlricus proponens venerabilis talem habuit ordinem. Primò notabilia, circa aliquorum terminorum expoſitionem, præmittendo. Secundò, articuli deciſionem annectendo. Secundùm ergò ordinẽ veſtri proceſſus, erit forma mei progreſſus.

hoc

hoc promiſſo, quod nedum propoſitionibus poſitis, ſed & earum probationibus declarandis inſiſtam, nedum verbis, ſed & intentioni, prout ex verbis colligere potui, innitẽdo, & primò in proœmio ſuæ collationis inter cętera iſta fuerũt verba eiuſdem, *Iſtud eſt argumentum infallibile, hoc mandat Chriſtus Ieſus, ergò hoc eſt faciendum. Hoc prohibet Chriſtus, ergò hoc non eſt faciendum: De puro autem homine infallibiliter nõ ſic ſequitur de forma, non enim ſequitur vniuerſaliter, Hoc mandat Romanus Pontifex, hoc dicit Eugenius Papa, ergò verum, aut faciendum: hoc prohibet Papa, ergò non faciendum. Sed addito iſto medio benè ſequitur, hoc dicit Romanus Pontifex, & in ſcriptura Canonica ſe fundat veraciter, ergò hoc eſt verum, aut faciendum.* & quanquã hoc in ſuperficie videatur tutè dictum, tamen quia primæ conſequentiæ poſſent multis materiam miniſtrare erroris, & inobedientiæ & rebellionis, ideò circa eas parũ inſiſtere, non abſonum iudicabunt. Obtulit dominus proponens argumẽtationem talem, *Chriſtus Ieſus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum: Chriſtus Ieſus prohibet hoc, ergò hoc omittendum.* circa quam ſciendum, quod non omne mandatum Chriſti, quod habet notam mandati, habet efficaciam mandati, dicit enim venerabilis Gorra. Lucæ 7. quod eſt triplex pręceptum Dñi, vnum propriè dictum, obligans ad faciendum, vt illud, *honora patrem & matrem.* Exod. 20. Aliud minus propriè dictum, tentans ad probandum, vt illud, *tolle filium tuum*, Geneſ. 22. Tertium impropriè dictũ, ſcilicet docens tantum ad ſciendum, vt dum Dominus præcepit ei, quem curauit, nè cuiquam diceret: hæc ille. cui alludit Magiſter primò ſententiarum, lib. 1. diſt. 45. dicens: Quod Deus non vult ab hominibus fieri omnia, quæ præcepit, vel nõ fieri, quæ prohibet, præcepit enim Abraham immolare, nec tamen voluit. Non enim ideò

Triplex mandatũ Domini.

Exod. 20.

Geneſ. 22.

Mag. ſent. li. 1. diſt. 45.

Digitized by Google

præcepit, vt fieret, ſed ad probandum fidem Abrahæ. *Et* in Euangelio præcepit ſanato, ne cuiquã diceret, ille autem prædicauit vbiq;, intelligens Deum non ideò prohibuiſſe, quin vellet opus ſuum prædicari, ſed vt daret formam homini laudem humanam declinandi. & capitulo finali dicit, diſtinguens de voluntate ſigni & beneplaciti. *Fit omne, quod Deus beneplacito vult fieri, & omne quod vult non fieri, nequaquam fit. non ita eſt de ſignis, quia ſic præcipit Deus multis, quæ non faciunt, & prohibet, quæ non cauent, &* Diſt. 47. q. 1. art. 4. ad 1. *conſulit, quæ non implent.* hæc ille. Vbi dicit ſanctus Thomas: *Quamuis nõ vellet Deus voluntate conſequente, quod Abraham filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente, quod voluntas Abrahæ in hoc ferretur, ſecundùm quod iam erat ordinatum. Et talem voluntatem præceptum expreſſit, & ſic fictio non fuit iſta, & de illis, qui contra præceptum Domini opus prædicant, licet Chriſtus noluerit hoc, quod præcepit voluntate conſequente, voluit tamẽ voluntate antecedente homines in hoc tendere, vt gloriam mundanam de temporalibus bonis non quærerent, ſed Dei; & hoc præceptum expreſſit.* hæc ille. Vnde cõmuniter tenent Doctores, circa diſtinctionẽ quadrageſimam quartam, primi ſententiarum, quod quando præceptum datur in documentum, non in præceptum, non obligat; ſicut ſi prælatus præciperet aliquid grande ſuo monacho, & tamen cordetenus, nollet illud fieri, ſed ſtatim, cùm frater hoc facere inciperet, eum reuocaret, ita quod præceptũ illud eſt directè ſignum voluntatis præcipientis, ita quod velit obligare ſubditum ad exequendum voluntatẽ præcipientis, ſed non eſt directè ſignum, quod velit rem præceptam impleri; talia enim fiunt ad ſumendum experientiam de obedientia ſubditi, vel ad oſtendendum pluribus obedientiam vnius exemplo. Ideò recitat ibidem quatuor ſolemnes opiniones dominus Patriarcha de palude,

lude, circa iſtam concluſionem, *Deus quandoq; præcipit fieri, quod tamen non vult fieri.*

Secundò addit venerabilis proponens Vlricus enthymema. *Non ſequitur, Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum, niſi addito iſto medio, & in lege diuina veraciter ſe fundat.* Ego aſſumo ſic: *Papa mandat hoc, & in lege Domini ſaltem expreſſè ſe veraciter non ſundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, neq; contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta, ergò hoc eſt faciendum.* Pro cuius deductione duxi aliqua notare. Primum eſt, quod Papa non eſt nomen ordinis, ſed tantùm iuriſdictionis, & officij, patet, quia Papa poteſt cedere Papatui, ita quod non ſit amplius Papa, non tamen poteſt cedere ſacro ordini, quin ſemper ſit ordinatus, poſtquam eſt ordinatus. Secundò, quia Papa vt Papa, non habet poteſtatem conficiendi corpus Chriſti verum, niſi conſecretur in presbyterum, quamuis poſſet gubernare corpus Chriſti myſticum, etiamſi non habeat ſacerdotij gradum, vt deducit venerabilis magiſter Auguſtinus de Ancona, in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, q. 4. art. 2. Secundum quòd quamdiu Papa eſt fidelis, etſi in moribus ſit malus, poteſt & debet dici ſanctus aut ſanctiſſimus, non quidem ex vitę merito, ſicut Chriſtus dicitur ſanctus Sanctorum, ſed ex ſanctificandi alios officio, ſic enim Num. 18. dixit Dominus ad Moyſen, *tu & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem ſanctuarij*, & ſecundùm tranſlationem antiquam 70. interpretum, dicitur, *ſumetis peccata Sanctorum*, vbi clarè patet, quod etiam homines peccatores dicuntur ſancti, ex officio, quia Moyſes cum familia ſignati ſunt portare iniquitatem ſanctuarij, & ſumere peccata Sanctorum. ſi ſanctuarium, quomodo habet iniquitatem? & ſi ſancti ſunt, quomodo habent peccata? Venerabilis Thomas de

I. *Papa nō eſt nomen ordinis, ſed iuriſdictionis & officii.*

Aug. de Ancona, de poteſtate Eccleſiaſtica. q. 4. a. 2.

II.

Num. 18.

Digitized by Google

Thomas VVal den. lib. 2. doct. fidei, c. 36. & 37

VValden lib. 2. c. 36. ſic & concilia generalia dicuntur ſancta & ſanctiſſima, non à ſanctitate perſonarum inibi exiſtentium, ſed ex plenitudine officij ſanctificandi, & infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti. ſic & Eccleſia Catholica dicitur ſancta, non propter ſanctitatem omnium exiſtentiũ in ea, cùm ſint multi peccatores, ſed propter ſanctiſſima eius officia, propter Sacramentorum ſanctitatem exiſtentium in ea. non enim talia dicuntur ſancta ex opere operante, ſed opere operato. Ideò ſanctus Cyrillus in epiſtola Synodica directa Neſtorio, quæ incipit: *Religioſo & Deo amabili*, nominat Papam ſanctiſſimum ac venerandiſſimum, ſimiliter ſacrum generale Concilium, ſimiliter ſanctus Hieronymus Papam vocat ſanctiſſimũ, gloriam ſanctitatis ſuæ magnificans in libro, qui intitulatur de geſtis Romanorum Pontificum, in principio ſcribens ad Damaſum Papam.

Vide VVald. in loco citato.

III.

Tertium, quod Papa ratione officij ſæpè aptiſſimè nominatur beatus ſeu beatiſſimus, non quaſi extra ſtatum viæ æternaliter conſtitutus beatus, ſed propter admirandam ſuæ poteſtatis excellentiam, quæ propè Chriſtum attingit. quidquid enim poteſtatis, quidquid gratiæ Sacramentalis, quidquid diſpenſationis cœleſtis à Chriſto capite Eccleſiæ commiſſum eſt, ipſa Eccleſia diſperſa, & Papa in fide non errante, totum eſt eius diſpenſationi commiſſum. Hinc beatus Hilarius etiam Imperatorem Conſtantinũ propter auctoritatem imperialem beatiſſimũ nuncupauit in epiſtola ſua ad eundem de fide. Et beatus Ambroſius quibuſdam ſcribens Epiſcopis & ſacerdotibus malis, quos de ſymonia & multis exceſſibus redarguit, beatiſſimos & ſanctiſſimos patres nominat in libro ſuo paſtorali, quem de obſeruantiis ipſorum intitulat.

Ambro. lib. de ſacerdotali dignitate, c. 2. Tom. 4.

IV.

Quartò ergò dico, quod ſi Papa aliquid mandat faciendum, quod non eſt contra

Digitized by Google

contra legem Dei expreſsè, aut contra ſtatuta aliqua ſanctorum Patrum, etiam ſi ſe literaliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum eſt. Hinc dicit beatus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, in libro theſaurorum, *vt membra maneamus in capite noſtro, Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo medium eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ligare, & ſoluere, loco illius, qui ipſum ædificauit, & nulli alij, quod ſuũ eſt plenè, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinãt, & primates mundi tanquam ipſi Ieſu Chriſto obediunt.* hæc ille. Pariformiter ſanctus Chryſoſtomus cum omnibus Doctoribus ſuper illo: *Paſce oues meas*, ſcribentibus, & beatus Bernardus in principio tertij libri ad Eugenium. Sed dices: Papa malus eſt, & prælati peſſimi ſunt. reſpondet Dominus: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæ vobis dixerint, facite, ſecundùm opera eorum nolite facere*, Matth. 23. Et eius Vicarius immediatus inquit: *Obedite præpoſitis veſtris, non tantùm bonis, ſed & diſcolis*, primæ Petri 2. cuius rationem aſſignat beatus Hieronymus, lib. 1. contra Iouinianũ, dicens: *Epiſcopus, & presbyter, & diaconus non ſunt meritorũ nomina, ſed officiorum. Nec dicitur, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum gradum deſiderat, ſed bonum opus deſiderat, quod in maiori ordine conſtitutus, poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum*: hæc ille. Vnde beatus Bernardus ſuper canticis ſermone 67. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis, tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem & dicentem, quæ dicunt, facite. patet, quamuis Scribæ, quamuis Phariſæi, quamuis peccatores maximi, propter Cathedram tamen Moyſi, ad eos quoq; nihilominus pertinere, quod idem dicit: qui*

Cyrillus.

Chryſoſt. in 21. cap. 10. Ioan.
Bernardus de conſ. lib. 3.

Matth 23.

1. Petr. 2.

Hieron. lib. 1. contra Iouin. c. 19.

Bern. ſermone ſuper cantica 66.

Lucæ 10.

vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. hæc ille. Patet ergò, quid ſit de illa argumentatione ſentiendum: Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum, etiamſi ſe non fundet expreſsè in diuina lege, & tantùm de prooœmio domini proponentis.

Primum notabile aduerſarii.

Poſt hoc expedito prooœmio, dominus proponens in articulo incepit proponere notabilia, & fuit primum notabile circa illud complexum, *verbum Dei*, vbi in ſermone vel ſententia diſtinxit, verbum Dei dupliciter per eum intelligi. vno modo accipiendo pro Chriſto Ieſu Deo vero & homine. Secundo modo pro omni verbo veritatis, quod locutus eſt Dominus per ſuos Angelos, Prophetas veros, & filium ſuum, & per ſanctos ſuos Apoſtolos, & in ſcriptis reliquit ad futura tempora. Et iſto ſecundo modo dicebat ſe víurum, in propoſito, illo complexo, *verbum Dei*. & quanquam iſtud non ſit reprehenſibile, quo ad ea, quæ dicta ſunt, eſt tamen reprehenſibile propter ea, quæ omiſſa ſunt. Vnde dico, fuit enim neceſſe addi tertium modum, quod ſcilicet Dei verbum eſt verbum inſpiratum, hoc enim oportet vti verbi Dei prædicatorem, ſi nõ vult inducere populum in errorem.

Triplex verbum Dei. Incarnatum, Exaratum, Inſpiratum. Priuatum, Publicum.

vnde dico, quod triplex eſt Dei verbum, non ſolum incarnatum, & exaratum, ſed etiam inſpiratum, & hoc eſt geminum, vnum priuatum, aliud publicum. Primò inquam, eſt verbum Dei meritò dicendum & nuncupandum, ſcilicet inſpiratum, priuatum, id eſt, perſonis priuatis, de quibus ait vertex Apoſtolicus: *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt homines Dei.* Et Pſalmiſta: *Audiam, quid loquatur in me Deus*. hinc Apoſtolus, & eius vtilitatem expreſſit, *Omnis doctrina diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*, ſecundo ad Tim. 3. non

2. Petr. 1. Pſalm. 84. 2. Tim. 3.

non ſunt ergò S. Doctorũ ſcripta, quorum prudentiſſima ſcientia explanat ſcripturæ ſecreta, ab aliquo vili pendenda, ſed quaſi à Deo veneranda: quia eſt regula, quod eodem ſpiritu Scriptura ſacra exponitur, quo fuit inſpirata, quod eleganter Apoſtolus oſtendit, dicens: quod Chriſtus ad conſummationẽ Sanctorum dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, & ne ibi crederetur eſſe ſtatus, quaſi aliorum ſcripturæ non eſſent à Deo, ſubdit, *quoſdam verò Doctores*, cuiuſmodi ſunt ſcripturæ ſanctorum Gregorij, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij. Poſt hos beatorum, Bernardi, ſancti Thomæ, & aliorũ multorum, etiam non canonizatorum, quibus procul dubio Spiritus ſanctus aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, quatenus myſticos ſenſus, quibus ſacra Scriptura eſt grauida, aperirent, & ad communem hominum capacitatem redigerent, alioquin quomodo Deus præcepiſſet, Deut. 17. in his, quæ ſunt ambigua & difficilia, refugiendum eſſe ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore? *Et facies, quæcunq; dixerint tibi, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerit te iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam illorum, non declinabis ad dexteram neque ſiniſtram,* vbi continuò ſubiungitur, *qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de domo Iſrael; cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Ideòq; diſt. 15. in cap. *Sancta Romana Eccleſia*, multa ſanctorum Doctorum enumerantur opuſcula, iam per Eccleſiam acceptata, & ſibi ſoli ad iudicandum reſeruata. Et ſubditur, propter Doctores ibi non expreſſos, quod etiam aliorum Doctorum, Patrum orthodoxorum, qui in nullo à ſancto conſortio Romanæ Eccleſiæ deuiarunt, nec ab eius fide & prædicatione

Eodem ſpiritu ſcriptura ſacra exponitur, quo inſpiratur.

Epheſ. 4.

Deut. 17.

Diſt. 15 Sancta Romana, c. 3.

Digitized by Google

catione ſemoti ſunt, ſcripta ſuſcipienda & legenda ſint. Alij autem moderni non canonizati, ad legendum conceduntur, & ad impugnandum etiam à ſingularibus perſonis, ſi in eis aliquid veritati diſſonum reperitur. ſecundùm quem modum beatus Auguſtinus dicta ſua ad aliorum exponebat diſcutientiam, dicens in epiſtola ad Fortunatianum: *Neq; enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominũ, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis hominibus debetur, aliquid in eorũ ſcriptis improbare, atq; reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. nam talis*, inquit, *ego ſum in ſcripturis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.* hæc ille. Eſt ergò verbum Dei verbum inſpiratum, ad prædicandum neceſſarium ſanctis Doctoribus, in ædificationem corporis Chriſti myſtici, quibus ait Dominus. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* vt quilibet talis dicere poſſit, *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meã.* 2. Reg. 23. & hoc de priuato. Ex quibus elicio, quod etiam illud non verè dictum eſt, vbi dicit proponens venerabilis, verbum Dei eſſe tantæ perfectionis, q; nihil poſſit ei addi vel ſubtrahi, quia licet ea explanare, & dubia emergentia determinare, & talibus promittitur merces magna, dicente ſapientia: Qui elucidant me, vitam æternã habebunt, *Eccleſ.* 24. non ergò licet ſubtrahere, id quod eſt neceſſitatis ſcripturæ, ſed licet addere, quod eſt pro eius elucidatione, q; tam pulchrè oſtendit Dominus in expoſitione parabolæ Euangelij præſentis Dominicæ, vbi ſic ait beatus Gregorius: *Eſt quod ſollicitè in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debetis, quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia,*

S. Auguſt. ad Fortunatianũ. Epiſt. 111.

Matth. 10.

2. Reg. 23.

Eccleſ. 24.

Greg. hom. 15.

ſpinas

ſpinas diuitias ſignificare diceremus, ad credendum nobis, forſitan mens veſtra dubitaret. Vnde & idem Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere, quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere in his etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare. Exponendo ergò, quod dixit, figuratè ſe loqui innotuit, quatenus certos vos redderet, cum vobis noſtra fragilitas verborum eius figuras aperiret. hæc ille. Auctoritates in contrarium adductæ intelliguntur, *qui addiderint*, id ſcilicet, quod textũ falſificaret, aut perfidiam ſaperet, prout nuper ſatis declaratum eſt.

Quantum ad aliud verbum inſpiratum, verbum Dei aptiſſimè nominatum, & per omnia verbi Dei prædicatoribus neceſſarium, quod eſt inſpiratum publicum, eſt cuiuſlibet generalis Concilij legitimè congregati ſtatutum & decretum, cuius auctoritatem Dominus ſibi aſſcripſit, dicens collegio Apoſtolorum, *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Lucæ 10. quibus ſuam promiſit aſſiſtentiam, dicens: *Vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, in medio eorum ſum.* quod de congregatione generalium Conciliorum intelligendum exponit beatus Cęleſtinus in epiſtola ad Synodũ tranſmiſſa, vt refert Iſidorus, in libro Conciliorum. Hoc expreſſius idem Saluator noſter inquit, Concilio Apoſtolico promittens in perſona Eccleſiæ, *adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Ioan. 16. & ne hæc credantur dicta perſonis Apoſtolorũ tantùm, ait capitulo 15. *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Ergò ineſt ille Spiritus ſanctus oĩbus congregationibus generaliũ Conciliorũ, & oĩa ibi concluſa ſunt verba Spiritus ſancti, ideòq;

Inſpiratum verbum publicum.

Lucæ 10.

Matth. 18.

Cæleſtinus ep. 7. editionis Romæ.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

 deter-

determinationem ſacri Concilij non ſibi Apoſtoli, ſed Spiritui ſancto attribuerunt. *Placuit*, inquiunt, *Spiritui ſancto & nobis*. Actuum 15. Vnde valdè cauendum eſt, ne ab informatione & ſententia finali huius ſacri Concilij generalis Baſilienſis, in Spiritu ſancto legitimè congregati, quiſquam ſe alienum reddat, ne contra Dei ſententiam videatur recalcitrare, verba Spiritus ſancti abnegare, & à Catholica Eccleſiæ ſanctæ ſe vnione ſeparare. Hæc modica conſcripſi, reſidua conſeruans replicationi, & ſi contingat fraternali confabulationi. vnde concludere pro nunc poſſumus, quod diſtinctionem circa id complexum, *verbum Dei*, minus completè poſuit Proponens, cùm in ædificatione corporis myſtici oporteat, ad minus etiã verbo inſpirato vti. Ideò non ſolum quatuor Concilia prima, ſed & omnia alia à ſanctis inſtituta cuſtodienda & recipienda mandantur & decernuntur, diſtinctione 15. *Sancta Romana Eccleſia*.

Actor. 15.

Diſt. 15. Sancta Romana. c. 3.

Demùm ad ſecundum notabile procedendo ſuper illo complexo, *à ſacerdotibus Domini*, diſtinxit dominus proponens, de ſacerdotibus bonis & malis, poſt multa vitia malorum ſacerdotum enarrata, & quomodo nemo amplius nocet in Eccleſia Dei, quàm ſacerdotes mali; & quia tanta mala enarrauit de malis, & pauciora bona de bonis, dicam ſubſequentia. *Prælati* & presbyteri mali, non ſolùm boni, ſunt magnificè honorandi & reuerendi, ne videantur omninò ſpernendi, quos glorioſus Deus ſibi ſpecialiter elegit ex Gentibus mundi, non ad confortandum eos in malum, ſed magis ad reuocandũ presbyteros malos, & confirmandum bonos, & docendum cunctos, in qua honorifica maieſtate cõſtituit Dominus presbyteros Eccleſiæ. Et primo ex veteri Teſtamento, Genel. 9. vbi dicitur, quod Noë inebriatus dormiuit detectis

Sacerdotes etiam mali honorandi.

Probatur exemplis veteris Teſtamenti, Geneſ. 9.

rectis verendis iacuit in tabernaculo ſuo: quod cùm vidiſſet Cham, non eum texit, ſed duobus fratribus annunciauit. At verò Sem & Iabeth videntes, auertebant facies ſuas. *Quid eſt ergò, quod filij pallio verenda patris ſuperiecto dorſis pallio auerſi veniendo operiunt? Niſi quod bonis ſubditis, ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, vt ab aliis nota occultent? Operimentum auerſa deferunt, quia diiudicantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre, quod tegunt.* Et nota, quod pater expergiſcens ſemen Cham maledixit, ſed duos patrem tegentes benedixit. Hanc maledictionem fugere voluit ſanctiſſimus Imperator Conſtantinus, de quo in Eccleſiaſtica hiſtoria, libro quarto, capitulo 10. dixiſſe narratur. *Si propriis oculis vidiſſem ſacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monaſtico habitu circumamicti ſunt, peccantē, chlamidem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur*: Hoc autem Chriſtus adhuc in vita ſibi partim recompenſauit, quia poſtmodum in bellis feliciſſimus fuit, vt dicit beatus Auguſtinus de ciuitate Dei, lib. 5. Secundò idem expreſsè Dominus præcepit, Exod. 22. *Diis ne detrahes, & principi populi tui non maledices*. Gloſſa, id eſt, *ſacerdotibus & Eccleſiæ Doctoribus, qui populis principantur*, cùm enim omnis detractio pernicioſa ſit, in illos eſt pernicioſior. Tertiò, Deuter. 5. *Honora patrem & matrem tuam, vt longo viuas tempore*. Gloſſa., *Hoc eſt maximum & primum mandatum, in altera tabula, honora, ſcilicet patrem corporalem & ſpiritualem, officio pietatis, & honora ſimiliter matrem, id eſt, Eccleſiam ſanctam*. Quartò, quia Threnor. 4. Hieremias deſtructionis cauſam aſſignans, ait: *Facies ſacerdotum non erubuerunt, neq; ſenum miſerti ſunt*. Gloſſa: *Immò Deum in ſuis ſacerdotibus contempſerunt, nec Deum in his reueriti ſunt, ideò diuiſi ſunt à facie Domini, quia per orbem diſperſi ſunt.* & alia gloſſa. *Nota, quàm terribile ſit ſacerdotes contemnere,*

Greg. in R. 29. cap. 22. Gloſſa ordinaria. Gen. 9

Eccleſiaſt. hiſtoria Theod. lib. 1. c. 11.

II.

Aug. de ciuit. Dei lib. 5. c. 25. Exod. 22. Gloſſa: interlinearis. Ibidem.

III.

Deuter. 5. In vtraq; Gloſſa.

IV.

Threnor. 4. Gloſſa ordin. Ibidem.

nec faciem eorum erubeſcere, id eſt, illis monentibus & videntibus, à ſceleribus non ceſſare.

V. Quintò patet per Dauid, qui quamuis ſciret Saul malum, tamen quia vnctus erat in Regem & conſecratus, & coram populo nondum depoſitus, eundem nunquam grauiter inhonorauit, ſed in ſpelunca, in papilione, & vbiq; pepercit. Vnde gloſſa 1. Regum 24. & eſt venerabilis Bedæ & beati Gregorij, *Quid per Saul, niſi mali rectores? quid per Dauid, niſi boni ſubditi ſignātur? Saul ventrem purgare, eſt prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam, vſq; ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud ſe noxia, factis exterioribus exequendo monſtrare, quem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes præpoſitorum vitam nullo gladio linguæ percutiunt, etiam cum imperfectionem reprehendunt, qui etſi quando propter infirmitatem ſe abſtinere vix poſſunt, extrema quædam, atq; exteriora præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquuntur, & quaſi oram Chlamidis ſilenter incidūnt, quia dum prælati dignitati ſaltem innoxiæ, & latenter derogant, quaſi Regis ſuppoſiti veſtem ſecant. ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; de tenuiſſima verbi laceratione reprehēdant.* Inſuper ex nouo Teſtamento, & primò per Chriſti facta & iuſſa, nam Matth. 8. ſanato à ſe leproſo ait: *vade, oſtende te ſacerdotibus*, quos ſciuit pro tunc peſſimos, *& offer*, inquit, *munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis*, cui gloſſa, *mittit ad ſacerdotes propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferat honorem.*

II. Secundò per illud, Lucæ 17. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Super quo B. Auguſt. libro de Baptiſmo: *Nonne Sodomitæ ethnici erāt Gentiles? peiores ergò Iudæi, quibus Dominus dicit: tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quàm vobis. Et quibus Propheta dixit: iuſtificaſtis Sodomam, id eſt, in comparatione ad vos iuſtificata eſt. Nunquid tamen ideo Sacramenta diuina, quæ apud Iudæos erant, talia, quales erant ipſi, quæ Dominus quoq; ipſe*

1. Reg. 24. Gloſſa ordinaria, in 1. Reg. c. 24.

Item ex noui. Matth. 8. I.

Lucæ 17. Aug. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, l. 6. c. 44. Matt. 10. & 11. Lucæ 10. 1. q. 1. c. Nonne. 37.

ipſe ſuſcepit, & ad ea celebranda leproſos, quos ipſe mundauerat, miſit? & ſequitur. *Eadem Sacramenta & in bonis hõibus illius temporis, erant & in malis peioribus, quàm ſint Ethnici, quandoquidem Sodomitis in malitia prælati ſunt, & tamen illa Sacramenta erant in vtriſq; integra & diuina.* hęc ille. Hoc tertiò expreſſius habetur ex verbo Chriſti, Matt. 23. *Super Cathedrã Moyſi ſederũt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere*. Vbi B. Chryſoſtomus dicit: *Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, ſic & auditores doctrinam ſuſcipiant, & mores relinquant,* Frequenter enim de homine malo procedũt bona. Hoc expreſſius Dominus docuit, qui Iudam multis honoribus decorauit, quamuis enim ſciret, eum eſſe peccatorem, furem & proditorem, imò vocauit eum diabolum. Nihilominus in tantũ eum honorauit, quod poteſtatem dedit ſuper omnia dæmonia, & vt languores curaret, & ante faciem ſuam prædicaret & baptizaret. Hoc ſecundùm beatum Auguſtinum factum eſt, vt diſcamus non contemnere Sanctorum collegia, ſi contingat aliquem malum inter eos reperiri. Nullum eſt, nec vnquã fuit ſanctius collegium, dicit ſanctus Thomas ſuper Ioan. 6. quàm collegium Apoſtolorum, in quo tamen vnus inuentus eſt proditor & latro. Ideò dicit ſanctus Thomas 2. 2. q. 103. art. 2. quod prælati non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundùm quam ſunt Dei miniſtri, & in eis etiam honoratur tota communitas, cui præſunt.

III.

Chryſoſt. ibidẽ in opere imp.

Auguſtinus.

Thomas in c. Ioan. 6. & 3.

Thomas 2. 2. q. 103. a. 2. ad 2

Sunt autem notabiles cauſæ, quare populus Dei multum debet honorare ſacerdotes. Prima, quia eum, qui mundum creauit, ſoli de cœlis adducere queunt, in altari Miſſam celebrando. quia diſcipulis, quos in ſacerdotes conſecrauit Dominus ait in cœna: *Hoc facite in*

I.

Cur populus Dei honorare meritò debeat ſacerdotes. I. Lucæ 22.

II. *meam commemorationem*, Lucæ 22. Secunda, quia eis omnia Sacramenta, & velut medicinas contra omnes animæ morbos principaliter, & ex officio commendauit, quia ſtabellarij Euangelici ſauciati ſoli habent curam, prout

Lucæ 10. de Samaritano tangitur, Lucæ 10. Tertia, quia ſoli ha-

III. bent auctoritatem ligandi & ſoluendi à peccatis, & ab

Matth. 18. excõmunicationibus, ſecundùm illud Matth. 18. *Amen dico vobis, quodcunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in*

IV. *cælo, & quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta & in cælo.* Quarta, quia de orationibus eorum, eò, quod ſunt miniſtri Eccleſiæ, certius eſt, quod efficatiam pro populo & animabus ſortiantur, quia quando, vt miniſtri Eccleſiæ, quidquam faciunt celebrando, vel huiuſmodi, Pontificis vi-

Hebræor. 5. cem gerunt, de quo ad Hebræos 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his, quæ*

V. *ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Quinta, quia in animabus & corporibus per ſeptem ordines diſtinctos, quos quilibet recipit, Deo amplius conſecrati ſunt, & per conſequens diſtinctos characteres ſuper laicos habet impreſſos, propter ſeptem ordines; propter

1. Petr. 2. quod prima Petri ſecundo dicitur: *Vos autem Genus electum, regale ſacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis.*

VI. Sexta, quia lumen Eccleſiæ ſunt & Doctores, de quibus

Matth 5. Matthæi quinto: *Vos eſtis lux mundi & ſal terræ.* Vltima,

VII. quia per manus eorum ſolùm benedicuntur omnia, quæ in cultum Dei habent conſecrari, ſicut Eccleſiæ altaria, veſtes, Euchariſtia, Matrimonium, & ſic de ſimilibus. his ait Domin⁹: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſper-*

Lucæ 10. *nit.* Lucæ 10. Qui ergò ſacerdotes non audit, ſed ſpernit, atq;, vita ſua neglecta, diſcutit nimis ſacerdotum opera, Non mirum, ſi Dominus tales cadere permittit, vt etiam Eccleſiaſtica contemnant Sacramenta, & finaliter infideles

Digitized by Google

deles moriantur, vt deducit B. Gregorius, 1. q. 1. Multi ſecularium. 1. q. 1. Multi. c. 84.

Inter cætera, etiam iſtud Corollarium dominus Vlricus proponens ſubintulit, *Cauſa ruinæ populi ſit maximè ex culpa ſacerdotum malorum.* circa quæ dicta, iſtam propono concluſionem: *Etſi interdum ita contingat, non tamen eſt vniuerſaliter verum, quòd ruina populi cauſa ſit maximè ſacerdotum malorum ex culpa. quinimo ſæpè ex malitia populi, propterea prouenit ſibi ruina, & populi demeritis exigentibus, degenerare permittitur à Deo, * ſacerdotum à bonis moribus.* Hanc probo primò, ſimilitudine. ſecundò, ratione. tertiò, auctoritate. hoc enim pro tanto iudicaui neceſſarium fore, quia non videtur aliud dictum, *Omnis ruina populi prouenit ex malitia clericorum,* niſi quod clericus detur per hoc ad manus gladij laicorum, ne patiantur ruinam propter exceſſus clericorum. Vnde iſtam * ſeditionis volens determinare malitiam, Primò accedo ſimilitudinem hoc modo: Comparamus cum Doctoribus allegorizantibus illum textum, Geneſis primo: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Clerum mundo ſuperiori, id eſt, cœlo cum ſtellis, & reſiduum populum mundo inferiori ſcilicet terræ cum Planetis comparando. vt aptè poſſumus, ex hoc: quod ſicut ſecundùm Philoſophos inferior mundus à cœlo & ſtellis gubernatur, ita tota virtus reſidui populi à clero dependere habet, & auget, atque in vltimum felicitatis finem dirigi. Cum ergò cœtus laicalis ſubordinatus eſt cœtui clericali, inquam ſuo magiſtratui, vt ab illo doctrinis illuminetur, virtutibus roboretur, & fructibus repleatur. Ideò clerus, de quo ſcriptum eſt: *Regale ſacerdotium, genus electum,* congruè, reſpectu

* *forſan: ſacerdotium.*

Non omnis ruina populi à ſacerdotibus malis prouenit. probatur primò ſimilitudine.

* *alias liber melius: ſeditionis.*

reſpectu laicalis populi, cœlum eſt, plenum ſtellis magnis, & paruis, fixis & erraticis. Stellæ maiores, prælatos; minores, ſubditos, quorum quidam comparantur ſtellis fixis, ſicut hi, qui ad certam diœceſim, vel parochiã ſunt limitati, ad illuminandum illos, quibus ipſi ſunt præfecti, vt eos ex alto ſcientiæ illuminent, fructumq; ſalutis fæcundent. Stellis autem erraticis, alij prædicatores per mundum diſcurrentes, ſic enim, qui docti fuerunt, *quaſi* Danielis 12. *ſtellæ erunt in perpetuas æternitates*, Danielis 12. Sicut igitur interdum eſt, non ſemper, quod ſecundùm habitudinem & diſpoſitionem ſtellarum cœli bonam, & malam, alteratur & diſponitur hic inferior mundus conuenienter, vel diſconuenienter; ita ſæpè propter defectus & indebitos reſpectus in inuicem ſtellarum firmamenti, quod eſt allegoricè clerus, variis turbatur moleſtiis inferior populus. verùm, quod ſicut non omnia inferioris mundi incommoda ex influentia ſuperioris proueniunt, ſed ſæpiſſimè ab inferiori, vt ſi iſta inferiora ſuperiorum influxum non recipiunt, vbi & quando deberent, vel ſi per vapores vel nubes ab infrà aſcendentes abſconduntur ſtellæ, & per conſequens debitus earum impeditur influxus, & iſta inferiora: vel ſicut terra & aqua eclipſant lunam, & luna ſolem: ita terreni populi cæcata voluptas & auaritia eclipſant poteſtatem ſecularem, quæ eiſdem vitiis tenebroſa facta, eclipſat ſæpè poteſtatem ſpiritualem. vnde ſecurè aſſero, quod ſicut exorbitantiæ & deordinationes inferiorũ mundi, tam in naturalibus, quàm in moralibus, non ſemper reputandæ ſunt deordinationi curſus ſtellarum, & qui contrarium ſentiunt, magnam cœlo in- *Aug. lib. 5. de ciuita. Dei, c. 1.* iuriam faciunt, vt dicit beatus Auguſtinus libro 5. de ciuitate Dei, capitulo primo, ita nec eſt verum dicere, quod omnis ruina populi proueniat ex inordinationibus cleri, quin-

quin imo ſtaret, clerum eſſe regulariſſimum, & populum deordinatum, ſicut fuit in Eccleſia primitiua, vbi erat clerus ſanctiſſimus, & populus tyrannis plenus. Inſuper à primæuo ita fuit, tempore Moyſis, qui fuit ſacerdos & rector filiorum Iſrael optimus, & tamen populus fuit duriſſimæ ceruicis, & à Domino multipliciter flagellatus, ꝓpter peccata ſua propria, & multo ſæpius fuiſſet, ſi non Moyſes ſeruus Domini, ſtetiſſet in confractione in conſpectu Dei. Inſuper, tempore Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum, qui omnes fuerunt optimi, & peſſimi populi multi. *Pſalm. 105.*

Secundò hoc probatur ratione. Ruinæ populi maximæ proueniunt ex peccatis populi, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* ſed maxima cauſa ruinæ populi eſt malitia ſui liberi arbitrij; cùm nemo ad peccandum poſſit cogi, nec eſt peccatum, niſi in quantum voluntarium, ſaltem actuale, ergò non ſemper cauſa ruinæ populi ſunt ſacerdotes mali; ſed inclinatio in malum liberi ſui arbitrij. Secundò. hæc, quæ ſæpè fiunt diuina promiſſione ex malitia ſpiritus maligni, non ſunt attribuenda clero innocenti, Sed pleræq; ruinæ & plagæ in populis proueniunt diuina permiſſione à ſpiritibus malignis, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.* Tertiò illa delicta non ſunt clero imponenda, quæ committunt populi, & ſufficienter arguuntur per prælatos, nec ab eis ſuſcipiunt talium peccatorum exemplum. ſed infinita peccata committuntur à populis, quorum nullum exemplum vident in ſacerdotibus, imò publicè arguuntur ab eis in ſermonibus, & priuatim in cõfeſſionibus. ergò ſi aliqua patiuntur populi, talis ruina non eſt culpa cleri. Ad hoc

Secundò ratione quadrupliciter. I. *Pſalm. 88.* II. *Pſalm. 77.* III.

eſt experientia. dicimus enim, quod tempore beati Gregorij & Ambroſij, fuit clerus bonus & regulatus, & multi ex eis ſunt ſancti canonizati, & tamen tunc tot fuerunt ruinæ in populis, quod beatus Gregorius in homilia ſecundæ Dominicæ Aduentus, ſcribit omnia ſigna in Euangelio conſcripta de ruinis bellorum, peſtilentiarum, & ſeditionum ante diem iudicij ventura, ſuis in temporibus fuiſſe completa, ergo tales ruinæ non ſunt clero aſſcribendæ.

Greg. homilia ſecundæ Dominicæ Aduentus. 35.

IV. Quartò ſic. Illæ ruinæ non ſunt quocunque modo clero attribuendæ, quæ nec ex populi nec cleri culpa ſciuntur euenire, ſed ſic eſt, quod multa flagella Dei eueniunt multis, non propter cuiuſcunque culpam, ſed Dei gloriam oſtendendam, ſicut cæcus natus fuit, de quo Dominus ait: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ioannis nono. Sic & ſanctus Iob creditur multipliciter flagellatus, non quod ipſe, vel aliquis alius hoc demeruerit, ſed vt patientiæ ſuæ virtus toti mundo innoteſceret, ſecundùm beatum Gregorium, Iob primo. Ergò vt prius.

Iohan. 9.

Greg. in Iob c. 1.

V. Vltimò, ſicut illa, quæ ſæpè proueniunt ex cauſis naturalibus, etiamſi totus mundus eſſet optimus, non ſunt ſacerdotibus permaxime imputanda, ita eſt de ſterilitate terræ, de aëris intempeſtate, peſtilentiarum immenſitate, quæ & ſimilia ſæpè ex cauſis naturalibus proueniunt hominibus: ergò non eſt tutum dicere, omnes ruinas populorum ex culpa ſacerdotum euenire.

Tertiò auctoritate.
Iob 34.
Greg. mor. lib. 25. c. 20.
Oſee 13.

Tertiò hoc probatur auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & primò Iob 34. dicitur: *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Vbi beatus Gregorius Moralium libro 25. dicit: *Alibi quoque per Prophetam dicit: Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*

quid

Digitized by Google

quid ergò nobis illos præeſſe deſpicimus, quorum regimina ſuper nos ex Domini furore ſuſcipimus? ſi autem ſecundùm merita ſubditorum, perſonæ regentium tribuuntur, vt ſæpè, qui boni videntur, accepto regimine, mox mutentur, ſicut de Saule Scriptura exprimit, qui cor cum dignitate mutauit. Cùm, inquit, paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es. quare feciſti ergò malum in oculis Domini? ſic ergò pro qualitate ſubditorum diſponuntur corda rectorum, vt ſæpè pro merito gregis delinquat vita paſtoris. & ſequitur. Denique certum eſt, quod ita ſibi inuicem rectorũ vita connectantur, & plebium, vt ſæpè ex culpa paſtorũ deterior fiat vita plebium, & ſæpè ex vita plebium mutetur vita paſtorũ: Ex quo habetur, quod propter peccata populi quandoque efficiuntur ſacerdotes boni, mali, quia non merentur habere bonos, ſicut malum corpus non meretur habere caput bonum. Cui conformiter loquitur beatus Iſidorus de ſummo bono, libro quarto, capitulo decimo, inquiens: Propheta dicit: dabo tibi regem in furore meo. ex hoc manifeſtè claret, bonam malamq́; poteſtatem à Deo ordinari, ſed bonam Deo propicio, malam irato. Reges quando boni ſunt, muneris eſſe Dei, quando verò mali, ſceleris eſſe populi. nam ſecundùm merita plebium diſponitur vita rectorũ. iraſcente enim Deo talem rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato meruerunt. nonnunquam etiam pro malitia plebis Reges mutantur, & qui ante videbantur boni, accepto regno, fiunt iniqui. Et libro tertio, capitulo trigeſimo nono, dicit: Pro merito plebium diſponitur à Deo vita rectorũ exemplo Dauid peccantis in comparatione principum, qui ex merito plebis præuaricantur. Hæc ille. Beatus Hieronymus octaua quæſt. 1. audacter forſitan aliquid dicimus, tamen quod ſcriptum eſt dicimus, non ſemper princeps populi & eccleſiæ per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt, ſi mali ſunt actus noſtri, & operamur mali-

[Margin notes: 1. Reg. 15. — Iſidorus. — 8. q. 1. c. Audacter. 18. Non eſt Hieron. ſed Origen. ho. 4. in lib. Iudic.]

malignũ in conſpectu Domini; dantur nobis principes ſecundùm cor noſtrum. & hoc tibi de ſcripturis probabo. audi namque, quod Dominus dicit: fecerunt ſibi Regem, & non per me principem, & non per conſilium meum. & hoc videtur dictum de Saule, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat: ſed quoniam non ſecundùm Dei voluntatem, ſed ſecundùm populi peccatoris meritum fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum. tale ergò aliquid intelligimus etiam in Eccleſiis fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo aut in opere potens à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ datur iudex, ſub quo famem & ſitim populus patiatur: hæc ille. Ecce quàm lucidè claret, quod non omne malum ruinę populorum ex culpa proueniat ſacerdotum malorum. Per hoc patere poteſt, quid reſpondendum ſit ad auctoritates per dominum opponentem inductas, & multas ſimiles, ſcilicet Bedæ ſuper Matth. 21. dicentis: Quod ideò Dominus de templo eiecit vendentes, quia cauſa ruinæ populi maximè fuit ſacerdotum culpa. Ad idem allegauit Gregorium dicentem ibidem. Similiter audiſtis iam mentem beati Gregorij, & ita poſſim de aliis exemplificare. Nunquam fuit mens beati Gregorij, quod omnes ruinæ populi eſſent ex culpa cleri, ſicut nec dominus proponens vniuerſaliter, ſed indefinitè tantùm poſuit, & tanto cautius. Quia tamē nonnunquam ſimplices audientes, neſcientes inter vniuerſale & particulare diſtinguere, ſeducuntur; ideò ſciendum, quod modus loquendi Doctorum eſt, quod ſicut ſæpè in ſcripturis pars ſumitur pro toto, & è conuerſo, ita & in propoſito, quando dicitur maximè, id eſt, ſæpè, & pro magna parte, ſicut etiam communiter ſumi ſolet, ſemper pro frequenter, & cauſa pro occaſione: quæ tamen occaſio non eſt cauſa, niſi per accidens.

Eſt er-

Digitized by Google

Eſt ergò fideliter credendum, quod ſicut ſæpè ruinæ populi proueniunt ex culpis cleri, ita è conuerſo, ſæpè ruinæ cleri proueniunt ex culpis populi. huius diſtinctionem ſolus nouit, qui omnes ſimiliter clerũ & populum iudicabit, qui eſt diſcretor meritorum, & diſtributor mercedum vnicuiq; prout geſſit in corpore. Ceſſet ergò prouerbium iſtud in Iſrael: *Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, quoniam filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij, ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Ezechielis 18. Hæc de primo.

2. Cor. 5.

Ezech. 18.

Conſequenter dominus proponens Ioannem Hus extollit præconiis multis. ad hoc dico, quod nõ propter virtutes ſuas, nec propter hoc, quod Simoniacam hæreſim deteſtatus eſt, vt proponens dicit, ſed propter errores multos, quorum quoſdam per ſe faſſus eſt, quoſdam in ſuis tractatulis conſcripſit, quoſdam proborum teſtimonio conuictus eſt. Vnde non de bono opere, ſed propter blaſphemiam iudicatus eſt, de quo heri ſatis dictum eſt. ideò ſuperſedeo. Ego autem nunc volens baſim & fundamentum omnium dicendorum de materia prædictorum ſacerdotum ponere, Pono aliud, & eſt iſtud notabile ſuper eodem complexo, de ſacerdotibus Domini, ſcilicet quod ſunt duplices ſacerdotes Domini, ſiue boni ſint, ſiue mali. Aliqui curati, alij non curati. Et ſoli curati habent ordinariè verbum Dei prędicare poſt pręlatos maiores, ſcilicet Epiſcopos. Alij non curati, non tenentur, nec debent prædicare verbum Dei, niſi ex ſpeciali licentia prælati. Pro cuius deductione, duo ſunt notanda. Primum de ſcientia in quolibet presbytero requiſita, & ſi reperiremus, quod minor ſufficit ſacerdoti ad ſacerdotium, quàm ad prædicandum requiratur, habeo propoſitum. Secundum de originali ſucceſſione presbyterorum,

Sacerdotes curati & non curati.

Minor ſciẽtia ſufficit ſacerdoti ad ſacerdotium, quàm ad curam animarum.

Digitized by Google

terorum, qui ſcilicet ſuccedant ordinariis primis prædicatoribus, quorum fuit officium per verbi Dei prædicationem illuminare mundum. ſicut Apoſtoli & 72. Diſcipuli.

Quantum ad primum nota verba ſancti Thomæ, in quarto Sententiarum, diſtinctione 23. in quæſtione tertia, quanta ſcientia requiratur in ordinando, in reſponſione ad primum articulum, ſcilicet ad auctoritatē Malachiæ ſecundo: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de manu eius requirant*, oſtendere volens, de quibus ſacerdotibus hæc verba intelligantur, dicit de curatis tantùm. *Sacerdos*, inquiens, *habet duos actus, vnum principalem ſuper corpus Chriſti verum, & alium ſecundarium ſuper corpus Chriſti myſticum, & ſecundus actus dependet à primo, ſed non conuertitur, & ideò aliqui ad ſacerdotium promouentur, quibus primus actus tantùm committitur, ſicut religioſi, quibus animarum cura non committitur, & à talium ore non requiritur lex, ſed ſolùm, quod Sacramenta conficiant, & ideò talibus ſufficit, ſi tantùm de ſcientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum ſpectant, ritè perficere poſſint, ſicut in vitis patrum, multi ſimpliciſſimi presbyteri leguntur fuiſſe, qui vitæ erant ſanctiſſimæ. Alij autem promouentur ad alium actum, qui eſt ſuper corpus Chriſti myſticum, & à talium ore populus legem requirit. vnde in illis ſcientia legis eſſe debet, non quidem, vt ſciant omnes difficiles quæſtiones legis: quia in his debet recurſus ad ſuperiores fieri, ſed ſciant ea, quæ populus tenetur ſcire vel credere de lege: ſed ad ſuperiores ſacerdotes, ſcilicet Epiſcopos, pertinet, vt etiam ad ea, quæ difficultatem in lege facere poſſint, ſciant, & tanto magis, quantum in gradu altiori collocantur.* hæc ille. Ad eandem concordat ſententiam dominus Albertus Magnus, eadem diſtinctione; dicens: *Diſtinguendum videtur mibi in ordinandis, quidam enim ordines ſumunt ex ſola deuotione, vt monachi,*

Albertus Magnus.

nabi, & alij quidam religioſi. Alij recipiunt ordines, vt in illis miniſtrent populo, verba, Sacramenta miniſtrando ſeu diſpenſando, vt religioſi quidam, & illi, qui ſunt intitulati ad curam animarum. De primis diſtinguendum puto, aut enim habent curam animarum, in ſuis ordinibus, vt Abbates & Confeſſores, ab Abbatibus conſtituti, aut non habent, nec habebunt. ſi habent, idem iudicium videtur de eis, quod de aliis habentibus curam animarum: ſi autem non habent, vt hi, qui cauſa deuotionis tantùm ordinem ſuſcipiunt, videtur mihi, quod non teneantur, niſi vt ſciant pronunciationem Pſalmorum, & lectionum, & illorum diſtinctiones, quæ ex ſcientia Grammaticæ addiſcuntur. Si autem officium docendi ſuſcipiunt, ex beneficio, vt clerici intitulati, vel ex profeſſione, vt quidam religioſi, dicendum videtur, quod tenentur plura ſcire, & ea credo eſſe, quæ groſſè ſunt exponenda populo in fide & moribus, quæ rudimenta Chriſtianæ fidei vocantur, & vt in aliis determinent caſus, & quæſtiones ſecundùm conſilia ſuperiorum. Vnde omnes, inquit, *auctoritates inductas in contrarium, inter quas etiam eſt illa iam allegata*, Malachiæ ſecundo, *intellige de huiuſmodi ordinatis, & quantum ad huiuſmodi ſcientiam, ſcilicet diſcernendi, quid mortale, & quid veniale, in quibus, & qui articuli ſolemnizati ab Eccleſia, & cætera talia: Et ad alia, meo iudicio, non tenetur, niſi ſit in altiori gradu conſtitutus.* hæc Albertus. Concordat his Oſtienſis, libro primo, Rubrica ſecunda, de tempore ordinand. capite quarto & cui ſub §. quarta, regula, vbi in ſumma ſatis etiam videtur comcordare Raymundus paragrapho vltimo, in ſumma, & multi ſunt alij ad idem ſcribentes, quorum dicta omitto hîc conſcribere breuitatis gratia, & ob huius diſtinctionis cauſam æſtimo inoleuiſſe hanc conſuetudinem, quæ in antiquiſſimis Eccleſiis obſeruatur, ſicut in Eccleſia Treuerenſi, in qua, quicunque debet promoueri ad gradum ſacer-

Malach. 2.

Oſtienſis.

Raymundus.

Digitized by Google

ſacerdotalem, fertur, ſi non habet beneficium curatum, promittit. Hoc etiam habet communis practica Eccleſiæ, quod ſi vnquam beneficium curatum adipiſcitur, ſe de nouo ad examen manifeſtare ſeu præſentare, quia oportet ipſum ex tunc populo prædicare, & ſacramenta miniſtrare, ad quod prius non fuit obligatus, & de iſtis ſacerdotibus, ſic ad curam animarum ordinatis, dicit Canon, *Ignorantia*, diſtinct. 38. *Ignorantia mater cunctorũ malorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis Dei ſuſceperunt.* non loquitur ergò, niſi tantùm de curatis, quod oſtendit capitulũ ſequens, ex Concilio Toletano, dicens: *Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialẽ à ſuo ſacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant*, & eſt libellus officiorum in quo officium presbyteri officiandi, baptizandi, & Sacramenta miniſtrandi continetur, vt dicit gloſſa ibidem. Et ſic patet primum, ſcilicet quod minor ſcientia requiritur ad ſacerdotium, quàm ad prædicandum, ergò non omnes ſacerdotes ſunt obligati, ſub præcepto Domini, prædicare verbum Dei. Sequitur etiam, quod non niſi curati, vel ex profeſſione religionis obligati tenentur prædicare ordinariè verbum Dei.

Diſtinct. 38. c. Ignorantia. I.

Diſt. 38. c. Quãdo. II.

Libellus officialis quid?

Quantum ad ſecundum, ſcilicet quomodo hoc pateat ex originali ſucceſſione presbyterorũ, dico, quod ſicut ſoli Pontifices vel Epiſcopi ſunt ordinarij ſucceſſores Apoſtolorum, quanquam ſunt multi alij prælati in Eccleſia Dei, ita ſoli presbyteri curati ſuccedunt 72. diſcipulis Domini, quanquam ſint multi alij presbyteri, & diaconi. Iſtud patet originaliter ex gloſſa Lucæ 10. vbi dicitur ſic: *Sicut in Apoſtolis præceſſit forma Epiſcoporum, ita in 72. Diſcipulis figura relucet minorum presbyterorum*, hoc ſecundariò claret diſtinction. 21. in nouo, vbi ſic dicitur: *Viden-*

Diſt. 21. In nouo, c. 2.

Digitized by Google

Videntes Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum meßis, vt mittat operarios in meſſem. Vnde ab eis electi ſunt 72. Diſcipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atq; in eorũ loca ſunt conſtituti in Eccleſia. de quibus ſacerdotibus hoc intelligatur, ibidem exprimitur in capitulo præcedenti decreti. vbi dicitur ſic: *Simpliciter verò maiorum, & minorum ſacerdotum diſcretio in nouo Teſtamento ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui duodecim Apoſtolos tanquam maiores ſacerdotes, & 72. Diſcipulos, quaſi minores ſacerdotes inſtituit, ita quod veri paſtores ſunt tantum Epiſcopi, ſed plebani ſunt paſtores ſubſtituti, ac cooperatores inſtituti.* Itẽ dicit venerabilis Doctor frater Auguſtinus de Ancona, in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, c. 104. articulo primo, quod ſoli curati qui vocantur ſecundi ordines presbyteri ſuccedunt 72. Diſcipulis Domini, non quod ſit per omnia ſimilitudo, ſed inter multas differentias quatuor reperio eorum cõuenientias. *P*rima eſt in poteſtate Domini. acceperunt enim Diſcipuli à Chriſto poteſtatis dominium, quando dictum eſt eis, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*, ac ſi diceret, dedi vobis poteſtatem eiiciendi omne genus immundorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus. & hoc ne putaretur eſſe dictum de beſtiis, vt exponit beatus Chryſoſtomus. Iſtud autẽ repræſentant presbyteri curati in Sacramentorum adminiſtratione, vbi, & per quæ dæmones ſeu ſerpentes, id eſt, peccata expelluntur à pœnitentibus. Secundò in adminiſtrationis officio, quod 72. Diſcipuli receperunt, quando dictum eſt eis: *In quamcunq; domum intraueritis, primùm dicite: pax huic domui*, quia enim bonorum omnium pax mater eſt, ſine qua cætera inania ſunt. Ideò Chriſtus miſit diſcipulos pacem primò offerre tanquã bonorum omnium

c. præcedenti.

Aug. de Ancona, de poteſtate Eccleſ. c. 104.

Lucæ. 10.

Curati ſuccedunt 72. Diſcipulis.

initium, quorum miniſtros eos faciebat, vt dicit beatus Chryſoſtomus: hoc autem repræſentant curati preſbyteri in Euangelij ſancti prædicatione, in qua primò numeranda eſt pax, iuxta illud, ad Romanos decimo. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Tertiò, in charitatis vinculo, quod 72. receperunt, quando bini miſſi ſunt in omnem ciuitatem & locum, in ſignum, quod qui charitatem Dei & proximi non habent, officium prædicationis nullatenus aſſumere debent. vt Beatus Gregorius exponit. Iſtud totum repræſentant preſbyteri in plebis curæ receptione, pro qua ipſam animam & vitam propriam tenentur exponere. Vltimò in honoris præconio, quod 72. Diſcipuli receperunt, dum reuerſi cum gaudio dixerunt: *Domine, etiā dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* vt dicit gloſſa, Gaudebant enim, quòd quaſi ſublimes effecti terribiles dæmonibus & hominibus erant, hoc autem repræſentant preſbyteri, in ſubditorum iuriſdictione, à quibus, ſi benè præſunt eis, digni duplici honore debent haberi, vt dicit Apoſtolus, primo ad Timotheum quinto. Repræſentant ergò Diſcipulos Chriſti Domini ſacerdotes curati hoc modo, quamuis etiam ſit diſſimilitudo, quia iſti non poſſunt facere miracula, ſicut illi, nec habebant determinatas parochias, ſicut iſti, ſed prædicabant in omni loco, quo erat Chriſtus venturus, Lucæ decimo. Ex quo iterum ſic arguo. Illis tantùm conuenit ex officio ordinariè prædicare, qui ſuccedunt Apoſtolis, & ſeptuaginta duobus Diſcipulis, ſed nulli eis ſuccedunt, niſi tantùm Epiſcopi & curati, ergò diaconis & preſbyteris non curatis, non conuenit vllo præcepto Domini actus prædicationis. Et tantùm de notabili ſecundo, permaximè in hac materia oportuno. Ex iſto ſequitur,

quod

Digitized by Google

quod totum fundamentum veſtrum eſt debile, & à veritate arenoſum, vbi dixiſtis, ſuper notabili, liberè, quod libertas prædicandi confertur à Domino cuilibet diacono & presbytero, per miniſterium Epiſcopi in ſua ordinatione, & quod tale officium debent liberè exequi, irrequiſitis, imò nolentibus prælatis. patet ex iam dictis, luce meridiana clarius. *Et* iſtud probo ſic limpidius. Omne, quod confertur presbytero in collatione ſacri Ordinis, eſt aut ratione characteris, aut auctoritate clauium, ſed neutrùm eorum dat presbytero libertatem actus prædicandi, niſi habeat curam commiſſi populi, ergò non conuenit ſibi prædicare, ratione accepti ordinis, per miniſterium Epiſcopi. Aſſumptum declaratur pro maiori, quia ſecundùm omnium Theologorum ſcholam in ſacerdotio non confertur, niſi duplex poteſtas, vna ſuper Corpus Chriſti verum illud ad conficiendum, & hoc virtute characteris ſacerdotalis. Alia ſuper corpus Chriſti myſticum, quæ eſt poteſtas clauium, ſcilicet potentia ligandi & ſoluendi, & ſcientia diſcernendi inter lepram & lepram, quæ ſcientia non dicit nouum habitum, ſed auctoritatem diſcernendi in foro conſcientiæ, quam prius non habuit, & executionem vtriuſq; non habet, niſi materiam aptam, & ſibi miniſtratam accipiat. Vnde ſicut cæteri presbyteri non poſſent miſſam celebrare, ſi hoſtiam aptam, quaſi materiam requiſitam, non haberent, ita nec poſſunt abſoluere, vel ligare, niſi populum ſibi commiſſum, id eſt, materiam requiſitam, accipiant. Nam omnis actio hominum ſeu naturalis, ſicut requirit potentiam, qua fiat, ita requirit materiam in qua fiat. non plus legi ego conferri presbytero, per Epi miniſteriū in collatione characteris & clauium ſacerdotaliū. Et ſic patet maior. Minor ꝓbatur de

Digitized by Google

vtroq́. & primò, quod non virtute clauium: quia, vt dictum eſt, virtus clauium ſacerdotij eſt in ligando, ſoluendo & diſcernendo in foro conſcientiæ. ſed hîc nulla fit mentio de prædicatione. ergò non poteſt ritè dici, quod ratione ſacerdotij habeat libertatem prædicandi. Secundò nec ratione characteris, quod patet ex deſcriptione eius, quæ eſt triplex, vt communiter allegatur circa quartum Sententiarum, diſtinctione quarta. Prima eſt; *Character eſt ſignum diſtinctiuum, quo quis ab aliis diuiditur, & ad aliquod ſpirituale dandum vel ſuſcipiendum deputatur:* Secunda eſt: *Character eſt ſignum ſacrum communionis fidei, & poteſtatis diuinorum, & ſacræ ordinationis fidelium, datum à diuina beatitudine.* Tertia eſt: *Character eſt diſtinctio à charactere æterno impreſſa animæ rationali ſecundùm imaginem, conſignans trinitatem creatam, trinitati creanti, & recreanti, & diſtinguens à non figuratis ſecundùm ſtatum fidei.* & conſtat diligenter intuenti, ſingulas particulas harum deſcriptionum, quod nulla earum importat prędicandi actum liberè, ergò ratione characteris, vt character eſt, nullus habet auctoritatem exercendi actum prædicationis. Confirmatur. Apoſtoli in cœna Domini virtute characteris ex conſecratione ſacerdotali non receperunt poteſtatē liberè prædicandi, ergò nec modò presbyteri illam recipiunt ratione Epiſcopalis miniſterij. Tenet conſequentia, quia in cœna Domini fuerunt conſecrati in presbyteros, per illa verba, *hoc facite in meam cōmemorationem*, & receperunt characterem ſacerdotalem, ſed in die *P*aſchæ pòſt dedit eis poteſtatem prædicandi, dicens: *Sicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos*, Ioan. 20. *Et* dicit ſanctus Thomas, quod in illa cœna non dedit eis Dominus niſi actum principalem ſacerdotij, ſcilicet conficiendi corpus Chriſti verum. ſed pòſt in die Reſurrectionis ſuperaddidit

Character quid?

Apoſtoli quãdo facti ſunt ſacerdotes.

addidit aliam poteſtatem, ſcilicet ligandi & ſoluendi, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. In quarto Sententiarum, diſtinctione 23. vbi vult Scotus, quod fortè propter has diſtinctas poteſtates characteris & clauium adhuc hodie imprimatur ſacerdotibus duplex character. vnus, quando Epiſcopus dat ſibi calicem cum patena, hic dicitur character ordinis. Alius, quando Epiſcopus imponit ſacerdoti manus, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum.* qui diceretur character clauis, nuſquam autem legitur, quod imprimatur aliquis aliquis alius character, virtute cuius ſibi conferatur libertas vbiq; prædicandi. & de his habemus poſtea clarius & prolixi' in Corollario articuli principalis, quod eſt primum in ordine Corollariorum. & tantùm de notabili ſecundo.

Thom. 4. ſent. diſt. 24. q. 2. a. 3 ad 2.

Scotus 4. ſent. diſt. 24.

Circa tertium notabile domini proponentis, ſuper illo verbo, *debet,* dixit proponens debere capi præceptiuè, ita quod ex præcepto Domini ſacerdotes eſſent obligati prædicare verbum Dei, de quo pòſt videbitur in materia principali, quæ eſt materia articuli. ibi etiam notauit vnum ſilentio non prætereundum, ſcilicet quod hæc eſſet differentia inter præceptũ & conſilium, quod præceptum Dei eſt doctrina ſeu ſtatutum obligans hominem, ſub pœna peccati mortalis. Conſilium autem Dei eſt doctrina ſpecialis, ſolùm obligans ſub pœna peccati venialis. Iſtud reſtat impugnandum, quo ad ſecundam partem, quia à veritate eſt omninò deuium, & dico ſecurè, quod non obſeruantia conſiliorum diuinorum in Euangelio conſcriptorum, ea ratione, qua conſilia ſunt, nullum obligat ad peccatum veniale, niſi tantùm eum, qui ſeruare vouit, quia illi deinceps non ſunt conſilia, ſed vota, quorum transgreſſio non eſt venialis, ſed

Tertium notabile aduerſarij.

Conſilia non obligant ad veniale, vt vult aduerſarium.

Digitized by Google

Aug. in Pſ. 75. mortalis culpa, iuxta illud Pſalmiſtæ: *vouete, & reddite.* Gloſſa beati Auguſtini, *vouere eſt voluntatis, ſed reddere neceſſitatis.* Et dixi notanter, quod tranſgreſſio conſiliorum, vt conſilia ſunt, non obligat, cum talia ſub certo modo intellecta, non ſint conſilia, ſed præcepta, & ſic eorum tranſgreſſio eſt mortalis, non venialis culpa. Ponamus ſub exemplo. nam conſilium ex Matth. 5.

Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros,* iſtud eſt præceptum quantū ad dilectionis affectum, ſed quantū ad dilectionis effectus eſt conſilium, quia inimico velle gratiam & gloriam neceſſitatis & præcepti eſt, ſed oſtendere illis ſigna beneuolentiæ, hoc perfectionis & conſilij eſt. Vnde ad hoc non omnes tenentur. Inſuper illud: *Si quis percuſſerit te ad vnam maxillam: præbe ei aliam,* eſt conſilium quo ad exteriorem exhibitionem, ſed præceptum eſt quo ad interiorem animi præparationem, vt ſcilicet homo paratus ſit ſuſtinere patienter, & alteram percuſſionem, ſi cedere hoc crederet in bonum. Præterea corrigere fratrem delinquentem, eſt conſilium, ſi frater peccet venialiter, ſed eſt præceptum, ſi peccet mortaliter, & vbi ſpes ſit de eius emendatione, & ita de aliis multis, cæteris circumſtantiis ſaluis. Tunc propoſitum oſtenditur falſum primò auctoritatibus, ſecundò rationibus. & primò auctoritatibus. dicit enim Hieronymus contra Iouinianum,

14. q. 1. c. Quiſquis, 3. 14. quæſtione prima: *quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, neceſſe eſt fieri, ſi non fiat, pœnam habet; vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt,* ergò ſi in pura arbitrij libertate conſiſtit conſilium, non obſeruantia, nullum erit peccatum. Secundò auctoritate ſacri generalis Concilij Carthaginenſis quarti dicitur: *Conſilia Domini non*

14. q. Epiſcopus c. 1. *præcipientis, ſed exhortantis ſunt:* exponendo illud Euangelium: Si quis vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et habetur ibidem capitulo: *Epiſcopus.* Tertiò,

auctο-

Digitized by Google

auctoritate per proponentem allegata in capitulo, *Quod debetur*. Vbi dicit beatus Auguſtinus: *Præcepto Domini non obtemperare, peccatum eſt, & conſilio ſi vti nolueris, minus boni adipiſcens, non mali quidquam vel aliquid perpetrabis*. Vbi expreſſe innuitur ex beato Auguſtino, quod aliquid mali non perpetrat, qui conſilia Domini non ſeruat, ergò nec venialiter peccat, cùm venialiter peccare ſit aliquid mali perpetrare. Quartò, ex poſitione Archidiaconi, qui dicit ibidem, quod eſt duplex conſilium. Primum eſt conſilium reuerentiæ, & qui hoc non recipit, peccat. ſexta diſtinctione, c. *Teſtamentum*. ſicut conſulebatur in veteri Teſtamento, quod pollutus niſi aqua lotus fuerit, ei vſq; ad veſperam Eccleſiam intrare non permittebatur, & ſic nunc de pollutione dicit, quod aliquando à celebratione cogit abſtinere, quod cadit ſub conſilio reuerentiæ, quam ad Sacramentum homo debet habere. Aliud eſt conſilium, inquit, perfectionis, cui licet non pareatur, non eſt peccatum. ergò ſecundùm Archidiaconum non ſeruare conſilia, quæ ſunt perfectionis exhortamenta, non eſt aliqua culpa. Quintò, eſt ad idem Hugutius, qui dicit ibidem, hanc eſſe differentiam inter præceptũ & mandatum, quia mandatum tenet medium inter conſilium & præceptum, in hoc quod mandatũ eſt vltra conſilium & citra præceptum, mandatum enim cogit ſicut præceptum, & peccatur, ſi non impletur. & hoc, inquit, differt mandatum à conſilio, ita quod ſi conſilium non impletur, nec peccatur. Ergò nec venialiter, cum veniale peccatum ſit vtiq; peccatum.

Aug. lib. 19. cõt. Fauſtum. c. 25. 14. q. 1. c. 2. Quod debetur.

Diſt. 6. c. Teſtamentum. 2.

Conſilium reuerentiæ. Perfectionis.

Ex his duobus elicio primum, inter pręceptũ & conſilium eſſe multiplicẽ diſtinctionem. Secundum, non ſeruare conſilia non obligat fideles ad veniale peccatum. Quantũ ad primum. prima diſtinctio eſt ꝙ conſilium eſt perſuaſio boni melioris, ad ꝙ non tenẽtur Chriſtiani, niſi velint

Diſtinctio præcepti & conſilii.

1.

velint, ſed præceptum eſt obligatio boni neceſſarij, ad quod ſinguli obligantur, etiam ſi nolint. Vnde ſeruare Dei præcepta cunctis eſt neceſſitatis; ſeruare conſilia,
II. eſt puræ voluntatis, id eſt, libertatis. Secunda, quia conſilia pertinent ad perfectos; præcepta ad perficiendos,
III. ſed permiſſio ad imperfectos ſeu infirmos. Tertia, præcepta ſeparant nos ab illicitis, ſed conſilia à conceſſis.
IV. Quarta, per præcepta declinamus à peccato, per conſilia ab occaſione peccandi.
V. Quinta, per præcepta maximè negatiua, pœnam fugimus, ſed per conſilia, * præmia annullamus.

Conſilia, qui non ſequitur, præmia conſiliorum non aſſequitur.

VI. Sexta, ad præcepta conſtringimur ex debito, ad conſilia non niſi ex voto. Septima, præceptum nunquam fit conſilium, ſed conſilium per votum fit præceptum.
VII. VIII. Octaua, præcepta data ſunt ad conſequendum finem beatitudinis, Sed conſilia ad expeditiùs conſequendum illum finem. Vnde præcepta ordinant ad finem: ſed conſilia ſunt quaſi media aptiſſima ad conſequendum illum finem, ſicut equum aſcendere, eſt aptius medium perueniendi ad terminum, quàm peditare.
IX. Nona, præcepta ſunt omnibus expedientia, ſed conſilia non, ꝓpter indiſpoſitionẽ aliquorum, quia eorum affectus ad ea non inclinatur. Et ideò dominus conſilia Euangelica proponens, ſemper facit mentionem de idoneitate & voluntate hominũ, ad obſeruantiam conſiliorum. Dans enim conſilium perpetuæ paupertatis, Matth. 19. præmittit: *Si vis perfectus eſſe*, (Matth. 19.) & tunc ſubdit, *vade, & vende omnia*. ſimiliter dans conſilium perpetuæ caſtitatis, cùm dixit: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerint propter regnum cælorum.* Statim ſubdit: *Qui poteſt capere, capiat.* Et ſimiliter Apoſtolus, 1. ad Cor. 7. (1. Cor. 7.) præmiſſo conſilio ſuggerens, dicit: *Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam.* & ita patet diſtinctio

ſtinctio inter conſilia & præcepta Euangelica.

Ex his ſequitur ſtatim ſecundum, ſcilicet quod non obſeruantia conſiliorum non obligat fideles ad veniale peccatum. quod probatur ex tribus. Primò, quia ſecundùm omnes Doctores, peccatum veniale obligat facientem ad aliquam pœnam, in præſenti vel futuro perſoluendam, licet non ſit grauis, & cito ſoluta, ſed non obſeruantia conſiliorum ab his, qui non vouerunt, nullum obligat ad quamcunq; pœnam in præſenti aut futuro ſuſtinendam, quia illam nec pœnitentiarij iniungunt, nec non obſeruantes conſilia, talem pœnam ſoluunt, ergò non videtur eos incurrere talem culpam venialem. patet aſſumptum, quia peccatum veniale dicitur id, quod aliqua venia indiget ſeu indulgentia, ſed non obſeruantia conſiliorum non indiget venia, cùm nihil mali actum ſit, vt dictum eſt, ergò vt prius. Secundò, hoc illud, quod eſt in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad eligendum vel reſpuendum, ſub quacunq; ſpecie peccati, imò poteſt libere hoc acceptare, vel non acceptare. Sed ſic eſt de cõſiliis Euangelicis, ergò ſi nõ acceptantur, nullum peccatum incurritur. Tertiò ſic. id, ad quod nemo obligatur, niſi ex voto proprio, ſi non facit, nullo modo peccat. ſed ad conſiliorum obſeruantiam nullus obligatur, niſi qui vouit, vt dictum eſt, ergo qui talia non ſeruat conſilia, nullo modo peccat. Pro quo ſciendum, quod iſtud valde periculoſum eſt dicere propter quatuor præcipuè, primò ſi non obſeruantia conſiliorum obligaret ad peccatum veniale, & peccatum veniale ad aliquam pœnam licet modicam, peccatum veniale ſecundum obligaret ad duplam pœnam; tertium ad triplam; & ſic deinceps. Sed valde graue eſſet omnibus fidelibus, qui conſilia non ſeruant, nec vnquam ſeruare propo-

I. (beside "peccatum. quod probatur ex tribus")
II. (beside "ſit, vt dictum eſt, ergò vt prius")
III. (beside "nullum peccatum incurritur")
I. (beside "or præcipuè, primò")

nunt, quod toties peccatum veniale incurrerent, quia grauem,& diutinam pœnam finaliter ſoluerent. ergò nõ eſt veriſimile, quod non obſeruantia conſiliorũ inducat

II. veniale peccatum. Secundò, quia veniale peccatũ vltra hoc multiplicia incõmoda animę affert. nam primò animam maculat, quod ſic intelligendum eſt, ſi ſit imago aliqua depicta, aliquando denigratur, vt videri non poſſit, aliquando verò obſcuratur, vt videri quidem poſſit, ſed non plenè diſcerni. Et ideò propter talem denigrationem dicit beatus Gregori9, quod veniale obſcurat, mortale denigrat. De quo etiam beatus Auguſtinus, in libro de pœnitentia ait: *Peccata venialia, ſi multiplicentur, decorem noſtrum ita exterminant, vt à cœleſtis ſponſi amplexibus nos ſeparent*, q exponit beatus Thomas, prima ſecundæ, quæſtione 89. articulo primo, quod hoc verum eſt diſpoſitiuè, in caſu, vbi multa venialia diſponunt ad mortale. Secundus effectus eſt, q venialia peccata imminuunt feruorem charitatis, ſicut aqua in ignem proiecta, licet ignem non extinguat, tamen feruorem illius minuit. Tertius eſt, quod potentias animæ in operibus bonis laſſat, ſicut quando ponitur onus ſuper equum, licet non ſuccumbat, tamen eſt minus promptus ad ambulandum. Quartus, quod retardat ad gloriam, quia homo, qui deberet & poſſet ſtatim poſt mortem euolare, cogetur ad tempus propter venialia in purgatorio ſtare. Quis vnquam tantæ crudelitatis eſſet, quod omnes has pœnalitates vellet cuilibet, qui conſilia non ſeruaret,

III. infligere? Inſuper tertiò, quia omnium Doctorum hæc veritas eſt, vt prædixi, quod præbere alteram maxillam eſt conſiliũ, & tamen Chriſtus hoc non fecit, ergò Chriſtus venialiter peccaſſet, contra illud Euangelij: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioannis octauo, *qui peccatum non fecit,*

B. Greg. citatur à S. Thoma, diſt. 16. lib. 4. q. 2. a. 2. ad 3.

Aug. de pœn. cap. 2. & ſerm. 41. de Sanctis.

Thomas 1. 2. art. 1. q. 89.

Ioan. 8.

ſonis, prima Petri ſecundo. finaliter quartò ex eo, quod IV.
ſicut ad remiſſionem peccati mortalis exigitur deſertio actus peccandi, cum voluntate in poſterum abſtinendi, ſic quoque peccatum veniale in præſenti factum, non dimittitur, niſi actu & propoſito deſeratur. Conſtat autem, quod non obſeruantes conſilia, vt frequenter, nec actu recipiunt, nec ꝓpoſito intendunt ſeruare ea. Ergò talibus illa peccata venialia nunꝗ remitterentur in præſenti vita, ſed reſtaret longa & acerba pœna à talibus hominibus poſt hanc vitam ſuſtinenda, quod negat omnis, & tota Theologorum ſchola, quia de conſiliis Apoſtolus loquens, ait, vt prædictum eſt, *hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam*, prima ad Corinthios ſeptimo. Ex his patet reſponſio ad ea, quæ Proponens allegauit. 14. quæſtione prima, *quod debetur*, non habetur ibi quod tranſgrediens conſilium Dei, peccet venialiter, ſed tantùm, quod ſi conſilium non ſeruas, minus bonum adipiſceris, ſed, inquit, *non mali aliquid perpetrabis*, & hoc contra ipſum, quia ſi non mali aliquid perpetrat, ergò nec venialiter peccat. Similiter in capitulo ſequenti, quod etiam contra ſe adducit, vbi dicitur, quod conſilium datur offerentis arbitrio, ergò non obligat ad veniale aliquo modo. Inſuper ſuper illo complexo, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, notaui, quomodo, & ad quantum exempla Chriſti, Apoſtolorum, & primitiuæ praxes, & exempla non obligant, pro eorum ſequela, ſed quia dicta ſunt in ſententia per Reuerendum Magiſtrum meum, Ioannem de Areguſio, ideò nunc ſuperſedeo, quia habentur in alio opuſculo meo. Epilogus præſentis lectionis hic eſt in ſumma, quod arguendo ſic primò, *Chriſtus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum*, non valet ex forma, ſed fortè ex materia,

1. Cor. 7.

14. q. 1. Quod debetur. c. 2. & Quiſquis, c. 3.
Aug. lib. 19. contra Fauſtū c. 25.

Epilogus actus primi diei.

Digitized by Google

quia Chriſtus aliquando mandat, quod non vult fieri, quia non mandat ſub forma præcepti, ſed per modum alicuius documenti. Item benè ſequitur: *Papa mandat hoc, & non fundat ſe expreſſè in lege diuina*, vt ſuperius dictum eſt, *ergò hoc eſt faciendum.* quia quidquid mandat, quod legi Dei, aut aliquibus ſacris Canonibus nō obuiat, licet expreſſè hoc non contineat, faciendum eſt. quia, vt deduxi, *P*apa non eſt nomen ordinis, ſed officij & iuriſdictionis, & dicitur ſanctiſſimus & beatiſſimus, etiamſi ſit malus, dummodo non ſit hæreticus. quia hæc ſibi conueniunt, non ratione meriti perſonalis, ſed ratione officij, poteſtatis, & vniuerſalis iuriſdictionis. Hæc circa argumenta dicta ſint.

CIrca primum notabile habemus, quod verbum Dei diminutè expreſſit, eo quod verbum Dei tertio modo captum, ſcilicet inſpiratum non poſuit, quod tamen neceſſarium eſt prædicatoribus. Ex quo vlterius deduxi, quod verbum Dei inſpiratum eſt duplex, ſcilicet priuatum, quod Deus per ſanctos Doctores expreſſit; & publicum, quod ſcilicet per ſtatuta generalium conciliorū ſtatuit & diffinit. Circa hoc concluſi, quod illud per dominum proponentem adductum, ſcilicet, quod verbum Dei tantæ ſit perfectionis, ꝙ ei nil addi aut auferri poſſit, ſub allegatis pœnis, quod licet ſit maximæ perfectionis, poſſumus tamen addere ad declarandum, licet non debeat addi contrarium. Circa ſecundum notabile, de ſacerdotibus Domini, diſtinxi inter curatos & non curatos, oſtendens, quod non curati ordinariè non tenentur prædicare verbum Dei, & quod ſoli curati presbyteri ſuccedunt 72. Diſcipulis Domini, non in omnibus ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm figuram & ſimilitudinem,

Digitized by Google

dinem, ex quo concluſi, quod non eſt vniuerſaliter verum, omnes ruinas populi prouenire ex culpa malorum ſacerdotum, quia ſæpè propter peccata populi dantur à Deo eis ſacerdotes & prælati mali. Vnde dominus proponens cautè egit, quod indefinitè, non vniuerſaliter poſuit. Circa tertium notabile ſuper verbo, *debet*, vbi dixit illud capiendum præceptiuè aſſerendo, quod tranſgrediendo conſilium Dei, committat quis peccatum veniale. reprobaui hoc multipliciter & veraciter. Oſtendo, quod conſilium Chriſti non obligat vnquam ad peccatum veniale, cęteris paribus, ſed ſæpe ad mortale eum, qui vouit, vel in caſu, quo conſilium præcipitur. Hæc eſt ſumma dictorum, quæ quæſo accipite in corde bono & optimo, vt præmiſi in themate, vt fructus ſequatur in patientia, de quo Dominus ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam, Amen. *Luce 21.*

SEQVITVR ACTVS SECVNDI DIEI.

MVltifariè, *multiſq; modis*, Patres & domini venerandiſſimi, *olim Deus loquens*, voluntatis ſuæ beneplacita Patribus veteris Teſtamenti pandens *in Prophetis*, *nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio ſuo vnigenito*, ad Hebræos primo, quem ex matre, ſed Virgine naſciturũ: eandem Pater obumbrauit, Filius imprę̨gnauit, & Spiritus ſanctus adaptauit, vt eſſet ſine grauamine grauida, ſine corruptione fę̨cunda, ſine dolore puerpera, ſecundùm Bernardum in ſermone, qui ex voluntate patris, vt diſperſos in vnum colligeret, quos tandem in ęterno ouili vnico vnicus ipſe paſtor reficeret, in totius *Hebræ. 1.* *Bernard. ſermone 3. de laudibus Mariæ virginis, & alibi.*

 ſui

Digitized by Google

ſui in humanis diſcurſus periodo, in huius mundi agro duo inſeruit, ſcilicet veritatem & gratiam, quoniam veritas & gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt, Ioan. primo. veritatem, id eſt, fidem illuminantem intellectum & gratiam, id eſt, dilectionem iuſtificantem affectum, quæ ſunt duo in corde bono & optimo requiſita, prout heri dixi per thematis verba, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, fructum adferunt in patientia*, vbi poſtquam expoſitum eſt primum principale, quod eſt locus aptificandus in corde bono & optimo, reſtat declarare ſecundum, vt annectatur modus congruus, per quem demulceatur & delectetur auditorum animus, vtiq; audientes verbum Domini retinent intellectu, vt inſtruantur affectu, vt delectentur re, vt teneantur memoriter, & re impleant efficaciter. Non minus reus eſt, qui verbum Dei audierit negligenter, quàm qui corpus Chriſti in terram ſua negligentia cadere permiſit. prima, quæſtione prima, *interrogo*. *Omnis etiam, qui audit verba mea, & facit ea, ſimilis eſt homini, qui ædificat domum ſuam ſupra firmam petram*, Matthæi ſeptimo, *ſis conſentiens eſto aduerſario tuo*, Matthæi quinto. Aduerſarius tuus, verbum Dei eſt, ſi facis, quod audis, concordaſti cum eo, ſi autem non facis, rixaris cum eo, & ſi non compoſueris te, vt facias, tradet te iudici tuo, & iudex miniſtro, & in carcerẽ mittent te. Beatus Auguſtinus, in libro de decem chordis, capitulo decimo. Sed diceret fortè ſimplex laicus, aut hirſutus clericus: Certè hoc facio, verbo Dei me conformo, ſicut prędicat prælatus meus, ita credo, ita & ago. Reſpondeo, optimè facis, ſi benè te docet ille prælatus vel ſacerdos. Nam in his, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur errorem cuiuſcunq; docentis, in talibus nec ignorantia, nec ſimplicitas

Ioan. 1.

1. q. 1. c. Interrogo. c. 94. Aug. lib. 50. homiliarum homil. 26. Matth. 7. Matt. 5.

Aug. de decẽ chordis, cap. 10.

Digitized by Google

citas excuſat, Ait ſanctus Thomas, quodlibeto tertio, articulo decimo. ita Euangelium diffinit, ſi cæcus Doctor cæco populo ducatum præſtet, neuter excuſabitur, ſed ambo ſimul in foueam cadunt, Matth. decimo quinto. Sed quid igitur facit clerus & populus inſurgentibus doctrinis inſolitis, à quibuſcunq; Doctoribus? Reſpondet beatus Auguſtinus, libro tertio de doctrina Chriſtiana, conſulere debet regulam fidei, quam de Scripturarum locis planioribus, & Eccleſiæ autoritate percepit, & id credere, quod ſecundum Eccleſiæ autoritatem tenetur publicè, debet etiam ad Dei miſericordiam recurrere, & eius illuminationem inceſſanter implorare, dicens cum Pſalmiſta: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* orans cum Eccleſia, *à cæcitate cordis libera nos Domine.* Debet etiam ab aliis peritioribus inquirere, non enim Deus deficiet ſuis, niſi in pulſando fuerint negligentes. Nam *custodit Dominus omnes diligentes ſe*, in Pſalmo. cuſtodietq; rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, Prouerbiorum ſecundo. debent & vltimò ſimul omnes ad ſcrutamen conſcientiæ recurrere, & ſe toto corde contrito & humiliato Deo committere, vt inſonet illa vox Domini in tantæ perplexitatis turbine in auribus tam docentiũ, quàm audientium ſubiectorum. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*, quæ geminatur, Lucæ 13. quia ſæpè Dominus iratus malos prædicatores malis mittit, vt vtrumq; per vtroſq; iuſtè damnet, ait ſanctus Euſebius, ſuper illo, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* ad Romanos 10. Nempè pro malo merito plebis, aufertur doctrina prædicatoris, & pro bono merito audientis tribuitur ſermo Doctoris. In poteſtate enim diuina conſiſtit, vt cui velit Deus doctrinam veram dare, vel auferre, faciat, & hoc pro dicentis vel audien-

Thom. Quodlibeto 3. q. 10.
Matth. 15.
Aug. de doct. Chriſt. lib. 3. c. 37, Item 26.
Pſalm. 12.
Pſalm. 144.
Prouerb. 2.
Luca 13.
Euſebius.
Roman. 10.

audientis ſit merito, vt modò pro culpa plebis auferatur ſermo Doctoris, modò verò pro vtriuſq; meritis tribuatur. Sanctus Iſidorus, libro tertio de ſummo bono, capitulo 44. *Melius illis erat viam iuſtitiæ non agnoſcere, quàm poſt agnitionem retrò conuerti, &c.* 2. Petri 2. *Beati ergò, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Lucæ 11. hoc eſt retinere, tenere, ſcilicet implere opere, vt gratiam in præſenti, & gloriam ſempiternã valeamus reportare, quam nobis concedat Ieſus glorioſus, qui imperat & regnat, Amen.

Iſidorus. *2. Petri 2.* *Lucæ 11,*

SEQVITVR ARTICVLVS.

S*Acerdotes Domini, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, non debent liberè & ſine impedimento prædicare verbum Dei, niſi vltra & ſupra omnem poteſtatem, quam in ſua conſecratione ſacerdotali acceperunt, ſe, probare poſſint, eſſe miſſos à Deo, vel ad hoc ſufficienti Eccleſiæ prælato.* Simile per omnia, & multò fortius eſt de diacono, vt infrà patebit, & hoc ad ſenſum expoſitionis terminorum proponentis. Iſta concluſio reſtat probanda multipliciter, primò lege diuina, ſecundò, praxi Chriſti, tertiò, praxi Apoſtolorum, quartò, praxi Eccleſię primitiuæ, quintò ſacrorum Conciliorum, ſextò, Doctorum in lege Domini veraciter ſe fundantium. Circa primum notandum, quod per legem diuinam intelligo legem quadrifariam, æternam, Moyſaicam, Euangelicam, & Canonicam. Probatur concluſio primò per legẽ æternam. Nam lex æterna eſt ratio ſumma in ſummo principe Deo, cui ſemper obtemperandum eſt, per quam mali miſeriam, boni bonam vitam merentur, per quam illa, quæ temporalis eſt, rectè fertur, rectèq; mutatur, ſecundùm beatum Auguſtinum, libro

Probatur concluſio per legẽ æternam:

Digitized by Google

libro primo, de libero arbitrio, & ibidem, vt breuiter tibi notionem æternæ legis explicem, lex æterna eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima. quod declarans ſanctus Thomas in prima ſecundæ, quæ. 93. articulo ſecundo, deducit, quod omnis lex Hierarchię deriuatur à lege æterna, ac per hoc omnia ſunt constituta in ordine debito, ſi ſuo modo regulantur à lege æterna, dicens, ſic lex importat quandam rationem directiuam actum in finem ordinatum, conſtat autem, quod in omnibus mouentibus ordinatis, oportet, quod virtus ſecundi mouentis deriuetur à virtute mouentis primò, quia mouens ſecundarium non mouet, niſi quantum à primo mouetur, hoc patet in artificialibus & moralibus. In artificialibus quidem ratio artificialium actuum deriuatur ab architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur. In moralibus etiam in omnibus gubernantibus videmus, quod nomen gubernationis deriuatur à primo gubernatore ad ſecundos & inferiores ſubordinatos. Cùm ergò lex æterna ſit ratio gubernationis in ſupremo gubernante, neceſse eſt, quod omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. hæc ille. Quæ autem ſit ratio, & quis ordo in illuminatione fidelium ſeruandus ab æterna lege deriuatus, Notandum, quod ſicut in Eccleſia triumphante ſunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quarum Trinitas beatiſſima caput eſt, quarum ſupremam illuminat ipſa Trinitas per ſe, ſuprema mediam, & media infimam. & non è conuerſo: ita in Eccleſia militante ſunt tres ſtatus ſuo modo illam imitantes, ſub vno capite, quod eſt Chriſtus, ſecundum quod homo. ſummum Papa loco Chriſti tenet in terris; medium Epiſcopi, loco Apoſtolorum; tertium curati loco 70. duorum Diſcipulorum. Ex quibus

Aug. lib 1. de lib. arb. c. 6.

Thom. 1. 2. q. 93. art. 2. & 3.

G apparet,

apparet, qui ſecundùm diuini principatus ordinem, quæ Hierarchia vocatur, ſint ordinarij Eccleſiæ Doctores, ad quos inexcuſabiliter, ratione qualitatis ſui ſtatus, pertinet illuminare populum Dei ac cæteros actus Hierarchicos exercere, ſcilicet ad Papam, Epiſcopos, ac plebanos, vel loca eorum tenentes.

Ex hac conſideratione ſubſequentia conſideranda ſunt attenta mente. Primum eſt quodammodo quædam cauſa & ratio, quare modò ceſſent ſpeciales viſibiles illuminationes & inſpirationes hominũ ab Angelis, quæ tamẽ olim abundabãt. Ratio eſſe poteſt, quia quando homo facit debitum ſuum, vt de ſalutaribus erudiatur, ſi non eſt doctrina inter homines, qua erudiri poſſit, conſequens eſt, vt iuxta diuinum ordinem iam expreſſum illuminetur ab Angelis, & ita erat & eſt de profundis myſteriis diuinis, quæ vltra hominem ſunt, pro quibus erat opus reuelatione. modò autem, quia ſcientia Domini plena eſt terra, & de omnibus ſufficienter Eccleſia Chriſtiana erudita, ita quod ſi diligentiam volunt facere, quorum intereſt, & diligenter addiſcere, quæ ſcire debent, poſſent ex ſcripturis omnia negotia, & omnẽ caſum neceſſarium ad ſalutem ſalubriter expedire & diſcutere, & ita videtur, quod exſpectare iam diuinam reuelationem in caſibus etiam arduis, ſit tentare Deum, ex quo Deus ſufficienter illuminauit Eccleſiam in omni ſcientia diuina pariter & humana.

Secundum eſt, quod diſtinctionem & varietatem ſtatuũ in Eccleſiaſtica Hierarchia eſt neceſſarium facere, quod oſtendit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. centeſima 83. articulo ſecundo, propter tria. Primò propter ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ perfectionem. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in

Tho. 2. 2. q. 183. art. 2.

Diuerſitas ſtatuum in Eccleſia neceſſaria eſt. 1.

Deo

Deo vniformiter & ſimpliciter inuenitur, non potuit in vniuerſitate creaturarũ reperiri, niſi difformiter & multipliciter. Ita etiam multitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, vt in capite, diuerſimodè ad eius membra redundat, ad hoc, quod corpus Eccleſiæ ſit perfectum, & hoc eſt, quod Apoſtolus ait ad Epheſios quarto: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationẽ Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti,* gloſſa. *Ecce quomodo alij plus, alij minus dedit, hominibus dat ad menſuram, ipſe verò non ad menſurã accipit. hos autem oẽs dedit in opus miniſterij, vt ſcilicet quiſq; poſſet plenè facere opus miniſtrationis ſibi creditæ, ſi enim vnus oĩa haberet, non perfectè ageret ſingula.* Ephe. 4. Gloſſa ord. ibidem.

hæc ille. Secundò, propter neceſſitates actionum, quæ in Eccleſia ſunt neceſſariæ, oportet, inq̃t, ad diuerſa officia, ſeu diuerſas actiones, diuerſos homines deputari, ad hoc quod expeditius, & ſine cõfuſione ſingula expediantur, & hoc eſt, q; Apoſtolus dicit, ad Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa habemus membra, non autem omnia membra eundem actum habent.* Item, *multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Tertiò hoc pertinet ad dignitatem & pulchritudinem Eccleſiæ, quæ in quodã ordine conſiſtit. vnde in laudẽ Eccleſiæ dicitur in Pſalmo, quod eſt circumamicta varietate, glorioſa doctrina Apoſtolorũ, confeſſione Martyrũ, puritate Virginum, & lamento Monachorum ſeu Pœnitentium ornatur Regina, id eſt Eccleſia, in cuius figuram Regina Saba videns omnem ſapientiam Salomonis & habitacula ſeruorum, ordinesque miniſtrantium, non habebat vltra ſpiritum, tertio Regum decimo capitulo. Nam in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed lignea & fictilia. hæc ſanctus Doctor. Idem ſub alijs verbis oſtendit dominus Petrus de Tarantha-ſia, qui & Innocentius quartus, ad Epheſios quarto, II. III. Pſalm. 44. Caßiod. paulo aliter habet. 3. Reg. 10. 2. Tim. 2. Epheſ. 4.

Diſtinctio officiorum in Eccleſia cur inſtituta. & præter prædicta, addit duas rationes alias, dicens: *facta eſt diſtinctio officiorum, propter multa in Eccleſia, primò propter myſtici corporis integritatem, ſecundùm illud primo ad Corin. 12.*
I. *1. Cor. 12.* *ſi totum corpus oculus, vbi auditus?* *Secundum, propter ſingulorum*
II. *rum membrorum vtilitatem, dicitur enim prima Corinth 12. non*
Deuter. 1. *poteſt dicere caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. & Deut. 1. Non poſſum ſolus ſuſtinere vos, ait ille fidelis Moyſes. ad quod refertur*
Epheſ. 4. *quod Apoſtolus ad Epheſ. 4. dicit, veritatem facientes in charitate creſcamus, in illo ſcilicet Chriſto, ex quo totum corpus compactum & cõnexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm menſuram in operationem vniuſcuiuſq; membri. quia ſecundùm diuerſos gradus Eccleſiæ membrorum, competunt diuerſis diuerſi actus minores ſcilicet & maiores, ſicut alij Epiſcopis, alij ſacerdotibus, alij religioſis ſecundùm expoſitionem Lucæ ibidem.*

III. Tertium, quod iſti diuerſi ſtatus in Eccleſia, ſunt fundati per Chriſtum, dum iret perſonaliter in terris, per expreſſas ſimilitudines. Quarum vna eſt, quod Apoſtoli, & ſeptuaginta duo Diſcipuli non fuerunt presbyteri, nec Diaconi vſq; ad cœnam Domini; tunc enim ſoli Apoſtoli fuerunt ſacerdotes conſecrati, ſed de 72. Diſcipulis non reperimus ex textu, niſi quod fortè Matthias, qui ſucceſſit in locum Iudæ, & ſeptem, qui ex eis creduntur per Apoſtolos facti diaconi, ſic ſunt ab Apoſtolis ordinati. non eſt ergò dicendum, quod illi, qui nec ſunt Epiſcopi, nec plebani, ſint à diabolo introducti, cùm præfati neutrum horum eſſent, dum à Chriſto fuerunt electi.
Matth. 24. Alia via eſt, quia Matth. 24. Dominus noſter diuerſitatem omnium ad Eccleſiam pertinentium volens oſtendere, ait ſub ſimilitudine, *duo in agro, duo in lecto, duo in mola, alter aſſumetur, alter relinquetur,* vbi ſecun-
Aug. lib. 2. q. Euangelicarũ c. 44. infrà 168. & 169. dùm beatum Auguſtinũ, libro quæſtionum ſuper Euangelio quæſtione 46. tres ſtatus Eccleſiæ pateſcunt. per duos

Digitized by Google

duos in agro intelliguntur prælati, per exiſtentes in lecto religioſi; per gyrantes in mola laici, quorum ſemper vnus aſſumetur, ſcilicet bono fine terminans, alter relinquetur, malè finiens. Nam in agro ſunt, qui in Eccleſia laborando præſunt. In lecto ſunt, qui contemplationi in clauſtris vacant. In mola autem ſunt, qui in mundanis ſollicitudinibus gyrant. De his etiam tribus ſtatibus, Ezechielis 14. *Hi tres viri, Noe, Iob, & Daniel in ſua iuſtitia ſaluabunt animas ſuas*, ſecundùm beatũ Auguſtinum parte prima ſermonum, ſermone 29. Beda, libro 5. ſuper Lucam, capitulo 7. per Noe, qui Archam rexit, prælati; per Danielem, qui cõtemplationi vacauit, religioſi; per Iob, qui vxoratus fuit, laici intelliguntur. Hunc ordinẽ Pſalmiſta intelligens dixit: *Ecce, quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum*, & quæ ſit iſta vnitas, ſubdit: *Sicut vnguẽtum in capite, quod deſcendit in barbam, dehinc in orã veſtimenti.* Nam vnguentum, id eſt, pinguedo totiùs Eccleſiaſticæ ſanctitatis, vt eſt in capite, ſcilicet in Chriſto homine, prout congruit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, deſcendit in barbam ſuam, id eſt, beatum Petrum, proximũ eius Vicarium, & quemlibet eiuſdem legitimum ſucceſſorem. Dehinc in barbam Aaron, id eſt, cuiuſlibet prælati ſeu Epiſcopi legitimè ſuccedentis, dehinc in veſtimentum, id eſt, Eccleſiaſticos, dehinc in oram veſtimenti, id eſt, populares, qui ſunt extrema pars Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. De quo ordine ait mellifluus Bernardus 3. de conſideratione dicens: *Nec vilem repute formam hanc, quia in terris eſt, exemplar enim è cælo habet, neq; enim filius poteſt facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem, præſertim cum ei ſub nomine Moyſi ſit dictum: vide, vt omnia facias ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt, videras hoc, qui dicebat: vidi ciuitatem ſanctam, Hieruſalem nouam, deſcenden-*

Ezech. 14. *Auguſtinus.* *Beda.* *Pſalm. 132.* *Bernardus lib. 3. de conſideratione vltra medium.* *Ioſ. 5.* *Exod. 25.* *Apoc. 21.*

ſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Ego enim propter ſimilitudinem dictam reor, quòd ſicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quiq; vſque ad Archangelos & Angelos, ordinantur ſub vno capite Deo: ita hic quoque ſub vno ſummo Pontifice, Primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt paruì pendendum, quod & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem. Quod ſi dicat Epiſcopus: nolo eſſe ſub Archiepiſcopo. & Abbas: nolo obedire Epiſcopo. hoc de cælo non eſt, niſi tu fortè quempiam Angelorum de cælo audiſti dicentem: Nolo eſſe ſub Archangelis, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam, niſi ſoli Deo. hæc ſanctus Bernardus.

Seraphim & Cherubim.

IV. Quartum, quod ſumma diligentia inuigilandum, ne hic ordo Hierarchicus tam regulariter à Deo inſtitutus, ab vllo infringi patiatur: Infringetur autem & confundetur, ſi quilibet ſacerdos, qui ſe non poſſet probare à Deo vel prælato Eccleſiæ miſſum, ſibi officium prædicationis vſurparet, quod ex tribus claret; primò

Hierarchia Eccleſiaſtica non labefactanda.

I. quia talis ordinem diuinitus inſtitutum iam regulariter enarratum proſtitueret, quia nec de primo gradu Eccleſiaſticorum illuminatorum, qui eſt Papa, nec de ſecundo, qui ſunt Epiſcopi, nec de tertio, qui ſunt plebani, exiſtens, nec ad hoc aſſumptus, officium cuilibet eorum ſurriperet contra Hierarchicum diuinæ ordinationis modum, qui eſt, ꝙ nil bonitatis in inferioribus effulgeat, quod à ſuperiori poteſtate non deriuetur. Æquiſſima enim diuinitatis hæc lex eſt, vt infima per media, media per ſuprema in Deum reducantur, ſecundùm beatum

II. Dionyſium. Secundò, tales preſbyteri ex hoc perturbarent ordinem Eccleſiaſticum, quia ſi tres, quatuor vel decem ad eandẽ Eccleſiam venirent, & quilibet eorum

prædi-

prædicare vellet, nec alter alteri cedere, quilibet ſanæ mentis intelligere poteſt, quantæ ex hoc ſequerentur ſeditiones in populis, contradictiones in ſermonibus, & ita in actibus Eccleſiaſticis nullus ordo, ſed ſempiternus horror pararetur. Tertiò, quod eadem ratione, qua ſic liceret cuilibet diacono & presbytero vbiq; prædicare, liceret etiam tam liberè & ſine impedimento quemlibet ſacerdotem vbiq; cõfeſſiones audire, ligare, ſoluere, excõmunicare, & abſoluere, omnia Sacramenta miniſtrare, quemlibet Epiſcopũ in qualibet Eccleſia ordines conferre, & quemlibet iudicẽ, videlicet Eccleſiaſticum prælatum vbiq; iuriſdictionem exercere, tot diſturbia inſurgerent, quod non niſi horror ſine ordine in Eccleſiaſtica Hierarchia eſſet. ſed quantum talis confuſio repellitur & deteſtatur à Sanctis, audiamus. Nam beatus Gregorius in Regiſtro, vbi ſcribit Romano defenſori Siciliæ, hoc habetur 11. q. 1. *Peruenit ad nos*. Nam ſi vnicuiq; Epiſcopo iuriſdictio non ſeruetur, quid aliud agitur, niſi vt per eos, per quos Eccleſiaſticus ille ordo cuſtodiri debuit, confundatur? & ſicut dicitur de Epiſcopo, ita de inferioribus prælatis & plebanis dici poteſt. Ex tali enim confuſione ordo honeſtus à rebus tollitur. Ideò beatus Auguſtinus dicit tertio de natura boni: *Omnia tanto magis bona ſunt, quanto magis ordinata ſunt, & tanto minus bona ſunt, quanto minus ordinata ſunt.* Et libro ſexto ſuæ muſicæ idem inquit: *Inhæreamus Deo, & non teneamus tantùm illius ordinationem, ſed etiam noſtrum ordinem inconcuſſum, certumq; teneamus*, * contra quod ad literam Apoſtolus de in Eccleſia prophetantibus, prouidens ait: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* primo ad Corint. 14. *Quæ namq; à Deo ſunt, ordinata ſunt*, ſcribitur ad Rom. 13. Ecce lex æterna pro concluſione noſtra.

III. | 11. q. 1. Peruenit ad nos. c. 39 Greg. lib. 8. epiſt. 32. | Aug. de natura boni. c. 3. Tom. 6. | Aug. lib. 6. ſuæ muſicæ. c. 14. | * forſan, circa. | 1. Cori. 14. | Roman. 13.

Secun-

Per legem Moſaycam.

Secundò probatur eadem concluſio per legem Moſaycam. Nam ſanctus Hieremias in vtero ſanctificatus, fuit ſacerdos, & tamen oblatum à Domino prædicationis officium non ſolùm non importunè acceptauit, ſed & humiliter recuſauit, quanquam finaliter acceptaret. Ergò concluſio vera, conſequentia nota, Maior probatur, quia in principio ſuæ Prophetiæ dicitur: *Verba Hieremiæ filij Helchiæ de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot.* Et B. Hieronymus in prologo Hieremiæ, qui incipit: *Hieremias Propheta,* dicit, *fuit enim Anatothites, quæ eſt vſq; hodie viculus tribus diſtans millibus à Hieroſolymis, ſacerdos ex ſacerdotibus, & in vtero matris ſanctificatus.* Minor patet, quod non obſtante, quod fuit tantus, tamen dum eum Dñs mitteret, non prius ſe de prædicationis officio intromiſerat, ſed nec tunc acceptare decreuerat, imò recuſauit dicens: *A a a. Domine neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Vbi dicit ſanctus Thomas ad propoſitum eius de presbyteris & omnibus: *Non miſſi, non ſunt audiendi propter præſumptam auctoritatem.* Et quid per multa diſcurrimus? Ezechiel fuit ſacerdos, vt dicit beatus Hieronymus in principio eiuſdem, Daniel ſacerdos, vt ſeptuaginta interpretes dicũt, licet Magiſter hiſtoriarum dicat eum de ſemine Regio progenitum, in principio libri. & ſic de multis ſanctis Domini Prophetis.

Hierem. 1.

Hierem. 1.

Per legem naturæ.

In lege etiam naturæ omnes primogeniti à Noë vſq; ad Aaron ſacerdotes fuiſſe, qui in conuiuiis, & oblationibus populo benedicebant, ait Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica. Exod. 14. capitulo de victoria Abrahæ.

Poſt hanc legem naturalem in lege ſcripta Deus inſtituit ſacerdotes, Gen. 29. dicens Moyſi: *Facies, vt mihi in ſacerdotio cõſecrentur. Aaron & filios eius applicabis ad oſtiũ tabernaculi teſtimonij, eruntq; Aaron & filij eius ſacerdotes in religione*

Exod. 29.

Digitized by Google

gioni perpetuum. Vnde nullus tunc debebat fungi ſacerdotio, niſi de tribu Leui & ſemine Aaron. Vnde, quia Chore, Datan & Abiron volebant ſibi vſurpare ſacerdotium, incenſum offerendo, terra deglutiuit eos, vt patet Num. 16. *Num. 16.* Sed conſtat de omnibus his, quòd licet Sacerdotes eſſent, nullus tamen ſe de prædicationis officio intromiſit, niſi ſpecialiter ſibi ex DEO expreſſè imponeretur, quod etiam ſignis patentibus probauerunt. Ergò concluſio vera, quæ dicit, quòd ſuper omnem poteſtatem, quam Sacerdos accipit in ſacerdotali Ordinatione, requiritur adhuc, vt poſſit ſe probare miſſum à Deo, vel eius Vicario, ſcilicet ſufficienti Eccleſiæ Prælato.

Per legem Euangelicam. Tertiò probatur eadem concluſio ex lege Euangelica dupliciter. Et primò ſic. Poſtquam miſit Apoſtolos & ſeptuaginta duos Diſcipulos, Apoſtolos, tanquam Epiſcopos, ſeptuaginta duos, tanquam plebanos, licet adhuc non eſſent tales, tamen figuram eorum ferebant, ſecundum gloſſam Luc. 10. *Luc. 10.* Ille non obſtante, quòd ipſe eos miſit, non obſtante, quòd etiam figuram omnium curatorum gerebant, adhuc oſtendere volens, quòd authoritate ſuperiorũ indigebãt, ait illis: *Meſſis quidẽ multa, operarij autem pauci, rogate ergò dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*, quod ad literam exponitur de meſſe prædicationis verbi Dei. vnde ſi quæritur, quare vult rogari? reſpondet gloſſa, quòd ideò vt ſcilicet ex ſua miſericordia per internam inſpirationem, vel per miniſtros ſuos mittat prædicatores in Eccleſiam ſuam. Alia ratio multorum Doctorum eſt, vt per hoc doceat ordinem, quem omnis prædicaturus ſeruare debet, vt ſcilicet à ſuperiori ſuam admiſſionem expectet, prout exponit Archidiac. *Diſtinct. 23.* diſtinct. 23. In nouo, vbi hæc authoritas ponitur. *In nouo, c. 2.* Secundò ſic: Certum eſt omnibus, quòd ſanctus Baptiſta fuit

Sacerdos: quia primogenitus filius Sacerdotis, miſſus à
Ioan. 1. Deo, vt teſtimonium perhiberet de Dei filio, vt patet Ioan. 1. Hic quanquam Spiritu ſancto repletus tantæ ſanctitatis, quòd Chriſtus eſſe potuiſſet credi, tamen de prædicationis officio ſe intromittere auſus non fuit, donec ſupra auctoritatem ſacerdotalem, etiam nouam diuinam commiſſionem recepit, dum factum eſt verbum Domini ſuper Ioannē in deſerto, & tunc primò incœpit prædicare,
Luc. 3. vt patet Lucæ 3. vbi dicit dominus Albertus ſic, quòd ibi
Albertus in Luc. cap. 3. data eſt Ioanni auctoritas prædicandi. Nota. dicit ibi datam, ergò priùs non habuit eam, licet eſſet Sacerdos ſanctiſſimus; dicit eum ibi primò miſſum ad prædicandum, ſine qua ſpeciali miſſione non habuiſſet auctoritatem prædicandi, vt dicit. Vnde quatuor ibi exprimuntur, ſcilicet, modus prædicandi verbum, verbum prædicatum, auctoritas iniungētis, & prędicationis ſublimitas. Et cōſequenter oſtendit Albertus, quòd etiam iſtud ſe extendit ad omnes alios Sacerdotes, dicens: *Factum eſt verbum Dei*, Ecce auctoritas. Dominus enim miſit eum ad prædicandum, & non aliter prædicaret, iuxta illud ad Romanos 10.
Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Hæc ille. Quid ergò nos dicemus, qui vltra ſacerdotalem ordinationem aliam ſuperiorem auctoritatem volumus?

Per legem canonicam. Quartò probatur per legem diuinam Canonicam. Et primò ſic. Secunda ad Timotheum 2. cap. *Fili*, inquit
2. Timoth. 2. Apoſtolus, *confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui*
Gloſſa interl. *idonei erunt & alios docere*: Gloſſa, *qui idonei ſunt ſcientia, facundia, & vita, alios docere, illis debet prædicatio committi, quia apti reputentur*. Nota, quòd dicit, *commenda*, in textu; & *committi debet*, in gloſſa: non quòd quilibet eorum Sacerdos ſeipſum ingerat, ſed quòd expectet vſquedum ſibi com-

mittatur

mittatur officium prædicationis. Sed dicetes, Quis eſt
idoneus? Reſpondeo, quòd & ſi hoc certitudinaliter ſciri
non poſſit, hoc tamen ex certis ſignis haberi poteſt, quæ
ponit venerabilis Auguſtinus de Ancona Eremitarum or- *Auguſt. de*
dinis in libro de eccleſiaſtica poteſtate, quæſt. 15. artic. 2. *Ancon. q. 15. art 2.*
Primum ſi per eum veritas fidei non peruertatur. Secun- *Quis ſit ido-*
dum, ſi per eum Eccleſiæ mandatum non contemnatur. *neus Prædi-*
Tertium, ſi per eum peccatum accuſatione dignum toto *cator.*
conatu fugiatur. Quartum, ſi per eum nouus viuendi ri-
tus non inducatur. Quintum, ſi per eum etiam verbum
Dei delectabiliter audiatur. Sextum, ſi per eum caritas
proximi non ſpernatur. Septimum, ſi per eum de operi-
bus bonis mundi gloria non quæratur. Et hanc conclu-
ſionem noſtram beatus Apoſtolus tam expreſsè declarat
de ſeipſo. 2. ad Corinth. 10. Vnde arguo ſic: Paulus fuit *2. Corint. 10.*
Sacerdos, Epiſcopus & doctor gentium, ſed ipſe noluit ſe
extendere ad prædicandum, niſi tantùm illuc, vbi fuit à
Chriſto ſpecialiter miſſus, ergò nullo modo licet alicui a-
licubi prædicare, niſi ſolùm in illo loco, vbi miſſum à Deo
vel Prælato ſe poteſt oſtendere. Conſequentia nota eſt.
Maior omnibus clara eſt, Minor oſtendetur: Dicit enim
ſic: *Nos autem non gloriabimur in immenſum, ſed ſecundum men-
ſuram regulæ, quam menſus eſt nobis DEVS, menſuram pertin-
gendi vſque ad vos in Euangelio Chriſti, non enim ſuperextende-
mus nos in alienis laboribus gloriantes, & in aliena regula.* & in-
crepās eos, qui ſe intromittunt prædicare populis, qui ſunt
alijs commiſſi, dicit: *Non in aliena regula, in his quæ ſunt præ-
parata gloriari. qui autem gloriatur, in Domino glorietur. non enim
qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commen-
dat.* Hæc ille. Senſus eſt. *Non gloriabimur in immenſum,* id
eſt, non exercebimus poteſtatem prædicandi vltra men-
ſuram noſtram; quia Deus voluit, quòd ſolis Corinthijs

Digitized by Google

pro tunc prædicaret ſecundum Ambroſium; *nec ſuperextendimus*, id eſt, vltra poteſtatem nobis commiſſam, prædicationem noſtram non extendimus. Nam ſuperextendere, ſecundum gloſſam eſt, vltra quam conceditur extendi, *vſque ad vos enim peruenimus*, id eſt, poteſtas nobis cõceſſa ad vos ſe extendit. & ita dixit ſe nõ habere gloriari in alienis laboribus & in aliena regula; quia non debuit prædicare ſibi non commiſſis, & hoc ex lege diuina.

Ex praxi domini noſtri Ieſu Chriſti.

Eſt ergò ſecundò eadem concluſio deducenda ex praxi Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quam eadem hoc modo oſtenditur concluſio; & primò in ſeipſo, ſecundò, in ſuis Apoſtolis. In ſe quidem, cum ipſe eſſet Sacerdos diuiniſſimus in vtero matris, in primo inſtanti ſuæ conceptionis conſecratus, officium tamen prædicationis non exercuit, niſi dum vltra omnem auctoritatem ſacerdotalem quodammodo auctorizatus eſſet, ita quòd Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum deſcendit, & vox patris intonuit: *Hic eſt fili⁹ meus dilect⁹ in quo mihi benè complacui*, Luc. 3. Et adiecit, *ipſum audite*. Matth. 17.

Luc. 3.
Matth. 17.

Secundò patet hoc idem ex hoc, quòd vt nos doceret, quantumcunque presbyteros doctos & ſanctos nõ habere ius vel præceptum alibi prædicandi, niſi quo poſſemus nos miſſos probare. Ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, Matth. 15. ſcilicet ad prædicandum perſonaliter, niſi tantùm Iudæis, ſecundum Gloſſam, licet per Apoſtolos prædicaret fidẽ toti mũdo. ecce praxis Chriſti in ſe. quis audeat ergo ſibi liberè poſſe vbique aſſerere? Secundò idem in ſuis Apoſtolis ſeruauit. & hæc eſt ita clara, quòd meritò ſufficeret pro omni doctrina. Primo ſic. Nam Dominus noſter ſuos Apoſtolos in Cœna conſecrauit in Sacerdotes, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ viceſimo ſecundo. Et tamen oſtendit quòd

Matth. 15.

2.

Luc. 22.

non

non ſufficit eis auctoritas ſacerdotij, ad officium prædicandi, niſi eſſent denouo, & iterum ad hoc miſſi. Ideò poſt ſacerdotium, primo in die Paſchæ miſit eos ad prædicandum, dans auctoritatem, Ioan. viceſimo. &c. dicẽs: *Sicut miſit me viuens Pater, ita & ego mitto vos.* & illa miſſione nõ obſtante, vt ſcirent, vbi deberẽt prædicare, ſcilicet, ne crederẽt in ſola Iudæa debere ꝑmanere, ſicut prius quãdo præceperat eis quod in viam gentium non abirent, iterũ miſit illos dicens: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc. & Matth. vltimo. Secundò ſic. Quanquam Apoſtoli eſſent Sacerdotes, & iam bis miſſi, de nouo ad prædicandum, ſcilicet die aſcenſionis, & Paſchæ, nihilominus adhuc volens docere, non licere etiam cuilibet presbytero ſanctiſſimo & doctiſſimo, vbi & quando vellet prædicare, abſque noua ſuperioris commiſſione, quæ fit Spiritus ſancti auctoritate, ait eis in hora ſuæ aſcenſionis. *Ecce ego mittam Spiritum Patris in vos, vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*: quod tractans beatus Gregorius in ſuo libro tertio paſtorali capitulo vigeſimo ſexto, ait: *Admonendi ſunt ergò, quos à prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, ne dum ſibi tanti onus officii præcipitatione arrogant, viam ſibi ſubſequentis emendationis abſcindant: Ipſa enim veritas, quæ repentè, quos vellet, roborare poſſet, & vt exemplum ſequentibus daret, ne imperfecti prædicare præſumerent, poſtquam plenè Diſcipulos de prædicationis virtute inſtruxit, mandauit eis, vt in ciuitate ſederent, donec induerentur virtute ex alto.*

Matth. 28. *Marc. 16.*

Greg. lib. 3. paſtoral curæ cap. 26.

Idem ſanctus Thomas in gloſſa *continua*. Idem Hugo. idem Gloſſa ordinaria. Ecce praxis Domini noſtri Ieſu Chriſti. *In c. 24. Luc.*

Digitized by Google

Ex praxi Apoſtolorum.

Tertiò probatur concluſio ex praxi Apoſtolica, qua clarè deducitur concluſio prædicta. Et primò ex praxi Apoſtolorum, ex praxi ſeptuaginta duorum Diſcipulorum. Primum arguitur, primò in ſpeciali de aliquibus, ſecundò in generali de omnibus. Quantum ad ſpecialem praxin quorundam Apoſtolorum, patet, licet presbyteri eſſent, non tamen alicubi prædicauerunt, niſi quo ſpeciali Dei vel beati Petri ſummi Pontificis auctoritate fuiſſent miſſi.

Actor. 16.

Et primò hoc beato Petro accidit, de quo dicit Martinus in Chronica capitulo tertio, quòd ipſe adhuc viuens in carne ſibi duos ſubſtituit, qui ambo presbyteri fuerunt, ſcilicet Linus & Cletus, volens quòd ipſi curæ omnium Eccleſiarum intenderent, ita ſcilicet, quòd non prædicarent, ipſe verò Petrus verbi Dei Prædicationi & orationi ac contemplationi inſiſterent. Præterea Paulus licet à Chriſto miſſus, licet Vas electionis, & Sacerdos ſanctiſſimus, imò Angelus terreſtris, & homo diuinus, ſecundum Dionyſium, ſcribit ſe non fuiſſe auſum, ſed prohibitum prædicare in Aſia à Spiritu ſancto, qui etiam eum, quò minùs intendit, miſit ad Macedones, vt ibi prædicaret. Actor. 16. Demùm idem ſanctus Apoſtolus multos presbyteros ſecum habuit, ſed nullum ex his miſit Corinthijs ad prædicandum, niſi ſolum Timotheum, qui licet presbyter eſſet, tamen miſſionem Apoſtoli exſpectauit, nec quiſquam aliorum ab Apoſtolo non miſſorum adiuit, ne mittentis conculcaretur auctoritas, & extolleretur miſſionis vtilitas, vnde dicit primo ad Corint. 4. *Miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus cariſſimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas in Chriſto Ieſu.* quaſi dicat ſecundum beatum Auguſtinum in libro ſermonum Domini in monte ſermon. 49. *Neminem enim habeo tam inibi vnanimem qui*

1. Corinth. 4. Auguſt. ſimile quid habet tractat. 46. in Euang. Ioan. tom. 9. de verbis domini ſermon. 49.

qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Nonne, inquit, *cum illo multi erant? Sed quid ſequitur? Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Christi, & ego Paſtorem vobis mittere volui, non mercenarium. Nam multi mercenarii ſunt, & vix inuenit Paulus vnum Paſtorem, quem mitteret inter multos mercenarios, quoniam pauci Paſtores, multi mercenarii.* Hæc ille. Ex quo claret expreſsè, quod Apoſtolus ſibi reſeruauit auctoritatem mittendi Prædicatores, quos vellet, & non mittendi, quos nollet, licet Sacerdotes eſſent, hi qui ſecum erant, ita & nunc fit in Eccleſia, dum Prælatus deliberat ex multis bonis quem mittere ad prædicandū placeat. Vltimo beatus Marcus Euangeliſta noſtris preſbyteris vtiq; nō inferior; Sacerdos fuit & non minus conſcius ſecretorum Dei, qui quanquam Euangelium ſcripſerat, adhuc miſſionem Petri expectauit, cuius ipſe diſcipulus fuit. Vnde venerabilis Beda in expoſitione primæ Canonicæ Petri ſuper illo. *Salutat vos Marcus filius meus chariſſimus*, dicit, *Marcum filium nominat, quia eius baptiſmate dicitur filius effectus. Vnde patet*, inquit, *quòd priùs quàm Marcum de Roma Alexandriam ad Euangelizandum mitteret, Epiſtolam ſcripſerat, tempore autē Claudii Principis, & Petrus & Marcus Romam venerunt, & ipſe Marcus deſcripto Roma Euangelio ſuo, Alexandriam miſſus eſt.* Hæc Beda. Philip. 3. Beda.

Ecce praxis Apoſtolorum ſpecialis, docet vltra Sacerdotij auctoritatem requiri ſuperioris miſſionem. Idem dixi ex praxi eorundem deducendum generali. Deducit namque Dominus Patriarcha Petrus de Palude ordinis mei Prædicatorum Theologus & Iuriſta eximius, in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate, articulo ſecundo, concluſione ſecunda: Quod, quamuis Apoſtoli ante Chriſti paſſionem fuerunt regimini Chriſti, immediatè ſubiecti, tamen poſtglorioſam eius aſcenſionem in prædicando, abſol- *Petrus Paludanus de Eccleſiaſtica poteſtate collata Apoſtolis; concluſ. 2.*

abſoluẽdo, baptizando, fuerunt ſummo eorum Pontifici Petro ſubiecti, non ſolùm Chriſti inſtitutione, qui eum omnibus præfecit, dicens: *Paſce oues meas*; Sed etiam Apoſtolorum volitione, quoniam ipſi Apoſtoli voluerunt, beatum Petrum eſſe ſummum Pontificem eorum, vt dicunt Hugnio & Archidiaconus, & eſt textus diſtinctione 22. *Sacroſancta*. Quid mirum? nam dixerat Dominus, *Fiat vnum ouile & vnus paſtor*. Ioan. 10. Et hunc vnum deſignãs ſoli Petro ait: *Paſce oues meas*: ergo ex tunc, nullus niſi auctoritate Petri, habuit oues paſcere, nec regere vbicunq;. Vnde ipſius auctoritatis fuit vocare alios in partem ſolicitudinis, ſcilicet paſtores, quemadmodum ipſe ordinauit de ſucceſſore Iudæ in Apoſtolatu, quanquam Apoſtolis alijs dederit electionem, & omnia cum conſenſu diſpoſuit Apoſtolorum, ſicut nunc Papa de conſilio confratrum ſuorum Cardinalium. Similiter ipſius officij fuit de Diaconibus, Officialibus & Prædicatoribus, ordinare & eos in officia mittere, licet electionem alijs voluerit committere, ſicut fecit, dum ait: *Conſiderate ex vobis viros boni teſtimonij*, & elegerunt Stephanum primum Primicerium ſeptem Diaconorum, Actorum. 6. ſicut etiã Moyſes conſtitutos ſub ſe Principes, quamuis per ſe potuiſſet eligere, tamen electionem populo commiſit. *Date ex vobis viros, &c.* Deuteronomi primo. Vnde omnis electio & inſtitutio ad aliquam rectoriam, pro tunc in tota Dei Eccleſia oportuit fieri à Petro, & deinceps ab eius ſucceſſore, vt dicit Clemens Papa ſucceſſor beati Petri diſtinct. 80. *In illis*. Idem dicit ſanctus Thomas quarto ſententiarum diſtinct. 19. articulo primo ad primum, quod licet poteſtas ordinis æqualiter colla[ta] Apoſtolis, tamen poteſtas iuriſdictionis non eſt data eis niſi præſuppoſita auctoritate diſtributiua Petri, ita quod õnia facerent ſecundum eius ordinatio-

Ioan. 10. Diſtinct. 22. Sacroſancta. cap. 2. ex Anacleti Epiſt. 3. cap. 3.

Actor. 6.

Deuter. 1.

Diſtinct. 80. In illis. cap. 2. Clemens ad Iacob. epiſt. I. S. Thom. 4. ſentent. diſtin. 19. quæſt. 1. articul. 3. ad. 1.

Digitized by Google

dinationem. Item contra gentiles, libro quarto, capitulo 76. Idem oſtendit per hoc, quod ſoli Petro dictum eſt poſt paſſionem, *paſce oues meas*. Et ante paſſionem, *& tu conuerſus, confirma fratres tuos*, & quia ſibi ſoli promiſit claues regni cœlorum, prout glorioſiſſimè deducit ibidem, & concludit, dicens: *per hoc concluditur quorundam præſumptuoſius error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Pontificem Romanum vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes*. hæc ille. Idem Hugutio & Archidiaconus in capitulo, *Ita Dominus*. Idem dominus Cameracenſis, qui in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate, enumerans ſex genera poteſtatum, concludit, omnes æqualiter datas Apoſtolis, vltima dempta, quæ eſt poteſtas diſtributionis ſoli Petro commiſſa. Omnem ergò poteſtatem prædicandi, baptizandi, & ſimiles receperunt Apoſtoli à B. Petro, poſt aſcenſionē Domini, non quo ad auctoritatem, quia illam à Chriſto receperunt, ſed quo ad authoritatis executionem, ne quis mitteret falcem in meſſem alienam ſpiritualiter aut temporaliter: vnde eius fuit diœceſes diuidere, vnicuiq; ſuam aſſignare. Nec obſtat, quòd Chriſtus eos miſit in orbem vniuerſum, quia ipſe indiſtinctè miſit, diſtinctionem verò Petro reliquit. ſicut Ioſue diuiſit terram in funiculo diſtributionis, quam tamen non ipſe, ſed Dominus dedit, ita beatus Petrus Eccleſiam diſtribuit, quam tamē non Petrus, ſed ſolus Chriſtus proprio ſanguine ſuo acquiſiuit. vnde dicit gloſſa 2. Cor. 10. *nutu enim Dei factū eſt quod partitum erat vnicuique, ad quos in prædicatione dirigeretur, vt ſinguli aliquos populos haberent proprios, de quorum fide gloriarentur*. Ecce praxis Apoſtolica quàm expreſſè eſt pro concluſione noſtra. Idem duxi deducendum per praxim 72. diſcipulorum, illi enim non leguntur à Domino miſſi, niſi ante eius paſſionem,

Item lib. 4. contra gentiles c. 76.
Ioan. 21.
Luc. 22.
Mat. 16.
diſt. 19. Ita Dominus c. 7.
Leo Papā ep. 78.
2. Cor. 10. glo. ordinaria ibidem.

Digitized by Google

& tunc tantum in Iudæa non ita amplè ſicut Apoſtoli, qui fuerunt per totã Iudæam miſſi, ſed reſtricti, ne alibi prædicarent, niſi quo Chriſtus venturus erat perſonaliter ad prædicandũ, vt patet Luc. 10. vnde ipſi poſt Chriſti aſcenſionẽ, vt prædicarẽt, legũtur per Apoſtolos ad hoc officiũ de nouo electi, vt dicitur 21. diſt. *in nouo. videntes*, inquit, *apoſtoli meſſem multã, id eſt, totũ mundum verbo Euangelii illuminandum, & operarios paucos, quia ipſi pauci erant pro tanta multitudine conuertẽda, rogauerunt dominũ, vt mitteret operarios in meſſem ſuam, & ipſi elegerũt 72. diſcipulos, & miſerũt eos ad prædicandũ.* vbi dicit Hugutius, ꝙ Dominus in veteri teſtamẽto leuitas per ſe inſtituit, ſed in nouo per Apoſtolos, diſt. 93. *diaconi*. Ex quo patet concluſio aſſumpta ex praxi apoſtolorum, & 72. diſcipulorum, ex quibus Euſebius in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica li. 2. c. 1. dicit, quod Dominus poſt reſurrectionem ſuam *Petro* & omnibus Apoſtolis omnem ſcientiam tradidit, qui eam vlterius 72. diſcipulis tradiderunt. hæc ille.

Luc. 10.

diſt. 21. in nouo. c. 2.

diſt. 93. Diaconi.

Euſe. l. 2. c. 1.

Quarto probatur hæc concluſio ex praxi Eccleſiæ primitiuæ, à cuius ergò exordio inchoãtes, ipſe B. Clemẽs qui fuit immediatus ſucceſſor S. *Petri*, quẽ B. Petruſmet in ſumum Pontificẽ erexit, in articulo mortis ſuæ hæc ſcribit in epi. ſua ad Iacobũ Ieroſolymorum Epiſcopũ in fine epiſtolæ, dicens, nullũ presbyterũ in alicuius epiſcopi parochia aliquid agere debere abſq; eius permiſſu, cunctos etiã presbyteros ꝓpriis Epiſcopis, in oĩbus abſq; mora obediẽtes, inſtituente Dño, eſſe debere docebat: hæc ille. Hinc B. Dionyſ. Areopagita diſcipulꝰ B. Pauli diſtinguẽs tres actus Hierarchicos attribuit diacono, purgare, illuminare presbytero, ſed Epiſcopo perficere: ita ꝙ in primitiua *Eccleſia* diaconus dicebatᷣ baptizãdos purgare, id eſt, exorcizare. *S*ed presbyter illuminauit dũ baptizauit, non enim intelligitur ibi illuminare, id eſt, prædicare. *S*ed di-

Ex praxi eccleſiæ primitiuæ.

citur baptiſatio illuminatio, q̃a baptizato diuina lumina cõmunicãtur, quæ ſũt habitus virtutũ theologicarũ fidei, ſpei & charitatis, q̃ ibi infundũtur ſecundũ expoſitionem Alberti M. ſed ſolius Epiſcopi erat baptizatũ perficere, id eſt, p̄dicare & confirmare. ita exponũt cõmentatores c. 5 in Eccleſiaſt. Hierarchia. Poſt hoc Papa Martinus in chronica, & habetur 23. q. 1. *Eccleſias ſingulas* qui ſedit anno Dñi 270. cũ prius nõ eſſẽt niſi parochiæ & plebani erãt * oues epiſcopi, ipſe diſtinxit parochias ab epiſcopatibus & diœceſes à prouinciis, dãs ſingulos ſingulis presbyteros, mãdãs vt ſinguli ſuis terminis contenti eſſent, & alienos non vſurparent, quanquam multi presbyteri tunc eſſent. Ex quo patet clarè, praxin Eccleſiæ primitiuæ pro concluſione aſſumpta ſententiare. *Dionyſ. cap. 5. Eccleſ. Hiera. Dionyſ. vt habet 23. q. 1 Eccleſias ſingulas c. 1.* ** alia lectio habet omnes.* *Dionyſ. Ep. 2.*

Quinto, hæc concluſio probatur per concilia antiqua & per omnia idem oſtenditur nobis lib. 5. de hæreti. cap. *cum ex iniuncto.* ex Concilio Lateranenſi habetur ſic. *ſicut multa ſunt membra vnius corporis, omnia vero non eundem actum habent, ita ſunt ordines in Eccleſia diuerſi, ſed non habent omnes eundem actum ſeu idem officium. Nam ſecũdũ Apoſtolũ, alios dedit Dominus Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores; Cũ ergo doctorũ ordo ſit quaſi præcipuꝰ in Eccleſia, nõ debet ſibi quiſquã indifferẽter prædicatiõis officiũ vſurpare. Nam ſecundũ Apoſtolũ, quomodo prædicabũt niſi mittãtur? & veritas ipſa præcepit, rogate Dominũ meſſis, vt mittat operarios in vineã ſuã,* & in c. *excommunicamus. quia verò,* dicitur ſic. *omnes qui prohibiti, vel nõ miſſi, præter authoritatem ab Apoſtolica ſede, vel loci epiſcopo ſuſceptã, publicè vel priuatim ſibi prædicationis officium vſurpauerint, excommunicationis vinculo nodentur, & niſi quantocius reſipuerint, alia competẽti pœna plectãtur.* hęc ille. notate hæc verba, ſignate myſteria. idẽ habetur ſẽtẽtialiter ex cõciliis generalib. vt patet diſt. 71. & 72. ex Conciliis Carthaginenſibus, primo, *Ex conciliis antiquis.* *De hæret. cum ex iniuncto. l. 5. tit. 7. c. 12.* Ephes. 4. *Rom* 10. *Luc.* 10. *Lib. 5. de hæreticis. Excõmunicamus. tit. 7. c. 13. §. Quia verò.*

quarto & quinto, Antiocheno & Romano, & Mileuitano, vbi præcipitur in omnibus iſtis, quod presbyteri vel diaconi, aut in quocunq; ordine Eccleſiaſtico conſtituti fuerint, ſi receſſerint de Eccleſiis ſuis, non debeant ſuſcipi in aliena Eccleſia, ſed cogi etiam per excommunicationem, vt inde exeāt, & ad ſuas redeant. Idem dicitur 7.q.1. Epiſcopi, ex Concilio Carthaginenſi. Epiſcopi vel presbyteri ſi cauſa *viſitandi ad Eccleſiam alterius Epiſcopi veniunt, in ſuo gradu, id eſt, honore ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitētur*: gloſ. Hugucij & Archidiaconus, *quòd niſi inuitentur, eis non licet*. 9.q.2. *Nullus primas*. Vnde presbyteri debent ſecum gerere literas dimiſſorias Epiſcopi, aliâs non debent recipi, nec ad quidquam admitti. diſtinct. 71. *hortamur*. Et ſic patet concluſio noſtra per ſacra Concilia.

7.q.1. Epiſcopi. c.38.

9.q.2. Nullus primas.

diſtin.71. hortamur. c.8.

Loco ſexto ſi imploraueritis dicta doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundantium, inter multa pauca pro nunc adducam, reſidua poſt allegaturus partim. Sit primus beatus Ambroſius, ſuper epiſtolam ad Epheſios, dicens, *vt creſceret plebs, & multiplicaretur inter initia omnibus conceſſum eſt, & euangelizare & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſiis ordinata*. Sequitur. *quaſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur*. hæc ille. Secundus beatus Gregorius, & aſſumitur 6.q.3. *ſcriptum eſt in lege per alienā meſſem trāſiens falcē mittere nō debes, ſed manu ſpicas cōterere, & māducare. Falcē ergò iudicii mittere non debes in meā ſegetem, quæ alteri videtur eſſe cōmiſſa, ſed per effectū boni operis frumēta dominica vitiorū ſuorū paleis expolia, & in Eccleſiæ corpus admouendo & perſuadendo quaſi mandendo conuerte*. quod exponit gloſſa Hugucij & Archidiaconus, ad literam de prædica-

Ex doctrina doctorum.

Ambroſ. in 4 c. ad Epheſ.

6.q.3. ſcriptū eſt c.1. reſponſione 9. ad Auguſtinum.

Deut.23.

Digitized by Google

dicatione verbi Dei, quam nemo debet in Eccleſiis exercere quaſi ius habens in eis, abſq; licentia prælati Eccleſiæ illius, ſed benè poteſt trãſeundo aliqua verba ædificatoria occurrentibus dicere, & ſic eos in hortum Eccleſiæ, quaſi mandendo corroborare. Sit tertius beatus Bernardus ſuper cantica, ſermone 64. inquiens, *nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et Apoſtolus ait, quomodo prædicabunt niſi mittantur? & ſcimus monachi non eſſe officium docere, ſed lugere. Ex his ſimilibusq; collectis mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam. claret namq; & certum eſt, quòd prædicare nec* publicè conuenit monacho, nec nouitio expedit, nec non miſſo licet. Porrò contra hæc tria venire, quanta conſcientiæ demolitio eſt? ergò quicquid tale ingeratur animo, ſiue illud ſit tua cogitatio, ſiue immiſſio per angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, & malum ſub ſpecie boni.* hæc ille. Sit quartus S. Thomas, qui quodlibet. 12. q. 17. iſtam materiam determinat, & quæſtionem in terminis propriis mouet, an ſcilicet liceat prædicare cuicũq; abſq; licentia Prælati ſuperioris, & reſpondendo dicit, quòd nullus quantumcunq; doctus vel ſanctus, debet prædicare abſq; *Prælati* auctoritate, quia nullum agẽs natum eſt agere niſi ſuper determinatam materiam, ſibi miniſtratam, prædicatio autem publica reſpicit totam Eccleſiam. Tota autem Eccleſia & cura publica Eccleſiæ Prælatis eſt commiſſa, & ideò nullus debet exercere, quòd requirat auctoritatem publicam, niſi auctoritate prælati, hæc ille. Sit quintus doctor ſolennis, licet modernus, Henricus de Haſſia, qui parte vltima ſuper Geneſim dicit, quod prædicatio nõ permittitur, niſi miſſis, ſcilicet vltra gradum ſacerdotalem, ſpecialiter à Deo tantum, vel à Deo per hominem, ſecundùm illud ad Romanos 10, *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Alioquin pſeu-

Bernardus in Cantic. Serm. 64.
Heb. 5.
Rom. 10.
** publicè in textu impreſſo nõ habetur.*
S. Thomas Quodlibetico 12. q. 17. art. 29.
Henricus de Haſſia.
Rom. 10.

Digitized by Google

pſeudoprædicatores non eſſent prohibendi, cùm tamen & ipſi prædicēt in nomine Chriſti,& plerumq; idem quod veri prædicatores,vt clarum eſt. *Inſuper*, inquit, *& ſi facientes miracula in nomine Chriſti,non debent prohiberi, quia nullius vſurpant officiũ,nec cuiquã iniuriantur,tamẽ publicæ prædicationes in diœceſibus alienis,abſq; canonica miſſione prohiberi debent, quoniã Epiſcoporũ & curatorũ presbyterorũ vſurpãt officiũ, & eis iniuriãtur.* & poſtea declarat,quomodo dicẽtes ſe miſſos à Deo,tenẽtur hoc ꝓbare per ſcripturã,vt Ioañes,vel ꝑ miracula,vt Moyſes,ꝓvt iam dictũ eſt, ex conciliorũ determinatione. Sit ſextus venerabilis Auguſtinus de Ancona in de eccleſiaſtica poteſtate,q.64. art.2. dicẽs,ꝙ nec Epiſcopis nec presbyteris liceat ꝑdicare,niſi miſſis eis ſpecialiter auctoritate Papæ. Nã actus prædicõis,eſt actus iuriſdictionis,licet non coactiuæ. ſed omnis iuriſdictio à Papa depẽdet,cuius eſt ſignũ,ꝙ ipſe cuilibet epiſcopo ſuã præfigit diœceſim,& auctoritate ſua quilibet plebãus ſuã & ſibi comiſſam gubernat Eccleſiã, ergo ſicut abſq; auctoritate ſuperioris,nec ipſi ſũt diœceſani,nec plebani curati, ita nec ſine auctoritate Papæ cõuenit eis prædicare. Sit pro nunc ſeptimus honorabilis Thomas de VValden Anglicus,qui per omnia quaſi in propriis terminis cõcordat provt patebit inferius. Ad idẽ ſunt omnes poſtea in corollario allegandi, ad idem ſunt omnes prius per alios iudices allegati,& prout præmiſi,non credatis nos in ſententia concurrere,quia ambo dicimus,quod ſacerdos vel diaconus adhoc quod prædicet debet eſſe miſſus,ſed in hoc diſſerimus,quod vos dicitis,quod illa miſſio ſit ex mãdato Dñi,& ex miniſterio epiſcopi in collatione ordinis diaconatus vel ſacerdotij, & contra hoc militant quæ dicta ſũt,& quæ dicẽtur,reprobabũt illud. Octauus ſit VVilhelmus Epiſc. Pariſienſis in ſuo ſacerdotali,dicit quòd autoritas

Auguſtin. de Ancona, de eccleſiaſtica poteſta.q.64. art.2.

Thomas VValdenſis.

Guilielmus Pariſienſis.

itas prædicandi presbytero non datur, niſi dum cura a-nimarum ſibi cōmittitur. hoc enim officium eſt curæ a-nimarum añexum. Nunquā enim dicitur eis in ſua ordi-natione, ite, docete, *ſeu* prædicate; docere enim ſeu præ-dicare ſpeciale eſt officium Epiſcoporum, propter quod in ſuis cōſecrationibus dicitur eis, ite, prædicate populis. Epiſcoporum etiam eſt, doctores in diœceſibus conſtitu-ere, quia nulli licet prædicare in quacunq; diœceſi, niſi de mandato Epiſcopi. hæc ille.

ISta pro tanto conſcripſi, quia horum oppoſitū directè in veſtris præſentatis ſcriptis reperi, dixiſtis enim in v-na cōcluſione, q quilibet prædicator verbi dei debet eſſe miſſus: & in notabili ſuper termino, *liberè* dixit proponens quòd talis miſſio ſeu licentia datur per miniſterium Epi-ſcopi & à domino, quando ad ordinem diaconatus vel preſbyteratus qs ꝓmouetur. cōcluſiſtis ergò, q ex mā-dato Chriſti tenētur prædicare, nec poſſēt ab vllo prohi-beri, & ne videretur hoc mirabile, direxiſtis ad rationes quas facitis conſequenter ad probandum oppoſitum eo-rum, quæ dixi, ad quas reſpondebo hoc modo. Prima fuit hæc: ſacerdos Domini, ſpiritu IESV inſtigante, poteſt ſine ſpeciali Epiſcopi licētia aut Prælati prædicare verbū Dei, ergò ſibi licet. tenet cōſequētia, quia *oportet magis obedire Deo quàm hominibus*. Act. quinto. Reſpōdeo, q aſſūptū ve-rū eſt, ſi aliquis ſacerdos ſe à ſpiritu IESV inſtigatū ad præ-dicādū ꝓbare poteſt. *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpirit⁹ an ex Deo ſint*. Circa iſtā materiā qua quidā dicunt ſe ſpiritu Ieſu inſtigari ad prædicādū, notādū q valdè dubi-oſū eſt & periculoſū hōini ſemp ſe præſumere inſpiratū à Spiritu S. ſciendū q ſecundum B. Thomā 2.2.q.171.ar.5. mens humana inſpiratur à Spiritu ſancto dupliciter: vno modo per expreſſam reuelationem, puta per ſpiritum

Reſponſio ad primum argumentum aduerſarij.

Actor. 5.

1. *Ioh. 4.*

Thom. 2.2. q. 171. ar. 5.

Digitized by Google

propheticæ, vel per donum diſcretionis ſpirituum. & qui hoc modo inſpiratur, certiſſimus eſt quod non decipitur, veruntamen vt prædixi, nec iſti miſſioni credere tenentur alij, niſi probet ſe ſic miſſum per ſcripturam, vel miraculum, *de hæreticis. Cum ex iniuncto.*

De hæreticis: cum ex iniuncto. ſupra in 5. probatione concluſionis.

Alia eſt inſpiratio per internam inſtigationem, quæ vocatur inſtinctus, quem interdũ etiã neſcientes humanæ mẽtes patiuntur, vt dicit beatus Auguſtinus libro 2. ſuper Geneſin. & diſtinguere, an talis inſtinctus ſit à Deo, an à Diabolo, tam eſt difficile, vt vix aliquis viuens in hoc ſemper poſſet eſſe certus, vt dicit B. Bernardus ſuper Cantica, homi. 33. & hoc propter motionem mentis noſtræ, & Spiritus ſancti maximã ſimilitudinem, & Angeli Sathanæ in Angelum lucis trãſfigurationem. Vnde quàm ſtultum ſit ſemper credere tales inſtinctus à Deo veniſſe, patet ex hoc, quod etiam Prophetæ decepti ſunt noñunquam, putantes eſſe ſpiritum Dei, cum ſpiritus proprius loqueretur, vt dicit beatus Gregorius ſupra Ezechielem.

Auguſt. l. 2. in Geneſ. c. 17. to. 3.

Bern. in Cant. hom. 33.

Gre. hom. 1. in Ezech.

Signa quibus diſcernitur inſtinctus diuinus à proprio.

ſunt tamen aliqua ſigna, quibus diſcerni poteſt an ſit inſtinctus à Deo. Primum ſi ſit conformis diuinis ſcripturis. vnde dicit beatus Gregorius moralium 23. ſuper illo Iob 33. *Semel loquitur Deus & idipſum ſecundò non repetit, hoc eſt dicere, Deus ſingulorum cordibus priuatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit per quod cũctorum quæſtionibus ſatiſfacit. in ſcriptura quippe eius eloquio, cauſſas noſtras ſinguli ſi requirimus, inuenimus.* hæc ille.

1. Gregorius lib. moralium 23. c. 18. & 19

Secundum, ſi talis motio approbatur ſpiritualium virorum, & maximè Prælatorum iudicio, ſecundùm Bernardum, propter hoc Paulus etiam poſtquam reuelationẽ Chriſti habuit, mittitur ad Ananiam, Cornelius ad Petrũ, ſic Eunuchus inſtruitur per Philippum, vt approbationẽ & iudicium virorum ſpiritualium requirere doceremur, ſicut de hoc plenius in collatione patrum habetur. Tertium

2. Bernardus. Act. 10. 9. 8.

3. Bernardus in Pſal. Qui

tium eſt affectus, quem talis interior motio cauſat. Nam ſpiritus diuinus facit hominem intus humilem, flexibilē. Spiritus Diabolicus præſumptuoſum & pertinacem. Nam ſunt viç Diaboli, ſecundùm beatum Bernardum, ſuper illud Pſalmiſtæ: *Qui habitat.* Quartum eſt ordo inſpirandi, quia ordo commotionis Spiritus ſancti eſt, quod loquitur primo in turbine, facit hominem pauidum, timoratum & percuſſum, & propriam fragilitatem cognoſcere, & poſtea erigit in ſpem. Econtra autem diabolicus ſpiritus, vt dicunt gloſſæ Luc. 1. & Matth. vlt. de terrore boni Angeli, qui virginem beatiſſimam Mariam ſalutando, & mulieres terruit circa ſepulchrum. Quintum eſt ſecũdum circumſtantias perſonæ, ſi inſtinctus non trahat ſupra propriam * perſonam, & contra debitum ordinem perſonarum, inter quas viuit. nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ad Rom. 13. Sextum, ſecundùm circumſtantias perſonarum, inter quas viuit, ſi charitatem non infringit, ſi pacem non turbat, vt beatus Bernardus reſpondit cuidam Abbati, qui ſe putabat ſpiritu Dei moueri. Multa talia ſigna poni poſſunt non tanquam certæ ſcientiæ, ſed tanquam quædam coniecturæ, quia, vt dictum eſt, ſcientiā de talib⁹ vix aliquis habere poteſt. Vnde Iob 9. *ſi venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam.* vbi dicit beatus Gregorius. *donec rerum alternantium finis neſcitur, acceſſus receſſusq; diuinus ignoratur. Spiritus enim vbi vult, ſpirat, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat, ideo periculoſum eſt omni ſpiritui credere, ſed probandi ſunt ſpiritus, ſi ex Deo ſint,* docet beatus Ioannes Euangeliſta.

habitat. in verſum 11. ante medium. Sermone 11.

4.

5.

* *alter liber menſuram.*

Rom. 13.

6.

Bernardus.

Iob 9.

S. Greg. lib. moral. 9. c. 11.

Si ergo quæris, quis inſtinctus ad prædicandum, & lucrificandū animā proximi diuinus poſſit dici. Reſpōdeo, ꝙ hoc ex quinq; poſſit diſcerni: primū eſt, ſi illi ſic moti nō mouētur ex affectu & deſiderio proprio, ſed quantū in ip-

Qualis inſtinctus ad prædicandum poſsit dici diuinus.

1.

ſis eſt ſemper deſiderant ſibi vacare, & nequaquam officio prædicationis deſeruire, ſed neceſſitatis charitate, vel ſuperioris imperio, ad hoc coguntur, arrogantes verò & appetitu laudis vanæ mouētur, ſeipſos ingerunt, & occaſionem quærunt, vt loqui & docere poſſint, nec expe-
2. ctant, donec vtilitas exigat vel neceſſitas requirat. Secundum eſt, quòd illi, qui benè afficiūtur, nō ſe eſſe ex hoc aliis meliores, reputant, eo quòd ipſi alios docēt, ſed ſe magis reputant, ſicut veraciter ſunt, in maiori periculo, arrogantes autem peccatores alios deſpiciunt, ſe cunctis ſapientiores & meliores reputantes. His duobus dicit
beatus Gregorius 23. libro moralium. *Sancta vniuerſalis Eccleſiæ ſpiritualis quiſque prædicator, in cunctis quæ dicit ſolerti cura ſe inſpicit, ne in eo quod rectè prædicat, vitio ſe elationis extollat, ne vita à lingua diſcordet,* & infra, *indignum ſe omnibus iudicat, etiam cum dignus cunctis viuat, ſcit enim, quòd bona, quæ innoteſcunt hominibus, ſine periculo vix eſſe poſſint, & quamuis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens nec videri, atq; ſibi hoc omnimodo quod loquendo proditur, pertimeſcit, & ſi liceat tacere, appetit, dum eſſe multis tutius ſilentium cernit, eosq; ſe feliciores putat, quos intra ſanctam Eccleſiam, locus inferior per ſilentium occultat, & tamen vt ſanctam Eccleſiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex neceſſitate quidem officium locutionis ſuſcipit, ſed ex magno deſiderio ocium taciturnitatis quærit, hoc ſeruat voto, illud exercet miniſterio, hāc autē docendi formulā arrogantes ignorāt. Neq; enim loquūtur, quia cauſæ eueniunt, ſed quia cauſas venire appetūt, vt loquātur.* hæc Gregorius.

S. Gregorius lib. 23. moralium. c. 4.

3. Tertium eſt, quādo quis magno affectu accenditur ad prædicandū, cuius tamen ſtatui repugnat publicè prædicare, ſed magis incumbit in ſolitudine vacare, ſicut monachis multis, quorū officiū eſt plangere, non docere, ſecundum B. Hieronymum. Quartum eſt, ſi aliquis debilis, & nōdū à con-

S. Hieronym.

à concupiſcentiis * exercitatus & in humilitate funda- *aduerſus Vigilant. cap. 6.*
tus inſtigetur ad prædicandum volens aliis proficere, &
ſe negligere. Vnde beatus Bernard. ſuper Cantica, ſer. 8) 4
quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi priùs quàm infundaris tu; totus ſemiplenus feſtinas effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenita tondens. Nimirum vita atque ſalute, quam alteri das, te fraudas, dum ſana vacuus intentione, gloria inanis vento inflaris, aut terrena cupiditatis veneno inficeris, & letali apoſtemate turgens interis: hæc Bernardus. ** forſan extricatus.* *Bernardus ſerm. 18. ſuper Cantica.* *Deut. 15.*
Quintũ eſt, ſi affectus hominum ingerit ad prædicãdum, qui nec à Prælatis miſſus eſt, nec à Deo, ſiue per vocationẽ ſpiritualem; & de his tribus vltimis dicit B. Bernardus ſuper Cantica, ſerm. 64. *claret namque & eſt certum, quòd publicè prædicare monacho non conuenit, nec nouitio expedit, nec non miſſo licet. Porrò contra hæc tria venire quanta conſcientiæ demolitio eſt? ergò quidquid tale animo ſuggeritur, ſiue illud ſit tua cogitatio, ſiue immiſſio per Angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, id eſt, malum ſub ſpecie boni.* hæc ille. 5. *Bernardus ſuper cantica, ſerm. 64.*
Et notandum quòd vbi omnia hæc concurrũt, diſcerni poteſt, an inſpiratio à Deo vel Diabolo prouenerit ſecundum humanam coniecturam, nõ ſecundum neceſſariã ſciẽtiã. Sed tria vltima ſũt manifeſta diabolicæ inſpirationis indicia. Et ſic patet, q̃d ſit dicendũ ad argumẽtũ, vbi aſſumitur, Sacerdos ſpiritu Ieſu inſpiratus, poteſt prædicare, nolente Prælato quocunq;. Oſtendant ſe inſpiratos, & credim⁹ eis. Si quæritur, qualiter hoc ꝓbari debet, dico, quòd per miraculũ, aut ſcripturæ ſacræ teſtimoniũ. & hoc ꝓbo multipliciter, 1. ex veteri teſtamento. nam Ex. 3. dum Dñs mitteret Moyſen ad denunciandũ Pharaoni eius voluntatem, ait Moyſes, *quod ſignum oſtendis mihi, vt credant mihi Pharao & filii Iſrael, quod me miſeris?* ſtatim virtutẽ miraculorũ Dñs ſibi dedit, vt virgã in colubrũ, & econ- *Indicia veri prædicatoris.*

uerſo transformare poſſet. In nouo: ex praxi Chriſti in ſe & in ſuis Apoſtolis. In ſe, quia cùm dixit, *ego ex Deo proceſſi*
Io.8. *& veni in mundum, neq; enim à meipſo veni, ſed ille me miſit*, Ioa. 8. volens oſtendere, quomodo hoc eſſet verum, primo
Io.5. *forſan eoſdē direxit* idem ad ſcripturas dicens, Ioannis 5. *Scrutamini*
Luc. 24. *ſcripturas, illæ teſtimonium perhibent de me*. quæ autem fuerint illæ Scripturæ, oſtendit ipſe Lucæ vltimo, dum aperit diſcipulis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, dicens: *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt de me. in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis*, & quia ad ſcripturarum teſtimonium non attenderunt, vt eſſent inexcuſabiles, fecit opera miraculorum, quibus debebant ipſum credere à Deo miſſum, ait enim, *ſi opera non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum nō haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*,
Ioa.15. Ioann.15. Ecce quomodo ſaluator docuit, quòd quicunque ſeſe à ſpiritu Ieſu inſtinctum ad prædicandum dicit, hoc probare tenetur miraculis, vel ſcripturis de ſe conſcriptis. Idem in ſuis Apoſtolis idem practicauit. Nam vt ſtatim dum eos miſit, virtutem miraculorum eis tribu-
Matt.10. it dicens, *infirmos curate, leproſos mundate, &c.* Matt.10. Eadem etiam fuit praxis Apoſtolorum, qui ſuam nouam doctrinam confirmarunt per miraculorum conſummationem. vnde Marci vltimo. *illi autem profecti prædicauerunt v-*
Mar.16. *biq; domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſig-*
2.Cor.12. *nis*. Ita beatus Paulus ait Corinthiis: *ſigna apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, ſignis & prodigiis & virtutib⁹* hoc eſt, apoſtolatus ſua in vobis ſigna monſtrauit, p patientiam in moribus, & prodigia in ſignis, ſecundum bea-
Hieron. in c. 12. 2. ad Cor. tum Hieronymum. Hoc promiſit certitudinaliter pro-
Pſal.67. pheta dicens, *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, id eſt, virtute fidei & miraculorum, ſecundùm expoſitionem Caſſiodori. hæc determinatio Concilii Latera-

teranenſis in capitulo, *cum ex iniuncto de hæreticis*, dicens, *quod ſi fortè quis arguté reſpōdeat, quia tales inuiſibiliter mittantur à Deo, etſi non viſibiliter mittantur ab homine, cùm inuiſibilis miſſio multò ſit dignior quàm viſibilis, & diuina longè ſit melior, quàm humana, poteſt rationabiliter reſponderi, quòd cum illa interior miſſio ſit occulta, non ſufficit cuiquam undè tantùm aſſerere, quòd ſit miſſus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus aſſeueret, ſed oportet quòd aſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationem miraculi, vel ſcripturæ teſtimonium ſpeciale. Vnde cum Dominus mittere vellet Moyſen ad filios Iſrael in Ægyptum, vt crederent ei, quòd mitteretur ab ipſo, dedit eis ſignum, vt mutaret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Ioannes quoq; Baptiſta, ſpeciale ſuæ miſſionis teſtimonium protulit de ſcripturis, dicens: Ego vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.* Hæc iſte. *Et* ſic patet ſolutio ad primum. *c. cum ex iniuncto de hæreticis, lib. 5. c. 12.* *Ioan. 1.* *Eſa. 40.*

Secunda ratio fuit hæc: Ligius homo ſub poteſtate regia cōſtitutus, ſpiritu Dei inſtigatus, poteſt dare eleemoſynam corporalem indigenti ſine ſpeciali licentia Regis, ergò multò magis ſacerdos Domini poteſt licitè prędicare verbum Dei ſine ſpeciali licentia *Prælati*, cum eleemoſyna ſpiritualis ſit multò dignior corporali. Reſpōdeo, negando conſequentiam, non enim eſt ſimilitudo conueniens. Nam laici poſſunt dare eleemoſynam, & tamen non poſſunt prædicare ordinaria poteſtate, cùm ſit ſolius ſacerdotis officiū, 16. q. 1. *adiicimus*. Inſuper quòd ſacerdos prædicet, requiritur quòd vltra ſacerdotalem auctoritatem habeat commiſſionem ſpecialem ad prædicandum, vt probatum longè ſatis ſuperius. Sed hoc nō oportet de dando eleemoſynam corporalem, ſaltem regulariter loquendo, ergo claudicat ſimilitudo. Tertio, quia licet quilibet debet communicare eleemoſynam ſpiritualem pro poſſe; tamen Apoſtolus docet ſingula ſe- *Reſponſio ad 2. arg.* *16. q. 1. adiicimus, c. 19.*

Digitized by Google

cundum ordinem fieri debere: non autem eſſet debitus ordo, ſed ſempiternus horror; ſi quilibet ſacerdos poſſet prædicare vbi vellet, absq; ſpeciali commiſſione, vt probatum eſt ſupra ex æterna lege. Quartò, quia ex eodem fundamento arguere poſſem: miſſare pro aliis eſt eleemoſyna ſpiritualis, ergo cui licet dare eleemoſynam corporalem, licet celebrare miſſam, cum maior ſit eleemoſyna ſpiritualis, quàm corporalis. conſequens falſum. ergo claudicat prouerbium. Quintò, quia dare eleemoſynam non eſt prohibitum, ſed prædicare contra voluntatem Prælati eſt prohibitum ſub pœna excommunicationis, in c. *cum ex iniuncto*, vt iam dictum eſt. ergo, &c. Inſuper non eſt ſimile de pane materiali & verbo Dei prædicando, quoniam ex eleemoſyna materiali non ſequitur periculum apud ſuſcipientes eam ſicut periculũ ſæpè videmus ſequi ex libertate prædicãdi propter adiunctionem venenatam doctrinæ, quę conſueuit admiſceri * cum forma veritatis eloqui, quemadmodum conſueuerũt facere * paſtores hæreticorũ, & ideo Eccleſia ſancta volens huiuſmodi pericula remouere ex ſpiritu ſancto edocta, ordinauit, quod nullus tribueret panem ouibus Chriſti publicè, abſq; autoritate ſuperioris paſtoris, qui agnoſceret quale pabulum ſuis ouibus conueniret. S. Thomas in 4. diſt. 15. ſoluit dicens de eleemoſyna quæſtione tertia, articulo 2. quód ſicut dare eleemoſynam corporalem non cadit ſub præcepto obligante, niſi ad tempus neceſſitatis, & vt alicui in neceſſariis vitæ ſubueniatur: Ita ad doctrinam alterius non obligatur homo præter debitum officium, niſi in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & quando non eſſet qui inſtrueret, vel quando aliquis alium errantem videret, niſi eſſet alius qui ex officio facere teneretur. Aliâs autem docere, eſt

*alius liber farina veritatis eloquij, *piſtores.

S. Thom. 4. diſt. 15. q. 3. art. 3. ad 1.

con-

conſilium & ſupererogatio quædam, ſicut & de eleemoſyna corporali dictum eſt. hæc ibi.

Tertia ratio veſtra fuit hæc: Conſummato matrimonio, coniuges ſine licentia ſpeciali Prælati poſſunt licitè generare filios carnales. ergo ſacerdotes Domini poſſunt licitè generare filios ſpirituales per prædicationem verbi Dei, ſine licentia Prælati. Reſp. negando conſequen. propter diſſimilitudinẽ, quia generare filios carnales, eſt principalis finis & bonum matrimonii. alius finis, ſcilicet, ꝙ eſt inſtitutũ in remedium contra cõcupiſcentiã, eſt ſecũdarius. Sed generare per prædicationem filios ſpirituales nõ eſt principalis finis ſacerdotij, quia vt dictũ eſt prius in notabili, de diſtinctione ſacerdotũ curatorũ & non curatorũ. principalis eſt actus ſacerdotij cõficere corpus Chriſti verum. ſed ſecundarius eſt actus ſuper corpus Chriſti myſticum, ſcilicet generare filios ſpirituales in foro pœnitentiæ, vel ſacramentorũ collatione, aut verbi Dei prædicatione, ſed iſte ſecundus actus non conuenit omnibus ſacerdotibus, niſi tãtum curatis, vel à Prælatis ad hoc deputatis, vt dicit idẽ S. Thom. & Albertus M. Ad confirmationem qua ſic aſſumitis: Peius eſt ſemen verbi D e i non admittere vel ſuffocare, quàm ſemen carnale, ſic e conuerſo melius eſt ſemẽ verbi Dei ſpargere & ſuſcipere, quo ſuſcitentur filii Dei, quàm ſuſcipere vel dare ſemen, de quo ſuſcitentur filii carnis. Ideo dicit Dñs Matth. 10. *Quicunq; non receperint vos neq; audierint ſermones veſtros, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, quòd tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicii, quàm ciuitati illi.* Reſpond. ꝙ verũ concluderetis, ſi prælati verbũ Dei omninò ſuffocarẽt, & neceſſariã doctrinã populo ſubtraherẽt, ꝙ vtiq; nõ fit ex hoc, ꝙ nõ quilibet ſacerdos ꝓdicat, ſed magis ſemẽ verbi Dei ſpargit, q͂a ꝑ eos, ad quos ſpectat,

Reſponſio ad 3. argument.

Matt. 10.

ctat, ſcilicet curatos, & à *Prælatis* miſſos, copioſè ſeminatur. vnde ſi quis tales impediret vel prohiberet, ille ſemen doctrinæ ſuffocaret, & grauiter reprehendendus eſſet. Quemadmodum B. Hieronymus ſcribit ad Ruſticũ monachum, & aſſumitur diſtinctione 95. *ecce ego*, dico reprehendendos Epiſcopos, qui prohibuerunt curatos, ne in præſentia eorum prædicarent populis, & ſic doctrina neceſſaria ſubtrahebatur eis. ſicut hic dicitur de ſemine ſpirituali non ſuffocando, ita dicit B. Thomas de non abſcondendo, ſecunda 2. q. 185. articulo primo, quod ille dominica frumenta doctrinarum non dicitur abſcondere, cui ex officio non competit diſpenſare, nec ei iniungitur à ſuperiori, ſed ille dicitur abſcondere ea, qui officium ſibi commiſſum negligit, vel pertinaciter recipere renuit. Inſuper, ſicut non quilibet ager ſeminari debet à quolibet agricola, ſed tantùm ab eo, cuius eſt, vel qui ad hoc conductus eſt, ita non quilibet populus à quolibet presbytero inſtruendus eſt per publicam prædicationẽ, niſi tantum ab eo, cuius eſt, ſcilicet curato, vel qui ad hoc à ſuperiori conductus eſt. Nullus enim debet gloriari in aliena regula, nec in immenſum extendere Euangelium, id eſt, prædicationis actum. ita 1. ad Corinth. 10. hoc eſt ꝗ dicitur, *ne mittas falcem in meſſem alienam*. Præterea, licet ſemen carnale, ſi ad vas appropriatum ſeminatur, adhibitis debitis circumſtantiis, eſt meritorium; Ita ſi ſeminetur in perſonam prohibitam, eſt fornicationis ſeu adulterii peccatum. ita quanquam verbum Dei ſecundum ordinationem Eccleſiæ ſeminare in locis commiſſis ſit licitum; tamen adulterari, id eſt, ibi prædicare, vbi prohibitum eſt fieri, eſt demeritorium. imo excommunicationis incurrũt tales periculum, vt patet de. *hæreticis. Excommunicamus*.

diſtin. 95 c. ecce ego. c. 6.

S. *Thom.* 2. 2. q. 185. ar. 1. ad 3.

lib. 5. *c.* 7. Ex*communicamus. c.* 13.

Quarta.

Quarta ratio fuit hæc: cum Heldad & Medad prophetarēt, noluit eis Moyſes prohiberi, Num. 11. Sed dicit *Quis det, vt omnis populus prophetizet?* Ergò, &c. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia magna eſt differentia inter prophetare & prædicare. Nam prophetare mulieribus conuenit, ſicut & viris. Sed prædicare non poteſt propriè conuenire, niſi tantum viris. Nam mulieri docere non permitto, 1. Tim. 2. nec viris omnibus, niſi tantùm presbyteris regulariter, in capitulo adiicimus 16. q. 1. c. 19. quia toti populo fuiſſet vtile recepiſſe donum prophetiæ, ſed non eſt vtile Eccleſiæ, quod quilibet ſacerdos vellet prædicare liberè, & ſi eſſet vtile, omnes optaremus. Præterea ad prophetandum nō requiritur aliquid per ſe, niſi illuminatio mentis propheticæ diuinitus per lumen diuinum impreſſum, ſed ad prædicandum plus adhuc requiritur, ſcilicet miſſio ad certum locum ſeu populum. vnde miſſio tria importat. 1. auctoritatem ex parte mittentis. 2. idoneitatem ex parte miſſi. 3. determinatum locum ſeu populum, ad quem mittatur. primum eſt terminus à quo. ſecundum medium ad quod. tertium eſt terminus ad quem. ſententia eſt domini Alberti Magni ſuper Lucam, c. 10. de miſſione diſcipulorum. Inſuper quinto, ſi Deus omnibus communicaret donum prophetiæ, ex hoc nulla* diſtaſia fieri poſſet ſeu deordinatio Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Sed ſi ſinguli presbyteri indifferenter vbiq; prædicare vellent, ſequeretur maximus error in eccleſiaſtica hierarchia, vt probatum eſt ex lege æterna, ergò non eſt ſimile prædicare & prophetizare. Sexto, quia habens donum prophetiæ, poteſt illo immediatè vti abſq; alia probatione, ſed qui habet donum prædicandi, non poteſt eo vti, niſi probet ſe à Deo miſſum, per ſcripturam vel miraculum, vt dictum eſt in reſponſione

Reſponſio ad quartum argumentum. de prophetia. Num. 11.

1. Tim. 2.

ſupra reſponſione ad 2. arg.

Miſſio tria importat.

Albertus in Luc. c. 10.

** alter liber diſcordia.*

Digitized by Google

ad primum argumentum veſtrum, ergo iterum non eſt ſimile.

Reſponſio ad quintum arg. Vltima ratio veſtra fuit hæc. Ita licet facere Chriſti Sacerdotibus, ſicut Apoſtolis & 72. diſcipulis. ſed illi à Chriſto miſſi, non iuerunt ad petendum licentiam prædicandi à Prælatis, vel alter ad alterum, ergo ita & nũc ſine licentia ſpeciali licet prædicare Presbyteris. Reſpondeo negando conſequentiam. quia licet Apoſtoli potuiſſent prædicaſſe ſine licentia aliorum prælatorum, quia habebant licentiam ſui Prælati, ſcilicet Chriſti, non ſequitur, quòd ergo quilibet ſacerdos, cum non ſit omnis talis taliter licentiatus à Chriſto. Etiam conſequẽtia non valet ex eo, quòd non omnes Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, ſed ſolùm Epiſcopi, vt patet diſt. 21. *in nouo*, in actu juriſdictionis. Reſpon. 2. negando illud quod pro minori aſſumitis, quia vt probatum eſt ſuperius loco tertio, ſcilicet praxi Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti, dictum eſt, quòd Apoſtoli licet recepiſſẽt à Chriſto Domino immediatè auctoritatem prædicandi, tamẽ executionem illius auctoritatis receperunt à beato Petro, quia ſibi ſoli tradita fuit poteſtas paſcendi vniuerſaliter, & ſecundũ eius diſtributionem iuerunt ſinguli Apoſtoli ad implendum præceptum Chriſti. In cuius ſignum etiam dictum eſt, quòd Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe omnium eorum ſummum Pontificem, prout deductum eſt ſatis clarè ibidem. Reſp. 3. quòd Apoſtoli & diſcipuli non indiguerunt petere licentiam à Prælatis illis, quibus volebant prædicare, quia poterant ſe probare miſſos à DEO & per ſcripturas à Chriſto prophetatas, nunc impletas, qui debebat mittere diſcipulos. De quibus Pſalmiſta. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* & iterum per ſigna miraculorum, quæ fecerunt

dist. 21. in nouo, c. 2. (margin)

Pſal. 18. (margin)

runt copioſè. hæc enim ſunt duo neceſſaria ei pro altero eorum, qui vult prædicare abſq; licentia Prælati, vt oſtendat ſe miſſum eſſe à Deo, vt probatum eſt, reſponſione ad primam rationem veſtram. Et iterum, quia illi Prælati non fuerunt ſuperiores Apoſtolorum, ſed Apoſtoli fuerunt Prælati ipſorum. De quibus Pſalmiſta: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Ad confirmationem qua aſſumitis contra prædicta; beatus Apoſtolus Paulus vocatus à Chriſto ad prædicandum, non iuit ad Apoſtolos petere licentiam, vt patet ad Galatas primo. Reſpondeo, quod ratio fuit, quæ dicta eſt, ſcilicet quia potuit probare ſe à Chriſto miſſum immediatè per ſigna miraculorum, ideò dicit ſanctus Thomas ad Galatas ſecundo: Sed poſſet dicere aliquis Paulo, vnde conſtat nobis, quòd tibi ſit commiſſum Euangelium in gentibus? Reſpondet Paulus, *per operationem Chriſti.* Sicut etiam patet, quòd Petrus accepit Euangelium à Chriſto propter miracula, quæ fecit Chriſtus per eum, ita patet, quòd ego, ſcilicet Paulus, ab ipſo accepi ſcil. Chriſto, etiam propter miracula, quæ operatus eſt in me. vnde dicit, *qui operatus eſt Petro*; id eſt, qui Petrum Apoſtolum fecit in Iudæa, ſcil. Chriſtus, ipſe operatus & mihi inter gentes id eſt, me fecit Apoſtolum gentium, nec tamen totaliter omiſit, ſed venit ad Petrum, & contulit ſecum & cum aliis Apoſtolis Euangelium, vt patet ad Gal. 2. Sequitur Epilogus.

Pſal. 44. *Gal. 1.* *Gal. 2.*

QVod iſta concluſio, concluſioni proponẽtis contraria, eſt vera, ſecundùm expoſitionem terminorum præhabitam: *Verbum DEI à Sacerdotibus Domini non debet liberè ac ſine impedimento fideliter prædicari & enunciari.* ex deductione ſequũtura ſta. Primò ꝙ ordinariè prædica-

rores in Eccleſia ſunt Epiſcopi & curati, quia illi propriè ſuccedunt duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis Domini. Secundum, quòd alii gradus in Eccleſia non ſunt à Diabolo, quia à Chriſto & in veteri teſtamento ſunt præfigurati, vt in agro Prælati, in lecto Religioſi, in mola laici. Tertium, quod iam non eſt expectanda reuelatio à Deo vt manifeſtet quid credere debeamus, quia ſcientia Domini plena eſt terra, & Eccleſia ſufficienter in omnibus illuſtrata. Quartum, quod multum decorat Eccleſiam Dei, eſſe diuerſos ſtatus, ſicut decorat corpus humanum, quod habet diuerſa membra, quorum quodlibet habet diſtinctum ſibi proprium actum. Quintum, quòd iſte ordo Eccleſiaſticus debet indefectibiliter ſeruari, ne ſi quilibet vellet indifferenter prædicare, confunderetur tota monarchia principatus monarchici. Sextum, hoc probatum eſt auctoritatibus veteris & noui teſtamenti. Septimum, quòd licet omnes Apoſtoli eſſent à Chriſto immediatè miſſi ad prædicandum, non tamen licuit cuilibet eorum ire quo voluiſſet, niſi præſuppoſita, ante eorum diuiſionem auctoritate Petri, quia ſoli dictum eſt, *paſce oues meas*. Octauum, quod valdè periculoſum eſt credere, ſe à Spiritu ſancto inſpiratum, niſi poſſit hoc probari per ſcripturam vel miraculum. Vnde nulli creditur, quòd ſit miſſus ad prædicandum à DEO, niſi probet ſcriptura vel ſigno. Hæc quæſo in corde bono & optimo accipite, vt fructus optatus ſequi valeat. Quilibet veſtrum verbum quod audiuit, attentè retineat loco eius, qui ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* In præſenti gratiam, in futuro gloriam conferendo, quam nobis concedat Ieſus Chriſtus benedictus in ſecula glorioſus, Amen.

Ioan.14.

Iam

Digitized by Google

IAm pro tertio & actu finali in beatiſſimæ Trinitatis nomine, patris, inquam, miſericordiarum, cuius omnipotentia aperuit ora multorum, filii vnigeniti, cuius omni ſapientia diſertas facit linguas infantium, & Spiritus ſancti paracliti, cuius omni clementia, materiam ſuggerit dicendorum, Patres reuerendiſſimi, cæterique domini præſtantiſſimi, mediante beatiſſima Dei genitrice, cui non deeſt poteſtas, cum ſit mater omnipotentiæ, nec induſtria, cum ſit mater ſapientiæ, neque adiuuandi voluntas, cùm ſit mater totius clementiæ & miſericordiæ, ſecũdum beatum mellifluum Bernardum in ſermone, actũ nunc diebus continuatum geminis iam concludendũ ſub breuibus, reſumo verba in altera vice alterata, *Qui in corde bono & optimo verbũ Dõini audiẽtes retinẽt, fructũ afferunt in patientia.* vbi poſtquam declaratum eſt primo, quòd locus congruus eſt aptificandus, in quo fructificare queat ſermo diuinus, quod fit in corde bono & optimo. Conſequenter quomodo obſeruandus eſt modus debitus, ſi audientes verbum retinent finaliter, eſt nunc concludendum, ſi ita fecerimus, quem conſequemur profectum, ſcilicet *fructum afferunt in patientia,* & quis eſt iſte fructus, quẽ intendimus, quem quærimus, quem Dominus donet vt reperiamus? certè non alius, quàm ille, quem in patientia expectamus, in hoc nomine *patiẽtia* etymologizatus. hæc enim eſt etymologia eius. *Patientia,* pacis entia, patientia, pacis ſcientia, patientia, pacis encænia. Nam pacis entia ſunt pax in gratia vel gloria, pacis entia in propria conſcientia, pax cum ſeipſo; pacis ſcientia, pax cum proximo; ſed pacis encænia, pax intelligitur cum Deo, pax conſcientiæ cum ſeipſo, & pax Angelicæ modulationis. *In terra,* inquit, *pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. pax amicitiæ cum proximo eſt, pax apoſtolicæ prædicationis, opta-

Hoc caput in alio libro prorſus non habetur.

Suprà initio.

Luc.c.10. optata ſolis filiis pacis, Luc.10. pax gratiæ & gloriæ, eſt pax Chriſtiferæ ſalutationis, qua in vnū congregatis, *pax*, inquit, *vobis*. Ioa.20. hanc itaq; patientiam, veræ pacis exiſtentiam Pſalmiſta dicit, pacem multam, *pax multa diligentibus legem tuam*, multa, quia conſcientiæ, amicitiæ, & gratiæ, multa, quia Angelica, Apoſtolica, & Chriſtifera, multa, quia ſecum ipſo, proximo, & cum Deo, multa, quia per nos multos, multoties corde optata, ore poſtulata, & nūc opere exhibita, atq; doctrina, multa, quia nō vnius hominis tantùm, ſed totius regni incliti Bohemiæ, Marchionatusq;, Morauiæ, pro ſalute æterna, multa, quia omnium noſtrum vobiſcum, & omnium veſtrum nobiſcum, vnione fraterna. Pax multa vtiq; erit, ſi vna fides, vnum baptiſma, vnus omnium ſacramentorum Eccleſiæ ritus, vnus clericalis viuendi modus, vna ſpes certa, vna charitas firma, & vna Eccleſia ſancta Catholica, nobis omnibus cor vnum fuerit, & anima vna in Deo. Ecce fructus in patientia, in pacis veræ exiſtentia. Hinc conſilio Aurelii Auguſtini de verbis Domini ſermo. 8. *qui hanc pacem acceperit, ipſam teneat, qui perdiderit, ipſam repetat, qui amiſerit, ipſam requirat, qui enim in ea*, inquit, *inuentus non fuerit, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominus alienus efficitur à Spiritu ſancto*. De hac pacis ſcientia orat quotidiè Eccleſia. *Da pacem hanc in diebus noſtris*. Et Pſalmiſta. *fiat pax in virtute tua*. In hac patientia, id eſt, veręe pacis efficientia, poſſidebitis animas veſtras, in præſenti in gratia, in futuro in gloria, quam nobis dignetur præſtare propter ſuam magnā gloriam, propter ſuæ infinitæ miſericordiæ clementiam, propter vulnerum ſuorum, mortis, crucis, & paſſionis patientiam & amaritudinem. IESVS Dominus benedictus in ſecula glorioſus.

Ioan.20. Pſal.118. Pſal.121.

Amen.

He

EX præſcriptis elicio aliqua corollaria, quorum cuiuſlibet dominus ꝓponēs oppoſitum mihi miniſtrauit, ſaltem in ſententia. Primum, quòd nō quilibet ſacerdos habet poteſtatem prædicandi liberè ex vi ſacerdotalis conſecrationis, ſed virtute juriſdictionis. Secundum, Non eſt præceptum Domini, quēlibet Preſbyterum prędicare verbum Dei. 3. licet Papæ vel Epiſcopo ꝓhibere, ne q̃libet ſacerdos prædicet abſq; ſua licētia liberè vbiq; & ſub pœna excōmunicōis ſentētiæ. 4. multū ſalubre eſt multos miſſātes eſſe, etiāſi pauci prædicantes poſſēt haberi. 5. congruit cultui diuino, q̄ in Eccleſia Dei ſit altarium multiplicatio. 6. ex proprio diaconi officio ſibi non eſt præceptū à Dn̄o, verbi Dn̄i libera prædicatio. 7. propter ſcādalum peruerſorū debēt aliquādo ſacerdotes Dn̄i omittere verbi Dei prædicationem. 8. non obligantur Prælati maiores prædicare verbum Dei, quin in certis caſibus poſſint licitè ſupportari. Primò dixi, quòd non quilibet ſacerdos Domini habet facultatem prædicandi actualiter verbum DEI, ex virtute ſuæ conſecrationis, quia ſibi per miniſterium Epiſcopi confertur officium ſacerdotale, cuius oppoſitum venerabilis proponens dixit in notabili de libertate ſuper verbo, *liberè*, & probatur dictis multorum Doctorum. Primò ſancti Thomæ in tractatu de contra impugnantes Religionem, dicens, quòd poteſtas ſacerdotalis ad duo ordinatur. Primò & principaliter ſuper corpus Chriſti verum conſecrandum. Et huius poteſtatis exſecutionem ſtatim cum ordinatur accipit, niſi ſit defectus in ordinatione, vel in ordinato. Secundò ordinatur ad corpus Chriſti myſticum per claues Eccleſię, quę ſibi committuntur, & huius poteſtatis executionem non recipit niſi cura ei cōmittatur; vel niſi auctoritate alterius curam habentis hoc agat, nec tamen pote-

Corollaria. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Primum corollarium. Non quilibet ſacerdos habet facultatē prædicandi liberè ex virtute conſecrationis ſacerdotalis.

S. Thom. lib. cont. impugnantes religionem. c. 4. nō procul à fine.

poteſtas ſacerdotalis fruſtrà datur ei, quia habet executionem in hoc ad quod eſt poteſtas ſacerdotii principaliter inſtituta, ſed, inquit, officium prædicationis non ordinatur ad aliud, niſi ad prædicandum. vnde cum priuilegium principis non debeat eſſe inutile, vt iura dicunt, ex hoc ipſo, quod Papa committit alicui officium prædicandi, ille habet executionem officij, quicunq; ſit ille. hęc ibi. Secundò idem 2.2.q.185.art.1. quod diſpenſatio frumentorum ſpiritualium, id eſt, doctrinarum non eſt facienda ad arbitrium cuiuſlibet. ſed primò & principaliter ſecundùm diſpoſitionem Dei, ſecundariò autem ad arbitrium ſuperiorum Prælatorum, ex quorum perſona dicitur, 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* hæc ille. Tertiò, dominus Albertus ſuper Eccleſiaſticam hierarchiam cap. 2. vbi B. Dionyſius docet, quomodo Epiſcopus debet prædicare ei, qui ad baptiſma accedit, arguit quòd non debuit baptizantem inducere ad prædicandum, quia prædicare & baptizare ſunt diſtincta officia, & reſpondet, quòd licet ſint diſtincta officia, conueniunt tamen in relatione ad vnum principium, à quo deſcendunt. Sicut enim iuriſdictio prædicandi deriuatur à Pontifice in alios, ita & baptiſatio, ſicut dicitur ad Rom. 10. *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Vnde ponendo vtrunq; officium circa vnam Pontificis perſonam, eſt intentio ſua oſtendere, quod vtrunq; deſcendit ab ipſo. hæc ille. Idem patet clare per ambos iſtos in 4. ſententiarum, diſtinct. 23. vt ſuprà allegatum eſt in notabili de diſtin. ſacerdotum curatorum, & non curatorum. Quartò, idem oſtendit venerabilis Auguſt. de Ancona in li. de Eccleſiaſtica poteſtate, q. 64. art. 1. oſtendens, quod etiam prædicare in Papa eſt officium iuriſdictionis, & non ſacri ordinis, quia & Papa electus

2. S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. ad 3.

1. Cor. 4.

Albertus. 3.

Rom. 10.

4. Auguſt. de Ancona de Eccleſiaſtica poteſt. q. 64. art. 1. & 2.

Digitized by Google

ctus, qui non eſſet ſacerdos, prædicare poſſet per ſe, & cum hoc, officium prædicationis aliis committere: ſed non poſſet ea, quæ ſunt ordinis, niſi prius eſſet conſecratus. Et hoc ideo, quia id, quod eſt ordinis, reſpicit corpus Chriſti verum, Sed quod eſt iurisdictionis, reſpicit corpus Chriſti myſticum. & ibidem ar. 2. probat, quòd prædicare non licet Epiſcopo vel preſbytero absq; licentia Papæ, quia prædicare eſt juriſdictionis actus. Sed omnis juriſdictio deriuata eſt Epiſcopis & preſbyteris à Papa, ad quem ſpectat diœceſes & parochias diſtinguere, & cuilibet ſuam aſſignare. ergò absq; autoritate Papæ non licet eis prædicare. Quinto, idem per totum ſuum proceſſum ponit venerabilis Thomas de VValden, qui non cõcedit, quòd ex ordine vel officio ſacerdotali cuiquam cõpetit prædicare, niſi poſſit ſe miſſum probare per ſigna; ſi à Deo ſit; vel monimenta, ſi à Prælato ſe aſſerat miſſum. Sexto, hoc dominus Ioannes Gerſon in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate videtur velle dicens, quòd poteſtas eccleſiaſtica juriſdictionis non coercitiuè in ſua latitudine conſiderata, nedum ad ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam ad aliorum ſacramentorum adminiſtrationem, imò ad prædicationem eſt extenſa, quæ omnia reſpiciũt corpus Chriſti myſticum, horum ratio eſt, quæ pridie eſt dicta, quòd Preſbytero in ſua conſecratione non datur, niſi duplex poteſtas, ſcilicet ordinis, & clauis, quarum neutra adfert libertatem prædicationis.

5. Thomas VValdenſis l. 2. doctrinalis fidei. c. 70. & ſeqq. To. 1.

6. Gerſon de poteſtate eccleſiaſtica conſideratione. 5. to. 1.

Ex iſto ſequitur ſecundum corollarium, ſcilicet, q; non obligatur quilibet ſacerdos ex præcepto Domini prædicare verbum Dei. quod quamuis ex dictis pateat, probatur tamen ex ſuperabundanti, & primò ex veteri lege ſic. Illud non eſt Presbyteris præceptum, de quo ſe licitè excuſare poſſunt. ſed Ieremias ſe licitè ab officio

Secundum corollarium. Non obligatur quilibet ſacerdos ex præcepto Domini prædicare verbũ Dei.

Digitized by Google

Hier. 1. prædicationis excuſauit, nihilominus presbyter fuit, vt dictum eſt, ergo nõ fuit hoc præceptum. Maior nota eſt, quia præceptum obligat non facientem ad peccatum mortale. Minor probatur per B. Gregorium in paſtorali, & S. Thomam, in gloſſa, Ierem. 1. vbi excuſat Moyſen & Ieremiam ex amore Dei voluiſſe contemplationi inſiſtere: Et Eſaiam, qui ſponte ſe obtulit ex amore proximi prodeſſe.

Greg. in paſtorali. par. 1. c. 7. Item in moralibus l. 35. c. 13.

2. Secundò, ſic ex lege noua. Nam Apoſtolus perfectionẽ corporis Chriſti myſtici diſſerens, dicit de Presbyteris, quòd Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autẽ Paſtores & doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ. *Numquid*, inquit, *omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiã habent curationum? numquid omnes linguis loquũtur? numquid omnes interpretantur?* 1. Cor. 12. Ex quo claret manifeſtè quod non eſt omnibus Presbyteris præceptũ prædicare, cùm nõ ſint omnes Apoſtoli, nec Euangeliſtæ.

Ephes. 4. 1. Cor. 12.

3. 3. ſic, prædicare eſt paſcere, ſed nõ omnes Presbyteri ſunt Paſtores cùm non habeant gregẽ ſibi comiſſũ, iuxta illud 1. Pet. 4. *paſcite eum qui in vobis eſt, gregem*, ſcil. commiſſum non aliũ. iubet ergo, &c.

1. Pet. 4.

4. Quarto ſic. ad Presbyterum ſufficit aliqua ſcientia ſacrarum literarum, quæ non ſufficit ad prædicãdum, vt prædictum eſt, ergo nõ oportet quemlibet ſacerdotẽ eſſe prædicatorem. patet conſequentia, quia da oppoſitum, & ſequitur, quod quilibet Sacerdos qui prædicare neſcit, ſit continuè in peccato mortali, quod falſũ eſt, quia legimus de multis ſanctis Presbyteris, qui fuerunt ſimpliciſſimi, nec ſciuerunt niſi Miſſã pro mortuis, vel de B. Virgine Maria, & fructum ſibi, & viuis, & defunctis fecerunt.

5. Quintò ſic. Inter actus officii ſacerdotalis principalius eſt

eſt conſecrare corpus Chriſti, & magis ſibi annexum, quàm prædicationis officium. Sed nullus dicit Sacerdotem ex præcepto obligari omni hebdomade celebrare Miſſã, aut etiã in mẽſe, imò ex familiari inſtinctu Spirit' S. ſi qui totaliter abſtinent à celebrãdo, excuſantur, ſicut legitur in vitis Patrum, de quodam Sancto, qui ordinatus nũquam poſtea celebrauit. & beatus Marcus legitur, ſibi pollicis partem abſcidiſſe, ne celebrare poſſet, diſt. 13. dicit ſanctus Thomas, vt etiam refert beatus Hieronymus in Prologo ſuper Marcum. ergo multo minus prædicatio ſic eſt præcepta, quòd non prædicantes obligentur ad mortale peccatum. Sextò ſic: ſi quilibet Sacerdos teneretur ex præcepto Domini prædicare populo, tunc nullus talis, niſi ex ſpeciali diſpenſatione Domini poſſet ſe dare ſolitariæ vitæ aut religioni, cui prædicare non cõperit, ſed contemplatiuæ vacare vitæ, quæ teſte beato Gregorio ſuper Ezechielem, eſt charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quieſcere, & ſoli conditoris deſiderio inhærere, &c. conſequens falſum, vt patet de multis Sanctis, qui mundum fugerunt in deſertum, anachoreticam vitam duxerunt; & de aliis Presbyteris religioſis, qui nunquam prædicauerunt, ſed cum Maria Magdalena optimam vitam ſeu partem elegerunt. Luc. 10.

S. Thom. 4. diſt. 13. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 1. — 4. — 6. — 1. — *Gregorius in Ezech. hom. 14. circa medium.* — *Luc. 10.*

Reſtat ergò ſoluere auctoritates multas, quibus probare niſus eſt Venerabilis proponens, quemlibet Sacerdotem ad prædicandum obligari ex præcepto Domini. Primò illud Matt. & Marci vltimo, & Act. 10. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* & Petrus ait, *nobis præcepit Deus prædicare populo.* & Mat. 10. hos 12. miſit, & præcepit eis dicẽs: *eũtes prædicate dicẽtes, quia appropinquauit regnũ Dei.* Ad hos oẽs ſimul reſpõdeo, ꝙ veritas eſt

Solutio argumenti 1. contrarii ex verbis, Ite prædicate. — *Matt. 28.* — *Marc. 6.* — *Act. 10.* — *Matt. 10.*

eſt quod Chriſtus præcepit Apoſtolis prædicare, ſed ex hoc non ſequitur. ergo omnibus Presbyteris & diaconibus. quia Presbyteri & diaconi non ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ſed ſoli Epiſcopi. Vnde Pſalmiſta, *pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*. Gloſſa B. Auguſtini, *id eſt, pro Apoſtolis Epiſcopi*. Idem patet per gloſſam Matth. 10. & eſt ſuperius deductum in ſecunda differentia poſita inter ſacerdotes curatos, & non curatos, & vt clarius hoc conſtet, notandum quod hæc verba: *Ite in orbem*, vel, *euntes in mundum vniuerſum*, & ſimilia non fuerunt præceptiuè ad quẽlibet Apoſtolorum dicta, quod probatur. Primò, quia ſi non; tunc omnes Apoſtoli peccaſſent mortaliter, eo quod nullus eorum iuit in orbem vniuerſum, nec aliquis eorũ prædicauit Euangelium omni creaturæ, ſecundùm ſenſum literæ, & ſic fuiſſent transgreſſores illius præcepti, & ſic fuiſſent omnes damnati. Secundò nota, quòd etiam illa verba non fuerunt dicta Apoſtolis ſingulis, per modum conſilii, quia fruſtrà daretur conſilium, quòd nullus poſſet, etiamſi vellet perficere, ſed non fuiſſet poſſibile humano more cuicunq; Apoſtolorum, quòd perambulaſſet totum mundum. ergo hoc non fuit ſibi à Domino conſultum. Tertiò dico, quòd illa verba non fuerunt dicta cuilibet Apoſtolorum ſimpliciter, ſed omnibus ſimul collectiuè & generaliter: in cuius ſignum non dixit Dominus ad quemlibet, *vade*. ſed collectiuè, *ite*, vel, *euntes docete*, vnde licet nullus eorum, tamen omnes collectiuè prædicauerunt per mundum vniuerſum, ſicut & nunc, licet quilibet Epiſcopus, qui eſt ſucceſſor Apoſtolorum, non prædicet vbiq;, tamen omnes ſimul qui in mundo ſunt, ita diſponunt, quòd pabulum verbi Dei miniſtratur populo ſufficienter. Quartò, quòd illud præceptum datum eſt Apoſtolis indiſtinctè, vt intelligerent,

Aug. in Pſal. 44.

quòd

quòd diſtinctionem Petro commiſiſſet, cui ſoli dixit, *paſce oues meas.* Ita & nunc dato, quòd hoc præceptum Epiſcopos obligaret, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, adhuc nullus eorum eſſet ſufficienter miſſus ad officium prædicationis per totum mundum, quia non poſſunt prædicare in aliena diœceſi, ſi prohibeantur ab Epiſcopo illius loci, niſi ſpeciali ſibi committeretur auctoritate Superioris, vel à Deo miſſos ſpecialiter probare ſe poſſent. Quintò concludo, quòd per illa verba *euntes docete,* non eſt præceptum presbyteris & diaconibus, vbique prædicare, quia ſic, ſi non facerent, eſſent in ſtatu damnationis. Inſuper & omnes Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & Religioſi alii, qui nunquam prædicarent, in peccato mortali eſſent, quia facerent contra præceptum Chriſti. Et vltimò, ſi ſic in generali obligarentur, ipſi eſſent magis perplexi, quô eſſent miſſi, & ad quos. Si ad vniuerſum orbem, vbi exſequerentur? & ſi ad omnes, quomodo idiomata ſcirent? & ſi omni tempore, quando prædicabunt, & quando ceſſabunt? & ſi ad certum locũ, vbi eſt expreſſus? ſi ad certos, nullibi eſt expreſſum. Nam ad actum prædicandi requiruntur tempus, locus, & auditores, quæ in illis verbis generalibus, *Ite in orbem. Euntes in mundum. Ite, docete omnes gentes,* nõ ſũt aſſignata. ſi dixeritis, quod ſunt miſſi vt vadant iuxta ſuum arbitrium, quocunque eis licuerit vel videbitur, & quando, & vbi, hoc faceret infinitam perturbationem in regno Eccleſiaſtico, & turbarent totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem, q̄ reprobatum eſt ſupra in principio ex æterna lege. *Ioan. 21.*

Secundo adducitis Apoſtolum 1. Cor. 9. *Va mihi ſi nõ euangelizauero,* reſpondeo quòd meritò. ipſe enim ad prædicandum fuit obligatus, & expreſſè ad hoc à Domino legatus. *Non,* inquit, *miſit me Dominus baptizare, ſed euangelizare.* *Ad 2. obiectionem. Si non euangelizauero.*

Digitized by Google

1. Cor. 1.

zare. quia ſecundum gloſſam baptiſare poſſunt minores Preſbyteri, ſed ad prædicandum requirūtur homines excellentioris virtutis, prima ad Corinth. 1. ſed ex hoc non habetur propoſitum veſtrum.

Ad 3. Verbū Dei non eſt alligatum.

Tertiò ad id, 2. Tim. 2. *verbū Dei non eſt alligatum.* dico q hoc verbum nihil videtur facere ad propoſitum, quia ſecundum textum & gloſſam ad literā, q Apoſtolus ibi oſtendit, quòd quanquam vinculatus eſſet corpore, nō tamen ligatus fuit in ore, quòd nō poſſet docere præſentes verbo, vel abſētes ſcripto, verbum Dei ſic prædicando. vnde præmittit ibidē, *ſecundū euangeliū meum, in quo laboro, vſq; ad vincula.* Ad hūc ſenſū etiā B. Gregorius exponit eādē auctoritatem 3. moralium cap. 31. ſuper illo verbo: *vibratur enim clypeus haſta,* ſic inquiens, *verbum Dei non eſt alligatum, quia doctores ſancti pro defenſione fidei ſupplicia ſubeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere etiam inter verba non deſiſtunt. Vnde idem Apoſtolus ait: in quo ſcilicet euangelio laboro vſq; ad vincula, quaſi malè operans, ſed verbum Dei non eſt alligatū, quaſi diceret, haſta quidem ſuppliciorum ferior, ſed tamen verborum ſagittas emittere non deſiſto, vulnera crudelitatis accipio, ſed cor infidelium vera loquens transfigo. Ideo Sancti cum vulnera patienter ſuſcipiunt, prudenter contra corda infidelium ſagittas prædicationis reddunt. Vnde nonnūquam agitur, vt ipſi qui in perſecutione ſæuiunt, non tam doleant, quòd cor prædicatoris non emolliunt, quàm quòd per eius verba etiam alios amittunt.* hæc ille.

2. Tim. 2.
Iob 39.
Gre. li. moralium 31. c. 25.

Ad 4. obie. Quis putas. Luc. 12.

Quartò illud Luc. 12. *quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* hoc omninò non probat propoſitum, quia intelligitur tantùm de curatis & Prælatis, prout eam exponunt omnes poſtillantes. Nam Dn̄s multa dixit in parabolis; volens beatus Petrus ſcire, an iſtæ parabolæ tangerent omnes generaliter, vel Apoſtolos ſpecialiter, quærit, dicens: *Domine ad nos di-*

cis

eis hanc parabolam, an ad omnes? Et respondet, quòd ad eos tantum, & ad loca eorum tenētes. vnde ſubdit, *quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis?* Albertus non extraneis, ſed illis, id eſt, ſibi commiſſis, quibus debet principaliter intendere quilibet Prælatus. iuxta illud 1. Tim. 5. *ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non gerit fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Hinc eſt, quod Dominus dicit Iohannis 10. *proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit, & oues illum ſequuntur.* hinc eſt etiam quod Paulꝰ dicit Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus S. rectores & Epiſcopos,* quaſi diceret, illis ſpecialiter tenemini, q regimini veſtro ſunt comiſſi. hæc Albertus. Cui alludit gloſſa Bedæ. vobis qui diſpenſatores eſtis inſtituti, hoc miniſterium ſpecialiter comiſi de cuſtodia & ꝑparatione, vt & alios & vos ꝑparetis in aduentū iudicis. Et Hugo ibidē Dn̄s cōſtituit ſeruū *ſuper familiam ſuam,* id eſt, Eccleſiā, *vt det illis,* id eſt, ſuis, q bus tenetur magis quàm alienis, ſibi enim dicitur Prou. 27. *diligenter agnoſce vultum pecoris tui.*

Albertus in 12. cap. Lucæ.

1. Tim. 5.

Ioan. 10.

Act. 20.

Beda.

Hugo.

Prou. 27.

Quintò ad illud 2. Tim. 4 *Prædica verbum.* Reſpondeo vt ſuprà, quia Timotheus fuit Epiſcopus Corinthiorum, Ideo beatus Apoſtolus oſtendit ſibi quid ſit officium Epiſcopi, dicens, *prædica verbum,* ſcilicet in tua plebe, quia illuc te miſi, & non alibi.

Ad 5. obiect. Prædica verbum. 2. Tim. 4

Tunc ad auctoritates veteris teſtamenti adduxiſtis Primò illud Eſa. 58. *Clama ne ceſſes.* & quadrageſimo: *vox dicentiū clama.* & ibidem, *ſuper montem excelſum,* &c. Reſpondeo, quòd iſtud præceptum Iſaiam ſolum obligat, & ipſe tenebatur hoc facere, quia ſe ſponte obtulit, dum Dominus ait, *quem mittam?* ait ille. *Ecce ego mitto me.* Iſaiæ ſexto. Nec exemplum eius omnes Presbyteros obligat, quia ipſe Presbyter non fuit, cùm eſſet de ſemine

Ad obiectiones ex veteri teſtamento.

Eſa. 58.

Eſa. 40.

Eſa. 6.

mine regio, ſed Preſbyteri erant de tribu Leui. Sed contra hoc aſſumpſit dicens. *Et ſi quis dicat, hoc fuiſſe tantùm*
Rom.15. *Prophetis præceptum, audiat Apoſtolum ad Rom. 15. dicentem: Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et la-*
Iaco.5. *cobi 5. Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Reſpondeo, quòd ex hoc non habetis, quòd præcepta data Prophetis, obligent diaconos & ſacerdotes noui teſtamenti, ſub præcepto, prædicare verbum Dei, nec dicunt hoc Apoſtoli allegati, ſed S. Paulus dicit ſic: *ad noſtrã doctrinam ſcripta ſũt.* Sed quæ eſt doctrina? ſubdit, *vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Per patientiam ſcripturarum, id eſt, per exempla patientiæ in Patribus oſtenſa, quæ reperiuntur in ſcriptura ſancta. Spem retributionis æternæ concipiamus nos accepturos ſecundum gloſſam, & ad hoc ſonant verba B. Iacobi allegata, vbi ſic præmittitur: *Patientes ergò eſtote Fratres vſque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat fructum precioſum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Poſt ſubdit, quod allegaſtis, & concludit. *ecce latificamus eos, qui ſuſtinuerunt. ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, &c.* Ecce quod docent nos patientiam ſeruare in aduerſis, & nihil ad propoſitum eſt. Illa autem au-
Eſa.40. ctoritas, *ſuper montem excelſum aſcende,* probat directè contrarium eius, quod intenditis, ſcilicet non eſſe præceptũ Domini, quòd ſinguli Preſbyteri debeant prædicare, niſi mittantur in ſpeciali. quod oſtendens Apoſtolus ait
Rom.10. ad Rom. 10. *quomodo prædicabunt niſi mittantur? ſicut ſcri-*
Iſa.52. *ptum eſt, quam ſpecioſi ſuper montes pedes euangelizantium pacem?* vbi ſecundum expoſitionem almæ matris meæ vniuerſitatis Colonienſis notanter, dicit *pedes,* vt denotet ordinem prædicãdi auctoritatis, quæ defluere debet & proueni-

uenire à ſuperioribus. vel dico, quod ad ſolos Prælatos, curatos ſe extẽdit, de quibus B. Gregor. iam exponit in paſtorali, cap. 15. Adduxiſtis etiam Ezechielem in capitulis 3. & 33. dicentem, *fili hominis ſpeculatorem dedi te, & ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram.* Reſpondeo, quòd ſpeculator populi propriè eſt Epiſcopus eius. vnde dicit B. Iſidorus de ſummo bono, libro tertio cap. 35. *Speculatores cæci omnes, id eſt, imperiti Epiſcopi non valentes reſiſtendo malis, plebes commiſſas per verbum doctrinæ defendere.* hæc ille. Quod oſtendens etiam de curatis B. Gregorius in gloſſa ait, *prædicatorem ſpeculatorem vocat, cui enim aliena cura committitur, ſpeculator dicitur, vt in mentis altitudine ſedeat, & vocabulum nominis ex virtute actionis trahat.* Item illud Leu. 10. *habeatis ſcientiam diſcernere, &c. & doceatis filios Iſrael.* gloſſa exponit, de curatis dicens, *ſacerdotum eſt docere, & ſubiectos inſtruere.* vltimo illud Deut. 31. *leges verba legis huius coram omni Iſrael.* Reſpondeo, quòd illa auctoritas non probat, quòd omnibus ſacerdotibus conueniat ſub præcepto Domini prædicare, quia illa verba dixit Moyſes tãtum Ioſue, quem ſibi Dominus ſubſtituit, qui eſſet dux populi in terram promiſſionis, & ſic legeret verba legis populis, vt ſeruarent, ne occiderentur ante ingreſſum in terram promiſſionis. & ſic patet ſolutio ad auctoritates, quas adduxiſtis contra correllarium meæ concluſionis.

Greg. in li. paſtorali, parte 2. c. 3. & 4.
Ezech. c. 3. & 33.
Iſidorus.
Gregorius in Ezech. hom. 11.
Leu. 10.
Gloſſ. interlinearis ibid.
Deut. 31.

Ad auctoritates Sanctorum quas adduxiſtis, reſpõdeo. Ad primam, quę eſt B. Gregorii diſt. 43. *ſit rector.* illa ſoluit ſeipſã, quia loquitur de rectoribus, id eſt, curatis, & concludendo vobiſcum, quòd illi debent prædicare ſibi commiſſis. vnde dicit: *ſit rector.* & continuè nominat paſtores in eodem capitulo. & quidquid dicit de ſacerdotibus, ipſemet de paſtoribus & rectoribus intelligi oſten-

Ad obiectiones ex ſcriptis ſanctorum Patrum. ad 1. diſt. 43. ſit rector. c. 1.
Greg. part. 2. ſui paſtoralis. c. 4.

Digitized by Google

Ad ſecundã Auguſtinus

oſtendit. Ad ſecundam, quæ eſt B. Auguſtini in Prologo ſermonum, dicentis, quòd ſacerdotes præeſſe non debẽt, qui prædicare neſciunt, nec alii tacere debent, q̃ ſciunt, etiamſi non præſint. Reſpondeo, dubito, beatum Auguſtinum ita dixiſſe; tamẽ dico, nequaquã eſt mens B. Auguſtini, quòd velit aliquem ſacerdotem nõ curatum, abſq; miſſione ſpeciali à Deo vel Prælato, prædicare, quæ etiam ꝓbari poſſit eſſe alicui commiſſa, ꝓut ipſemet ꝓbat, ſcribens contra epiſtolam fundamenti, c. 3. docens, quòd quicunq; vult prædicare, primò & ante omnia de eius Apoſtolatu eſt inquirendũ, dicens, *videamus quid me doceat Manichæus, & potiſſimũ illũ librũ cõſideremꝰ, quẽ fundãenti epiſtolam dicitis, vbi totum penè continetur, quod creditis, certè ſic incipit. Manichæus Apoſtolus Ieſu Chriſti, prouidentia Dei patris. hæc ſunt ſalubria verba, de perenni ac viuo fonte. Iam patienter quæſo attẽdite, quid quæram. Non credo iſtum eſſe Apoſtolum Chriſti, quæſo ne ſuccenſeatis & maledicere incipiatis, noſtis enim me ſtatuiſſe nihil à vobis prolatum temere credere. Quæro igitur quis ſit iſte Manichæus, reſpondetis Apoſtolus Ieſu Chriſti, non credo, iam quid dicas, aut quid facias non habebis, promittebas enim ſcientiam veritatis, & nunc quod neſcio, cogis vt credam* Et infra. *Quod ſi in Euangelio aliquod apertiſſimum de Manichæi Apoſtolatu inuenire potueris, infirmabis mihi catholicorum auctoritatem, qui iubent vt tibi non credam, qua infirmata iam nec euangelium credere potero, quia niſi per illos illi credideram, ita nihil apud me valebit quidquid inde protuleris* & infra. *illi enim ſcilicet euangelio, credens, non inuenio quomodo poſſum etiã tibi credere, Apoſtolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, nõ inter ſe cõtinẽt nomen Manichæi. In loco autẽ Iudæ, qui ſucceſſerit, in actibus Apoſtolorũ legitur.* hæc ille. Conſtat autẽ q̃ Preſbyteri ex ſpeciali cõmiſſione nõ miſſi ad prędicãdũ nõ ſunt ꝓ Apoſtolis veris acceptandi, ergo nequaquã eſt de mẽte B. Auguſtini, q̃ qui curã nõ habent, ꝑdicare

Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti. ca. 5. Tom. 6.

care debeant absq; vocatione ſpeciali. intelligere ergo oportet ſua verba, iam dicta, & ad Oroſium in fine libri, ſcilicet ꝗ qui non præſunt Preſbyteri, debẽt diſponere cum Prælato ſe mitti, & ſic prædicare populo ſi videtur cõgruum Prælato. vnde quod dicit in auctoritate, *debent*, nõ eſt debitũ neceſſitatis, ſed cõgruitatis, quã diſtinctionem S. Thomas ponit in pluribus locis, ſcilic. in 4. ſent. diſt. 5. de miniſtris baptiſmi, art. 2. ad 1. art. Et 3. part. q. 74. articulo 5. ad 3. quia non obligantur, niſi Prælato videatur congruere. Sic beatus Apoſtolus adhuc Saulus, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petiit ab eo literas in Damaſcum, vt admitteretur contra diſcipulos Domini, Acto. 8. Ad tertiam, quæ eſt B. Hieronymi, ſuper illo textu Eze. 3. *dicente me ad impium*, loquitur de curatis, quia dicit, *prædicare tenetur ſacerdos*, ſed probatum eſt ſupra ex beato Thoma & Alberto, quòd nullus tenetur prædicare niſi curatus. vnde oſtendebatur diſtinctio inter Preſbyteros curatos & non curatos. Vel loquitur de eo, cui hoc Dominus vel Prælatus præcipit, ſicut Prophetæ, fecit. oſtenſum autem eſt, quod non eſt præceptum Domini, ſacerdotes non curatos prædicare. Ad quartam, quæ eſt Iſidori, de ſummo bono, libro tertio, capitulo 56. *Sacerdotes damnabuntur ſi peccantes non erudiant.* Reſpondeo, quod ad literam loquitur de curatis Prælatis, vnde ſubdit circa medium capituli; *nonnulli præſules gregis quoſdam pro peccato à communione eiiciunt, vt pœniteant ſed quali ſorte viuere debeant ad melius exhortando, non viſitant.* & circa finem capituli dicit *notandum ab omni Pontifice vehementer, quod tanto cautius agat quãto durius à Chriſto formidat iudicari.* Pro quo & ſequẽtibus ſciendũ, ꝙ antiqui doctores ſæpe ꝑ eodem ponunt, iſtos terminos Epiſcopus, præſul, rector, & ſacerdos ſeu preſbyter, ſicut iſte hic facit in eodẽ cap. quia antiquus ꝑ

S. Thom. 4. diſtin. 5. q. 2. art. 2. ad. 1. 3. q. 64. a. 5. ad 3.

Act. 8.

Ad 3. Hier. in 3. cap. Ezech.

Ad 4. Iſidorus.

Pro eodem ſumuntur ſæpè Epiſcopus, Præſul, rector Sacerdos, Presbyter. Iſido. li. 7. etym. c. 12. diſt. 21. c. cleros. 12. q. 1.

eodem cenſebantur quo ad vocabulum, licet non quo ad gradum, & ſtatum, prout notat Iſidorus ſeptimo etymologiarum, exponens viginti duo nomina Eccleſiæ miniſtrorum, & 21. diſtinctione, *Cleros.* Nec pro tunc erant multi Presbyteri, niſi Epiſcopi, & curati ſeculares, clerici vocabantur Monachi, de quibus loquitur tota cauſſa 12. q. 1. oſtendit enim ibi, quòd hoc nomine Epiſcopus ſignificat Patriarchas, Sacerdotes Archiepiſcopos, & metropolitanos, illud nomen Sacerdos ſignificabat Imperatores, Reges, Epiſcopos, & Presbyteros, quia & Reges erant Pontifices & Sacerdotes. Vnde dicit Imperatores Romanorum Pontifices dictos, quorum rationes & diuerſitates exponit ibidem, ita in propoſito, auctoritates ſanctorum eoſdem terminos, ſæpe pro eodem ſumunt, & ſic non poſſunt trahi purè ad ſacerdotes præſentis tēporis, ſed pro ſacerdotibus Epiſcopi & curati plebani accipiuntur. Ad quintam, quæ eſt Chryſoſtomi homilia 44. *Sacerdotes niſi omnem veritatem manifeſtauerint populo, dabunt rationem in die iudicii,* poſſem reſpondere vt prius, tamen reſpondeo, quòd *omnem veritatem,* facit diſtributionem accommodam, & non vniuerſalem diſtributionem, quia nullus eſt Sacerdos, qui ſciat omnem veritatem. Sic etiam gloſſa dicit ſuper illo: *Spiritus ſanctus docebit omnem veritatem,* id eſt, neceſſariam ad ſalutem. Tamen vltra hoc dico, quòd manifeſtare fit per admonitionem fraternam, etſi non ſemper per prædicationem publicam. Hanc diſtinctionem innuit gloſſa 1. Cor. 2. vbi dicit Apoſtolus, *ſermo meus, & prædicatio mea non fuit in perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis. Sermo,* inquit gloſſa, *dicitur, qui fiebat in priuato, prædicatio in publico.* Ad ſextā, quæ eſt B. Gregorii, diſt. 43. Epheſ. Reſpondeo, quòd illa modicum facit ad rem, quia Paulus oſtendit ſe feciſſe, quod

Ad 5. Chryſ. hom 44. in Matt. in opere imperf. tom. 2

Ioa. 16.

1. Cor. 2.

Liran.

Ad ſextam. Greg. l. 1. Ep. 33.

Act. 20.

Digitized by Google

quod ſibi præceptum fuit, ſcilicet denunciare Epheſiis omne conſilium Dei, ita & quilibet, cui ſic præceptum eſt, tenetur facere. Ad ſeptimam, quæ eſt B. Gregorii homilia 17 *nos qui ex oblationibus viuimus fidelium*, loquitur de paſtoribus, ſicut ipſe erat paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ideo dicit, *nos*. Ad octauam, quæ eſt B. Auguſtini in li. contra Manichæos loquitur de curatis, vnde dicit, *qui electus ab Eccleſia miniſterium euangelizandi & baptizandi renuerit*, & infra. *qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, &c.* Ad nonam 43. diſt. *diſpenſatio eſt nobis cæleſtis ſeminis iniuncta*, loquitur de Epiſcopis, quia dicit, *nobis*, ita ex Concilio Carthaginenſi quarto. Ad decimam, *Epiſcopus nullam rei familiaris ad ſe cauſſam reuocet, ſed vt lectioni, orationi, & prædicationis verbo tantummodò vacet.* expreſſè de Epiſcopis loquitur. Ad vndecimam, ex Concilio Toletano in c. *Ignorantia.* diſt. 38. *ſciant Sacerdotes ſcripturas ſacras & canones vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat*, loquitur ad literam de curatis, quod probatur dupliciter: primò per verba ibidem expreſſa, quæ ſunt, *ignorantia maximè vitanda eſt in Sacerdotibus, qui docendi officiũ in populis ſuſceperunt*: & conſtat, quòd illi ſunt curati. Inſuper per capitulum immediatè ſequens, quod loquitur de plebanis, dicens, quod dum ad ſuas Parochias ordinantur, debent recipere librum officialem, id eſt, officiorum. Et ita apparet, quòd auctoritates ſunt competenter & veraciter ſolutæ.

ad 7. Greg. ho. 17. *ad 8. Auguſtinus.* *ad 9. diſt. 43. c. 5. Diſpenſatio.* *ad 10. Conc. Carth. 4. c. 20. diſt. 88. Epiſcopus nullam. c. 6.* *ad 11. diſt. 38. c. 1. Ignorantia. ex Conc. Tolet. 4. c. 24. & Arelat. 4. c. 1.*

Ex præmiſſis ſequitur corollarium tertium, ſcilicet quòd non eſt præceptum diaconibus à Domino, ex vi diaconatus officii, prædicare populis verbum Dei, cuius oppoſitum poſuit dominus proponens. Patet ex omnibus his, quæ præmiſſa ſunt ad probandum hoc, Preſbyteris non eſſe præceptum, multò minus diaconibus. Præterea

Corollarium 3. Non eſt præceptum diaconib. à Domino ex vi Diaconatus officii, prædicare populis ver. Dei.

Digitized by Google

2. terea 2. illud nõ eſt diaconibus præceptum, quod exequi
non debent abſq; commiſſione ſpeciali, quia nec Presby-
tero, vt probatum eſt in concluſionis deductione, ergo
diacono non eſt prædicare præceptum à Domino, nec
ſibi prædicare licet, niſi probet ſe miſſum à Deo vel eius
3. ſufficienti Prælato. Tertio ſic, hoc ex doctoribus ſic de-
ducitur. Illud quod ſolis ſacerdotibus & Prælatis conue-
nit, regulariter hoc non eſt præceptum diaconibus, ſed
neq; licet eis abſq; autoritate ſuperioris. Ita eſt de a-
ctu prædicationis verbi Dei, quod regulariter nulli con-
uenit, niſi tantùm ſacerdotibus, & Epiſcopis, vt patet 16.
q. 1. *Adiicimus*, hoc ergo officium nec præceptum eſt, nec
congruit regulariter diaconibus, & hoc in capi. *perlectis*.
4. diſtin. 25. Quarto dicit Hugucius, quòd diaconibus nun-
16. q. 1. c. 19. quam licuit prædicare, niſi cum ad officium prædicandi
adiicimus. à Sacerdotibus fuerant inuitati vel rogati, ſic enim & nõ
diſt. 25. c. 1. aliter poteſt diaconus prædicare licite. diſt. 92. *in ſancta*.
perlectis. & c. *diaconum*. & 11. q. 1. *ſicut enim*. Quintò, idem expreſ-
diſt. 93. Dia- ſe dicit Dominus VVilhelmus Pariſienſis in ſuo ſacra-
conus c. 13. mentali de ſacramento ordinis, quod diacono non cõ-
& diſt. 92. c. uenit prædicare ex officio, eo quod dum conſecratur, ſi-
2. in ſancta. bi in porrectione Euangelii, non dicitur, Accipe pote-
11. q. 1. c. 30. ſtatem prædicandi, ſed, *accipe poteſtatem legendi Euange-*
ſicut enim. *lium, pro viuis & mortuis*. Sextò ſic, beatus Thomas 4.
5. 6. diſtinctione 6. dicit, quòd diacono non licet prædi-
Tho. 4. diſt. 6. care, ſed benè baptizatum inſtruere, quia ſolius Presby-
q. 2. a. 2. teri & Epiſcopi actus eſt prædicare. Septimò ſic, bea-
7. tus Dionyſius quinto capitulo Eccleſiaſticæ hierarchiæ
Dion. Areo- diſtinguit diaconum à Presbytero, eo quod diaconi
pagita c. 5. ec- eſt purgare ante baptiſmum catechizando, Presbyte-
cleſ. hiera. rorum illuminare baptizando, ſed Epiſcoporum poſt
baptiſmum perficere prædicando & confirmando. ergo

præ-

prædicare non conuenit diacono ex officio vel præcepto. Per hæc reſpondeo ad ea, quæ in contrarium adduxis, ſcilicet auctoritatem Iſidori, & habetur 25. diſt. *perlectis*, & per Magiſtrum in 4. diſtinctione 24. vbi dicitur: *Sicut lectoribus vetus teſtamentum, ita diaconibus nouum prædicare præceptum eſt*. Ad hoc reſpondeo primò ſecundùm Hugucionem ibidem, quod intelligitur cum diaconus à Sacerdote rogatur vel inuitatur, vt iam dictum eſt. Secundò, ſecundum Henricum Botz & habetur *de Hæreticis*, lib. 6. c. *cum ex iniuncto*. dicentem, quòd diaconus non poteſt prædicare, niſi ex delegatione. 3. ſecundùm Ioannẽ Teutonicum in gloſſa c. *adiicimus*, dicit, quòd prædicare ponitur pro legere publicè, & hæc eſt veriſſima reſponſio, quia diacono eſt præceptum publicè legere Euangelium. Hoc idem affirmat Laurentius diſt. 92. *in ſancta*, dicens, *hoc intellige ex delegatione, alias ſolius Presbyteri officium eſt prædicare. Vel*, inquit, *hic prædicationem appellat lectionem Euangelicam*. Idem loco tertio aſſerit VVilhelmus Duranti in rationali diuinorum, in capitulo de diacono, vbi de diacono dicit, quod præceptum eſt ſibi prædicare, id eſt, legere Euangelium publicè. Et nota, ſi ſic tunc lectores haberent prædicare vetus, diaconi nouum teſtamentum, & ſic officium prædicationis eſſet multum commune, & reputationis modicæ, & diuiſum quoad materiam prædicandorum.

Diſt. 25. c. 1. perlectis.
Magiſt. in 4. diſt. 24. diaconorum ordo.
de hære. cum ex iniuncto l. 5. tit. 7. c. 12.
diſtin. 9. c. 2. In ſancta.
Duran. in rationali diuinorum li. 2. cap. ſeu rubr. 9.

EX iſto ſequitur quartò, quod valde congruum eſt, multos eſſe miſſantes, vel miſſam celebrantes, etiamſi non tot ſint populo prædicantes, probatur multipliciter. Primò, quia prædicatio eſt pro loco & tempore moderanda, & intermittenda.

Corell. 4. Congruum eſt multos eſſe Miſſam celebrantes, etſi nõ ſint tot prædicatores.

tenda. Sed Miſſa eſt quotidiè continuanda. ergo propoſitio vera. Conſequentia nota, & probatur maior, quia dicit B. Gregorius in quadam homilia, *diſpenſanda eſt prædicatio pro loco, tempore, & auditorum capacitate, quæ ſi rara fuerit, non ſufficit, ſi aſſidua, vileſcit, nec multis ſermonibus opus eſt, ſed efficacibus*, ait Seneca epiſt. 38. Inſuper Saluator noſter triginta tribus annis in hoc mundo fuit, & tantum prædicauit tribus, triginta annis tacens: Et ad minorem accedamus, quæ probatur primò ex doctrina communi, quæ eſt S. Thomæ 4. diſt. 13. & Innocentii in lib. de Miſſa, dicentis, quòd Miſſa debet eſſe in Eccleſia quotidiè quintuplici ratione. 1. quia oportet ſemper paratam eſſe medicinam contra quotidiana peccata. 2. vt lignum vitæ ſemper ſit in medio paradiſi. 3. vt nobis Chriſtus quotidie vniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter. Quartò, vt ſit apud nos iugis memoria dominicæ paſſionis. 5. vt vero agno loco typici quotidiè vtamur, quem Iudæi ad veſperam conuertendi eſurient, famem patientes vt canes, ſecundùm Pſalmiſtam. Secundò, hoc ſtatutum eſt propter hæreſũ eliminationẽ, dicitur namque in rationali diuinorum lib. 4. cap. 1. quòd dum hæreſes in diœceſi Moguntina pullularent, ſcilicet, qui Trinitatem impugnarent, ex inſtitutione Alcuini Magiſtri Caroli Magni, Bonifacii Archiepiſcopi Maguntinẽſis rogatu, ſtatuentis prima feria de Trinitate dicebatur Miſſa. ſecunda de ſapientia, tertia feria de Spiritu ſancto, quarta de charitate, quinta de Angelis, ſexta de ſancta cruce, ſeptima de beata Virgine. Ceſſante cauſſa illa, ceſſauit & effectus. hæc ibi. Hinc eſt, quòd propter deuotionis reuerentiam, & Sacramenti neceſſitatem plures Sacerdotes ſolent plures Miſſas in eodem die celebrare, ſicut de ſancto Leone Papa legitur, quòd eandem Miſſã

ſepti-

Greg.

Senec. epi. 38.

Miſſa debet celebrari quotidie. S. Thom. 4. diſt. 13. q. 1. a. 2. q. 3.

2. *Pſal. 58.*

ſepties, aliquando nouies celebrauit, vt dicit Minatenſis, vbi prius. Tertio hoc eſt, vt ſicut in veteri teſtamento fuit ſacrificium, ita in nouo panem accipiamus quotidianum. Quartò, propter multitudinem ſacerdotum, quorum maior eſt numerus, qui habent Miſſas celebrare, quàm Prælatorum, qui habent prædicare. Quintò ratione populi, quia populo iam fundato in fide, maior eſt neceſſitas prouidendi de eo, quo negligentiæ quotidianæ purgantur, gratiæ augentur, & virtutes roborantur, ad quod eſt virtus Miſſæ. Non ſic de prædicatione. ergo, &c.

Minatenſis l. 4. c. 1.
3.
4
5.

Ad ea, quæ in contrarium adducta ſunt, primò ſic: Chriſtus tantum ſemel miſſauit, & pluries prædicauit. Ergò vultis ad minus hoc concludere. quòd ſi Sacerdos vult ſæpe celebrare, debet etiam ſæpe prædicare: Reſpondeo, negando conſequentiam, tum primò, quia ſi omnes Preſbyteri quotidie celebrarent Miſſam, adhibitis debitis circumſtantiis, eſſet valde laudabile, ſed ſi omnes quotidiè prædicarent, eſſet confuſibile. tum ſecundò, quia Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum propter ſeipſũ, ſed propter perfectionem viatorum, vt qui manducarẽt eum, haberent vitam æternam. Ioan. 6. ergo non oportuit eum toties celebrare, ſicut prædicare. Ideo dicit Apoſtolus ad Hebr. decimo, *vna oblatione confirmauit ſanctificatos in ſempiternum.* & ideo quia homo quotidie indiget ſalutifera eius virtute, poteſt quotidie laudabiliter illud ſacramentum accedere, ideo dicit Dominus Luc. 11. vbi docet petere panem quotidianum, & beatus Auguſtinus dicit in expoſitione in libro de verbis Domini: *ſi quotidie acceperis hoc Sacramentum, quotidie tibi eſt hodie, tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit, hodie enim eſt, quando Chriſtus reſurgit.* hæc ille, prout dicit S. Thomas in 3. parte q. 80. ar. 5.

Ad obiectionem.
Io. 6.
Heb. 10.
Luc. c. 11.
Aug. de verbis Domini Serm. 28. to. 10.

Digitized by Google

Tum tertiò; finis etſi ſit primum in intentione, eſt tamen vltimum in conſecutione. Eucharistia autem eſt finis ad quem omnia ſacramenta ordinantur, ſecundũ B. Dionyſ. ſed prædicatio Chriſti fuit diſpoſitio fidelium ad credendũ, & ad dignè ſuſcipiendum hoc diuiniſſimũ Sacramentum: ergo ſicut ſæpè prædicare ꝑ credentiũ prædicatione, tantũ ſemel miſſare, ſicut licet finis ſit vnicus, tamen media ad eundem finem ſæpe ſunt plura. Tum quartò, q̃a Miſſa ſuo modo tam plena eſt myſteriis, ſicut ſol atomis, mare guttis, firmamentum ſtellis, & ſicut cœlum empyreum Angelis, oportuit præcedere multas diſpoſitiones prædicationum ad finaliter credendum tantum myſterium, quod per vnicam celebrationem Chriſti eſt inſtitutum. Tum quintò, quia Miſſam quam Chriſtus celebrauit in memoriale ſuæ paſſionis inſtituit, ſed tantũ ſemel mori debuit, ergo ſufficienter egit, & tantum ſemel celebrauit, ſed habuit in multis locis prædicare, & multa documenta in credẽdo, agendo, cauendo, gliſcẽdo, timendoq; tradere, quæ non potuit vnico actu expedire. ergo decuit pluries eum prædicare, & tantum ſemel miſſare.

Ad 2. obie. Secundò ſic arguit dominus proponens. Inter omnia Sacerdotis officia, poſt vitæ iuſtitiã, plus eſt laudãda prædicatio, quia longè extenſius prodeſt, ergo diligentior, vel æquè diligens debet eſſe ſacerdos ad prædicandũ, ſicut ad miſſandũ. Reſpondeo quod antecedẽs eſt declarandum, vt patet ex dictis, quia actus miſſandi eſt præceptus omnibꝰ ſacerdotibus etiã ſæpè fieri, addita comoditate, Domino dicente: *hoc facite, &c. quotieſcunq; feceritis, &c.* Luc. 22. vbi vox, *quotieſcunq;* importat multitudinẽ miſſationis. etiam actus prædicationis non eſt omnibus præceptus à Domino. Ergo, laudabilius eſt ſacerdotes non curatos ſatisfacere præcepto Domini celebrando, ad quod ſunt obli-

obligati, quàm prætermiſſis miſſationibus, prædicãdo ad quod non ſunt aſtricti. Inſuper 2. quia miſſare eſt actus ordinis ſacerdotalis, quem ſinguli habent ex charactere ſacerdotali, ſed prædicare eſt actus purè juriſdictionis non coërcitiuæ, vt prædictum eſt, magis enim aſtringitur Sacerdos ad id, quod ſibi conuenit ex vi ordinis ſacerdotalis, quàm ad id quod ſibi non conuenit, niſi ſuperueniat commiſſio juriſdictionis. Sciendum tamen, quòd in caſu fortè eſſet laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatem, quàm miſſare, ſcilicet ſi eſſet populus infirmus vel infidelis, deficiens in his, quæ credere vel agere tenerentur, tum, ſi talis Sacerdos ſimul vtrumq; facere non poſſet, potius eſſet ei prædicandum, quàm miſſandum, & tunc diceretur prædicare eſſe melius, quàm miſſare, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſtante tali conditione. Et ſic ſecundum quid, cederet perfectius, minus perfecto, ſcilicet in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, ſicut vinum licet in ſe ſit melius, quàm aqua, tamen aqua melior eſt febricitanti. Veruntamen vt communiter actus miſſandi non repugnat actui prædicandi, immò ſimul ſtant, & vnus ordinatur ad alium, ſicut prædicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotius præparetur ad audiendum Miſſam. In cuius ſignum prædicatio ſæpè ſolet fieri infra Miſſam ante eleuationem. Sed ſecundum communem formam prædicatio non eſt præſtantior his, quæ ſunt ad finem, ſed prædicatio eſt ad finem miſſationis, ſcilicet vt celebrantes deuotius agant, & aſtantes intimius conſequantur eius fructum. Vnde ſecundum ſanctum Thomam tertia parte, quæſtione 79. ar. 2. ad 2. effectus ſacrificii in quolibet homine participantur ſecũdum diſpoſitiõem, ſicut & cuiuſlibet virtutis actiuç. nam

In caſu aliquo laudabilius eſt prædicare quàm miſſare.

S. Tho. p. 3. q. 79. a. 2. ad 2. ſimile quid habet.

Digitized by Google

actus actiuorum ſunt in patiente bene diſpoſito, ad quam bonam diſpoſitionem operatur prædicatio. Certum etiam eſt, quòd miſſatio frequentata ſeu quotidiana eſt vniuerſali Eccleſiæ neceſſarior, quàm prædicatio quotidiana, attenta iam vulgata doctrina fidei. Ex quo ſequitur quòd iſta argumentatio non valet. Chriſtus pluries prædicauit, & tantum ſemel miſſauit, ergo ſalubrius eſt prædicare quàm miſſare. Nam in ſimili forma non ſequitur, Chriſtus ſæpe manducauit, ſæpe orauit, ſæpe cubauit, ergo melius eſt orare, manducare, cubare, quàm prædicare vel miſſare. non ſequitur iterum: Chriſtus ſæpe prędicauit, & tantum ſemel crucifixus eſt, ergo vtilior eſt eius prædicatio, quàm paſſio. quia non arguitur ſemper perfectio ex hoc, quod aliquid multiplicatur in ſua ſpecie magis per indiuidua, quàm aliud. immò magis arguit imperfectionem, eo quod huiuſmodi multiplicatio indiuiduorum ſuper quadam defectibilitate ſiue indigentia fūdatur, quia ſicut ſpecies non poteſt perpetuari in vno indiuiduo, ſed appetit perpetuitatem in multis ſibi ſuccedentibus, ſic in corruptibilibus eſt huiuſmodi multiplicatio, quæ tamen non eſt in æternis. Inſuper media ordinata in finem vltimum, quæ ſe habent ratione vtilis, multiplicātur, ſed finis vltimus, qui habet rationem honeſti, non multiplicatur, vt clarum eſt, quia potior eſt cōditio finis vltimi, qui non multiplicatur per indiuidua, quàm conditio mediorum, quæ multiplicantur. Ergo, & cæt.

Coroll. 5. Congruit cultui diuino in Eccleſiis vt ſit rationalis altarium multiplicatio.

Ex iſto ſequitur corollarium aliud, ſcilicet quintum. Congruit cultui diuino in Eccleſiis, vt ſit rationalis altarium multiplicatio. Cum enim ſecundum dominum Wilhelmum Pariſienſem in ſuo ſacramentali, tanta ſit neceſſitas miſſationis, quòd ſine illo ſacrificio non

non eſſet ſufficienter prouiſum fideli populo, nec cultui diuino, hinc vt dicit S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 2. ad tertium, *templa & altaria Sanctis erigimus, non quod ipſos, ſed ſolum Deum, qui nobis & ipſis Deus eſt, honoremus, vt dicit beatus Auguſtinus libro 8, de ciuitate Dei. vnde Sacerdos ſuper altari offerens ſacrificium, non dicit, offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agimus, & nos ad imitationem eorum incitamur*. hæc S. Thomas. Hæc autem altaria ſic ad Dei cultum erigere Patres veteres nos docuerũt. Nam Noë primus, deinde Abraham, Iſaac & Iacob, altaria ædificaſſe leguntur, qui non aliud niſi lapides erecti intelliguntur, ſuper quos ſacrificia mactabant, quæ ſuppoſito igne diuino cremabantur. Moyſes etiam fecit altare de lignis Sethim, & dicitur altare Thymiamatis, ꝙ veſtiuit auro puriſſimo, prout legitur Exodi 25. 27. 30. capitulis, & 1. Mach. 4. Iudas Machabeus, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia ſtatuerunt, vt dies dedicationis altaris ab anno in annum, per dies octo celebretur. hinc in Pſalmo dicitur: *Conſtituite diem ſolennem in condenſis vſq; ad cornu altaris*, vt videlicet in diebus feſtis adeo conueniat populus ad Eccleſiam, quod fiat condenſatio, id eſt, compreſſio vſq; ad cornu altaris, ita quod Eccleſia impleatur populo & clero, ideo trãſlatio hebraica habet, *in congregationibus*, & tranſlatio Romana habet *in confrequentationibus*, videlicet populi Chriſtiani, ſecundum expoſitionem de Lyra. Vnde beatus Gregorius 9. moralium, moraliter *ſolennem namq; diem Domino in confrequentationibus cõſtituit, quiſquis ſe aſsidue in eius deſiderio affligit, qui nimirum ſolennitatis dies vſq; ad altaris cornu tendi præcipitur: quia tamdiu neceſſe eſt, vt quiſq; ſe affliciat: quouſq; ad ſuperni ſacrificii altitudinem, id eſt, gaudia pertingat æterna*. hæc ille. Salomon quoq;, ſicut legitur tertio Regum ſeptimo capit. Altare aure-

S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 2. a. 3.

Aug. de ciui. Dei. l. 8. c. vlt.

Exo. 25. 27. 30.

1. Mach. 4.

Pſal. 117.

Greg. 9. mora. c. 11.

aureum fabricauit. Ab his ergo antiquis Patribus altaria modernorum ſumpſerunt exordium. Nempe altare & ara, quæ aliquoties indifferenter inueniuntur. Intereſt tamen, nam altare, quaſi alta res, vel alta ara dicitur, in quo Sacerdotes incenſum adolebant: *Ara* verò quaſi area, id eſt, plana, de ardore dicitur, quia in ea Sacrificia ardebant. Porrò triplici ex cauſſa hæc altaria conſecrantur. Primò ad Sacramentum in ipſis offerendum, iuxta quod Geneſ. octauo dicitur: *ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* hoc autem Sacramentum eſt corpus & ſanguis Chriſti, quod in memoriam paſſionis Chriſti immolamus, iuxta illud: *hoc facite in meam commemorationem.* Secundò ad nomen Dei ibi inuocandum. vnde Gen. 12 *Ædificauit Abraham altare Domino, & inuocauit ibi nomen Domini qui apparuit ei.* hæc autem inuocatio, quæ fit ſuper altare propriè dicitur Miſſa, ex eo, quod cœleſtis miſſus, ſcilicet Chriſtus à Patre, qui ipſam hoſtiam conſecrat, & per eundem à nobis Patri mittitur, vt pro nobis intercedat. Tertiò, ad cantandum Miſſas in eo. vnde Eccle. 47. *dedit illi contra inimicos potentiam, & ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos.* Ex quibus apparet, quòd obiectio Domini proponentis nulla eſt, vbi allegat contra pluralitatem altariũ illud Oſeæ 8. *Multiplicauit Effraym ſuper altaria ad peccandum.* nec illud Amos 3. *viſitabo ſuper altaria Bethel* Et Oſee 10. *tribulus aſcendit ſuper aras eorum.* quia illa dicta ſunt contra eos, qui ædificabant altaria idolis, & immolauerunt Dæmoniis, & non Deo, Diis quos ignorabant, vt dicitur Deuteronomii trigeſimo ſecundo. Nos autem non ſic, ſed ſoli Deo vero, & Sanctis eius in gloriam ipſius, quoniam *mirabilis Deus in Sanctis ſuis,* dicitur Pſalmo vltimo, de quibus

Triplici de cauſa altaria conſtruũtur. *Gen. 8.* *Luc. 22.* *Gen. 12.* *Eccl. 47.* *Oſe. 8.* *Amos 3.* *Oſea 10.* *Deut. 32.* *Pſal. 150.*

Pſalmiſta dicit in plurali: *altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus*, Pſalmo octogeſimo tertio, vbi dicit beatus Auguſtinus ſuper illo: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Eſt quoddam altare ſublime, inuiſibile, quò non accedit iniuſtus, ad illud altare ſolus accedit, qui ad iſtud viſibile ſecurus accedit, illuc inuenient vitam ſuam, qui in iſto diſcernit cauſſam ſuam.* & Gloſſa ait, *notandum, quod ad altare Miſſam celebraturus, Sacerdos aſcendens, ait: Introibo ad altare Dei, deſiderio enim & amore ſuperioris & inuiſibilis altaris hoc viſibile adire cum modeſtia debet, æterna non caduca petitur, vt Chriſti celſitudinẽ humilitate ſequatur, qui ſic iſtud altare exponit dicens. Ad Deum ſcil. introibo: qui lætificat iuuentutem meam; accedo enim modo in vetuſtate, tunc aſtabo gaudẽs in nouitate.* hęc ibi. *ſic ergo offeres mun' tuũ ad altare* Mat. 5. *Pſal 83. Pſal. 42. Auguſtinus ibidem.*

Sextum corollarium. Cuicunq; ex cauſa rationabili Papa prohibet actum prædicationis, vel Epiſcopus loci ſub ſententia excommunicationis tenetur obedire, ſi nõ vult pœnam illã incurrere. Pro iſta declaratione hîc ſunt notanda tria. 1. quod licet Papæ, Epiſcopo loci vel Prælatis prohibere, ne quilibet ſacerdos prædicet in locis ſibi cõmiſſis, vel diacono indiſtinctè. 2. quòd iniuſtè excomunicati aliquando debent obedire, & ſententiã multũ timere. 3. quòd talis excomunicatio iam lata non meretur dici prætenſa, ſed verè & obligatoriè impẽſa, ſi prædicatio ex cauſa rationabili alicui fuerit prohibita, patet 1. quia tota ratio domini proponentis cur illi hoc non poſſint, eſt, q̃a Preſbyteri & Diaconi obligantur prædicare ex præcepto Dei, & ipſi non poſſunt contra præceptum Dei, igit' in tali præceptione non eſt eis obediendum. Et audiſtis ex prehabitis quod non eſt præceptum taliter, ergo illa ratio nulla. Et probatur corollarium, quia licet illud Papæ & Epiſcopis circa officiũ prædicationis, quod licuit Chriſto ſtatuere.

Coroll. 6. Cuicunq; ex cauſa rationabili Papa prohibet actũ prædicationis ſub ſententia excommunicationis tenetur obedire. Si non vult pœnam illam incurrere.

tuere & prohibere, & practicare in ſe & ſuis diſcipulis, ideò enim dicuntur vicarii Chriſti in terris, ſed Chriſtus in ſeipſo practicauit, quod quamuis Sacerdos eſſet à primo conceptionis ſuæ inſtanti, tamen à prædicatione triginta annis abſtinuit. Inſuper in ſuis Apoſtolis ſtatim dũ eos miſit, circa loca, immò maximam partem mundi, eis interdixit, dicens, *in viam gentium ne abieritis.* & 72.

Matt.10. *Luc.10.* diſcipulis reſtrinxit, ne prædicarent niſi in loco vbi ipſe erat venturus, præterea & Apoſtolos, quos in totum mundum miſit, adhuc ad certos dies prædicare prohibuit, dicens, *ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.*

Luc.24. *Act.16.* *Rom.15.* Similiter Apoſtolus Paulus volens prædicare Romanis, tandem Antiochenis, prohibitus eſt à Spiritu ſancto. Si ergo tam licite Chriſtus & Spiritus ſanctus iſtos prohibuit, ne prædicarent, quando & vbi vellent, cur non Papa ita de Presbyteris & diaconibus facere poſſet? Et hæc de primo. Secundò Papa vel Epiſcopus poteſt illud promulgare, quod dudum ſtatutum & ſeruatum eſt ab vniuerſali Eccleſia Dei, ſed vniuerſalis Eccleſia ſtatuit reſtrictionem prædicantium à principio, ſcilicet in Conciliis Niceno, Carthaginenſi, Romano, & multis aliis, vt

diſt.71.72. patet 71. & 72. diſtinctionibus. ergo ſi iam hoc ad practicam ponitur, nõ eſt rebellandum: dictum eſt enim, quod ibi præcipitur ſub ſententia excommunicationis, non admittendos Presbyteros alienos in Eccleſiis abſq; ſufficienti teſtimonio, & licentia ſui Epiſcopi. Tertio ſic in propriis terminis. Iſtud ponit Innocentius tertius, & acceptauit Eccleſia Dei vniuerſalis, ſcilicet, quod omnes prohibiti, vel non miſſi auctoritate ſummi Pontificis, aut Epiſcopi loci, non poſſunt prædicare ſub pœna excom-

De hær. c. cum ex iniuncto. 12. municationis, & aliis remediis, vt patet ibi, *quia vero, de hæreticis, cum ex iniuncto.* Aut ergo Eccleſia Dei tanto tem-

pore

pore à Concilio Nicæno, vſq; nunc licite accepit illa ſtatuta, aut non. ſi ſic, habebo propoſitum, ſi non, ergo interim vniuerſalis Eccleſia ſtetit in errore, quod eſt contra Euangelium, *portæ inferni non præualebunt aduerſus eam.* iterum: *ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi, & ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* *Mat.16.* *Matt.28.* *Luc.22.*

Ad auctoritates, quas in oppoſitum inducit, prima eſt Bedæ ſuper iſto: *inuenietis aſinam,* dicentis, quòd hic doctoribus præcipitur non deſiſtere à prædicatione. Reſpondeo, quòd loquitur de Doctoribus Eccleſiæ, & hi ſunt, hi qui ad prædicationis officiũ ſunt inſtituti, ſemper præſuppoſita auctoritate legitima. Nam Doctores præcipuum tenent ordinem in Eccleſia, & ſic Doctores intelliguntur Prælati magni, in c. ex iniuncto: in illa auctoritate non nominantur Presbyteri aut diaconi, ſed ſoli Doctores, vnde non probat propoſitum. Ad aliam Hieronymi ad Ruſticum, dico quod loquitur de Epiſcopis, qui prohibuerunt inuidia diabolica permoti, curatos in præſentia eorum prædicare propriis populis ſibi commiſſis, & hoc non licuit, vt patet diſt. 95. *Ecce ego.* nec hoc fecerunt congruitate, ſed, *inuidia ſimulante*, dicitur ibidem. Tertia eſt Anacleti 43. diſtinct. *ſcimus*, vbi dicitur, quòd doctores non debent tempore perſecutionis ſubtrahere verbum. dico quod loquitur ad literam de curatis, vnde dicit Rubrica eiuſdem capituli, *verba prædicationis Prælati ſui perſecutoribus non ſubtrahant.* idem dicit gloſſa ibidem, quia in iſtis auctoritatibus ſcilicet Bedæ & Anacleti immediatè iam expreſſis, & ſæpe pariformiter in dictis Doctorum fit mentio de Doctoribus. Reſp. quòd loquũtur aut de Doctoribus curatis, & ſic eſt plana res, talibus enim cõuenit prædicare nec fugere perſecutionis tempore. Aut de non curatis, & ſic eſt duplex opinio: vna, quòd Doctoribus

Ad autoritates allatas in oppoſitum. ad Bedam.

ad Hieronymum ad Ruſticum Epiſcopũ Narbonenſẽ. diſt. 95. Ecce ego. c. 6.

Ad Anaclet. ep. 1. diſt. 43. Scimus. c. 3.

Digitized by Google

ſacræ Theologiæ conuenit vbiq; prædicare, ratione autoritatis doctoralis, quia ſic licentiantur, auctoritate Papæ. ſicut & Epiſcopus in tota diœceſi, & hoc vult Auguſt. de Ancona in lib. de Eccleſi. poteſtate, q. 64. & hoc videtur prætendere decretal. de hæret. *cum ex iniuncto*, dicens, ꝙ doctoris ordo eſt præcipuus in Eccleſia Dei. vnde prædicationis officiũ nullus ſibi debet vſurpare, niſi miſſus, ex quo ſequi videtur, ꝙ in tantũ ſint doctores priuilegiati, ꝙ ſint actu miſſi, & ideo glo. in c. *ſcimus* diſt. 43. comparare eos videtur vel ſaltem connumerare Prælatis, qui tacere nõ debẽt, ſed prædicare tẽpore perſecutionis, & illius opinionis videntur fuiſſe illi doctores per ꝓponẽtẽ allegati. ſed eſt alia opinio his contraria ſancti Thomæ in libro contra impugnantes religionem, & domini Patriarchæ de Palude in libro de Eccleſiaſtica poteſtate dicentis, quod ex doctorali gradu non habent doctores poſſe prædicare vbilibet, niſi de bonoplacito curatoris ſingulariter obtẽtæ, ideo auctoritates illæ non ligant. Et quid eſt tot libros voluiſſe, & Doctores allegaſſe, cum, etſi omnes doctores mundi aliter, vel taliter ſenſiſſent, ſola Eccleſiæ auctoritas, quæ toties hanc materiam decidit, quæ hãc concluſionem, videlicet, quod licet prædicare diacono vel presbytero abſq; licẽtia ſuperioris ſedis Apoſtolicæ, aut Prælati loci, & quod ipſi hoc prohibere non poſſent licite, ſub pœna excommunicationis ſententiæ condemnauit, vt oſtenſũ eſt, ſufficeret ad cõpellendũ quemlibet catholicum, ad credendum eius oppoſitum. Sic enim B. Hieron. poſtquam longo tractu diſputauit contra Luciferianum, concluſit: *poteram hoc vnico ſole, omnium diſputationum tuarum riuulos exſiccare.* de auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ loquẽs, ita & nos credamus, ita q̃ſo ſingulos, determinationem Eccleſiæ clariorem ſole accipite, ſicq; omnium

Aug. de Ancona de eccl. poteſtate q. 64. a. 6.

diſt. 43. ſcimus c. 3.

Thom. contra impug religi. c. 6.

Petrus de Palude de eccle. poteſtate. a. 6.

Hiero. aduerſ. Luciferianũ.

nium

niũ doctorũ, qui tamẽ ſua dicta eiuſdẽ ſolis eradiationi expoſuerũt exſiccãda, corripiẽda, & emẽdanda intelligite.

Quantum ad ſecundum, ſciendum, quòd ſententia iniuſtè lata dummodo à ſuo iudice fiat, ſemper eſt formidoloſè timenda, & hoc niſi eius ſententia errorem inducat, vel peccatũ mortale afferat, tunc enim nec timẽda eſſet, nec tenẽda. Et ſic probatur propoſitio primo ex 8. Synodo 11. q. 3. *Si quis frater aut palàm aut abſconſe fuerit locutus, cum excommunicato, aut iunctus communione, ſtatim cum eo excõmunicationis contrahat pœnam.* Et Vrbanus Papa ibid. *Quibus Epiſcopi non communicant, & quos eiecerint, non recipiatis; valdè enim timenda eſt ſententia Epiſcopi licet iniuſtè liget.* hinc ex cõcilio 4. Carthag. dicitur ibidẽ. *clericus qui Epiſcopi diſtrictionem circa ſe putat iniuſtam, recurrat ad Synodum*: Ioh. Inſuper Chryſoſt. ſuper epiſt. Pauli ad Heb. c. 2. *vincula eccleſiaſtica non ſunt contemnenda, non enim homo, ſed Chriſtus eſt, qui ligat, qui hanc poteſtatem dedit, & dignos fecit homines tanti honoris.* & hoc eſt, quod dicit B. Gregor. in principio; *ſententia paſtoris ſiue iuſta fuerit ſiue iniuſta timenda eſt.* gloſſ. *niſi in duobus caſibus, ſcil. cum ſententia eſt poſt appellationem lata, & cùm continet intolerabilem errorem* ext. de ſen. ex. c. *per tuas.* Tertium caſum apponunt quidam cum pro indebitis exactionibus aliquis excommunicatur. extra de exceſſibus Prælatorũ. *cum ad quorundam.* vnde dicunt communiter doctores, quod ideo excommunicatio etiam iniuſta eſt timenda & ſeruanda, quia non nocet innocenti, ſed purgat eũ, & ſic licet iudex iniuſtè agat, iſte tamen iuſtè patitur, etiamſi nõ ſeruaretur, forte ille cõtemptus tamen, iniuſtam faceret iuſtam. per talem autem excommunicationem iniuſtã non tollitur charitas, ſed ſolum excluditur homo à cõmunione Eccleſiæ, & à ſuffragiis Eccleſiæ, quæ ita Prælati ſubtrahere poſſent, vt dicit venerabilis Augu. de Ancona, in lib.

Sententia à ſuo iudice lata, etiam iniuſta, formidanda.

11. q. 3. *ſi quis.* c. 28.

11. q. 3. *quibus* c. 27.

11. q. 3. *clericus.* c. 30.

11. q. 3. *nemo.* c. 31.

Chryſ. hom. 4 *in ep. ad Heb.*

Greg. ho. 26. *in Euang.*

11. q. 3. *ſententia.* c. 1.

de ſent. exco. per tuas. c. 11.

De exceſſibus Prælatorum. cum ad quorundam. c. 7.

Aug. de Ancona de eccleſiaſti. poteſta. q 27. a. 3.

libro de Eccleſiaſtica poteſtate, q. vigeſima ſeptima, hoc ei conſulendum eſt, vt ſuſtineat executionem patienter, humiliter, & deuotè, & quod præſentet ſe excommunicatori, offerens canonicam ſatisfactionem, ſi in aliquo offendit, & ſic inſtanter petat abſolutionem. ſi ita fecerit, erit ei ad meritum, aliâs ſi contemneret, peccaret mortaliter. de ſententia excommunicationis. c. *per tuas*, vel poteſt querimoniari contra iniuſtum excommunicatorem coram ſuo ſuperiori, vt allegatum eſt.

Sententia Eccleſiæ prohibens quibuſdam prædicationem, non eſt prætenſa, ſed veraciter impenſa.

Quantum ad tertium, ſi Eccleſia vniuerſalis prohiberet Sacerdotes, vbiq; prædicare, vel Prælati, verbum Dei, non ſit excommunicatio prætenſa, ſed veraciter ordinatione impenſa. probatur. ſicut de Papa in vniuerſo orbe, & Concilio generali, ita ſimiliter dicendum eſt de Epiſcopo in diſtrictu diœceſis ſuæ. In ſeptem cauſis communiter ſecundùm omnem ſcholam Theologorum & Iuriſtarum, non eſt ſententia timenda nec tenenda. Primò, ſi conferatur à non ſuo iudice. Secundò, ſi feratur à ſuo iudice, ſed excommunicato publicè; nam excommunicatus excommunicare non poteſt. Tertiò, ſi aliquis excommunicetur à delegato contra intentionem delegantis. Quartò, ſi lata eſt ſententia poſt prolatam appellationem. Quinto, ſi feratur à ſuſpenſo à poteſtate iuriſdictionis. Sextò, ſi feratur nulla admonitione præmiſſa, & nullo juris ordine ſeruato. Septimò, ſi ſententia cõtineat peccatum mortale, vel aliquid, quod ſit contra fidem. Planum eſt autem, quòd nullo iſtorum modorum excommunicatio iſta, qua prohibentur Prædicantes, ne vbiq; liberè prædicent, quodcunq; iſtorum includit; nullus enim poteſt cauſare Eccleſiam vniuerſalem eſſe non ſuum iudicem, vel ſententia excõmunicationis eam eſſe ligatam, nec etiam ſententiam

Anconitanus vbi ſupra. Sententia non formidanda. in 7. caſibus.

eſſe

eſſe contra intentionem delegantis, nec à iuriſdictione eam per aliquem ſuperiorem eſſe ſuſpenſam, vel juris ordinem non ſeruatum, cum Eccleſia in generali Concilio congregata, nullo juris ordine poſitiuo ligetur, nec poteſt ſententiare errorem, vel aliquid, quod eſt peccatum mortale, vt præfatum eſt ſuperius in declarando, quid ſit verbum inſpiratum, ſcilicet verbum Spiritus ſancti per ſacra generalia Concilia decretum. Pariformiter de Papa & Epiſcopis eſt dicendum, vbi nullus obuiat prædictorum caſuum: ergo ſi talis ſententia excommunicationis profertur contra eos, qui vbiq; volunt prædicare, Eccleſiaſticam tranquillitatem perturbare, & horrorem ſempiternum in Eccleſia ex hoc ponere, quis dubitat, quin talis ſententia non debeat dici prætenſa, ſed veraciter, & ex obligatione impenſa?

Corollarium ſeptimum, cuius etiam dedit dominus exponens contrarium. Sacerdotes Domini debēt aliquando omittere fidelem verbi prædicationem propter ſcandalum peruerſorum. Pro quo ſciendum, quòd ea, quæ ſunt populo prædicanda, ſunt in triplici differentia. Aut enim ſunt credenda, vt articuli fidei, aut agenda, vt moralia Dei præcepta, vel corrigenda, vt ea, quæ ſunt circa informationem bonorum morum. Falſitates ergo & errores, quæ opponūtur credibilibus, & his quæ ſunt de integritate fidei, & ſacræ ſcripturæ, prædicator tacere non debet. transgreſſiones verò diuinorum mandatorum eodem modo tacendo & non pnunciando eſſe peccata damnoſa, eſt peſtis: in perſona enim talium dicitur Threnorum 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, ſtulta, & non aperiebant iniquitatem tuam*, quia tales ex grauioribus leuiora, quaſi diuina auctoritate, peccantibus nunciant, dicentes bonum malum, & malum bonū,

Coroll. 7. Sacerdotes Domini debēt aliquando omittere fidelē prædicationē, propter ſcandalum peruerſorum.

Thren. 2.

Gloſſa ordinaria. ſicut gloſſa ibidem dicit. ſed quæ ſunt circa morum informationem corrigenda, propter vitationem maioris mali, & ne auditores peiores fiant, quandoq; ſunt diſſimulãda, vt dicit venerabilis Auguſtinus de Ancona, vbi ſupra. Ex his elicio, quòd in duob9 caſibus licitè poteſt prædicator verbi Dei tacere, & non prædicare. Primus eſt ad * prædicandum malum maius, quàm ex ſermone ſuo ſequatur bonum, puta, ſchiſma, vel rebellio contra fidem, vel contra præcepta Dei, aut ſuperioris. non enim licet, vel ſaltem non tenetur prædicator populo prædicare, quem videt finaliter magis quoad ſingulos * deſcruire, quàm ex ſua prædicatione proficere, iuxta illud Matt. 7. *nolite ſanctum dare canibus*, ſecundum expoſitionem beatorum Auguſtini & Chryſoſtomi ibidem. vnde dicit B. Hieronymus ſuper 12. Prophetas, & aſſumitur, 11. q. 3. *Quando ergo vir Eccleſiaſticus prudens atq; intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, eſſe cognouerit, & non ſolum multas, ſed & fortes, & quæ opprimere poſſunt iuſtitiam, & in tantum doctorum rabiem proceſſiſſe, vt accipiant precium in iudicio, & omnia pro muneribus faciãt, pauperes quoq; deuitẽt in portis, & audire contẽnant, taceat illo tempore, nõ det ſanctũ canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui cõuerſi cõculcẽt eas, & imitentur Ieremiã dicentẽ, ſolus ſedebã, quia repletus ſum amaritudine.* hæc ille. Hoc etiam Dominus diſcipulos docuit: *In quamcunq; domum intraueritis, dicite, pax huic domui: qui autem non receperit vos, exite de illa ciuitate, etiam puluerem pedum veſtrorum excutientes*. Item *ſi perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*. vnde B. Auguſtinus in lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani, & aſſumitur 23. q. 4. *non poteſt ſalubris eſſe correctio niſi cum ille corripitur, qui non habet ſociã multitudinẽ. cum verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus.* & infra. *Reuera, ſi contagio peccandi multitudinem* in-

Marginal notes: *for. præcauendum. | *for. deficere. | Mat. 7. | Aug. de Sermone Domini in monte. li. 2. | Chryſ. in eum locum. ho. 24 | 11. q. 3. quando ergo. c. 23. | Hier. in Amos Prophet. c. 3. | Hier. 15. | Matt. 10. | Aug. l. 3. cont. ep. Parmeniani c. 2. 23. q. 4 Non poteſt c. 32.

inuaſerit, diſciplina diuinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt, nam conſilia ſeparationis, id eſt, excommunicationis, tunc inania ſunt & pernicioſa atq; ſacrilega, quia impia & ſuperba ſunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos. hæc ille. Et hoc eſt, quod in Pſal. Dominus dicit de ſeipſo. *obmutui, & humiliatus ſum, & ſi lui à bonis*, ſcil. quæ nō docuit, quia ſalubrem admonitionem recipere non poterant, qui contentionū ſententiam perquirebant, ſecundū expoſitionem *Iſidori, *& dolor meus renouatus eſt*, ſcil. ꝓ contēptu & obſtinatione malorū, ſed renouatus eſt ꝓ damno bonorū, qui amittunt paſtum verbi Dei, ſecundū Hugucionē. hoc etiam de praxi Apoſtolorū exponit B. Aug. ſuper illo Pſalmi *& veritas tua vſq; ad nubes*, dicens, *intelligimus doctores veritatis omnes portantes iſtam carnem caliginoſam, per quos Deus coruſcat miraculis, & tonat præceptis, de quibus dicit Dominus per Iſa. Mandabo nubibus meis ne fluant ſuper eam, videlicet ſuper vineam malam, hoc eſt, plebem Iudaicam, imbrem, id eſt, mandabo Apoſtolis meis, vt deſerant Iudæos, & non euangeliſent*. hæc ille. In cuius figuram ſancti Paulus & Timotheus vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia, & tamen volebant in Bithynia, non permiſit eos Spiritus S. ſed miſit eos ad Macedones, Act. 16. 2. caſus eſt, ſi ſcandalum oriatur ex doctrina prædicantis inter audientes, quod exponit Alexander de Halis in fine ſecundæ partis. Si omnes ſcandalizantur, vt dicit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 43. articulo ſeptimo, quod quæ ſunt de neceſſitate ſalutis omitti non debēt propter cuiuscunq; ſcādalū, ſed in his quæ de neceſſitate non ſūt, dicēdū videt, ꝙ ſcandalū ꝙ ex his oritur, quandoq; procedit ex malitia cum ſcil. aliqui volunt impedire huiuſmodi ſpiritualia bona, ſcandalum concitando, & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabātur, ꝙ eſſe

Pſal. 38.
Iſidorus.
** alter liber Caſsiodorus.*
Pſal. 35.
Aug. ibidem.
Eſa. 5.
Act. 13.
Act. 16.
Alexan ab Ales. pa. 2. q. 169.
Tho. 2. 2. q. 43. a. 7.

con-

Matt. 15. contemnendum Dominus docuit Matth. decimo quinto. Quandoq; verò ſcandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum propter quod ſunt ſpiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quouſq; reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem huiuſmodi ſcandalum duret, non videtur niſi ex malicia eſſe, & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittenda: vnde idem dicit & in 4. ſententiarum diſt. 38. articulo 7. quód licet nunquam ſit falſum docendum, eſt tamen actus docendi aliquando licitè differendus propter melius, ſcilicet propter ſcandalum puſillorum præſeruandum. cuius rationem reddit ibidem Dominus Patriarcha de Palude dicens, quòd doctrina cum ſit eleemoſyna ſpiritualis, ad ſubleuandam miſeriam alterius, nõ eſt dimittẽda quando creditur, quòd ex ea ſequitur ſpiritualis profectus, quando autem talis profectus non ſequitur, ſed magis irritatio audientis, iam non eſt bonum ſpirituale & ideo ſi ad tempus dimittitur propter ſcandalum audientis, non omittitur aliquid, quod pro tunc habeat rationẽ ſpiritualis boni. hæc ille. & per hæc ſunt ſoluta, quæ adducit dominus proponens pro parte ſua, quia intelligitur dum ſcandalum naſcitur de his, quæ ad ſalutem audientium ſpectant, ſine quibus ſaluari non poſſent, tunc enim propter ſcandalum peruerſorum non eſt omittendum verbum Dei, vt dictum eſt, non ergo fuit tutum, illam concluſionem ponere abſolute, & ſine neceſſaria diſtinctione.

Thom. 4. diſt. 38. q. 4. a. 2.

Petrus de Palude 4. ſent. diſt. 38. q. 6.

Coroll. 8. Prælati & Presbyteri te-

Vltimum corollarium dominus proponens dixit: *non ſolum Sacerdotes minores, ſed & Prælati maiores tenentur verbum Dei fideliter annunciare*, ad quod declarandum dico, quod

Digitized by Google

quod Prælati & Presbyteri tenentur per ſe vel per alios verbum Dei fideliter annunciare; non tamen ita tenentur prædicare, quin in caſibus ſex vel ſeptem ad minus poſſint ſupportari. Pro quo notandum, quòd in quinque caſibus Prælati maiores poſſunt licitè omittere prædicationem verbi Dei, & per alios ſupplere. Primus eſt, ſi ſint impeditæ linguæ, vt patet Exodi quarto de Moyſe, quem Dominus conſtituit ſupremum Prælatum in Synagoga, ait: *Domine non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius.* gloſſa dicit ſecundum Hebræos: *gracilem & tenuem vocem habuit, & neceſſe erat clamoroſa voce vti, quia regio faſtu prope accedere non permittebatur.* Inſuper ibidem Dominus ait: *Aaron frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* vbi gloſſa ſuper illo, *ipſe loquetur pro te*, hic ſubauditur ad populum, & cum dicit ibi, *loquetur ad populum;* indicat in Moyſe principatum, in Aaron miniſterium. Simili de cauſa B. Valerius Epiſcopus beato Vincentio Diacono verbum Dei ad prædicandum commiſit, cuius Vincentii paſſionem ſeu hiſtoriam in Eccleſia legimus, quam quidam beatum Auguſtinum ſcripſiſſe dicunt, vbi ſic dicitur: *Vincentius nobilis genere, ſed fide & religione nobilior, B. Valerii Epiſcopi Diaconus fuit; cui Epiſcopus qui impeditioris erat linguæ, vices ſuas commiſerat; & ipſe orationi & contemplationi vacabat; vnde & ipſe B. Valerius Vincentio ait: iamdudum tibi fili dulciſſime verbi Dei curam commiſeram, & nunc quoq; pro fide qua aſtamus reſponſa committo.* Secundus caſus eſt, ſi neſcit linguam populi plenè, ſicut in vita beati Auguſtini dicitur, quam ſcripſit Poſſidonius Calamēſis Epiſcopus, vt ait Caſſidorus libro de illuſtribus viris, dicitur enim ibi quod ſanctus vir Valerius Hipponenſis Epiſcopus ordinauit beatum Auguſtinum in Presbyterum,

[margin: nentur per ſe vel per alios verbum Dei fideliter annunciare, non tamen ita tenētur prædicare, quin ad minus in caſibus aliquot poßint ſupportari.]

[margin: 1. Exo. 4.]

[margin: 2.]

rum, vir pius & Deum timens exultabat, & Deo gratias agebat, preces quas frequentiſſimè fudiſſet Deo, exauditas à Domino narrabat, vt ſibi concederetur talis, qui poſſet verbo Dei & doctrina ſalubri Eccleſiam Domini ædificare, cui rei ſe homo natiõe Græcus, minusq; lingua latina & literis inſtructus, minus vtilem præuidebat. Ideo eodem Preſbytero, ſcilicet B. Auguſtino poteſtaté tradidit coram ſe & Eccleſia Euangelium prædicandi, & frequentiſſimè pertractandi contra vſum quidem & conſuetudinem Affricanarum Eccleſiarum. hæc ibi. ſic enim B. Auguſtinus adhuc viuente Valerio non ſucceſ-
7.q.1.non autem.c.12. ſit, ſed ei acceſſit. Septima, quæſt. 1. *non autem.* Tertius ca-
3. ſus, ſi ſit infirmus, vel nimis ſenex, tunc enim per ſacerdotes prædicatio & alia opera ſacerdotalia expleri poſſent, ſed pontificialia per Epiſcopos vicinos, non enim propter infirmitatem debet Epiſcopus deponi, ne afflictio afflicto ſuperaddatur, ſed per alios ſuppleri, quæ per eum minimè poſſent perfici, vt probatur auctoritatibus multis
4. ſeptima, quæſt. 1. *ſcripſit mihi*, & ſequentibus capi. Quartus
7.q.1. *ſcripſit mihi*.c.1.& *ſeqq.* caſus, ſi ad concordandum diſcordantes laborat, eſt enim officium Epiſcopi diſcordantes, tam clericos quàm
diſt.90.per totum & *ſtudendum eſt*.c.7. laicos concordare, vt probatur diſt. 90. per totum, vbi ex Concilio Carthaginenſi quarto dicitur: *Studendum eſt Epiſcopis vt diſſidentes fratres ſiue Clericos, ſiue Laicos magis ad pacem, quàm ad judicium coerceant.* Ibidem dicit Inno-
ibid.c.11. centius ſecundus: *Præcipimus vt Epiſcopi ad ſolum Deum, & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſemota, ad pacem firmiter tenendam, mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeant, nec hoc alicuius odio vel amore prætermittatur. quod ſi quis in hoc Dei opere tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.* hæc ille. Quintus caſus, quando
5. pauperibus ſuis oppreſſis tenetur ſubuenire, & pietatis ope-

operibus diuerſis inſiſtere, vbi veriſimile eſt quod maio-
rem fructum faciant, quàm ſi pro tunc prædicarent, de
quibus diſtinctione octogeſima quarta *peruenit*, & capit. *diſt.84.peruenit.c.1.*
ſequenti, & diſtinctione 86. vbi ſcribit beatus Grego-
rius Marinianum Epiſcopum excitandum, quod videba- *diſt.86.Fratremnoſtrum. c.6.*
tur obdormiuiſſe, & quod patientibus non ſuccurrebat,
nec alienam miſeriam, propriam credebat, & diſtinctio- *diſt.86.per totum.*
ne 80. per totum. exhortantur Epiſcopi defendere op-
preſſos, & reſiſtere oppreſſionibus omnium ad ſe confu-
gientium. Idcirco gloſſ. 3. Reg. 5. vbi litera habet, quòd *3. Reg. 5.*
Adoniram erat ſuper huiuſmodi indictionem. *fuerunt
enim Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, &
octoginta millia latomorum in monte, abſque præpoſitis, qui
præerant ſingulis operibus, numero tria millia & trecenta, præ-
cipientium populo,* dicit: *Adoniram Dominus meus excelſus, hoc* *Gloſſ.ordinaria ibidem.*
*eſt, Chriſtus, qui operariis templi præponitur, vt ordinet quibus
menſibus ad operandum exeant, quibus ad curandum domum ſuam
redeant, cum prædicatorum mentes familiarius informat, vt
diſcernant quando oporteat Eccleſiam ædificare prædicando, vel
alia officia præſtando, vel quando ad conſcientiam ſuam examinã-
dum, aut quaſi ad propriam domum inſpiciendam reuerti, vt ora-
tionib⁹ & ieiuniis ſuperno inſpectore & viſitatore digna ſit.* Et ſub-
dit gloſ. *notandũ autem quod pars in monte lapides ſcindebãt, pars
onera portabant, diuerſa enim ſunt dona ſpiritus, & quidam maio-
rem docendi, & proteruos arguendi conſtantiam habent, quidã mi-
tiores ad conſolandos puſillanimes exiſtunt. quidam vtraq; virtute
præditi ad opus domus Domini conueniunt.* hæc ibi. Ex quo pa-
tet, quòd Epiſcopi & Prælati ritè à prædicationis actu ſũt
excuſati, dum tamen variis & arduis pro ſibi commiſſarũ
ouium & rerum occupantur diſtractionibus. Sextus, ſi E- 6.
piſcopus inſiſtit ſacræ ſcripturæ ſtudio ſeu expoſitioni, vt
ex S. Thoma conſtat, quia tunc ꝓficit pluribus, & præ-

dicatores docet aliis prædicare. dicit enim in quodlibetis, quod licet in caſu neceſſitatis ſalubrius ſit Epiſcopis & Doctoribus, relictis propriis officiis ſaluti animarum particularium intendere, ſed tamen ſimpliciter magis eſt vtile & meritorium ſacræ Theologiæ ſtudio inſiſtere, & circa doctrinas popularium non intendere. Nam ratio demonſtrat, quòd melius eſt eos erudire de pertinētibus ad ſalutem, qui in ſe, & in aliis perficere poſſunt, quàm his, qui tantum ſibi proſunt. Inſuper in quolibet artificio videmus quòd ſemper melius habet, qui diſponit de artificio, & dicitur architector, quàm alii qui manu operantur, vnde ipſe etiam maiori precio conducitur. In ædificio autem ſpirituali ſunt quaſi manuales operarii, qui particulariter inſiſtunt curæ animarum, puta Sacramenta miniſtrando, vel aliquid huiuſmodi particulariter operando: ſed quaſi principales artifices ſunt Epiſcopi & Doctores, qui imperant & diſponunt, & docent alios, qualiter operari debeant. Sic ergo ſimpliciter melius eſt docere ſacram ſcripturam, quàm intendere prædicationi, ſi bona intentione fiat. vnde 2. Tim. 2. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*, & quaſi hos caſus ſimul comprehendit capitulum *inter cætera*, dicens de officio iudicis ordinarii, libro primo, *inter cætera, quæ ad ſalutem animarum pertinent populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei permaximè noſcitur ei perneceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ita anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. vnde cum ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inualitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias, ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omninò, nec de cætero tolerandum, per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes,*

S. Tho. quodli. 1. q. 7. a. 4.

2. Tim. 2.

De officio iudicis ordinarii: Inter cætera. c. 15.

Matt. 4.

ſes & diffuſas: generali conſtitutione ſanximus, vt Epiſcopi viros idoneos, ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone. & infra. *Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quàm in Eccleſiis conuentualibus, viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadiutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris quæ pertinent ad ſalutem animarum.* Ad ea, quæ in oppoſitum allegauit dominus proponens, ſcilicet quod in primitiua Eccleſia tam Apoſtoli, quàm ſeptuaginta duo diſcipuli per ſe prædicabant, & in locum eorum nunc Epiſcopi & inferiores Presbyteri ſucceſſerunt, vt dicit Anacletus, diſt. 21. *in nouo.* Reſpondeo, quod verum eſt, quod in loca eorum ſucceſſerunt, non tamen ſequitur ex hoc, quod ſicut illi perſonaliter per mundum diſcurrerunt, & vbique prædicauerunt, ita & iſti facere teneantur, ſed ſufficit q̃ in caſibus præſcriptis per alios idoneos ad hoc deputatos fiat, & ita quilibet in ſua diœceſi prouideat, vt patet ex dictis. *diſt. 21. in nouo c. 2.*

Epilogus huius lectionis concluſiuus eſt hic.

VT ſciant volentes quid de præſenti actu ſecum afferant, iſta ex iam dictis eliciuntur. Primum, quòd non ratione ordinis ſacerdotalis, ſed ratione non coercitiuæ iuriſdictionis, competit pluribus Presbyteris actus publicæ prædicationis. quia officium prædicationis, ſic eſt à ſacerdotio diſtinctum, quod non omnibus Sacerdotibus competit, & etiam aliis, quàm Sacerdotibus competere ex ſpeciali commiſſione poterit. Secundum, 1.

 quod

2\. quod non eſt præceptum Domini, quemlibet Presbyterũ liberè prædicare verbum Dei, quia multi ſancti fuerunt, qui tamen nunquam prædicauerunt. nec omnes Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, niſi tantum Epiſcopi, his ſolis
3\. præcepit Deus prædicare Euangelium regni Dei. Tertiũ decuit Chriſtum ſæpè prædicare ad inſtruendum populũ in credendis & in agendis, & tantum ſemel celebrare ad inſtituendum hoc myſterium in commemorationem v-
4\. nicæ ſuæ paſſionis. Quartum ſi eſſet populus adhuc infidelis & conuertendus, fortè ibi eſſet neceſſarior prædicatio, quàm miſſæ celebratio; vbi ambo ſimul fieri non poſſent: ſed conſiderata iam fide diuulgata vniuerſalis Eccleſiæ pro ſalute tam viuorum, quàm mortuorum,
5\. vtilior eſt Miſſæ celebratio, quàm prædicatio. Quintum conuenit diuini cultus augmento, eſſe pluralitatem altarium rationabilẽ, in ſtatu Eccleſiaſtico, non vt Sanctis vel idolis immolemus, ſed vt verum Deum
6\. glorificemus, & in Sanctis eius laudemus. Sextum vt quicunq; non vult ſententiam excommunicationis incurrere, ceſſet velle prædicare vbiq;, ſi prohibitus ſit à ſufficienti Prælato Eccleſiæ, quia talis ſententia per multa generalia Concilia eſt dictata, nec interim errauit vniuer-
7\. ſalis Eccleſia ſancta. Septimum eſt, excommunicationis ſententia etiam iniuſtè lata eſt timenda, ne ex con-
8\. temptu fiat valida. Octauum, propter ſcandalum peruerſorum ſæpè eſt prætermittendum Dei verbum, præſertim in eo, qui prædicare non eſt obligatus, aut in his, quæ * ſunt de neceſſitate ſalutis. Nonum, Epiſcopi & Prælati maiores non ſunt ſic ad prædicandum obligati,
9\. quin ex certis cauſis ſint ſæpius rationabiliter ſupportati. Finaliter eſt veritas articuli, ſcilicet, quòd Sacerdotes & Diaconi ſinguli & indiſtinctè non debent liberè & ſine

* for. non ſunt.

Digitized by Google

ſine impedimento prædicare verbum Dei. Hæc quæſo chariſſimi domini accipite *in corde bono*, per fidem illuminantem credendo, *& optimo*, per gratiam iuſtificantem retinendo, tenendo corde bono, & perficiendo opere, vt fructum reportemus *in patientia*, veræ pacis exiſtentia, pacis entia, cum vobis ipſis, pacis ſcientia, cum proximis, pacis encœnia cum Deo & omnibus Sanctis eius. Sic nunc finaliter pacem Chriſti opto vobis, quam obtulit ſuis diſcipulis reſurgens ex mortuis in gloria immortalitatis, quam nobis prçſtare dignetur, cui omne genu curuatur, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat per ſæcula. Amen. *Vide ſupra initio tertii articuli.*

Et quemadmodum in principio, ita nunc in fine hæc præſcripta huius ſacroſanctæ Synodi offero correctioni, quemadmodum extra locum Concilii indeſinenter me ſubieci almę matris meæ vniuerſitatis Colonienſis determinationi & deciſioni.

REPLICA DE PRÆDICATIONE verbi Dei Heinrici Kalteiſen.

REuerendiſſimi *Patres*, & domini præſtantiſſimi, excellentiſſimi *Præſules*, Doctores eximii, incliti Regni Bohemiæ, oratores egregii, in Chriſto fratres ſingulariter præcolendi. Etſi iuxta ſacri canonis veritatem omnia ſuis debent conuenire temporibus. 23. quæſtione quarta. *ſi Eccleſia.* nam *omnia tempus habent, & ſuis ſpaciis tranſeunt vniuerſa ſub ſole*. Eccleſ. tertio. nihilq; ſit tam *Philoſophiæ cognatum*, quàm *locis & temporibus aptare ſermones*, ait Socrates, teſte Macrobio, de conuiuio Satur- *23. q. 4. ſi Eccleſia. Eccl. 3.*

Macrobius in Saturnalibus, lib. 7. c. 1. Saturnalium, libro ſeptimo, quia hæc vis adhibenda eſt eloquentiæ, vt orator perſonarum temporumque moderator exiſtat, *non enim ſemper & apud omnes eodem modo loquendum*. *Cic. de orato.* Tullius de oratore libro tertio. cū præſens tempus & locus id exigant vt in hoc concilio ſanctorum, & congregatione, domini oratores regni Bohemiæ, qui iam contra prius per me hîc enarratam catholicam veritatem, per modum replicæ dubia nonnulla eructarūt in materia de verbi Dei prædicatione contentetur copiosè, ideo pro omni in generali noſtrum exhortatione aſſumo verba tempori currenti, & materiæ præſenti congrua, *Verba hic materiæ coherent.* Lucæ 11. ex Euangelio currentis dominicæ exarata, *beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud*, vbi Beda venerabilis non tantummodo eam, quæ verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem verbum ſpirituale auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſerit eſſe beatos. in quo claret duo eſſe congrua auditori verbi Dei neceſſaria, quorum primum eſt audientia docilis. *Beati qui audiunt verbum Dei*. Secundum perſeuerantia finalis, *& cuſtodiunt illud*. Primò inquam auditori diuini ſermonis congruit obedientia docilis, ſic enim beati, ſcilicet qui audiūt verbum Dei. Beatum namq; quodlibet membrum ex hoc dicitur, quando actus ſibi proprius eſt, ſecundum optimum & perfectum ſtatum virtutis eius, in nullo impeditus; ſic enim beati dicti ſunt oculi qui viderunt filium Dei, Lucæ 10. & beatus venter, beataq; vbera, quæ ipſum nutriuerunt. Ibidem vndecimo ait D. Albertus Magnus, *& verò beata ſit auris, quæ quod foris percipit auditu, fide concipit, & boni operis cuſtodia perficit*, S. Thomas in gloſſa continua. ſic enim, *qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro*

Luc. 11. *Beda.*

Duo neceſſaria auditori verbi Dei.

Luc. 10.

Albertus ibidem.

Matt. 7.

Digitized by Google

viro ſapienti. Matth. 7. vir inquam ſapiens eſt Chriſtus, qui ædificat domum ſuam, id eſt, *E*ccleſiam ſuam ſupra petrã id eſt, fidei fortitudinem, vir autem ſtultus, diabolus, eſt, qui ædificat domum ſuam, id eſt, omnes impios, ſuper arenam, id eſt, inconſtantiam infidelitatis, aut ſuper carnales homines, qui dicuntur arena propter ſterilitatem, & quia ſibi non cohærent, ſed ſunt per diuerſas opiniones diſperſi, & quia ſunt innumerabiles. Exponit S. Chryſoſtomus ibidem, & ſequitur, *diabolo autem ſimilis eſt, qui audit verba Dei, & non facit; ea enim quæ audiuntur & non fiunt ſeparata ſunt & diſperſa, & ideo aſſimilantur arenæ. Sicut autem domus diaboli deſtructa eſt per Chriſtum: ita & tales ſuper arenã fundati, cadunt, & eſt ruina magna, ſi quis de fundamento fidei aliquid ruinæ fuerit paſſus.* hæc Chryſoſtomus. *Chryſ. in opere imperfecto ibidem.* *ſuper arenam* enim, quæ fluida eſt, & in vnam copulam non poteſt redigi, *omnis hæreticorum ſermo ad hoc ædificatur vt corruat.* Beatus Hieronymus ibidem. *Hiero. ibidem* *E*ſt verè magna ruina talis hominis ſecundum omnem dimenſionem magnitudinis. longa, quia in foueam nunc culpæ, tandem in Baratrum cadet gehennæ æternæ, quæ magna eſt, quia irreparabilis, ex commento venerabilis Liræ. *Lira.* Ruina eſt enim hæc intelligenda magna, quia dicturus eſt Dominus audientibus, & non facientibus: *Ite maledicti in ignem æternum,* ſecundum Rabanum, *Rabanus.* lata, quoniam in fluuiis blandarum & ſenſui illabẽtium voluptatum illecebræ ſignificantur, quibus primum fides riuis patentibus immadeſcit, poſt quas fluuiorum procurſus, id eſt, grauiorum per cupiditatum motus incurrit, vt exinde tota ventorum vis circumſtantium deſæuiat, id eſt, vniuerſus diabolicæ poteſtatis ſpiritus. Hilarius ibidem. *Ruina inquam alta, quia totius fidei & omnium articulorum colliſiua, qui enim vnicum fidei articulum diſcredit, nullum ſimpliciter credit, ſed totam fidem*

abnegauit, adeo quod nec habitum fidei retinet informis, aut for-
22.q.5.a.3. *matæ fidei,* ait ſanctus Thomas, 2.2. q. quinta, articulo ter-
tio, cuius rationem aſſignat, dicẽs: *ſpecies cuiuslibet habitus, dependet ex ratione formali obiecti, qua ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt. fidei autem ſiue formatæ aut informis obiectum formale eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ, vnde quicunq; non inhæret doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima in ſcripturis ſacris manifeſtata, ſicut infallibili diuina regula non habet habitum fidei, ſed ea quæ ſunt fidei, alio modo tenet quam per fidem, ſcil. per opinationem, ille enim qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tanquam regulæ infallibili, omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet, alioquin ſi de his quæ Eccleſia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tanquam regulæ infallibili, ſed propriæ voluntati.* hæc S. Doctor. Vnde concludit, quod ſicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita diſcredere vnũ articulũ, cõtrariatur fidei. ſed charitas non remanet in homine poſt vnicũ peccatũ mortale. ergo neq; fides manet poſtquam homo vnicũ articulũ diſcredit. & in fine dicit: *ſic eſt de perfectè credere, ſicut de perfectè obedire. Sed ad perfectè obedire Deo, requiritur obſeruantia omnium mandatorum ſuorum, à quo decidit quicũq; vnũ præceptũ frangit, qui enim in vno offen-*
Iaco.2. *dit factus eſt omniũ reus: dicitur Iac.2.* Adjuro igitur vos ſingulos per Deum ſanctum, per Deum viuum, per Deũ verum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per vulnera, & ſanguinem Chriſti, quatenus determinationi ſanctæ Eccleſiæ in credendis & agendis plenè, ſimpliciter & planè vos ſubmittatis. ipſa enim eſt regula infallibilis in terris,
Luc.22. cuius fides nõ deficit. Luc. vigeſimo ſecundo contra quã
Matt. 16. portæ inferni non præualebunt, extra quam qui reper-
Gen.7. tus fuerit diluuio æternæ damnationis peribit, ſicut extra arcam ſalus nulli hominum fuit, ſicut patet Geneſ.

ſepti-

Digitized by Google

ſeptimo. qui aliunde aſcendere conatur, fur eſt & la-
tro, patibulo & rota infernalibus cruciandus, Iohannis
10. ſicut de contrario beati nunc in ſpe, tandem in re, *Ioan. 10.*
qui hoc verbum Dei audiunt, & faciunt, *non enim au-
ditores legis tantum, ſed factores iuſtificabuntur*, ad Rom. 2. *Rom. 2.*
*Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æter-
num*. Iohann. octauo. Secundo, concluſi finaliter, quod *Ioan. 8.*
auditori verbi Dei congruit, ne dum obedientia docilis
vt faciat, ſed etiam perſeuerantia finalis, ne deficiat, ſed
cuſtodiat illud, dicit thema: *Etenim ſeruus tuus cuſtodiet ea,
in cuſtodiendis illis retributio multa*. Pſalmo decimo octauo. *Pſal. 18.*
*Cuſtodit inquam ea non ad tempus, ſi vſque in vltimum vitæ ſpa-
cium, in tali deuotione verſetur*. exponit ibidem Caſſiodo- *Caßiodorus.*
rus. *ſic qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non
auditis, quia ex Deo non eſtis*. Iohannis octauo. *Natura ex* Ioan. 8.
*Deo, non vitia ex Deo, hoc enim eis dictum eſt, qui non ſolum
peccato vitioſi erant: nam hoc commune erat omnibus, ſed etiam
præcogniti, quod non fuerunt credituri, ea fide qua poſſent à pecca-
torum obligatione liberari*. B. Auguſt. ſuper eodem. Sed qui *Aug. tract.*
ſunt hi præcogniti, alio nomine præſciti? profectò qui nõ *42. in Matth.*
audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, teſte B. Bernh. in
ſermone, qui intitulatur de ſeptuageſima. vbi inter cæte-
ra ſpei noſtræ ſigna oſtendere volens, quis poſſet ſecurè
confidere ſe de numero prædeſtinatorum exiſtere, inq̃t,
ſic porrò inter ea, quæ fiduciã præſtãt & materiã ſpei, vnũ illud ma- *Bern ſerm. 1.*
ximum eſt, de quo nunc cepimus loqui, qui eſt ex Deo, verba Dei au- *de Septuageſi-*
dit. Nonnullos ſic interdũ audientes inuenies, ac ſi nihil ad eos per- *ma.*
*tineant, quæ dicũtur nõ intrare cor ſuũ, nõ diſcutere mores ſuos, non
cogitare ne forte quod audiũt dictũ ſit propter eos, magis autẽ, ſi for-
tè ſermo Dei viuꝰ & efficax (qui ſuo & nõ eius qui loquitur arbitrio
fertur vbicũq; voluerit) ſi inquã manifeſtè aduerſus vitia illa pro-
ceſſerit, quib. ſẽtiũt ſeſe obligatos, diſſimulãt & auertũt oculos cordis*

Digitized by Google

qualibet adinuẽtione palliãt vitia, & ſeducunt miſeri ſeipſos. In his, inquit, *ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non audiunt verbum Dei, quia non ſunt ex Deo.* hæc Bernardus. Ciues ergo Babylon ex diabolo ſunt, ciues Ieruſalem ex Deo ſunt. Primi etſi verba Dei audiunt, non cuſtodiunt. Secundi, ſi audiunt, perfectè & exactè cuſtodiunt. Et hæc erat vera differentia inter electos & præſcitos, & ſigna probabilia exiſtunt. Qui enim ex Deo ſunt ita verbum Dei audiunt, quod per ſigna ſuæ prædeſtinationis ſigna pandunt, prout ex variis doctores colligunt.

Signa prædeſtinationis.

1\. Primum eſt, ſi viriliter pugnãtes tres hoſtes deuincit, carnem, mundum, & diabolum, *quod enim natum eſt ex Deo vincit mundum.* (*1. Io. 5.*)

2\. Secundum, ſi in hoc mundo non ciuem ſe manſurum, ſed hoſpitem viantem conſiderat, ſi diuitiæ affluant, cor non apponens, (*Pſal. 61.*) ſed de rebus huius mundi quanto minus poteſt vtens, ſemper in cœlo theſaurizans, vtpote ſe de hoc mundo non eſſe recognoſcens, dicens cum Apoſtolo, *non habemus manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* (*Heb. 13.*)

3\. Tertium, ſi ei omnia cooperantur in bonum, proſpera ad timorem, aduerſa ad amorem, peccata peracta ad humiliatiõem, vt in proſperis cautior, in aduerſis patientior, in recordatione peccatorum ſuorũ in oculis ſuis vilior, in pœnitẽdo feruentior, in aliorum compaſſione defectuum promptior. Sic enim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, ad Rom. 8. (*Rom. 8.*)

4\. Quartum, ad dictamen conſcientiæ recurrere, delicta iuuentutis deplangere, proprio & aliorum ſe iudicio ſubmittere, ne fortè rea ſit pec peccati mortalis, vbi & in quo creditur eſſe juſta, ſicq; à peccatis continere, dignos pœnitentiæ fructus agere, & ardua vitæ opera exercere, quæ ſummariò deducit Bernardus ex illo 1. Iohannis 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra,* (*1. Io. 5.*)

ra, ſpiritus, aqua & ſanguis. Spiritus contribulatus, aqua lamentationis, & ſanguis amoris, vt intuitu Chriſti ſanguinis contineat à peccatis. de his & ſimilibus ibidem B. Bernardus. *quis poteſt dicere ego ſum de electis, & ego ſum de prædeſtinatis ad vitam? ego ſum de numero electorum? reclamante ſcriptura. Neſcit homo, an amore vel odio dignus ſit. Certitudinẽ vtiq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos; ne dubitationis anxietate cruciemur, propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſanctitatis, vt indubitabile ſit, eum eſſe de numero electorum, in quo illa ſigna permanſerint.* hæc ille. Econtrariò, quanquam ciuium Babylonis filiorum præſcitionis multa ſunt ſigna, vtpote, quia cuncta eis temporalia proſperè ſuccedunt, qui ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, ſub flagellis huius mundi non ingemiſcere, ſed magis indurati, velut Pharao, cuius induratum cor finaliter periit, frequens recidiuatio in mortale, ſicut recidiuatio frequens infirmorum, ſignificat vicinam mortem, velle contentari de bonis præſentis vitæ, & æterna vita carere: tamen ſingulare ſignum quod homo ex diabolo ſit, id eſt, ad diabolum per finalẽ impœnitentiam pertineat, eſt, quod in pertinacia alicuius peccati vel erroris perſeuerat, præſertim in ſenio, cũ iam non ſit ſpes vitæ ſuæ longeuæ: quibus valde pertimeſcenda eſt ſententia Domini Ioan. 8. *In peccatis veſtris moriemini*, cuius ratio ſubditur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*, & quæ ſint illa deſideria ſubditur: *Ille enim homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit* vitæ iuſtæ *& veritas in eo non eſt*, ſanæ doctrinæ, ſecundum expoſitionem ſancti Thomæ ibidem. ſic enim qui à veritate doctrinæ ſeu fidei paulatim decidunt, finaliter in peccatis ſuis decedunt, prout illud nomen verum indicat de quo quoties vna litera ſubtrahitur, toties ſignificatio

Bern. de S. Clemente. *Eccl. 9.* *Iob. 21.* *Ioan. 8.*

Digitized by Google

permutatur. Vnde dicitur ſic metricè:

Quinq; placet rectis ſed quatuor altile figit
Sunt tria pars anni, * *ſic duo malè ſonant.*

*for. ſed malè bina ſonant.

Senſus eſt, iſta dictio *verum* habet quinq; literas, & ſua ſignificatio placet rectis. ſed ſi tollat' vltima litera ſcilicet M. reſiduæ literæ faciunt veru, quod' figit altile. ſi tollatur quarta & quinta, ſcilicet V & M, manet ver, quæ eſt pars anni: ſi tollatur R cum ſequentibus, non niſi ve relinquitur, in veritate non ſtatur, ſed mors in peccatis conſequitur: * Ita ſi per M memoria. V veritas. M maior prælatorum. V voluntati & imperio reſiſtitur, & recalcitratur, mors rarò bona acquiritur: *qui enim non obedierit ſacerdotis imperio, morte moriatur homo ille* Deut. decimo ſeptimo. *Pacem ergo & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens*: quod ſi feceritis, Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum, & iuxta thema, beati eritis, ſi verbum Dei quod audieritis, opere & corde cuſtodieritis modo in ſpe, tandem in re, quod nobis concedat clementiſſimus Deus, qui viuit & regnat. Amen.

* In altero libro habetur: vel ſi m. maiorum prælatorum. v. voluntati & imperio r. reſtituitur.

INprimis circa iſtam concluſionem. *Hoc mandat Chriſtus Ieſus, ergo faciendum: Hoc prohibet Chriſtus Ieſus, ergo non faciendum.* dicit dominus Replicans, quod ſatis notabile eſt apud ſe, quod circa illam cõſequentiam immorauerim, *æſtimo,* inquit, *quod cogitauerit ipſam eſſe quaſi fũdamentum poſitionis meæ.* Sed ego dedi ſibi aliam cauſam in ſcriptis, vtpote, quod talis modus arguendi poſſet cauſſa eſſe erroris, & ſeductionis multorum, dicẽtibus populis eſſe præcepta quæ non ſunt, & non eſſe quæ ſunt, & ſi benè conſidero, hoc eſt totum inter nos ſchiſma, quod vos dicitis communicare populum ſub vtraq; ſpecie, eſſe præceptum Chriſti, prædicare debere diaconos & Preſbyteros

vos eſſe præceptum Chriſti, abolere omnia peccata mortalia publica, eſſe mãdatũ Chriſti, clerum non habere ciuile dominiũ, eſſe præceptũ Chriſti. & neutrum eorũ credo ego eſſe præceptum Chriſti. Et quia tanta oritura erat inter Chriſti præceptorũ cognitionẽ diuerſitas, ideo petebat Pſalmiſta, & nos ſecũ petere debemus: *da mihi intellectũ vt diſcam mandata tua.* nõ illa decem, quæ vtiq; ſciebat, ſed intelligere inter ea quæ vidẽtur eſſe Dei præcepta, & non ſũt, vt ſciamus quæ ſit diſcretio & differẽtia, ideo, tã licet ſufficienter declaratã, adhuc circa idẽ reddã triplicẽ rationẽ, quarũ 1. eſt, quòd non omne verbũ Chriſti habens notam ſeu formam præcepti, eſt præceptum Chriſti præceptiuè ſumendum, vnde dicit archidiaconus 22. q. 4 *propbetauit*, dicens *præceptum Dei eſt in multiplici differentia, quandoq; præcipit factum & voluntatem, vt ibi: diliges Dominum Deum tuum. Quandoq; voluntatem & non factum, vt dum præcepit Abrahæ immolare filium, tamen noluit eum immolari. vbi dicit B. Ambroſius ex lib. de Patriarchis: Non enim volebat Dominus à patre immolari filium, nec impleri hoc munus volebat, quia ouem pro filio immolandam obtulit, ſed tentauit affectum patris. ſi Dei præcepta præferret filio. & infra. Non mittas, inquit manum tuam in puerum, nec facias illi quidquam, affectum tuum inquiſiuit, non effectum exegi, tentaui mentem tuam, ſi etiam filio dilectiſſimo non parceres propter me.* 22. *q.* 2. *non enim. Tertio quandoq; factum, & non voluntatem, vt Exod. 6. præcepit, vt filii Iſrael accommodarent vaſa aurea & argentea ab Ægyptiis, nõ tamen voluit per hoc, vt alii exemplum ſumerent ſpoliandi, ait B. Auguſtinus in lib. quæſtionum, & aſſumitur* 14. *q.* 5. *dixit Dominus Quarto, neq; voluntatem, neq; factum, vtpote quando aliquid myſticum præcipit, vt ibi, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, vbi nõ oculos erui, ſed intẽtio praua præcipitur. exſcindi præcipit* Domin9 *quãdoq; vt inſtruat, vt in cæco quẽ ſanauit, quãdoq; vt tentet, vt hic*

Pſal. 118.

22. *q.* 2. *ſi quælibet prophetauit.*

Ambr. l. 1. *de patriarcha* Abraham c. 8

22. *q.* 2. *c. ſi qualibet.* 12. *non enim.*

Exo. 6.

Aug. in libro quæſt. exodi. q. 39. 14. *q.* 5. *dixit Dominus c.* 12.

de præ-

Digitized by Google

de præcepto Abrahæ, quandoq; vt impleatur, vt ibi, diliges Dominum Deum tuum. hæc ille. Hinc etiam alludit eximius ille doctor antiquus generalis ordinis mei Prædicatorum Magiſter Hubertus ſuper illo verbo, *hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus,* in principio regulæ B. Auguſtini, dicens, quod quædam reperiuntur in verbis diuinis, quæ habent in ſe modum & intentionem præcepti, vt eſt illud, *hoc eſt præceptum meum vt diligatis vos inuicem.* quædam verò quæ habent præceptum non in modo, ſed in intentione, vt eſt illud de ſanatione ſurdi & muti Mar. 7. *præcepit eis ne cuiquam dicerent,* quis enim audeat hoc dicere, quod intenderet eos Dominus per hæc obligare, per quod peccaſſent mortaliter prædicando miraculum, plus & plus, quanto plus & plus præcipiebat, vt tacerent? hæc ille. Et infra dicit. *In Euangelio Marci 6. dicitur: præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: illud verbum præcipiendi potius importat intentionem voluntatis, quàm veritatem præcepti: & infra ſcriptura ſacra eodem modo loquitur, & tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædam præcepta, ſicut Luc. 6. cum dicitur: ſi quis te percuſſerit ad vnam maxillam, præbe ei alteram, conſilium eſt, & cum dicitur in eodem capitulo, mutuum date, nihil inde ſperantes, licet ſit idem modus loquendi; tamen eſt præceptum.* hæc ille. Patet ergo tam multipliciter oſtenſũ, quod non omne verbum Chriſti habẽs notam præcepti, habeat voluntatem & intentionem præcepti. & per conſequens non obligat ad faciendum. Ex ſuperabundanti autem idem deducitur ex teſtimoniis vtriusq; teſtamenti. Primo ſic. Nam Gen. 3. Dominus præcepit protoplaſtis, dicens, *creſcite & multiplicamini, & implete terram.* & tamen noluit quemlibet hominem hoc præceptum obligare, ſed ſolum aliquos de multitudine quos tamen non expreſſit in ſpecie. vnde dicit S. Thomas

Mag. Hubert.

Ioan. 15.

Mar. 7.

Mar. 6.

Luc. 6.

Gen. 3.

Digitized by Google

mas ſecunda ſecundæ quæſtione 152. articulo 2, ad primum argumentum. *præceptum habet rationem debiti, ſed dupliciter dicitur aliquid eſſe debitum. vno modo ita, vt impleatur à quolibet, & hoc debitum ſine peccato præterire non poßit. Aliud eſt debitum implendum à multitudine; multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus homo non ſufficit, ſed implentur à multitudine, dum vnus hoc, alius aliud facit. Præceptum ergo legis naturæ datum homini de commeſtione, neceſſe eſt, quod ab vno quoq; impleatur, aliter enim indiuiduum conſeruari non poſſet. ſed præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolum quod multiplicetur corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter proficiat. & ideo ſufficienter prouidetur humanæ multitudini, ſi quidam generationi carnali operam dent, quidam ſpirituali, ab illa carnali abſtinentes, & contemplationi vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem, ſicut quidam in exercitu caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decertant. quæ omnia debita ſunt multitudini, ſed per vnum impleri non poſſunt.* hæc ille. Tho. 2. 2. q. 152. a. 2. ad 1. Secundò ſic: ſummum & maximum mandatum veteris, & nouæ legis non habet intentionem præcepti eo modo per omnia, quo habet notam præcepti, ergo non obligat ad faciendum ſecundum notam præcepti, ſed tantum ſecundum intentionem præcipientis. Aſſumptum probatur ſic: quia illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, eſt ſummum præceptum & primum & maximum mandatum Domini, & tamen illud non obligat viatorem aliquem, ſecundum formam quam offert, ergo habeo propoſitum. Et aſſumptum probatur, quia ſecundum Theologos multos, quorum ſententiam complectitur dominus Petrus de Palude, Patriarcha, tertio ſententiarum, diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia. *Petrus de Palude.*

S illud

illud præceptum aliquo modo præcipitur, alio modo cõ-
Charitas præcipitur. ſulitur, & aliquo modo promittitur. Præcipitur enim du-
pliciter. vno modo, quo ad habitum & præparationem
animi, quia charitas parata eſt quantũ & quando poteſt ex
toto corde diligere. 2. præcipitur quo ad actũ, dupliciter:
vno modo priuatiuè, vt homo nihil cõtrahat, nec cõtrahe-
re animo proponat, quod charitati obuiet, quod eſt ſolũ pec-
catũ mortale. Alio modo, quoad actũ poſitiuè, quãdo &
Conſulitur. quãtũ eſt neceſſe, aliter non. Secũdo modo cõſulit & hoc
quãtũ ad actũ charitatis quantum eſt poſſibile, & debitis
circumſtantiis obſeruatis. Non enim ex præcepto te-
netur homo quãtũ poteſt ex toto corde diligere, quia nõ
tenet facere omnia bona, quæ poteſt, ſed quãto plura bo-
na fecerit, & Deũ plus dilexerit, tãto melius ſibi erit. & quia
cõſilium datur de meliori, ideo iſto modo eſt conſiliũ, ſic
Eccleſ. 9. etiã illud *quodcunq; poteſt manus tua, inſtanter operare.* 3. modo
promitt, ſcil. quoad actũ perfectũ & non interruptũ, ſicut
Promittitur. enim eſt in promiſſo etiã nobis, quibus nunc nõ eſt in præ-
cepto, nec in conſilio, cum ſit nunc nobis impoſſibile, quod
tunc erit facile & delectabile, quando nõ ceſſabimus no-
Eſai. 6. ctu dieq; dicere *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, Iſa. 6. hæc ille. Do-
minus noſter per verbum imperatiuum dicit ad Iudam
Io. 13. *quod facis fac citius* Ioãnis 13. & tamen noluit per hoc præ-
cipere, vt traderet eum Iudæis, aliâs Iudas non pec-
caſſet, ſed præceptum Domini impleuiſſet. vnde dicit
ibidem B. Auguſtinus. *non præcepit facinus, ſed prædixit Iu-
dæ malum, nobis bonũ, non tam in perniciem perfidi ſæuiendo, quã
ad ſalutem fidelium feſtinando.* Et Chryſoſt *hoc enim quod dicit:*
D. Tho. in catena Chryſ. in Pſal. 4. & in ho. 13. *quod facis, fac citius, non præcipientis eſt, neq; conſiliantis, ſed ex-
probrantis & oſtendentis quoniam ipſe nolebat ſuã perditionẽ im-
pedire* hæc ille. Eſt ergò illa forma concedenda. *Hoc man-
dat Chriſtus ſub propria nota, & intentione præcepti, ergo hoc eſt*

faci-

Digitized by Google

ſaciendum. Alioquin ſi mandat ſub nota præcepti, & non
volũtate ſeu intẽtiõe præcepti, nõ ſẽp obligat, vt ex præ-
dictis clarè eſt deductum. *Secunda* ratio ad idem eſt
propter multiplicitatem & æquiuocam acceptionem
huius termini *mandare* vel *præcipere*; accipitur enim vno
modo, prout mandare vel præcipere idem eſt quod ro-
gare. Sic accipit beatus Gregorius 1. quæſt. 1. *filium*, dicens *1.q.1.Filium.*
filium veſtrum mandaſtis ad ſacrum ordinem promoueri. Gloſ. *c.122.*
Archidiaconi. *mandaſtis id eſt, rogaſtis vel ſupplicaſtis; ſic enim* *Greg.l.4.ep.3.*
minor mandat maiori. Vndecima q. tertia, *Rogo*, vbi bea- *ſeu.c.74.*
tus Gregorius, *Rogo & moneo, ne unquam excõmunicato præ-* *1.q.3 Rog. c.*
ſumat communicare. vbi, *rogo*, ponitur præceptiuè, ſecundũ *25.* *Greg. in reg.*
gloſſam, *monẽus quos habem' charos* 28.q.1 *ſic enim.* ſic etiam *l. 5. t. 148.*
rogare ponitur pro mandare, & mandare pro rogare, 23. *28.q.1. ſic e-*
q. 4. Guiliſarius. Alio modo prout mandare idem eſt, *nim c. 9.*
quod permittere, diſt. quinquageſima quinta, *qui partẽ di-* *21.q.4.Guili-*
giti volens abſcidit, non admittitur ad ſacros ordines, ſed ſi nolens ſit *ſarius.c.30.*
vel caſu, Canones præcipiunt clericos fieri, Gloſſa Hugonis & *diſt.55.qui*
Archidiaconi, præcipiunt, id eſt, permittunt. 31.q.1. *hac ra-* *partem.c.6.*
tione, vbi dicit Chryſ. & eſt 1. ad Cor. 7. *hac ratione Apoſtoli* *31.q.1.hac ra-* *tione.capit.9.*
præceperunt ſecundas adire nuptias propter incontinentiam homi- *Chry. in opere*
num, glo *præceperunt, id eſt permiſerunt.* diſt. quinquageſima *imperf. ho.32.*
quinta, *qui partem*, & 1. diſt. *Domino ſancto* vbi Iſidorus ſcri- *diſt.50.Dom.*
bit ad Maſſanum Epiſcopum, *illos ad priſtinos gradus cano-* *ſancto.c.28.*
nes redire præcipiunt, quos pœnitentiæ præceßit ſatisfactio. vbi di-
cit Archidiac. *præcipiunt*, id eſt, permittunt, 33. q. 2. *hoc ipſũ.* *33.q.2.hoc*
Tertio modo præcipere ſeu mandare idem eſt, quod con- *ipſum.c.11.*
ſulere, ſic accipitur 22. quæſtione 1. *non eſt.* vbi dicit be-
atus Auguſtinus ſuper Epiſtolam ad Galat. *non eſt contra* *22.q.1. Non*
præceptum Domini iurare, archidiac. *contra præceptum*, *id eſt*, *eſt.c.2.*
conſilium, quia illud Matth 5. *nolite iurare*, eſt propriè con-
ſilium ſecundum Bartholomæum & Laurentium, & ta-

men beatus Auguſtinus vocat illud *præceptum*. Quarto modo præcipere idem eſt, quod tentare, ſicut jubendo ſignificamus, quæ fieri ſæpe nolumus, ſed experimentũ obedientiæ quærimus, ſicut de Abraham dictum eſt, vt patet Gen. vigeſimo ſecundo. & Richardus de duodecim Patriarchis, vigeſima ſecunda *prophetauit*. Quinto modo præcipere idem eſt quod inſtruere, ſicut Chriſtus præcepit cæcis curatis, ne cuiquam dicerent, & ipſi magis & magis miraculum prædicabant, Matt. nono, vbi B. Hilarius: *ſilentium Dominus cæcis imperat, quia Apoſtolorum erat proprium prædicare*. Et beatus Hieronymus: *Dominus quidem propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere beneficium*. Et beatus Gregorius 19. Moralium: *Quærendum autem nobis eſt, quid ſit hoc, quod ipſe omnipotens, cui hoc eſt velle, quod poſſe, & taceri virtutes ſuas voluit, & tamen ab eis qui illuminati ſunt, quaſi inuitus indicatur, niſi quod ſeruis ſuis ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent, & tamen vt alii eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, occultentur ergo ſtudio, neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorum publicatio ſit vtilitas aliena*. hæc ille. Ex præhabitis ſatis patere poteſt, quare dixerim iſtam conſequentiam apud me non valere. Ex quibus etiam ſequitur, quod illud non eſt verum, quod dominus replicans hîc dixit, ſed in ſcriptis mihi non tradidit, ſcilicet quod adductum de Abraham non fuit præceptum, ſed tentatio. Probat per textum, quia dicitur Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham*. dico quod fuit præceptum & tentatio ſimul, non obligans, niſi vt prædictum eſt. Namque quod fuerit præceptum, præter ea quæ dicta ſunt, dicit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 104. artic. quarto, ad ſecundum. Ideo etiam dicit textus imperatiuè

Gen. 22. 22. q. 2. ſi quælibet. §. prophetauit. c. 2.

Matt. 9. Hilarius. Hiero. in c. 9. Matth. Greg. 19. mor. c. 18.

Tho. 2. 2. q. 104. a. 4. ad 2.

Digitized by Google

tiuè. *tolle filium tuum, & offer illum.* Tolle & offer ſunt verba præceptiua. De cæcis curatis mecum concordat. Et ſic conſequentiam meam approbat, grates ſibi, quia in hoc ſoluit debitum, & quod dicit nos laborare in æquiuoco, quia ego intelligo de mandato imperfecto, ipſe de perfecto, dubito valdè, quia hoc non probat teſtimonio ſacræ ſcripturæ, iuxta regulam Hieronymi ad Demetriadem, per ipſum adductam contra Papæ auctoritatem, *Sacra ſcripturæ teſtimonium non habens, eadem facultate contemnitur quâ probatur.* *Hiero. ad Demetriadem.*

Conſequenter arreſtat ſe in conſequentia illa. *Papa mandat hoc, & in lege Domini ſaltem ſe expreſſe non fundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, nec contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta quædam. ergo hoc eſt faciendum.* Reſpondet: *ſecundum Hieronymum, ſcriptura ſacræ auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Conſimiliter exemplariter: Papa mandat venerandum concilium transferre ad Bononiam, ergo eſt faciendum.* hæc ille. Ad primum reſpondeo, quòd hoc multum eſt irrationabiliter dictum, quia ſummi Pontificis atq; Prælatorũ maiorum decreta, conſtitutiones, cæteræq; ipſorum ſanctiones, in prædictis iam prænarratis caſibus tanquam leges ex Dei auctoritate deriuatas, debemus venerando atq; obediendo ſuſcipere, non illas redarguere, aut humano ſenſu diſcutere, prout alma mater mea vniuerſitas Colonienſis deducit hoc modo. primò ductu naturalis luminis; vnumquodq; enim poteſt ea, ad quæ eius poteſtas aut auctoritas ſe extendit, propter quod videmus quod principes ſuper communitates in ſubditos ferunt leges, iura & ſtatuta, cum poteſtate coactiua imponentis ea ſubditis ſeruanda. Cum igitur Chriſti vicarius

us Papa,& alii rectores ſupplent vicem Chriſti,poteſtatẽ auctoritatis non amittendo, quamuis forent peccatores Concluditur clarè quod eorum ordinationibus tanquam à Deo emanantibus,reuerenter ſit obediendum. Cui alludit alia regula formoſa. Nam qui dat principale, dat acceſſorium annexum. Et rurſus alia regula dicit: cuius eſt finis, illius eſt diſponere de mediis ad finem. Cum igitur rectores communitatis inſtituuntur ad pacificandum vitam ſubditorum adinuicem, hoc autem requirit quod eis præfigatur aliqua regula ſeu diſciplina viuendi, contingit autem hoc per conſtitutiones pro legibus latas à rectoribus; eadem igitur neceſſitate, quælibet communitas requirit rectores & leges, ſeu conſtitutiones ab eis latas, pro felici vita communitatis.

Matt. 23. Præmiſſæ veritati correſpondet illud antea ex Euangelio commemoratum, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite.* volens Saluator expreſſè, quòd ordinationes ſeu conſtitutiones ſuorum Prælatorum, ſubditi teneantur recipere, & viuendo ſecundum eas conuerſari, tendit etiam ad idem, quod Matt. 16. Dominus Petro ait: *Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c etiam quodcunq; ſolueris ſuper terrã erit ſolutum & in cælis.* Ac ſi diceret, mandata & ſtatuta, quę manant ex auctoritate tua, ex eo debent haberi canonica, quia verius emanant ex poteſtate mea, qua in re memoriter eſt attendendum, quod Chriſtus fuit nouæ legis inſtitutor, veterem implens, ceſſauerunt autem legalia & judicialia, remanentibus præceptis moralibus veteris legis, quæ obligant non ex vi illius legis, ſed ex vi inſcriptionis eorum in cordibus noſtris, ſecundum illud Rom. 2. Apoſtoli ad Romanos ſecundo, *Cum enim gentes, quæ legem*

non

non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem nō habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Dominus ergo continuat moralia præcepta in noua lege, ſuperaddit autem ſacramenta & conſilia, non autem inſtituit aliqua præcepta judicialia, hoc autem, q̃ a myſterio non vacat, obnixius perpendamus. nam hoc ipſo nos ſcire voluit, quod Prælatis & Principibus commiſit inſtituere tales ordinationes, circa ſuos, prout penſatis locis & perſonarum conditionibus & aliis circumſtantiis videntur congruere & expedire. vnde Luc. 10. dicitur, *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ex quo planè ſequuntur corollariè: diuinæ voluntati illos repugnare qui decreta, decretales, cæteraſq; ordinationes aſpernantes, tanquam auctenticas renuunt recipere & honorare. Nam auctoritas *P*rælatorum à Deo eſt, & ſic per idem eſt repellere Prælatos, & Dei auctoritatem. 2. eſt, q̃ nullus poteſt ſe legitimè ab obedientia *P*apæ in prædictis caſibus ſubtrahere, quod patet: nam Saluator Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſuam paſſionem meruit judiciariam poteſtatem ſuper omnẽ creaturam. iuxta illud Mat. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* vnde gloſſa dicit, ſuper illo verbo Pſalmi: *Dominabitur à mari vſq; ad mare,* id eſt, à quolibet fine terræ diffundetur, & tam latè dilatabitur Eccleſia. Vicarius autem Chriſti eſt *P*apa, vnde nullus poteſt ſe ſubtrahere ab obedientia eius de jure, ſicut nullus poteſt ſe de jure ſubtrahere ab obedientia Dei. Sed ſicut Chriſtus recepit à Patre ducatum & ſceptrum *E*ccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens, ſuper omnem poteſtatem & principatum, ſuper omne quodcunq; eſt, vt ei genua cuncta curuentur; ſic ipſe Petro & eius ſucceſſoribus pleniſſimam poteſtatem commiſit, vt dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro theſaurorũ. Tertiũ eſt, quod

Luc. 10.

Diuinæ voluntati repugnãt qui decreta Pontificum *reſpuunt.*

Mat. 28.

Pſal. 71.

Cyrillus.

Digitized by Google

quod Papæ etiam apertè malo, in fide tamen firmo, quam diu toleratur ab Eccleſia, eſt obediendum. quod probatur, *obedite*, inquit Papa Petrus, *præpoſitis veſtris, non tantū bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* quam auctoritatem dominus Replicans nuper negauit, & per conſequens errauit. & probatur propoſitio dupliciter, primo auctoritate alia prædicta. Nam ſuper illo ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* dicit gloſſa, *poteſtatibus bonis & malis, in eo quod ſublimiores ſunt, obediendum eſt.* ſi ergò obedientia & ſubiectio debetur alicui ratione poteſtatis ſublimioris, quamdiu durat in Papa talis ſublimior poteſtas, tamdiu debet permanere in omnibus ſubditis, eius ſubiectio & obedientia: quamdiu manet cauſa, debet permanere effectus. Secundò probatur hoc, ratione. Nam poteſtas prælationis eſt donum gratiæ gratis datę, non donum gratiæ gratum facientis. Sed tale donum gratiæ gratis datæ, non tollitur in Papa per aliquod peccatum, niſi ſolum per vnum, puta per crimen hæreſis, vt ſuprà dictum eſt: per tale enim peccatum ſolum Papa deſinit eſſe Papa. Sed per cætera alia peccata, poteſtas prælationis in eo non tollitur, quia cum ſit donum gratiæ gratis datæ, non tollitur per peccatum ſi peccato directè non opponitur.

1. Pet. 2.

Gloſ. interlin. ibidem.

Ad ſecundum reſpondeo, quod ex mea forma non ſequitur: *Papa tranſtulit Concilium ad Bononiam, ergo faciendum.* quia addidi directe, *modo contra quædam generalium Conciliorum decreta non mandaret,* de quorum numero eſt Concilium ſacrum Conſtantienſe, quod in capitulo *frequens* illam tranſlationem prohibuit, prout clarè & latè in reſponſione data per præſens ſacrum generale Concilium primis ambaſiatoribus Papæ videre poteſtis.

Con-

Conſequenter replicans inuehit contra hoc quod dixi, quod Papa propter admirandæ ſuæ poteſtatis excellentiam prope Chriſtum attingit, dicens, quod hoc verum eſt, ſicut diſtat cœlum à terra, & ſicut attingit terra prope cœlum. ego autem oſtendam meum dictum eſſe verum. Pro quo ſciendum, quod ex ſcriptis meis non habetur, Papã eſſe æqualis poteſtatis cum Chriſto, ſed quod ſummam in terris habeat jurisdictionis poteſtatem. Vnde ſecundum Grammaticos, *propè*, eſt aduerbium poſitiuum, comparatur propè, propius, proximè, vt dicit Catholicon. Vnde dico, quod litera, propè, nõ dicit æqualitatem, nec paritatem, ſed quandam appropinquitatem excellentioris ſimilitudinis & jurisdictionis. Iſto modo dicit beatus Auguſtinus in libro confeſſionum. *Duo enim feciſti Domine, vnum propè te, ſcilicet angelicam creaturam, & aliud prope nihil, ſcilicet materiam ipſam primam.* ſed clarum eſt, ꝙ nec Angelus eſt æqualis Deo, nec materia nihil. Sed ratione ſimilitudinis & proportionis maioris dicitur prope Deum Angelus, quia inter omnes creaturas Deo ſimilior in participatione ſuę bonitatis, in eſſe naturali. & ideo dicit Ezechiel, *tu ſignaculum ſimilitudinis*, quod exponens dominus Albertus dicit, *ſigillum fundatum*: materia verò prima, ratione potentialitatis & exſpoliationis actualitatis dicitur prope nihil. Et ſic bene dixi, quod ideo Papa prope Chriſtum attingit, quia quidquid poteſtatis, quidquid gratiæ ſacramentalis, quidquid diſpenſationis cœleſtis, à Chriſto capite Eccleſiæ commiſſum eſt, ipſa etiam Eccleſia diſperſa, & Papa in fide non errante, totum eſt eius diſpenſationi commiſſum. Pro quo ſciendum, quod Petrus ſucceſſit Chriſto, non quod ipſe eſſet Chriſtus; ſuccedit enim vnus Papa alteri, & vterque eſt Papa, nec vnus altero maior, ſed Petrus non ſucceſſit

Papa ſummã habet in terris jurisdictionem.

Aug. 12. lib. confeſſ. c. 8. & ſeq.

Ezech. 28.

ceſſit Chriſto, quod eſſet æqualis Chriſto in perſona: Non enim dicimus quòd ſint plures Chriſti, quorum vnus ſuccedat alteri. Nam etſi ſunt, qui dicantur Dii ſiue in cœlo ſiue in terra, ſiquidē ſūt Dii multi & dōini multi: nobis tamen non eſt niſi vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, vt dicit Apoſtolus prima ad Corin. octauo. Succedit ergò Petrus Chriſto, & quilibet alius Papa ſuccedit ſibi, vt vicarius ejus, in officio & poteſtate juriſdictionis Eccleſiaſticæ, non in perſona. Ad ſciendum autem quomodo poteſtas Papæ prope Chriſtū attingit, ita quòd ei nulla in terris poteſtas comparari poteſt, dico quòd triplici majoritate, Poteſtas Papæ major omni alia auctoritate Eccleſiaſtica, Eccleſia ſegregata. *Et* primò majoritate auctoritatis. Dignitate quidem major eſt poteſtas Papæ omni alia, quia ſicut dicit beatus Ambroſius, & ponitur nonageſima ſexta diſtinctione 96. *Duo ſunt.* quippe aurum non tam precioſius eſt plumbo, quàm regia poteſtate eſt altior dignitas ſacerdotalis. videmus enim colla regū & principū ſubmitti genubus Sacerdotū, & ab eis benedici & inungi. Et ſecundùm Apoſtolum ad Heb. 7. abſq; vlla contradictione verum eſt, quòd ſemper qui minor eſt à majore benedicitur. patet enim hoc per Hugonem de S. Victore 2. libr. de Sacramentis, parte 2. vbi diſtinguit duplicem poteſtatem, ſpiritualem & ſecularē, & ſubdit, quantū vita ſpiritualis dignior eſt quàm terrena, & ſpiritus quàm corpus, tantum ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, ſiue ſecularem honore & dignitate præcedit. Secundò poteſtas Papæ eſt maior omni alia poteſtate maioritate cauſalitatis, quia eius poteſtas cauſat omnem aliam poteſtatem examinando, confirmando

1. Cor. 8.

Poteſtas Papæ quomodo maior aliis.

1.

diſt. 96. Duo ſunt. c. 10. Ambr. de ſacerdotali dignitate c. 2.

Heb. 7.

Hugo de S. Victore, de Sacramentis. pa. 2. q. 4.

2.

&

& iudicando. vnde dicitur 22. diſtinctione, quòd cuiuſlibet ordinis dignitatem & poteſtatem Romanus Pontifex habet inſtituere & confirmare: eius verò poteſtatē ſolus Chriſtus fundauit & confirmauit. nullius namque poteſtatis electio temporalis vel ſpiritualis eſt ipſius confirmatio, niſi ſolùm electio ipſius Papæ vel de auctoritate eius. Tertiò, poteſtas Papæ eſt major omni alia auctoritate, quia nullius imperatoris, regis, vel alterius leges ſeu ſtatuta alicuius roboris ſeu dignitatis eſſe cenſentur, niſi quantum ſunt per auctoritatem Papæ confirmatæ & approbatæ. vnde dicit Auguſt. & ponitur 9. diſt. quòd quicũque legibus imperatorum, quæ pro voluntate Dei ferunt obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium: quicunq; autem legibus imperatorum, quæ contra legem & veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. namq; tanta eſt auctoritas Eccleſiæ & Romani Pontificis, vt Aug. dicit contra epiſt. fundamenti, *Ego nunquam crederem Euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ,* id eſt, ſi me auctoritas Eccleſię non compelleret.

diſt. 22. omnes c.

3.

diſt. 9. Imperatores.

Aug. ad Bonifaci. ep. 50.

Aug. con. epi. fundamenti. c. 5.

DEhinc vbi dixi, Papam ſanctiſſimum & beatiſſimum etiam in moribus malum, diſtinxi de duplici ſanctitate, ſcilicet innocentiæ & ſacramentali. Ego dico addendo ſpeciem tertiam, quæ trifaria eſt, ſcilicet, ſtatus, religionis, & æquitatis publicæ. De ſanctitate ſtatus dicitur diſt. 40. *non nos.* Symachus Papa, *quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ auctoritatis attollat? in quo ſi deſunt bona acquiſita per meritum, ſufficiunt quæ à loci prædeceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat.* hæc ille. vbi dicit Archidiaconꝰ, & cõcordat gl. quòd ſufficit, quoad ſubditos, eum reputare ſanctum, niſi conſtet de contrario. vnde nõ refertur ſanctitas ad *eũ, ſed ad

diſt. 40. Non nos c. 1.

Sanctitas ſtatus.

** alter liber ad Deum.*

æſtimationem bonorum ſubditorum. De ſecundo, ſcilicet ſanctitate Religionis, oſtendit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, q. 81. art. vltimo, quod ſanctitas idem eſt quodammodo quod religio, dicẽs, *Nomen ſanctitatis duo videtur importare. Vno modo munditiam, & huic ſignificationi competit nomen græcum, dicitur enim agios, quaſi ſine terra. Alio modo importat firmitatem, vnde apud antiquos ſancta dicebantur, quæ legibus erant munita, vt violari non deberent. Vnde & dicitur aliquid eſſe ſancitum, quia eſt lege firmatum. Poteſt etiam ſecundum Latinos hoc nomen, ſanctus ad munditiam pertinere, vt intelligatur ſanctus, quaſi ſanguine tinctus, eo quod antiquitus illi qui purificari volebant, ſanguine beſtiæ tingebantur, vt Iſidorus dicit in libro etymologiarum, & vtraq; ſignificatio competit, vt ſanctitas attribuatur his, qui diuino cultui applicantur. ita quod non ſolum homines, ſed etiam templa & vaſa, & alia huiuſmodi ſanctificari dicantur, ex hoc quod diuino cultui applicantur.* hæc ille. De tertio, ſcilicet ſanctitate publicę iuſtitiæ, dicit Andronicus Peripateticus, vt allegat eum ſanctus Thomas 2.2. q. octuageſima, articulo primo, inter cætera juſtitiæ añexa ponit ſanctitatem, quia promulgatores juſtitiæ publicæ, ſancti præſumi debent. ex quibus ſic arguo. Omnis talis præſumi meritò debet ſanctus, qui eſt in ſtatu Eccleſiaſticæ dignitatis eleuatus, quoad primum; qui eſt diuino cultui applicatus, quoad ſecũdum; qui eſt miniſter juſtitiæ publicæ, quoad tertium. Sed Papa vt Papa, eſt huiuſmodi in ſummo, cuiuſlibet horum conſtitutus, ergo ipſe non incongruè dici poteſt ſanctiſſimus, etiamſi ſit in moribus malis, donec non ſit ita judicatus, ſed ab vniuerſali Eccleſia toleratus.

Religionis. Tho. 2.2. q. 81. a. 8.

Iſid. lib. 10. c. 18.

Publicæ juſtitiæ. S. Thom. 2. 2. q. 80. a. 1.

De-

Digitized by Google

DEinde, quia dixi, *Papam* eſſe putatum ſanctiſſimum ab officio ſanctificandi, dicit quod auctoritatiuè nemo poteſt ſanctificare, niſi Deus, & eſt conditio Antichriſti. Ego ſanctifico. & dico quod hoc indiget declaratione, quia eſt duplex ſanctificatio, auctoritatiua, ſcilicet formalis, & illam ſolus Deus cauſat. & ſic verum eſt, quod dicit. Alia inſtrumentalis, quæ dicitur ſanctificatio pontificalis, ſeu ſacerdotalis, & illa conuenit iſtis, nec eſt conditio Antichriſti, ita dicere ſacerdotes ſanctificare. Vnde *Auguſtinus* libro ſecundo de baptiſmo paruulorum verſus finem, *Catechumenos per ſignum Chriſti, & orationem, manuumq; impoſitionem puto ſanctificari, & quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, eſt tamen ſanctũ, & ſanctius quam cibi quibus alimur, quia ſacramentum eſt.* hæc ille. & loquitur de eulogiis. & Chryſoſtomus in opere imperfecto, homilia decima quarta. *Laicus Sacerdoti panem offert, vt Sacerdos accipiens ſanctificet, & ei porrigat. quod enim panis eſt, offerentis eſt, quod autem ſanctificatus eſt, beneficium eſt Sacerdotis.* hæc ille. Idem Hieronymus ſuper Ezechielem 44. vbi dum de primitiis agit, dicit: *Primitiæ quoq; ciborum noſtrorum Sacerdotibus offeruntur, vt nihil guſtemus nouarum frugum, niſi Sacerdos ante guſtauerit: Hoc autem facimus, vt reponat Sacerdos benedictionem & oblationem noſtram in domo ſua, ſiue vt ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris.* adiungit exclamando de Sacerdotali dignitate. *Grandis dignitas Sacerdotum*, &c. Ex iſtis patet, quod licet vnus ſolus ſit ſanctiſſimus, à quo omnis Sanctitas, & per conſequens omnis actiua ſanctificatio originaliter, à ſanctiſſimo Deo ſit, ergo in iſtis & non in aliis omnibus conformiter, ſicuti eſt vita, veritas, virtus, &c. Tamen per medium ſacerdotii tanquam infra Deum & communem populum conſtitutum, ſanctificationem

Sanctificatiò authoritatiua.

Inſtrumentalis.

Aug. de peccatorum meritis & remiſſione l. 2. cap. 26.

Chryſ. in opere imperfecto hom. 14.

Hieron. in 44. ca. Ezech.

Digitized by Google

ita operatur, quòd beneficiò Sacerdotis, vt dicit Chryſo. creaturæ etiam irrationales ſanctificationem dicuntur capere, & rationales, vt dicit beatus Auguſtinus de Catechumeno, quia magna eſt illa dignitas ſacerdotalis, ſecũdum ſanctum Hieronymum, quia per ſigna, & verba & orationes conſimiles, non eadem ſignificatione, ſed inſtrumentali, operari poſſunt alii ſicut ipſi. Si ergò opponens benè proſpexiſſet cõſequenter, qualiter ipſi Ieſu Chriſti vicario attribuo ſanctificationis officium, non fuiſſet opus tantis ſuperfluis verbis, probando, quòd ſit conditio Antichriſti, dicere aliquem ſacerdotem ſiue Prælatum: Ego ſanctifico. Nam ſanctificatio poteſt alicui attribui dupliciter: Vno modo auctoritatiuè, & illa eſt propria Deo, ſecundum illud Exodi trigeſimo primo: *Ego Dominus qui ſanctifico vos.* & iſto modo attribuere ſanctificationem alicui puro homini, in quantacunq; dignitate conſtituto eſt conditio Antichriſti. Alio modo ſanctificare cõuenit alicui inſtrumentaliter, ſiue miniſterialiter, & hoc modo conuenit Sacerdotibus & Prælatis ſanctificationis officium, & hoc in Sacramentorum diſpenſatione, quia Sacramenta ſunt vaſa ſanctificationis. hac ratione dicuntur Sacerdotes, quaſi ſacra dantes in Sacramentorum diſpẽſatione, ad ſanctificationem animæ. Sic attribuere Prælatis & Sacerdotibus ſanctificationis officium, non eſt conditio ſeu opus Antichriſti, ſed negare id eſt opus Antichriſti, veriſſimi inimici Chriſti, quia ſuis conceſſam miniſtris negat poteſtatem. Vbi notandum, quòd ſanctus Thomas in 4. diſtinctione, articulo 2. loquendo, quomodo competat miniſtris Eccleſiæ cooperari Chriſto in miniſterio ſanctificationis animarum ponendo quatuor modos cooperandi alicui agenti. dicit circa quartum modum, qui eſt, vt diſponens materiam

Exo. 31.

Digitized by Google

ad effectum principalis agentis ſuſcipiendum, dicit ſic: quòd ſic diſponere contingit dupliciter, vel ex opere operante ſiue docendo ſiue merendo, & ſic homines cooperantur Deo in peccatorum remiſſione. *Dei*, inquit Apoſtolus, *coadiutores ſumus.* vel ex opere operato, ſic qui confert Sacramenta, quæ diſponunt ad gratiam per quã ſit remiſſio peccatorum. Et hæc eſt cooperatio miniſterii, quæ miniſtris Eccleſiæ competit, de quibus prima Corinth. quarto. *nos ſic exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum.* ratione iſtius ſanctificationis dicit Chryſoſtomus libro tertio de dignitate ſacerdotali, *per iſtos Sacerdotes Chriſtum induimus per ipſos Dei filio coniungimur, per ipſos membra beati ipſius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis non ſolum reuerendi magis quàm judices aut Reges, ſed & magis erunt honorabiles quàm parentes?* hæc ille.

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Chry. de Sacerdotio l. 3. c. 4.

ET propter iſta minus benè proſpecta infert Dominus Replicans, dicens, quòd propter iſta excellentia poteſtati attributa, ſequuntur apud ſimplices, jmò & aliquando apud doctos multa inconuenientia, vt inordinatus reſpectus, obedientia inordinata, protractio vſque ad oſcula pedum beatorum. Non ſic faciebat Petrus verus Chriſti vicarius, &c. Reſpondeo, quòd illa reuerentia, quæ fit ſummo Pontifici, non eſt inordinata, ſed ſuæ poteſtati excellentiæ condigna. Dicit enim ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ q. 80. artic. 1. quòd triplex eſt virtus juſtitię, ſcilic. Religio, quæ debetur Deo, Pietas, quæ debetur Patriæ & parentib⁹, & Obſeruãtia, per quã, vt Tullius dicit, homines aliqua dignitate antecedẽtes quodã cultu & honore dignãtur. & de hac obſeruãtia dicit ipſe ibidem q. 102. articulo 2. quòd honor

Reuerentia quæ exhibetur Pontifici non eſt inordinata.

Tho. 22. q. 80.

S. Tho. 2. 2. q. 102. a. 2. & 3.

ſemper

ſemper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel ſuperioritatem, imò dicit ſi *P*rælati ſunt, non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundùm quam ſunt Dei miniſtri & etiam in eis honoratur tota communitas, cui præſunt. Ex quo elicio, quòd cum ſecundum Tullium, honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis; Iſtud autem contingit dupliciter fieri, primò in teſtimonium virtutis ſuæ propriæ, & gratia ſuæ bonitatis & ſanctitatis. Secundò in teſtimonium virtutis Chriſti & gratia Chriſti, cuius vicarius exiſtit, iuxta illud 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*, quamdiu eſt vicarius, & quamdiu non deſinit eſſe *P*apa, dato quod ſit apertè malus, honor papalis ſibi ſubtrahendus non eſt. In cuius fortè figuram, ante ſuam paſſionem permiſit Dominus in domo Phariſæi, Mariam Magdalenam oſculari pedes eius, & poſt reſurrectionem, vt mulieres accederent & tenerēt pedes eius, vnde in ſignum quod Papa non ſibi, ſed Chriſto, illum honorem attribuit, crucem ſupra pedem in ſandalibus gerit, quaſi non ſuos pedes, ſed in honorem crucifixi, cuius locum in terris tenet, crucem illam oſculandam, offerat. Et quid mirum, ſi hoc fit ſummo *P*ontifici in honorem Chriſti, cum etiam fiat quibuſdam Regibus in recognitionem temporalis dominii? hinc de ſancto Polycarpo dicitur libro quarto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, capite decimo tertio. *Polycarpus non ſolum ab Apoſtolis eruditus eſt, cum his qui Dominum viderant, ſed ab Apoſtolis ipſis ordinatus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* de eodem, ibidem dicitur, quod cum martyrizari debuit exteriori detracto indumento ac cingulo reſoluto, calciamenta quoq; pedibus tentabat educere, quæ nunquam niſi à religioſis quibuſq; fide ac deuotione ſemetipſos inuicem præuenien-

[Margin: 1. Cor. 4.]

[Margin: *Euſebius in hiſtoria Eccle. l. 4. c. 13. & 14.*]

Digitized by Google

nientibus reſolui conſueuerant. ita namque in omni et-
iam reliqua vita ſua venerabiliter ab omnibus colebatur.
Nec eſt æſtimandum, quod Papa filium tantæ obedien-
tiæ in oſculo pedum detineat, quia more piiſſimi Patris
ad oſculum manus ſeu maxillæ ſubitò ſuſcipit. Nec ob-
eſt, quod de Petro objicit, quia Petrus non ideo, quod
honor ille non ſibi deberetur, ſed quia cum Petrus & a-
lij Apoſtoli facerent multa miracula, credebantur Dij ab
aliquibus gentibus, ſicut patet Actorum 14. de Paulo *Act. 14.*
& Barnaba, vbi facto miraculo circa claudum quendam,
turbæ clamantes eos eſſe Deos, volebant eis thurificare;
& ideo hac ratione nō permittebant ſe debito etiam ho-
nore venerari. Et ne in propoſito de Petro aliqui ſic
ſenſiſſent. Vnde dicit gloſſa ſuper verbo *adorauit eum*
ſic adorauit vt Deum, quæ fuit imperitia non nequitia. non *Act. 10.*
enim eum Angelus hoc docuit, ſed doctorem eſſe Pe-
trum, ideo dicebat Cornelio: *ſurge, nam & ego ipſe homo*
ſum.

IN eadem materia inuehendo contra quod dixi, *Concilia*
generalia dicit ſancta & ſanctiſſima. *Etiam ibi dico*, inquit,
dato quod ſit aliquod generale Concilium, & omnes perſonæ inibi
exiſtentes ſint non ſanctæ, vnde debeo ſcire, quod Spiritus ſanctus
illi Concilio infallibiliter aſſiſtat, cum dicitur ſapientiæ primo: Spi- *Sap. 1.*
ritus enim ſanctus diſciplinæ fugiet fictum? Sed ſi benè recolo,
dixit in iſto publico auditorio: *non poſſum videre, quomodo*
Spiritus ſanctus aſſiſtat illis, &c. Ad quod dico, nota quod i-
ſte caſus non ſubjacet humanis judiciis, quia nemo ſcit, an
amore vel odio dignus ſit: imò eſſet judicium crudele, *Eccl. 9.*
opinari ſingulos eſſe malos in ſpiritu ſancto cōgregatos,
quia Dominus vſq; adhuc reſeruauit ſibi ſeptem millia
virorum, qui non curuauerunt genua ſua coram Baal, ad

Rom. 11. & 3. Reg. c. 19

Rom. 11. vnde dico quantum ad materiam in ſe, quòd Concilium generale legitimè congregatum in neceſſariis ad credendum ad ſalutem deficere non poteſt, etiamſi Prælati ſunt mali, quod probatur ſic: Deus & natura non deficiunt in neceſſariis, ſed ſaluti humani generis non videretur ſufficienter prouiſum, ſi Concilia generalia poſſent deficere in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Ergò huiuſmodi Cõcilia in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, deficere non poſſunt. Conſequentia videtur nota. Maior patet primò per omnes Philoſophos, qui hanc pro Maxima reputant in naturalibus; per diuinam etiam prouidentiam circa genus humanum prouidentem poteſt oſtendi, quia propter hoc collata ſunt ſacramenta, ſacra ſcriptura diuinitus eſt reuelata, verbum eſt incarnatum. Etiam minor patet, quia pro ſalute humani generis oportet eſſe aliquam regulam inobliquabilem & indefectibilem ſeu indeuiabilem, ad quam genus humanum habeat recurſum in credendis, quia *ſine fide*, vt dicit Apoſtolus, *impoſſibile* eſt placere Deo, aliâs non eſſet eidem ſufficienter prouiſum ab optimo legiſlatore Chriſto. ſed nullus particularis homo eſt huiuſmodi ſufficiens regula, vt non poſſit in fide errare, vt etiã *Papa aliquando fecit. Ergo oportet dicere, quòd habeatur recurſus ad Eccleſiam vniuerſalem, aut ad Concilium generale. Cum ergò Eccleſia vniuerſalis, non poſſit in vnum congregari ſecũdum ſeipſã propter eius amplitudinem per totum vniuerſũ, ſequitur, quòd huiuſmodi regula, ad quã habetur recurſus in neceſſitate fidei, eſt Conciliũ generale legitimè cõgregatũ, Eccleſiam vniuerſalẽ repræſẽtãs. Ergò ſequit' ꝙ Conciliũ generale in his quæ ſũt de neceſſitate ſalutis errare nõ poteſt. Pro cuius intellectu notandũ eſt, ex culpa originali, & ex excellentia credendorum, credenda tran-

Heb. 11.

✝ Falſum eſt, ſi de Papa, vt Papa eſt, intelligit. Papa enĩ vt Papa nõ eſt priuata perſona. Si verò illorũ ſentẽtiam ſequitur, qui papam Cõcilio ſubiiciũt, falſã ſentẽtiã ſequitur, quã refutat Bellar. li. 4. de Pont. c. 2. & ſeq. & l. 2. de Conc. c. 13. & ſeqq.

tranſcendũnt humanam facultatem; ideò requiritur ſupernaturalis concurſus ad eorum reuelationem, & licet in ſcriptura contineantur, non tamen euidenter & ſufficienter pro quolibet, ideò prouiſum eſt de tertio medio; ſcil. facere exterius quod in ſe eſt, ſecundum illas Patrũ traditiones in celebrationibus Conciliorum generalium. Ex quibus poteſt deduci, quod in Concilio cõgregati nõ ſunt propriè qui loquũtur. Spiritus enim ſanctus loquitur in eis, in his, quæ determinãtur in fide. Nam ex quo pulſum eſt ſufficienter poſita exteriori forma, Spiritus S. reſiduum operatur, ex ſpeciali enim prouidentia Dei, quã habet de ſalute hominum, videtur inferendum, quod ſi forma ad extra ſeruetur, Spiritus ſãctus habebit ſuam efficaciam, veritatem reuelandi. Quantumcunq; enim miniſtri eſſent inepti, tamen malitia non tolleret efficaciam Spiritus ſancti, quia poteſt eſſe organum Spiritus S. ſicut proportionabiliter aſina Balaam locuta eſt, impropriè, quia magis Spiritus ſanctus locutus eſt, & quẽadmodum *Num. 22. & 23.* Balaam, Num. 22. & 23. vocatus à Balac, vt malediceret populo, cui Deus benedixit, & ipſe benedixit, licet coactus, ita in Concilio generali in malis & iniquis Prælatis, malè viuentibus Spiritus S. loqueretur veritatem, hoc fundatur vt dictũ eſt, id eſt, prudẽtia Dei de neceſſariis, de noſtro fine conſequendo, ꝙ non eſſet, niſi in Concilio generali infallibilis daretur auctoritas, non obſtante miniſtrorũ malitia, imò cum Balac audiuit quod Balaam benediceret populo Dei, ait: *Quid eſt quod agis? quia vt malediceres vocaui te.* Reſpondit: *non poſſum aliud loqui niſi quod juſſit Dominus* ita ſimiliter vbi agitur de inſtructione populi, quantumcunq; inualeſceret malitia Prælatorum, poſſum dicere cũ Balaam; *Non poſſum dicere, niſi quod Dominus juſſerit.* iterũ ſecundo reſpondit Balaam, *benedictionem prohibere non va-*

leo. Non eſt, inquit, *Deus*, *vt homo, vt mentiatur*. Notum autem eſt, vt videtur, quod Deus ſpecialiori modo regat Eccleſiam ſuam, quàm ante incarnationẽ populum ſuum rexit. Ideo dixit Matth. vltimo: *vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem ſeculi*. & ejuſdem ſexto decimo: *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, hoc eſt, Eccleſiam, quam Concilium generale repræſentat. Imò Chriſtus, poſt aduentum ſuum in carnem, cum Sacerdotes ſynagogæ mali eſſent, & generatio praua & adultera vocarentur, nihilominus dicit turbis, *omnia quæcunq; vobis dixerint, facite*. Ex quo euidenter concludi poteſt, quod ea, quæ ſacerdotes ſeu Prælati nouæ legis in Concilio generali cõgregati, poſt publicationem Euangelii dicunt, in his quæ ſunt fidei, & de neceſſitate ſalutis, tenenda ſunt, cum amplius ſint illuminati, & ſpecialius eis Spiritus ſanctus aſſiſtat, quam Sacerdotibus ſynagogæ. Et ad hoc deſeruiunt omnes expoſitiones, quas replicans adduxit, ſuper illo, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, vt patet eas intuenti. & iterum ſolutiones illarum auctoritatum: *qui vos audit, me audit*. & aliarum per me adductarũ. quia concedit eas de Conciliis generalibus etiam intelligi, licet etiam de fidelibus aliis in nomine Domini cõgregatis poſſint exponi. Et tamen propriè & antonomaſticè de Conciliis generalibus iſta eſſe intelligenda; ſanctorum auctoritatibus oſtenditur. Sicut enim ait beatus Celeſtinus in epiſtola ad ſynodum Epheſinam tranſmiſſa, vt refert Iſidorus in libro Conciliorum: *Spiritus ſancti indicat præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas ipſa mentiri, cuius in Euangelio iſta eſt ſententia: vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. quod cum ita ſit, nam nec huic tam breui numero Spiritus ſanctus deeſt, quanto magis*

eum

Matt. 28. *Matt. 16.* *Matt. 23.* *Celeſtinus ep. 7.* *Matt. 18.*

eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tota turba ſanctorum? ſanctum namq; eſt pro debita veneratione Concilium, in quo vtiq; nunc Apoſtolorum frequentiſſimæ illius, quam legimus congregationis aſpicienda reuerentia eſt. & idem Iſidorus in eodem libro, in geſtis tertiæ Synodi Toletanæ in epiſtola ſeu confeſſione Reccaredi Regis, inquit, *valdè neceſſarium eſſe perſpexi beatitudinem veſtram in vnum conuenire, habens ſententiæ Dominicæ fidem, quæ dicit: vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatẽ, huic ſacro intereſſe Cõcilio, & ideo tãquam ante conſpectum* Dei *in medio veſtri fidem meam protuli.* Ex quo patet, quod beatus Papa Celeſtinus eam reuerentiam habendam eſſe dicit congregationi Concilii, quæ debetur collegio Apoſtolorum, vtpote in cuius medio ipſe Chriſtus aſſiſtat, ſanctus Spiritus, & ipſa Trinitas tota. hinc eſt q; B. Hieronymus comparat Concilii auctoritatẽ ſoli, vt ſicut ſol ſuo ardore humores riuulorum deſiccat, ita ſacrum Concilium ſua auctoritate omnem contrariã ſuperat argumentationem: inquit enim in fine diſputationis contra Luciferianum. *Poteram omnes tuarum diſputationum riuulos vno Eccleſiæ ſole ſiccare.* De auctoritate Concilii generalis loquens. Ad auctoritatem ſapientiæ. *Spiritus ſanctus non habitat in corpore ſubdito peccato.* Reſpondeo ſecundum ſanctum Thomam, in quæſtione de veritate, q. 12. artic. 5. quod ſapientia ſe confert in anima dupliciter. Primo modo, vt ipſamet Dei ſapientia inhabitet, & ſic hominem ſanctum faciat & Dei amicum. Secundo modo ſolum quantum ad effectum, & ſic non oportet, quod ſanctum faciat vel Dei amicum, & ſic confert ſe in mentes malorum, quos Prophetas conſtituit. Albertus 4. ſent. diſt. 19. vbi Magiſter dicit: *Quidam putant hanc poteſtatem tantum illis eſſe conceſſam, qui doctrinam & vitã*

Iob. 15.

Hiero. aduerſus Luciferianum.

Tho. de veritate, q. 12. a. 5 ad 5.

Albert.

Albertus. *Apoſtolorum ſeruāt.* dicit Albertus. *Iſti ſunt illi hæretici qui vocantur Cathari.* & cum pro eis arguit, *in maleuolam animam nō introibit ſapientia*, dicit quod intelligitur iſta auctoritas quantum ad inhabitantem gratiam, & non ad comparationem gratis datæ.

FInaliter circa iſtam materiam ſic aſſumitur, vbi ego dixi, quòd illud non eſt verè dictum: *verbum Dei eſt tantæ perfectionis, quod nihil poſſet eis addi vel ſubtrahi. dico,* inquit, *ſi iſtud non eſt verè dictum, nec illud Deuteronomii quarto, Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Reſpondeo negando illam conditionalem, quòd antecedens eſt verum, & cōſequens falſum. Quod antecedens ſit verum illud ſcil. non eſſe verè dictum, quod verbis Dei nihil licet addi vel ſubtrahi, patet, quia ſecundum B. Auguſt. in lib. de vera religione, cap. 10. in his quæ ſunt fidei, talis eſt regula ſeruanda, quòd falſa & damnanda ſemper ſunt reſpuēda, vera autem & approbata ſemper ſunt tenenda, dubia autem tamdiu credenda ſunt, quamdiu aliquid doceat ratio, niſi contrarium aliquod præcipiat ſanctæ matris Eccleſiæ auctoritas. Poſſe ergò Papā, Eccleſiam vel ſanctos Doctores, aliquid addere ſuper illa quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi. vno modo, quātum ad dubii interpretationem vel determinationē. Alio modo, quantum ad occultorum & implicitorū explicationem: Vtroq; autem modo poteſt addi ſcripturæ ſacræ licitè ſuper ea, quæ ſunt fidei. Nā ſi aliqua ſūt dubia, & obſcura in fide, ad prædictos pertinet interpretari. poſt quorum præſertim Papæ vel generalis Concilii determinationem, hæreticum eſſet, pertinaciter contrariū aſſerere. vnde dicit Innocentius & 23. q. 1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Pe-*

Deut. 4.

Aug. de vera religione c. 10 ſimile quid habet.

23. q. 1. quoties. c. 12.

trum,

terum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere. Ad e-
andem auctoritatem ſpectat implicita & occulta in fide
pro temporum ætate congruentia explicare & declarare
vt patet quòd inferiores Eccleſiæ filii implicitè & occul-
tè credebant, poſtmodum explicitè & publicè profite-
antur. Quod autem conſequens ſit falſum, patet, quia di-
cit ſcripturam eſſe falſam, & dicta Doctoris quæ adducit,
adducit idem ex alio, quia ſacra ſcriptura promittit præ-
mia exponentibus eam, dicens Eccl. 24. *qui elucidant me,* *Eccl. 24.*
vitam æternam habebunt. ſed replicans eiſdem Doctoribus
debitā credulitatē ſubtrahit, vbicunq; ſibi placet, vt patet
ex ſuis reſponſis. Ergò non ſequitur ſi verba ſua ſunt falſa,
quòd ergò verba ſcripturæ ſacræ ſunt falſa. Ad auctorita-
tes ergò dico. ad primā Deut. 4. *non addetis ad verbum quod* *Deut. 4.* *Gloſſa ordinaria ibidem.*
loquor, nec auferatis. dicit gloſ. *docet normam æquitatis, & omnē*
hæreſin percutit, vetat enim recta doctrina aliquid praua intentio-
nis addere, vel aliquid veritatis ſubtrahere : *Via enim regia*
incedendum eſt non ad dexteram vel ſiniſtram quia rectæ viæ Do-
mini, & iuſti ambulabunt in eis & nihilominus de Lyra inq̄t: *Oſea 14.*
Conſiderandum eſt hic, quod hic prohibetur additio deprauans intel- *Lira ibid.*
lectum legis, non autem additio declarans aut elucidans, ſecundum
quod ſcribitur Eccl. 24 qui elucidāt me, vitā ſempiternā habebunt. *Eccl. 24.*
ſimiliter ſuper illo: *ſermo Dei ignitus* dicit gloſ. *vt hæretici qui* *Hier. ibid.*
corrūpūt ſcripturas, ne eis conuincantur. Et beatus Hierony- *Gloſſ. interlinearis ibid.*
mus ibidem. *ne corrumpas eloquia ſacrarum ſcripturarum, ſi-*
cut quidam hæretici, ne conuincerentur, feciſſe noſcuntur. Et Ly-
ra: *ne addas quidquam quod ſit eis contrarium potes tamen & me-*
ritoriè addere illa, quæ faciūt ad verbū Domini elucidandum. Si- *Gloſſa ordinaria ibid.*
militer ſuper dicta Ioan. Apoc. vltimo dicit glo. *quia quoſ-*
dam ſciebat in Aſia eſſe, qui pro ſuis erroribus fouendis, aliquid ad-
derent, vel minuerent, ſupponit excommunicationem Et Lyra ibi- *Lyra ibidem.*
dem. *ſi quis appoſuerit, id eſt, diſcrepantia, ſicut faciebant hæretici,*
qui tēpore illo addebant diſcrepantia à veritate Euāgelii & aliqua

Digitized by Google

diminuebant de eius veritate, dicentes Chriſtum ante Mariam non fuiſſe; per hoc tamen non excluditur, quin poſſent aliqua addi licitè, quæ faciunt ad declamtionem ſacræ ſcripturæ. Et ſic fecerunt doctores ſancti. hæc ille. Non eſt ergo veriſimile, ſi ſancti crediſſent, ſe peccaſſe, quod ſanctis laboribus exponi ſcripturam intendiſſent.

Circa ſecundum notabile, vbi dixi, *P*rælatos malos & bonos magnificè ratione officii honorandos,& præſertim cauſas ſeptem adduxi. Quo ad tertium, vbi dixi ideò quia ipſi ſoli habent auctoritatem ligandi,& ſoluendi à peccatis, ſecundum illud Matthæi decimo octauo: *Matt. 18.* *quodcunq; ligaueris ſuper terram*, &c. contra hanc arguit replicans: *Non ſoli Sacerdotes habent auctoritatem ligandi & ſoluendi à peccatis*, *igitur, &c.* Videte quæſo, quomodo oſtēdit ſe auctoritates ſacræ ſcripturæ intelligere aliter, quā Chriſtus ſuis diſcipulis innotuit. Ego enim allegaui illā auctoritatem Matth. decimo octauo: *Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*, quam auctoritatem ſaluator non voluit de beata Trinitate intelligi, quia eam numero Apoſtolorum non comparauit, ſed nec de laicis diſponentibus ſe per contritionem, ſed tantum de Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus per ſacri ordinis ſacerdotalis ſuſceptionem. Dico ergò, quòd illa conſequentia nil valet. Trinitas habet auctoritatem abſoluendi à peccatis actiuè, ergò non ſoli Sacerdotes, quia eſt æquiuocatio in terminis, vt patet ex dictis, nouit enim omnis, qui me intellexit, quod intellexi de auctoritate quam habent ſoli Sacerdotes, qui ſunt homines conſecrati per ordinationem Epiſcoporum; non de Trinitate vel Chriſto homine. Dico ergò aliqua: *P*rimum eſt, quòd ſoli Sacerdotes habent auctoritatem clauium in foro pœnitentiæ, de qua loquitur in propoſito, teſte B. Ambroſio, *Ambroſius.* vbi

Digitized by Google

vbi ait ſuper verbo prædicto. *hoc jus*, ſcil. ligandi & ſoluendi, *Sacerdotibus eſt conceſſum*, vnde ſanctus Thomas in 4. ſententiarum, diſtinct. decima nona, quæſt. prima dicit, quòd introitus in cœlum per dimiſſionem peccati vocatur clauis ordinis, & hanc ſoli ſacerdotes habent, quia ipſi ſoli ordinantur pro populo in his, quæ directè ſunt ad Deum, hæc ille. Secundò dico, quod laici, etſi ſe diſponere poſſunt ad remedium pœnitentiæ, nullo modo tamen verum eſt, quod dicit opponens, quòd ex hoc habeant auctoritatem ligandi & ſoluendi diſpoſitiuè, quia iſte eſt periculoſiſſimus modus loquendi. Ideò etiam opponens non audebat eum nominare, qui iſtum modum adinuenit. Nam ex modo loquendi Doctorum Catholicorum, non habemus niſi triplicem auctoritatem ligandi & ſoluendi, vt poſuit ſanctus Thomas in quarto ſententiarum, diſtinct. decima nona. Vna eſt auctoritatis & eſt ſolius Dei, qui propria virtute peccata dimittit. Alia excellentiæ, quam ſolus Chriſtus habet homo, qui merito excellentiæ ſuę paſſionis operatus eſt ſalutem noſtram. De qua Apoc. tertio: *qui habet clauem, aperit, & nemo claudit*, Tertia eſt miniſterii, & iſtam non dicitur habere Trinitas increata, cum ſit principale agens, & non inſtrumentale aut miniſteriale remiſſionis peccatorum. nec Chriſtus cum ſit caput Eccleſiæ, in quo per excellentiam plenitudinis eſt poteſtas illa. ſed ſoli Sacerdotes, qui miniſtri dicuntur Chriſti, & de talibus loquebar in poſitione mea, juxta illud Ambroſii: *hoc jus*, ſcilicet ligandi & ſoluendi, *ſolum Sacerdotibus eſt conceſſum.* nuſquam licitè adderetur poteſtas quarta, ſcilicet diſpoſitionis, quia quantumcumq; laicus ſe diſponat ad pœnitentiam, tamẽ ſibi non conuenit illa auctoritas Chriſti, de qua ego loquebar: *Quodcunq; ligaueritis ſuper terram*, &c. Mat. 18. quod

S. Tho. in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. ad 3.

S. Tho. ibid. ad 2.

Apoc. 3.

etiam aſſumpſit: *Chriſtus homo habet auctoritatem dimittendi peccata. ergo non ſoli Sacerdotes.* patet ex dictis, quòd nil valet conſequentia, quia alia ratione Chriſtus, & alia Sacerdotes habent auctoritatem ſoluendi & ligandi à peccatis. Quia, vt dicit ſanctus Thomas, vbi ſuprà, virtus aliquid agendi eſt in inſtrumento, & in per ſe agente, non eodem modo, ſed in per ſe agēte perfectius. Poteſtas autem clauium quā habemus nos, & aliorum Sacramentorum virtus eſt inſtrumentalis, ſed in Chriſto eſt, ſicut in per ſe agente ad ſalutem noſtram, per auctoritatem quidem, in quantum eſt Deus, ſed per meritum in quantum eſt homo. Clauis autem de ratione ſua exprimit poteſtatem aperiendi & claudendi, ſiue aliquis aperiat quaſi principale agens, ſiue quaſi miniſter, & ideo in Chriſto oportet ponere clauem, ſed altero modo, quàm ſit in eius miniſtris. Et ideò dicitur, quòd habet clauem excellentiæ. & tantum de illo.

S. Tho. 4. ſent. diſt. 19. q. 1. art. 3. ad 2.

Aſſumpſit vlterius contra quartam cauſam, vbi dixi Sacerdotes honorandos, eo quòd de eorum orationibus certius eſt, quòd efficaciam pro populo & animabus ſortiantur, ibi dicit, quòd ſi Sacerdotum orationes debeant eſſe efficaces pro populo, primò oportet quòd ipſi Sacerdotes Deó placeant per virtuoſa opera, aliâs ipſum Deum prouocant ad deteriora. Dico quòd hoc eſt ſimpliciter falſum, quia eſt bene congruum, ſed nō ſimpliciter vt ſit neceſſariū, quia vt dicit S. Thomas in 4. ſen. diſt. 45. *de ſuffragiis, quæ fiunt per malos*, inquit, *duo poſſunt conſiderari, primò ipſum opus operatum, ſicut Sacrificium altaris, & quia noſtra Sacramenta ex ſeipſis efficaciam habent abſq; opere operantis, quam æqualiter explēt, per quoſcunq; fiant; quantum ad hoc, ſuffragia per malos facta, defunctis proſunt. Alio modo quantum ad opus operans. Et ſic diſtinguendum eſt, quia operatio peccatorum ſuffragia*

S. Tho. 4. ſent. diſt. 45 q. 3. a. 3. ad 3.

Quomodo malorum Sacerdotum ſuffragia proſint.

Digitized by Google

gia facientis, poteſt vno modo conſiderari, vt eſt eius, & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt, nec ſibi, nec aliis. Alio modo, quantum eſt alterius, quod dupliciter contingit, vno modo, in quantum peccator faciens ſuffragia gerit perſonam totius Eccleſiæ. ſicut Sacerdos dum dicit in Eccleſia exequias mortuorum, & quia ille intelligitur facere, cuius nomine vel vice fit, vt patet per Dionyſium in decimo tertio cap. Eccleſi. Hierarchiæ. inde eſt quòd ſuffragia talis Sacerdotis, quamuis ſit peccator, defunctis proſint quaſi ex perſona Eccleſiæ facta, cuius ipſe miniſter eſt. Alio modo quãdo agit, vt inſtrumẽtũ alterius. opus enim miniſterii eſt magis principalis agẽtis, vnde quamuis ille qui agit vt inſtrumentũ alterius, nõ ſit in ſtatu merendi, actio tamẽ eius poteſt eſſe meritoria, ratione principalis agentis, ſicut ſi ſeruus in peccatis exiſtẽs quodcunq; opus miſericordiæ facit ex præcepto Domini charitatem habẽtis. vnde ſi aliquis in charitate decedens præcipiat ſibi ſuffragia fieri, vel alius præcipiat charitatẽ habens, illa ſuffragia valẽt defuncto. quãuis illi per quos fiũt, in peccato exiſtant, magis tãen valerẽt, ſi in charitate eſſẽt, quia tũc ex duabus partibus opera illa meritoria eſſẽt. Ad Gregorium in *Gregor.* Paſtorali *cum is qui diſplicet ad intercedẽdũ mittitur, animus iudicis ad deteriora prouocatur:* reſpõdet S. Thomas quãuis ex *ibidem ad 2.* parte eius diſplicet oratio peccatoris, nõ ſit accepta, tamẽ ratione alterius, cuius vice vel imperio agitur, poteſt eſſe Deo accepta. Et per hũc modũ ſoluuntur aliæ auctoritates, quia oratio quam Sacerdos facit, ſibi non prodeſt, niſi ſit in charitate, prodeſt tamen aliis, in quantum eſt miniſter publicus Eccleſiæ. Et ſic patet quàm male dixerit in illa ſua poſitione, quòd oportet Sacerdotem Deo placere per bona opera, ſi debeat exaudiri pro populo.

Præterea accedens ad propoſitiones, vbi dixi, ſolos curatos ordinariè poſt Prælatos maiores, ſcili. Epiſcopos debere prædicare, & religioſos ex voto ſuo profeſſionis, qui ad hoc ſunt aſtricti: dicit quod iſtæ propoſitiones patiuntur inſtantiã pro tẽpore quo non erant curati, & quã-

do Eccleſiæ & parochiæ adhuc non erant diuiſæ. vnde quærit, ſi ſoli Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, & ſoli curati ſeptuaginta duobus diſcipulis, quorum ſucceſſores ſunt minores Preſbyteri & non curati. Pro quorum fundamentali diſcuſſione dico præter ea quę nuper dixit in ſua replicatione, præſertim cum vnus ex dominis Bohemis ſupplicauit hoc declarari, & in ſcriptis tradi. Quæro à vobis Domine Vlrice, cum Dominus in veteri teſtamẽto non inſtituerit, quod expreſſè legatur, niſi Aaron in ſummum Pontificem, minores Sacerdotes & Leuitas. Vnde ergò cantores, quos Dauid inſtituit? Vnde etiam illa diſtinctio Sacerdotum, quorum hebdomadatim 72. thurificabant, primo Paralip. 13. Reſpondeo, quòd omnis ſtatus Eccleſiaſticus eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutus, teſte Apoſtolo, ad Epheſ. 4. *Vnicuiq; data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit ſcriptura: Aſcendens in altum dedit dona hominibus.* quæ ſint illa dona, ſubdit: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Et eadem ſententia habetur prima ad Corinth. duodecimo. Ex quo patet quod hæc perfecta & plena diſtinctio maximè in hora aſcenſionis Domini à Domino inſtituta eſt, vt notāt verba præmiſſa allegantia illud Pſal. *Aſcendens in altum dedit dona hominibus*, ex quo iterum ſequitur, quòd diſtinctio & varietas in Eccleſia ſtatuum, graduum & dignitatum; non principaliter ex inſtitutione Eccleſiæ, aut cuiuſcunq; puri hominis auctoritate proceſſit, quare nec eam deſtruere poteſt. Sed diceres, quomodo iſtos ſtatus inſtituit, cum non niſi Apoſtolos duodecim & ſeptuagintaduos reliquit diſcipulos? reſpondemus ſecundũ Gloſſā

Epheſ. 4.

1. Cor. 12.

Pſal 67.

Diſtinctio & varietas graduum & ſtatuum in Eccleſia à Chriſto profecta.

Inno-

Digitized by Google

Innocentii tertii, *ipſe dedit*, quia ſic aſcendit, vt adimple- *Innocentius.*
ret omnia, *omnia*, inquit, *adimpleuit*, *quia ipſe dedit*, id eſt, gratis inſtituit, non eorum meritis, *quoſdam quidem Apoſtolos*, ſcilicet duodecim prædicationis ſuæ vicarios Luc. ſexto: *elegit*, inquit, *duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, quoſdam autem Prophetas*, ſcilicet futura prædicentes, ſicut Agabus Actorum vigeſimo primo. *Act. 21.* vel Prophetas id eſt Scripturas exponentes, Actorum decimo tertio: *Act. 13.* *Erant in Eccleſia quæ erat Antiochiæ Prophetæ*, id eſt Doctores, *alios verò Euãgeliſtas* id eſt, Euangelii annunciatores, vt ſeptem diaconi, Act. ſexto. *Act. 6.* vel etiam Scriptores, vt quatuor Euangeliſtæ. *Ego enim*, inquit, *Ieruſalem Euangeliſtam dabo.* Eſaiæ 41. *Eſa. 41.* *Alios autem paſtores*, & Doctores, & Epiſcopos, qui paſcant exẽplo, & doceant verbo, juxta illud Ieremiæ 3. *Ier. 3.* *dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcam vos ſcientia & doctrina.* Et Eſaiæ 30. *Eſa. 30.* *Non faciet vltra auolare à te Doctorem tuum*, vel dico ſecundò, quod ipſe Chriſtus hanc diuerſitatem hierarchicam dedit & inſtituit virtualiter, dum Spiritum ſanctum miſit inuiſibiliter, qui docuit Apoſtolos & eorum ſucceſſores, quæ cuiuſlibet ſtatus Eccleſiaſtici officio cõgruerent, prout ipſe Saluator promiſit Apoſtolis ſuis. *Ioan. 14. & 16.* *Adhuc*, inquiens, *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nõine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcũque dixero vobis*, & ne crederetur eis ſolis datus, ſed etiam poſteris eorum ſucceſſoribus, ait, *ego mittam vobis Spiritũ veritatis, qui docebit vos omnem veritatem, vt ſit vobiſcum in æternum.* Iohannis 15. ſic enim Chriſtus per Prælatos dicitur Eccleſiaſticam Hierarchiam inſtituiſſe, teſte Apoſtolo. *2. Cor. 2.* *& ego ſi quid donaui, in perſona Chriſti vobis donaui*, & hoc eſt quod dicit dominus Patriarcha Petrus de Palude de Eccleſiaſtica poteſtate, concluſione tertia. *Paludanus de eccl. poteſt. 3.* Ad tertium

 argu-

argumentum, quòd Chriſtus dedit paſtores dando primū & vniuerſalem paſtorem immediatè dicendo Petro: *paſce oues meas*. Sic etiam dicit B. Auguſtinus in libro de cōſenſu Euangeliſtarum, oſtendens Chriſtum Euangeliū ſcripſiſſe, & tamen Euangeliſtis commiſerat ſcribere, dicens: *omnibus diſcipulis ſuis per hōinē quem aſſumpſit, tanquā mēbris ſui corporis caput eſt. itaq; cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtēdit & dixit, nequaquam eſt dicendum, quod ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra eius id operata ſunt, quod dictante capite cognouerūt. quidquid enim ille de ſuis dictis & factis nos legere voluit, hoc ſcribendū illis tanquā ſuis manibus, imperauit*. hæc ille. Vnde in perſona Prælatorum Eccleſiæ dicit Dominus: *qui vos audit me audit* Lu. 10. cuius rationem ſubdit, Apoſtolus vbi prius, dicēs: *ex quo*, ſcil. Chriſto capite Eccleſiæ, *totum corpus Eccleſiæ cōpactum eſt per omnem iuncturā ſubminiſtrationis*, id eſt, per quā communicationem fideliū, vnus cōmunicat & ſubminiſtrat alteri bonū ꝙ habet à Chriſto capite: vnde ſubdit, *ſecundū operationē in menſuram vniuscuiuscūq;* membri, quia ſecundum gradus membrorū Eccleſiæ competūt diuerſis actus diuerſi, maiores ſcil. & minores, ſicut alii actus Epiſcoporū alii Sacerdotū, alii Religioſorum, & ſic de ſingulis, ſecundū expoſitionē venerabilis de Lyra ibidem, ſicut alia eſt operatio cuiuſlibet mēbri, alia operatio oculi, alia pedis, & verè per Ieſū Chriſtū hoc eſt totū; quia augmentū corporis ſui facit, & hoc quantū ad ꝑfectū eorū qui iam ſunt de corpore, ipſe dico, tendens in ædificationē ſui, ſecundū quod Chriſtus accipitur pro capite cum mēbris, & hoc quantū ad illos, qui ſūt de corpore Eccleſiæ, prout dicit Innocētius ibidē. 2. ſupponēdū, ꝙ præmiſſa officiorū varietas regitiua, ſit hierarchica diſpoſitio ſiue ſubordinatio, & vna ſit Papalis auctoritas ſuprema, ex præinſtitutione, & non tantum humana, ſed diuina auctoritate, iuxta il-

Aug. de conſenſu Euangeliſtarum c. 34. in fine To. 4.

Luc. 10.
Ephe. 4.

Lyra in 4. ca. epi. ad Epheſ.

Digitized by Google

ta illud Io. 20. *paſce oues meas.* vnde licet Apoſtolus dicat, *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas,* non nominãdo Papalẽ eminẽtiã, ſingulariter tamen præſuppoſuit id per Chriſtũ expreſſẽ factũ, vnde ad inferẽdũ illud quod dictũ eſt, præmiſit. *vnicuiq; noſtrum data eſt gratia ſecundũ mẽſurã donationis Chriſti,* quaſi diceret, quòd vni plus, & alteri minus donatũ eſt, cum vni ſupremũ regimen Eccleſiaſticum ſit comiſſum, ideò dicit idẽ Apoſtolus 2. Cor. 10. *Non immenſum gloriabimur, ſed ſecundũ menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus,* vbi gloſſ. dicit: *Vſurpans ſibi regimen animarum, ſine commiſſione Chriſti, aut ſui vicarii, vel poteſtatem ſibi commiſſam vltra terminum ſibi præfixum extendens, non ſecundum menſuram regulæ, ſed in immenſum gloriantur.* hæc ibi.

1. Cor. 10. *Gloſſa.*

Apoſtolorum ſtatus tripliciter conſiderãtur.

Ex præmiſſis infertur, quòd ſecundum ſtatum Apoſtolicũ, ſingulariter tria genera Eccleſiaſticorum ipſis Apoſtolis ſuccedere dinoſcũtur, ſcil. Cardinales, Epiſcopi, Religioſi. Pro quo ſciendũ, ꝙ Apoſtoli poſſũt tripliciter cõſiderari. vno modo, prout fuerũt Chriſti aſſeſſores, ante ſuam aſcẽſionẽ; Alio modo, prout facti ſũt paſtores diſperſi, per mũdũ prædicantes. 3. modo à vocationis eorũ principio, vſq; ad finẽ, juxta modũ perfectionis & cõuerſatiõis. 1. inquã cõſiderari poſſũt Apoſtoli, vt fuerũt Chriſti aſſeſſores primò, & poſtea B. Petro aſſederunt, vt domeſtici & familiariſſimi amici, & ſecretarii, & hoc modo ſuccedunt eis reuerendiſſ. Patres, Dñi Cardinales, quaſi domeſtici Papæ cõſiliarii, & aſſeſſores, ſed quãtũ ad 2. ſtatũ Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. & hoc notauit Apoſtolꝰ diſtinguens ſtatus Eccleſiæ, quia cum diſtinguit ſtatum paſtoralem, cui incumbit cura animarum particularium, à ſtatu Apoſtolico, ad quẽ ſpectat regimẽ & ordinatio totius eccleſiæ generalis, & juxta hanc ſententiã dicit Archid. 22. diſt. c. *ſacroſãcta* ꝙ Papa debet ſe inter Cardĩales añumerare, ratione

Cardinales ſuccedunt Apoſtolis vt aſſeſſores.

Epiſcopi vt Prædicatores.

22. diſt. ſacro ſancta. c. 2.

tione ſtatus Apoſtolici, in quo ſunt condiuidendo eum à ſtatu paſtorali, licet etiam in ſtatu Apoſtolico fuerunt paſtores. Sed ſtatus in ſe ſunt diuerſi, & prius fuerunt in ſtatu Apoſtolico per Chriſtum inſtituti, quàm in paſtorali per Petrum, quia ante paſſionem omnes duodecim fuerunt Apoſtoli, ſed poſt paſſionem inſtitutus eſt Petrus à Chriſto omnium paſtor, & tunc ſtatus paſtoralis eſt ordinatus, cum Apoſtolicus ſtatus ante fuiſſet. Petrus ergò & ſui ſucceſſores vtrumq; retinent ſtatum, ſed Cardinales Apoſtolicum duntaxat, & ita diuerſitas inter nunc vocatos Cardinales & Epiſcopos, qui in ſtatu apoſtolico vario modo ſuccedunt Apoſtolis, notatur in gloſſa 2. ad

2.Cor.3. Gloſſa interlinearis. Corinth. tertio. ſuper illud fidelibus dictum, ***omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo***, qui erat Epiſcopus eorum, ***ſiue Cephas***, id eſt Petrus, qui omnibus maior erat. Ex quo ſe-

1. quuntur aliqua. Primum, quod ad ſtatum Cardinaliũ, tanquam ad ſtatum Apoſtolicum, primò pertinet vna cum Papa, regimen & ordinatio totius Eccleſiæ. Nam ſicut perfectio ſtatus Epiſcopalis in hoc conſiſtit, ſecun-

Tho.2.2. q.184 a.7.ad 1. dùm ſanctum Thomam, 2.2. quòd quis ex voluntaria obligatione ſe obligat ad hoc q; curam proximorum gerat, & ſaluti eorum inſiſtat, videlicet eorum, qui ſuo Epiſcopali regimini ſpecialiter ſunt commiſſi: Ita perfectio ſtatus Cardinalatus in hoc conſiſtit, quòd ex charitate ſe obligat, vt cum capite ſuo Chriſti vicario, generaliter fidem & Chriſtianitatem vſq; ad ſanguinis effuſionem defendãt, in cuius ſignum capellum rubeum portare dicũ-

2. tur. Sequitur ſecundò, quòd Cardinales ſunt in ſtatu perfectionis altioris, quàm ſit generaliter ſtatus paſtoralis, quia inferiores paſtores tenentur ſe exponere pro grege particulari; ſed Cardinales tenentur ſe exponere pro Eccleſia vniuerſali, quod eſt perfectius, quia bonum quan-

Digitized by Google

num quanto communius, tanto diuinius, vt dicit Philoſophus. Tertiò ſequitur ex eodem, quod ad ſedem Apoſtolicam, ſcilicet Papam & Cardinales; præ cæteris ſedibus particularibus pertinet declaratio veritatum neceſſariarum aut vtilium ad ſalutem, ſiue quantum ad fidem, ſiue quantum ad vtile regimen Eccleſiæ militantis, quia in hoc ſuccedunt Petro & cæteris Apoſtolis, quantum ad ſtatum Apoſtolicum primitiuum, de quo dictum eſt: *Euntes docete omnes gentes*. Matth. vltimo. Si verò obiicitur, quòd Cardinales Diaconi non ſuccedunt Apoſtolis, cum omnes fuerint Preſbyteri; Reſpondetur, quòd licet non ſuccedunt in ordine Preſbyteratus, tamen ſuccedunt in ordine diaconatus, & nihilominus ſuccedunt eis, quantum ad ordinem hierarchicum Cardinalatus, ad intellectum ſuperius declaratum, vnde quantum ad hoc, Cardinales Diaconi non ſolum jure prædicto, ſed etiam laudabili & approbata conſuetudine iam præſcripta, præcedunt Epiſcopos, licet ordo Epiſcopalis dignior ſit ordine diaconatus. ſicut v.g. Archidiaconus, licet non ſit Preſbyter, tamen præeſt pluribus Preſbyteris ſuo Archidiaconatus ordini hierarchico ſubiectis, 25. diſt. perlectis. Et ſic Cardinales etiam non Epiſcopi præcedunt Epiſcopos, quia comparantur ſenatoribus, qui erant primi poſt Imperatorem, & dicebantur Patres conſcripti. De hoc per Archidiaconum de offic. leg. capite primo, libro ſexto.

3. *Matt.28.* *Cardinales non Epiſcopi præcedunt Epiſcopos.* *25. diſt. perlectis.* *De offi. le. c. 1. lib.6.*

Quantum ad ſecundum Statum Apoſtolorum, pro vt diuiſi ſunt à Petro per vniuerſum mundum, ſuccedunt eis propriè Epiſcopi cum omnibus his, qui ſub hoc nomine, Epiſcopus, dinoſcitur comprehēdi, de quo dicit Rabanus libro ſuo de naturis rerum: *Ordo*, inquit, *Epiſcoporum quadripartitus eſt, id eſt, in Patriarchas, Archiepiſcopos*

Raba. lib. de inſtitutione Clericorum. c.5. ſimilia habet.

Digitized by Google

pos. Metropolitanos atq; Epiſcopos. Patriarcha græca lingua interpretatur ſummus Patrum qui primum, id eſt, Apoſtolicum retinet locum, & ideò quod ſummo honore fungitur, tali nomine cẽſetur, ſicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus Archiepiſcopus græco vocabulo dicitur, quod ſit ſummus Epiſcoporum, tenet enim vicem Apoſtolicã & præſidet tam metropolitanis, quàm Epiſcopis cæteris. metropolitani autẽ à menſura ciuitatum vocati ſunt. ſingulis enim prouinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri ſacerdotes ſubiecti, ſine quibus reliquis Epiſcopis nihil agere licet. ſolicitudo enim totius prouinciæ ipſis commiſſa eſt. Omnes autem ſuperius deſignati ordines, vno eodemq; vocabulo Epiſcopi nominantur, ſed ideo priuato nomine quidam vtuntur, propter diſtinctionem poteſtatum quam ſingulariter acceperunt. Patriarcha pater Principum, ἄρχων enim princeps, Archiepiſcopus princeps Epiſcoporum. ſicut metropolitanus à menſura ciuitatum. hæc ille. Sed notat D. opponens vnam clauſulam, quam dicit me prætermiſiſſe, in c. *decretis*, vbi dicitur quod talis diſtinctio eſt ſũpta à vana gentilitate, quod voluit notari. Reſpondeo, quòd nomina iſta flamines & archiflamines, Eccleſia in gentilitate reperit; ſed gradus eis correſpondentes beatus Petrus & Apoſtoli à Chriſto acceperunt. & ideo nomina permanſerunt, & in diſtinctionem Eccleſiaſticæ dignitatis ceſſerunt, vel cum ſancto Thoma, vbi arguit in 4. diſtinctione 24. ritus Eccleſiæ non debet magis conformari ritui gentilium, quàm ritui Iudæorum, ergò reſpõdet quòd ritus Iudæorum non erat diffuſus in diuerſis regnis & prouinciis, ſed tãtum in vna gente, & ideò non oportebat, quòd ſub eo, qui habebat poteſtatem principalẽ alii Pontifices diſtinguerentur, ſed Eccleſiæ ritus, ſicut & gentilium, per diuerſas nationes diffunditur, & ideo oportuit, quòd quantũ ad hoc magis gentiliũ ritui, quàm Iudæorũ, ſtatus Eccleſiæ conformetur. vnde licet ordo iſte Eccle-

Metropolis mater ciuitatum.

diſt. 21. c. Decretis.

Tho. 4. ſent. diſt. 24. q. 3. a. 2. ad 2.

cleſiaſticus quoad diſtinctionē graduū prælationis, ſit ritui cōformis gētiliū, non ſequitur ꝙ ſit malus aut vanus, aut non à Deo inſtitutus. quoniā Eccleſia cōſtituta eſt ex vtroq; pariete, ſcilicet gentilitatis & Iudæorum. ita ritus Eccleſiæ modò capitur ex conformitate vnius, modò alterius, prout dicit Hugo lib. 2. de Sacramentis, parte 3. c. 4. hæc ille. Et hi ordines à B. Petro & ſanctis Apoſtolis effluxerunt, prout teſtatur etiam beatus Clemens, ſecundum quod etiam allegat Hugo, vbi prius, & habetur in libro illius, in principio, qui ſolet inſcribi decreta Pontificum. Dicit enim ſic: *In illis ciuitatibus, in quibus apud Ethnicos primi flamines eorum atq; primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel Patriarchas ordinauit, q̃ reliquorū Epiſcoporū iudicia, & maiora, quoties neceſſe foret negotia, in fide agitarent ſecundum Domini voluntatem, ſicut ſancti conſtituerunt Apoſtoli, & ita vt ne quis iniuſtè periclitaretur, definirent. In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Ethnicos Archiflamines, quos tamen minoris ducebant, quàm memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit, qui non tantum primatum, ſed Archiepiſcoporum nomine fruerētur.* hæc ille. Ex quo patet, ꝙ Apoſtolis hi gradus ſuccedunt, quoad ſtatum eorum.

Hugo lib. 2. de Sacramentis par. 3. c. 4.

Epiſtola 1. Clementis.

Quantum ad tertium ſtatum Apoſtolorum, ſcil. perfectioris conuerſationis, eis ſuccedunt Religioſi. vnde dicitur 16. q. 1. *ex auctoritate* quòd Monachi Apoſtolorū figuram tenēt, & hoc quantū ad ꝓpriorum renunciationem, vt exponit gloſſa. Pro quo ſciendū, ꝙ repræſentare ſtatū Chriſti & Apoſtolorum poteſt intelligi dupliciter: vno modo eſſentialiter, & ſic omnes qui obligant ſe ad perfectionis opera, ſecundum tria vota eſſentialia, repſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum. ſcribit enim Num. 6. ꝙ omnes Nazaræi, qui volebāt ſe domino cōſecrare, voto ſe aſtringebāt ad perfecta opera. Quantum ergò

Religioſi perfectione conuerſationis.

16. q. 1. ex auctoritate c. 24

Status Chriſti repræſentatus eſſentialiter.

Num. 6.

Digitized by Google

gò ad hoc, quòd omnes religioſi voto ſe obligant, aſtringentes ſe ad opera ſupererogationis, ſecundum illa tria eſſentialia vota, eſſentialiter repræſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, cum Apoſtoli prius vocati fuerint ad ſtatum religionis, ſecundum illa tria vota, ſicut de voto Apoſtolorum infra dicetur. Nam mox vocati ad Chriſtum, *relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.* Matth. 4.

Matt. 4.

Chryſ. in opere imperfe.

Super quo verbo dicit Chryſoſtomus: *tria ſunt quæ relinquere debent venientes ad Chriſtum. Primò ſubſtantias mundiales, quæ per nauem intelliguntur. Secundò, operationes carnales, quæ per rete intelliguntur, Tertiò, reuerentias paternales, quæ per patrem intelliguntur.* hæc ille. Secundo inſtrumentaliter, & ſic ſecundum diuerſum modum viuendi in voluntaria paupertate, diuerſimodè religioſi Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum repræſentant. Pro quo ſciendum, quòd ad perfectionis ſtatum multa requiruntur. formaliter quidem neceſſaria eſt charitatis perfectio; efficienter verò trium votorum principalium perpetua obligatio; inſtrumentaliter corporalis in vigiliis & jeiuniis exercitatio & regularis obſeruatio. Eſſentialiter autem Chriſti & Apoſtolorum in modo viuendi imitatio. Quantum ergò ad charitatis perfectionem Epiſcopi ſunt in perfectiori ſtatu cæteris aliis. Requirit enim pontificalis ſtatus charitatem perfectam iam acquiſitam, non acquirendam. Quantum verò ad trium votorum principalium perpetuam obligationem, omnes religioſi, qui ad illa ſe obligant, ſunt æqualiter in perfectionis ſtatu: Quantum autem ad corporalem exercitationem Monachi & profeſſores regulæ beati Benedicti, † arctiorem viuendi modum perfectionis ſtatum requirunt, quàm alij. Sed quantum ad modum viuendi Chriſti & Apoſtolorum imitationem religioſi mendicantes magis ſequun-

Inſtrumentaliter.

**alius liber: arctiori modo.*

quuntur illum modum viuendi, quàm alii, cum in communi poſſeſſiones non habeant, nec in ſpeciali, ſed ſolū de his, quæ quotidiè offeruntur à Chriſti fidelibus, in victu & veſtitu neceſſaria recipiant. Quemadmodum Chriſtus cum ſuis diſcipulis nunc mendicando, nunc neceſſaria oblata recipiendo. Ex quo patet, quòd Religiones non ſunt inſtitutæ à puro homine, quantum ad vota eſſentialia, in quibus cōſiſtit omnis religionis pfectio, ſed præſupponuntur illa vota eſſe inſtituta à Chriſto, in ipſa Apoſtolorum vocatione, ſed ſolum quantum ad quędam accidentalia, puta quantum ad habitum & ordinationem regulæ, vel inſtitutionem, quæ ſic firmitatem habent, non niſi cum approbatione Eccleſiæ. Hoc addito, quòd certarum religionum habitus non eſt humanitus inuentus, ſed de cœlo oſtenſus & datus, quemadmodum beatiſſima virgo habitum ordinis mei Prædicatorum oſtendit Magiſtro * Rainaldo, ipſum curando mirabiliter à ſua infirmitate, ad preces beati Dominici, & ex tunc eum habitum, quem videtis, ordo acceptauit, quem non homo, ſed beatiſſima virgo Maria nobis contulit, cum habitum Canonicorum regularium fratres noſtri baiularent, vt patet ex legenda B. Dominici. Ex quo patet, quòd eccleſiaſtica Hierarchia ſuccedit Apoſtolis; ſcilicet Cardinales vt aſſiſtentes, Epiſcopi vt miniſtrantes, & Religioſi vt perfectionis vitam imitantes.

** Reinhardo.*

72. diſcipuli in triplici habitudine conſiderantur.

Aliud genus à Chriſto inſtitutorum eſt 72. diſcipuli, & hi etiam poſſunt in triplici habitudine conſiderari. Primò vt miſſi à Chriſto ad prædicandum ante ſuam paſſionem. Secundò vt miſſi ab Apoſtolis poſt Chriſti aſcenſionem. Tertiò vt diaconi per quorundam ex eis ordinationem. Nam in primo ſtatu ſuccedunt eis Preſby-

teri curati. in ſecũdo quoad aliquid Preſbyteri alii. in tertio Archidiaconi iudices & cæteri Clerici. Primo inquã, ſi conſiderantur 72. diſcipuli, vt à Chriſto miſſi ad prædicandum in omnem locum, quo erat ipſe venturus, & non alibi, repræſentant ſtatum & figuram curatorum Preſbyterorum, qui ſic ſunt ad vnam plebem ſeu Parochiam limitati, quòd præſunt illic, & non alibi, & ſic declaraui in prima poſitione mea ſuper illo complexo *à Sacerdotibus*

ſuprà. *Domini*, notando, q; ſoli curati ſuccederent in prædicatione ordinaria 72. diſcipulis Domini, quia illi ſoli ſunt Preſbyteri ſecundi ordinis, aut minoris ordinis appellati, vt ibidem ſufficienter deductum eſt. Expreſſius decla-

Paludanus. rat dominus patriarcha Petrus de Palude in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, concluſione tertia. Sed ſecundo modo provt ab Apoſtolis fuerunt miſſi, conſiderantur quoad duplicem actum. Primus eſt ſuper corpus Chriſti verum, quia creduntur multi ex eis fuiſſe ordinati in Preſbyteros, licet in ſcriptura canonica non repeniatur. Secundus actus quoad corpus Chriſti myſticum in quantum ab Apoſtolis receperunt auctoritatem exequendi poteſtatem clauium, & in vtroq; actu ſuccedunt eis curati. ſed in primo tantùm ſacerdotes alii, quia vt dictum eſt in alia poſitione ex S. Thoma, principalis actus ſacerdotii, qui eſt conſecrare ſuper corpus Chriſti verũ, omnibus ſacerdotibus conuenit, ſed ſecundarius actus ſacerdotii, qui eſt Chriſti corpus myſticum non conuenit niſi curatis. Conſiderãdo autẽ eos tertio modo provt quidam fuerunt ex eis facti diaconi, vt Stephanus Archidiaconus, ſic eis ſuccedunt Clerici conſimiliũ nominum, & inferiores Prælati ſeu Clerici, quemadmodum de hoc ſcribunt doctores antiqui multi, ſufficit tamẽ ad præſens, quòd in Cõcilio Chalcedonẽſi ſtatutum eſt, vt aliqui Preſby-

Preſbyteri ordinari poſſint. ſi in martyrio prouiſi fuerint diſt. 70. *Neminem*, vbi dicit glo. quod *martyrium* vocatur, vbi repoſitæ ſunt reliquiæ martyrum, & cõſtat ſatis, quod illi fuiſſent malè illuc limitati, ſi fuiſſent ad prædicãdũ vbiq; obligati. Et ita non ſucceſſerunt 72. niſi in actu principali, qui eſt actus celebratiõis officii ſuper corpus Chriſti verum. *diſt. 70. neminem. c. 1.*

Præmiſſam deductionem latius præſertim in hoc vltimo puncto declaraſſem, niſi infirmitate grauatus fuiſſem, ea tamen quæ tacta ſunt in poſitione dominorum Bohemorum, dixi, quia ex his corrigere poſſunt & debẽt inter multa puncta per dominũ Replicantem hæc duo, primum vbi dixit, quòd non habemus expreſſè in ſcriptura canonica, quòd Chriſtus inſtituerit Petrum ſummum Pontificem Apoſtolorũ. Secundum quòd ibidem dixit in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ non fuiſſe, niſi tantum duos gradus, ſcil. diaconatus, & preſbyteratus. eo quod idem erat in primitiua Eccleſia Sacerdos & Epiſcopus. Et quanquam hæc duo ſunt oſtẽſa, expreſſè eſſe falſa immediatè ſuperius, tamen pro maiori euidentia de 1. ſciendũ, quod Petrus a Chriſto poſitus eſt ſuper Apoſtolos, tanquam Princeps & Prælatus eorum, quod ex ſcriptura canonica patet, vbi Dñs ait Petro, *paſce oues meas*, vbi dicit Chryſoſtomus *Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorũ & vertex collegii, vnde & negatione deleta, committit ei Prælationem fratrum, & negationem quidem ei non exprobrat, ſed dicit, ſi diligis, præſide fratribus.* Idem Chryſ. ſuper Actus Apoſtolorum ait, *Petrus à filio ſuper omnes qui filii ſunt, poteſtatẽ accipit non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo orbe.* Et ita patet, ꝙ ſoli Petro dictum eſt illud verbum, *paſce oues meas*, & ita benè ego addidi literam *ſoli* licet in textu Euãgelii non habeatur, nec addidi, vt verba textus, ſed vt doctores exponere

Duo corrigenda à replicante.

Prius Petrum à Chriſto poſitum ſuper Apoſtolos.

Chryſoſt. in Matt. 16. Ioan. 21. Petrus vertex & os Apoſtolorum, Chryſoſto.

ponere ſolent verba eadem. Ad idem beatus Bernardus ad Eugenium inquit: *quæ ſub te ſunt, quæ ſint illa, ſi quæras, certè orbem exeundum eſt ei, qui fortè vellet explorare, quæ non pertinent ad tuam curam.* Et paulò ante. *itaq; tu & hæres, & orbis hæreditas.* & ſuprà: *Indagemus quis ſis, videlicet quam perſonam in Eccleſia Dei geras. Es enim Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum.* & infra: *tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidam & alii cœli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò differentius vtiq; præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti ſunt, nec modo ouium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium ouium paſtor: Vnde id probare quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Epiſcoporum, ſed Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas. quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regni? oues meas, inquit, cui nō planum non deſignaſſe aliquas, ſed deſignaſſe omnes?* & reliqua quæ ibi ſequuntur. Ad propoſitum.

Bern. 3. conſi.

lib. 2. conſiderationum.

Ad ea, vbi Replicans volens oſtendere propoſitū ſuum, arguit, primò ex canone *in nouo*, diſt. 21. vbi dicit, quòd omnes Apoſtoli fuerunt pares, quia parem honorem & poteſtatem à Domino receperunt. Reſpondeo quod verum eſt de poteſtate ordinis ſacerdotalis primò, & epiſcopalis tandem, quæ non recipit maius & minus. ſed non eſt verum de poteſtate juriſdictionis, vt declaratum eſt etiā nunc, & in mea poſitione ex multis Doctoribus. & per hoc ſunt ſolutæ auctoritates aliæ, quas adducit quia Dominus omnibus ſimul dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* loquitur de poteſtate ordinis. Similiter: *Accipite Spiritum ſanctum.* Sed quia dixit Dominus Replicans, quòd illud, *paſce oues meas*, non fuit dictum ſoli Petro, ſed ſibi in perſona aliorum: In oppoſitum oportet oſten-

diſt. 21. Innouo. c. 2.

de-

dere veritatem. Nam textus ſibi ſoli oſtendit dictum. *dicit Ieſus Petro, Simon Ioannis diligis me plus his? paſce oues meas.* Ioan. 21.
& quòd ſoli Petro dictum ſit illud verbum *paſce oues meas.* & per hoc Petrus ſit conſtitutus ſummus Pontifex totius Eccleſiæ, patet per ſubſequentia: dicit enim ſuper eodem verbo beatus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, *vt membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno, Romanorum Pontifice, à quo noſtrum eſt quærere, quid tenere, & quid credere debeamus; ipſum venerantes, ipſum rogantes pro omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſoluere & ligare, loco illius, qui ipſum ædificat, & nulli alii, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam Domino Ieſu Chriſto obediunt.* hæc ille. ſuper eodem Ioannis vltimo dicit Theophylactus: *finito prandio commiſſionem ouium mundi, Petro commendat, non aliis, vnde dicitur: cum ergò prandidiſſent dicit Simoni Petro Ieſus: Simon diligis me plus his? paſce oues meas; tanquam non eſſet vbi oſtenderet Petrus amorem ſuum Chriſto, niſi eſſet paſtor fidelis ſub principe omnium paſtorum:* hæc ille. Nicolaus de Lyra, *dixit Simoni Petro, volens ei beneficium ſpeciale conferre, Simon Ioannis diligis me plus his? paſce oues meas.* hæc ille. Sanctus Thomas dicit ſic: *paſce oues meas, vt ſic non poſſet dici Chriſtianus, qui dicit, ſe non eſſe ſub cura paſtoris iſtius, ſcilicet Petri, iuxta illud Ezech. 39. Paſtor vnus erat omnium noſtrum: Et Oſee 1. Ponent ſibi caput vnum. Petro autem hoc officium congruè omnibus intermiſſis commiſit, quia ſecundum Chryſoſtomum, eximius Apoſtolorum erat, os Diſcipulorum, & vertex collegii.* hæc ille. Gorra: *Sed quæritur cum alii diſcipuli circumſtarent, qui Dominum diligebant, propter quid à ſolo Petro quæſitum eſt de dilectione: Ratio vna eſt,* inquit, *quia ſibi erat cura gregis ſpecialiter committenda inter alios, ideo ab eo ſpecialiter de dilectione quæritur.* Allegat Chryſoſtomum

Cyrillus.

In Catena S. Thoma.

S. Thom. in 21. c. Ioannis lectura 3.

Ioan. Chryſ in 21. c. Ioan.

S.Tho.con.gẽtes.l.4.c.76. ſtomum, vt iam dictum eſt. Item ſanctus Thomas contra gentiles libro 4.c.76. *quia Dominus corporalem præſentiam Eccleſiæ erat ſubtracturus, oportuit vt alicui committeret, qui loco ſui vniuerſalis Eccleſiæ gereret curã, hinc eſt, quod Petro dixit ante aſcenſionem, paſce oues meas. Ioan. vltimo, & ante paſſionem: Et tu iterum conuerſus confirma fratres tuos Luc.22. & ei ſoli promiſit, Tibi dabo claues regni cælorum Matt.16. vt oſtenderet, quomodo poteſtas Eccleſiæ per eum ad alios eſſet deriuanda ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem.* hæc ille.

Non idem eſſe Epiſcopum & Sacerdotem. Quã reprehenſibile autem ſit ſecũdũ, eo magis debeo enarrare, quo ſperabam replicantem prouidentiorem fuiſſe, dicere enim quòd in Eccleſia primitiua, idem fuerit Epiſcopus & Sacerdos, fuit hæreſis Arianorum, vt dicit B. Auguſt. lib. de hæreſibus c.53. qui Arius, quia deſideratum Epiſcopatum adipiſci nòn potuit, vilipendendo Epiſcopatum, tandẽ dixit Preſbyterum ab epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. vnde dicit S. Thom. 2. 2. q. 184. a.6. ad 1. quod ſecundum nomen olim Preſbyteri & Epiſcopi non ſemper diſtinguebantur, quia ſæpè pro eodem in ſacra ſcriptura ſumuntur. ſed ſecundum rem ſemper fuit inter eos diſtinctio, etiam tẽpore Apoſtolorum. Ad hoc autem quod allegat Apoſtolum & Magiſtrum ſententiarum, reſpondeo quòd Apoſtolus allegat regulã epiſcopalẽ dicẽs 1. Tim.3. *ſi quis deſiderat Epiſcopatum, bonũ opus deſiderat. Oportet Epiſcopũ irreprehenſibilẽ eſſe*, & de Diaconis poſtea loquitur, de Preſbyteris mentionẽ non facit. non ideo factum eſt, ꝙ idem fuerit tunc Preſbyter & Epiſcopus, ſed quia illa doctrina, quam ſoli tradidit Epiſcopo, etiam conuenit & Preſbytero. vnde dicit Chryſoſt. ibidẽ ho. 11. in expoſitione eiuſdẽ textus, ſic diſputãs de Epiſcopis, & deſignans eos, dicens. *quæ quidẽ habere, à quibus autem abſtinere oportet, & ordinẽ Presbyterorũ dimittẽs, ad diaconos tranſiliuit,*

Aug. de hær. c.53.

S.Th.2.2.q.184.a.6.ad 1

1.Tim.3.

Chry.ho.11.in 1.ep.ad Tim. c.3.

ctit. quia vtiq; quoniã non multũ mediũ eſt; etenim hi ſacerdotes miniſteriũ ſuſceperũt, & præſidentiã Eccleſiæ, & quæ de Epiſcopis dixit, hæc & Presbyteris cõueniũt; in throniſatione enim ſola ſuper eos aſcenderũt, & hoc ſolũ videtur ſuperabundare Presbyterũ. hæc Chryſ. ad idem inquit Haymo: *quare tacuit de Presbyteris? ideo, quia in ordinatione epiſcopali comprehenduntur Presbyteri. Omnis enim Epiſcopus Presbyter eſt, & tamẽ non omnis Presbyter Epiſcopus eſt.* hæc ille. & quod nullo modo fuerit mens alia Apoſtoli, quã ꝙ alterius gradus eſſẽt Preſbyteri & Epiſcopi, patet ibid. c. 4. dicẽtẽ. *noli negligere gratiã, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Quem ergò credis hîc Apoſtolum dixiſſe Preſbyterũ. nunquid ſimplicem Sacerdotem? non ita, ſed Presbyterum ibi dixit Epiſcopũ, vnde Chryſ. in expoſitione homi. 3. ibidem, *cum impoſitione manuum Presbyterij. non de Presbyteris, ſed Epiſcopis dixit. non enim Presbyteri Epiſcopum vtique inthroniſabant* hæc ille. Ecce quod ſimplices Presbyteri nõ conuenienter inthroniſaſſẽt, id eſt, cõſecraſſẽt Epiſcopũ. Fuerũt ergò diſtincti ab Epiſcopis Presbyteri, etiã tẽpore Apoſtoli, ſicut & ſuprà dictũ eſt de Patriarchis, Presbyteris, &c. Quod etiã ille allegat Hieronymũ diſt. 95. *olim.* nihil pro eo eſt, quia nõ dicit Hiero. ꝙ non eſſet diſtinctio inter Epiſcopũ & Presbyterũ, etiã quãdo cõmuni cõſilio ſacerdotũ actũ eſt, ꝙ vnus pẽſſet omnibus, quia nihilominus hoc iubente Dño factũ eſt, & nõ minus Epiſcopi ſuper Presbyteros extiterũt. vnde ibidẽ Hier. in ep. ad Euagriũ: *Nam & Alexandriæ Marcus Euangeliſta vſq; ad Heraclam & Dionyſium Presbyteri vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocabant, quem nominabant Epiſcopum, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant ex ſe quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum nuncuparent.* hæc ille. & aſſumitur diſtinct. 93. in capitulo *legimus*. Et dicit ibidem Hiero. ſuper

Inthroniſatiõe, Χειροτονία manuum impoſitione, ordinatione.

Haymo.

1. Tim. 4.

Chry. ibi. ho. 13.

diſt. 95. olim. c. 5.

Hie. ad Euagrium ep. 85. To. 2.

dist.93.legimus.c.23. Iſaiam hom.2. ſuper illo textu. *In die illa erunt quinq; ciuitates in terra Ægypti. Porrò qui ab aduentu Chriſti & Romano* Hieronymus Gloſſ.ordinaria. *imperio prophetiam diſſerunt, quinq; ciuitates vel legem Domini, quæ in Alexandria primum interpretata eſt, vel quinq; Eccleſiæ* Hier. in ep. ad Tit.c.1. *ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, fideles, catechumenos ſentiunt.* hæc ille. Quod autem idem dicit Hieronym. diſt.93. *legimus idem Sacerdotem eſſe & Epiſcopum.* intelligẽdum ſecundum nuncupationem, non ſecundum rem, vt Iſidorus libro 2.c.5. exponit Hugutio & Archidiaconus ibidem. Vnde Iſidorus in libro officiorum de ſtatu clericali, capitulo 9. de Sacerdotibus ſcribit, quòd Moyſes figuram Chriſti in veteri teſtamento gerebat, & verè per omnia Chriſti, quoniam fuit ſimilitudo mediatoris Dei, qui eſt inter Deum & hominem Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Dux populorũ, verus princeps Sacerdotum, & Dominus Pontificum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Aaron ſummus ſacerdos, qui primus in lege Sacerdotale nomen accepit, primus qui pontificali ſtola indutus victimas obtulit. *Et intra. Quo loco contemplari oportet Aaron ſummum Sacerdotem Epiſcopum fuiſſe, & etiam filios eius Presbyterorum figuras præmonſtraſſe. Fuerunt enim filii Aaron & ipſi Sacerdotes, quibus meritò aſtare debuiſſent Leuitæ, ſicut ſummo* Iſid.l. 2.c.7. *Sacerdoti,* hæc ibi, & capitulo ſeptimo dicit: *Presbyterorum ordo exordium aſſumpſit à filiis Aaron, vt dictum eſt, qui enim Sacerdotes vocantur in veteri teſtamento, illi ſunt, qui nunc appellantur Presbyteri, & qui nuncupantur Principes Sacerdotum, nunc Epiſcopi nominantur.* hæc ibidem. Nam Paulus Apoſtolus eoſdem Preſbyteros, vt verè Sacerdotes, ſub nomine Epiſcoporum ita aſſeuerat loquens ad Titum, *huius:* Tit.1. inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates, Presbyteros, quemadmodum ego tibi diſpoſui, ſi quis ſine crimine eſt, oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.*

Digitized by Google

eſſe. Qua ſententia oſtendit etiam Preſbyteros ſub Epiſcoporum nomine taxari. vnde ad Timotheum de ordinatione Epiſcopi & Diaconi ſcribens, de Preſbyteris omninò tacuit, quia eos in Epiſcoporum nomine comprehendit. Secundus enim & penè primo coniunctus eſt gradus, ſicut & ad Philippenſes Epiſcopis & Diaconibus ſcribit, cum vna ciuitas plures Epiſcopos habere non poſſit. Et in Actibus Apoſtolorum Preſbyteros Eccleſiæ, Hieroſolymam iturus congregauit, quibus inter cætera ait. *videte gregem, in quo vos Spiritus ſanctus Epiſcopos ordinauit.* Vnde etiam tales in Eccleſia Presbyteros conſtituendos eſſe, ſicut Epiſcopos, & Apoſtolus ad Titum loquitur, & canones ipſi teſtantur. Ex quo patet, quòd ab initio ſacerdotii legalis, vſq; nunc ſemper fuit diſtinctio Epiſcopi à Presbytero, licet ſæpè eodem vocabulo cenſerentur propter propinquitatem, quam habent in auctoritate, quia Epiſcopus excedit Presbyterum tantum iuriſdictionis dignitate. Ad Magiſtrum ſententiarum in quarto diſt. 24. capitulo penultimo dico, quod nunquam fuit ſuę mentis aſſerere tantum duos gradus fuiſſe in primitiua Eccleſia, ita quod Presbyter & Sacerdos eſſent idem, vt replicans videtur eum intelligere, ſed in eodem capitulo dicit eos diſtinctos, *ipſi enim*, inquit, *in ſingulis ciuitatibus Epiſcopos & Presbyteros ordinauerunt*, ſed loquitur ibi de ſacris ordinibus, dicens, quòd in Eccleſia primitiua tantum iſti duo dicebantur ſacri, ſcilicet diaconatus & Presbyteratus. Subdiaconatum eſſe ordinem ſacrum poſtea Eccleſia inſtituit, vbi dicit ſanctus Thomas, quòd licet omnes ordines ſint ſacri, ſpecialiter tamen iſti duo dicuntur ordines ſacri, quia iſti duo dicuntur ordines ſacri, quia iſti duo habent actum ſuper ipſum ſacramentum. Subdiaconus verò ſuper vaſa tantùm. Ex iſto patet, quòd malè

Act. 20.

Ad magiſtrũ ſententiarum

Non eſt vera hæc ſententia.

Digitized by Google

reſpondit Replicans, dum de diſtinctione ſtatus Hierarchici in lege æterna diſtincti ſub Hierarchia triplici, dicit *ſic dico, prout ex præhabitis patet, iſta ſimilitudo patitur inſtantiam, cum Eccleſia militans ſolos duos gradus habebat, vt dicit, Magiſter in quarto. Item cum idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus, vt dicit Hieron. Et quando in locum 72. diſcipulorum ſuccreuerunt minores Sacerdotes.* hæc ille.

Et quia iſtam materiam continuando magis eluceſceet veritas. Ideò notandum, quòd quia ego dixi ex parabola Euangelica: per duos in agro, Prælatos, per duos in lecto, Religioſos, per duos in mola, ſeculares intelligendos. Ipſe dicit hanc expoſitionem ſecundum alios non eſſe de mente Chriſti. Sed per duos in agro intelligi ſtatum dominorum ſæcularium, per duos in lecto ſpirituales, vt eſt Clerus Chriſti, in mola, fideles Laicos, videtur etiam contra religioſos inuehere, vbi dixi, quod ad lectum pertinet, qui in clauſtris vacat, dicit enim Paulum in lecto contemplationis quieuiſſe, & tamen diſcurrendo mundum conuertiſſe, & *vtinam omnes,* inquit, *Religioſi facerent, & liberè prædicarent.* Circa quod inprimis notandum, quod ipſe nullum allegat Doctorem, ſed in genere dicit, *ſecundum alios*, & quicunq; ſint illi, non eſt adæquata comparatio. Sed B. Auguſt. qui multo melius nouit mentem Chriſti, quã quicunq; alii innominabiles nouelli, ſententiam meam approbat, dicens in expoſitiõe *Pſa.* 132. de tribus enim ipſis generibus dictũ eſt: *duo in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur, duo in lecto, & duo in mola, alter aſſumetur, alter relinquetur.* quam auctoritatem vt perfectius intelligatis, & perſequi Religioſos deſiſtatis, audite quid præmittit beatus Auguſtinus ſuper Pſalmo: *Ecce quam bonum*, dicens, *hæc primum conſideremus, vtrum de omnibus Chriſtianis dictum ſit, ecce quam bonum & quam iucundũ*

In Pſalm. 132. *Aug.*

habi-

habitare fratres in vnum. An aliqui ſunt certi atq; perfecti, qui habitant in vnum, nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros. Iſta enim verba Pſalterii, iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monaſteria peperit. ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare concupierunt in vnum Iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnum. & infra. *vnde illi 120. qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini & aſcenſionem eius in cælum, & ipſi primum habitauerunt in vnum. ipſi primum audierunt, ſed non ſoli audierunt. venit enim ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo, Vouetur enim aliquid Deo, vt dictum eſt, vouete & reddite Domino Deo veſtro.* & infra. *ex voce huius Pſalmi appellati ſunt & Monachi, ne quis vobis de iſto nomine inſultet Catholicis.* & infra. *veruntamen chariſſimi ſunt & Monachi, qui falſi ſunt, & nos nouimus tales, ſed nō perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod nō ſunt. tam ſunt enim Monachi falſi, quàm Clerici falſi, & fideles falſi, omnia iſta tria genera, quæ aliquādo vobis cōmēdauim⁹, habēt bonos ſuos, habēt malos ſuos. De iſtis dictū eſt, duo in agro, duo in lecto; in agro ſunt, qui gubernant Eccleſiam, in lecto autem eos intelligi voluit, qui amauerunt quietem, non miſcentes ſe turbis, non tumultui generis humani, in otio ſeruiētes Deo, & tamen inde vnus aſſumetur, alter relinquitur, &c.* hæc ibi. Idē perfectius dicit libro 2. quæſt. ſuper Euangelia quæſtione 44. dicens: *tria hominum genera hæc videntur ſignificari. vnum eorum, qui in agro quaſi erant, qui ſunt Prælati, qui præſidendo laborant. Alterum eorum: qui otium & quietem eligunt, neq; negotiis Eccleſiaſticis ſunt occupati, quæ illorū quies, latino nomine ſignata eſt. Alterū eorū qui in plebibus conſtituti, regūtur à Doctoribus agētes ea, quæ ſunt huius ſeculi, quos & fœminarū nomine ſignauit, quia conſilio, vt dixi, præpoſitorum regi eas expedit, & molētes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atq; circuitū, quas tamen in vnum molentes dixit, in quantum de ipſis rebus & negotiis ſuis*

Aug. l. 2. ſuper Euangelia q. 44.

Supra in probatione articuli per legem æternam, conſideratione 3.

præ-

prębent vſibus Eccleſię. Tertium eorum qui operantur in Eccleſię miniſterio, tanquam agro Dei. In his ergò tribus generibus bina ſunt rurſus genera hominum, hi in ſingulis, & pro robore viarum ſuarum diſcernuntur, cum enim omnes ad Eccleſię membra pertinere videantur, adueniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui ſunt in negotiis ſęculi, & ex illis, qui Deo miniſtrant in Eccleſia, & ex aliis in clauſtro, aliqui manent, aliqui cadunt, qui permanet aſſumetur, & alius relinquetur; non quaſi de hominibus dictum eſt, ſed de duobus generibus affectionum in ſingulis generibus trium profeſſionum. hæc ille. Ecce quod ſanctus Pater ille non ponit laicos in agro, quaſi primum locum teneant in Eccleſia Dei, ſed in molendino, quia ſtatus infimus eſt Eccleſiaſticæ hierarchiæ, nec ponit clericos in lecto, ſed religioſos, & ſic de ſingulis. Ad idem in eodem libro capitulo 44. dicit concordando, ſcilicet pſalterium cum cithara, id eſt, legem veterem cum noua. *Ad illa*, inquit, *tria genera, quæ aſſumentur, arbitror etiam pertinere illa tria nomina virorum iuſtorum, quos ſolos liberandos Ezechiel Propheta pronunciat, Noe, Iob, & Daniel. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Eccleſia regitur, ſicut per illum in aquis arca gubernata eſt, quæ figuram geſtabat Eccleſię. Daniel autem, quia elegit cælibem vitam, id eſt, nuptias terrenas contempſit, vt ſicut dicit Apoſtolus, ſine ſollicitudine viueret, cogitans, quæ ſunt Dei, genus eorum ſignificat, qui ſunt & in otio, ſed fortiſſimi tamen in tentationibus, vt poßint aſſumi. Iob autem, quia & vxorem habuit, & filios, & amplas terrenarum rerum copias. Ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum eſt; ſed tamen, vt ſint fortißimi in tentationibus, vt ille fuit; non enim aliter aſſumi poterunt: nec puto alia eſſe genera hominum, quibus conſtet Eccleſia quàm iſta tria, habentia binas differentias propter aſſumptionem & relictionem, quamuis in ſingulis multæ ſtudiorum voluntatumq; diuerſitates, ad concordiam tamen, vnitatemq; concurrentes.*

Ibidem c. 44.

1. Cor. 7.

runtes poſſunt inueniri. hæc Auguſtinus. Concordat beatus Gregorius. de diſtinctione aſſumendorum & liberandorum in Eccleſia, & ordinum diſtinctione, libro trigeſimo primo Moralium,& concordat cum tribus viris Ezechielis iam nominatis, libro primo Moralium, vbi tractat iſtum textum: *Nati ſunt Iob 7. filii,&c.* Et quia licet dominus Replicans in ſcriptis non dederit, ſic tamen recolo de mendicantibus dixit, quòd illi fratres in lecto nō vacarent, eo quòd mendicando diſcurrerent. Reſpondeo, quòd hoc argumentum eſt voluntarium, non charitatiuum. Nam & Chriſtus cum Apoſtolis & diſcipulis ad lectum contemplationis attinebant, quia omnem perfectionis ſtatum exercebant, & tamen per mundum diſcurrebant, nunc prædicando, nunc mendicando, ſecundum quod Deo fuit placitum. Item non ſequitur Religioſi non ſunt ſemper in clauſtro, ibi continuè contemplando, dico, quod ſufficit, quod illuc pertineant ad votum Prælati exeuntes, redeant. Sic enim dicitur, quòd Epiſcopus tenetur Eccleſiam ſuam ſine intermiſſione docere, 7. quæ. 1. vbi dicit Archidiaconus ſuper verbo *ſine intermiſſione,* quòd aliquid benè dicitur fieri ſine intermiſſione, licet medius actus interueniat, vt ff. de verb. oblig. *continuus.* vnde ſi teſtator 10. legauerit vxori ſuæ, ſi cum filio moraretur continua mora, non requiritur, vt per ſingula momēta cum eo moretur de cond. & demon. l. *ſi quis ita.* Ad hæc extra *Rex pacificus*, in principio, *quotidie.* ibi exponitur quotidiè, id eſt, aſſiduè. vnde dicit, *argumentum eſt ex his, quod hoc teſtimonium valet: ſemper iſte exercuit ibi ſpiritualia vel quotidie, & tamen quandoq; fuit abſens. Sicut cauſſa ſtillicidii perpetua eſt, & tamen non cadit ſemper. ff. de ver. ſign. prædiorum foramen, extra de cle. non reſident: ex parte ſecundum Vincentium.* hæc ibi. & in capitulo peruenit, 7. q. 1. dicit

Gregor. 32. morali. c. 19.

Greg. 1. moral. c. 12.

Sine intermiſſione non continuam morā ſignificat.

7. q. 1. ſicut vir. c. 11.

7. q. 1. peruenit. c. 20.

Digitized by Google

cit quod verbum *reſidens* non eſt amarè intelligendum, ita vt nunquam inde diſcedat, & quod ſemper vigilet. ff. de edict. lib. de ed. *ſi quid venditor*. Sicut ergò hi dicuntur reſidere & docere, licet aliquãdo abſint, ita Religioſi ſemper cenſentur eſſe in clauſtris, & in lecto contemplationis, licet aliquando alia faciant. Ad hoc autem quod in ſcriptis mihi tradidit, dicens: *Quod autẽ dicit: Religioſi vacant in clauſtris, videtur in oppoſitũ venire Paulus, qui quamuis fuerit in lecto contemplationis nõ tamen in clauſtris vacabat, ſed per mundũ diſcurrẽs gerebat ſollicitudinẽ omnium Eccleſiarũ*, & infra. *vtinam verè Religioſi habiles & idonei à vacatione in clauſtris exirent, & verbũ Dei liberè annunciarent, cum meſſis quidem multa, operarij autem pauci*. reſpondeo, quòd Paulus non debuit ſtare in clauſtro quietis; quia ad hoc fuit à domino electus, & publicè vocatus, miraculorum gratia dotatus, vt portaret nomẽ Dñi corã gentibus, & regibus, & certè ſi ita eſſẽt vocati religioſi ſinguli, meritò exirẽt prædicare verbũ Dei. ſed quia iuxta dictamen multorum Religioſorũ, melius vobis eſſet Dñe Vlrice, clauſtra alicuius arctæ religionis intrare quàm in ſæculo perdurare, & contra præceptum Dei & Apoſtolorũ, praxin vniuerſalis Eccleſiæ, ſine licentia, cõtra prohibitionẽ ſuperiorũ prædicare, ibiq; in pane arcto, & aqua breui præterita peccata deplãgere, & plãgenda iterum non cõmittere: ideo opto & ego quatenus relictis omnibus religionẽ ingredi velitis, vt ſpectaculum Dei mũdo & Angelis exiſtatis.

Act. 9.

Quantũ ad tertiũ notabile ſuper verbo, *debet*, poſuit differentiã inter præceptũ & conſilium, quia dixit li, *debet*, capiendũ præceptiuè, vbi dum ego impugnaſſem deſcriptionem ſuã conſilii, quod eſſet doctrina ſpecialis, obligans ſub pœna peccati venialis, oſtendi multipliciter, ꝙ cõſilia Euangelica, vt cõſilia ſunt, nullũ obligãt ſub pœna

cuius-

Digitized by Google

cuiuſcunque peccati, quibus replicãs, ſi mẽtem docilẽ adhibuiſſet, contẽtari debuiſſet. pro vlteriori tamen eius informatione ſciendũ, quòd ſecundùm Doctores cõmuniter ſcribẽtes, circa diſt. 47. primi ſententiarum, duplex eſt Dei voluntas, ſcil. ſigni & beneplaciti. voluntas beneplaciti reſpicit præcepta. ſigni quãdoq; præcepta, quãdoq; conſilia, vtraq; tamẽ volũtas reſpicit bonũ, per modũ cõplacentiæ, hoc modo, ſcil. q; volũtas Dei antecedens ſigni, q̃ eſt voluntas conſilij, differẽti ratione reſpicit ad bonũ cũ voluntate Dei antecedente, quæ eſt præcepti, quarũ tamẽ vtraq; reſpicit bonũ per modum cõplacentiæ. Voluntas antecedens ſigni, quæ eſt conſilii, reſpicit ſic bonum per modum complacentiæ, ita tamen, quod oppoſitum non diſplicet. hinc ſecundum Bonauenturam conſilium, quod eſt bonum ſupererogatum, non habet malum directè oppoſitum. Et hinc eſt, quòd conſilium non habet ſignũ oppoſitum, ſicut habet præceptum, non enim eſt reperire, quod habeat ſe per modum diſplicentiæ, ita quod oppoſitum diſpliceat. hinc ſecũdũ Doctores communiter ponitur donũ Spiritus, quod eſt donũ conſilii, donũ regitiuum in his, ad quæ non tenemur. In his, ad quæ tenemur, non oportet conſiliari. hinc Dñs Bonauentura in ſuo Breuiloquio ponit duplicem rectitudinẽ in faciendo bonũ, ſcil. neceſſitatis & pfectionis, quæ eſt in ſupererogando vltra debitũ. illud etiam expreſsè declarat S. Tho. 1. 2. q. 108. art. 4. dicens, q; hæc eſt differentia inter præceptum & conſilium, quod præceptum importat neceſſitatem. Conſilium autem eſt in optione, & eſt de his per quæ melius & expeditius poteſt homo conſequi finẽ ſuum, qui eſt beatitudo æterna. Et in ſumma contra gentiles, libro tertio, capitulo 130. dicit, quod conſilia dicuntur diuinæ legis admonitiones, non præcepta, in quantum ſuadent

Duplex Dei voluntas, ſigni & beneplaciti.

De præcepto & conſilio.

Bonauentura in Breuiloquio. c. 9.

S. Th. 1. 2. q. 108. a. 4.

Tho. cont. Gẽtiles lib. 3. ca. 130.

homini, vt propter meliora minus bona prætermittat. Ad quod poteſt adduci iſta manuductio palpabilis. Nam cum ſit quædam politia inter Deum & hominem, dicente Propheta: *Nos autẽ populus eius, & oues paſcuæ eius*. Sicut in politia humana, quæ eſt ad diuina exemplificata, videtis eſſe aliquas leges exterminatiuas, ſub pœna capitis aut mortis, quæ capitales aut mortales nominantur, quæ ſanciuntur proprio vocabuli nomine præcepti. Alias videtis eſſe minores, ſub pœna minori, ſcilicet, quæ non eſt exterminatiua, quæ dicitur pœna ciuilis, & poſſunt nominari huiuſmodi leges ordinationes ſiue mandata. Et tertio quaſdam conſultationes, quibus contrahuntur, qui ſunt de politia ad faciendum, ſi libeat, opus excellentiæ, quod ſi velint & fecerint, præmiabuntur glorioſè: Si autem non fecerint, nullo modo puniuntur, neq; illa nõ factio eis aliquo modo imputabitur ad pœnam quamcũque. clarumque iſtud, habenti oculum conſiderationis apertum. Sic in propoſito non repugnat, immò rationabiliſſimè juxta prædicta ponuntur in lege diuina, leges Dei præceptiuæ, vt ſunt præcepta, contra quæ eſt ſolum peccatum mortale, inducens mortem æternam. & hic eſt modus communis loquendi Doctorum, Thomæ, Bonauenturæ, Alexandri de Halis, & aliorum, qui dicunt, veniale non obuiare diuino præcepto, ſicut non dicitur, etiam veniale fieri contra conſcientiam, ſed præter præceptum, & præter conſcientiam. Aliæ autem dici poſſunt leges per quas à nobis exigit Deus, ſi volumus vitare reatum pœnæ, non tantum æternæ, ſed etiam offenſam Dei quamlibet, aut non retardari à vita æterna, aut temporaliter non puniri, ita quod exorbitatio ab hac latitudine legum, conſtituit peccatum veniale tantum, & poſſunt vocari huiuſmodi leges, mandata, ſtatuta, ſeu ordinati-

Pſal. 94.
Gerſon de vita ſpirituali, 2.5.

nati-

Digitized by Google

mationes, quibus ratio trahitur ad hoc, vt ſit peruigil, vt nec venialibus diſrumpatur, vel à venialibus inficiatur: & ſic ad mortale diſponatur. Et tertio modo præter huiuſmodi ponitur conſilium, quod ſi quis adimplet, accumulat ſibi præmium. Si autem non adimpleret, dummodo aliunde non declinaret, nullam pœnam incurreret. Et iſto modo dicit Magiſter Ioan. Gerſon in tractatu ſuo de ſeptem lectionibus, quòd inter præceptum & conſilium eſt dare medium propriè loquendo, in iſta materia, quod patet ex dictis clariſſimè. Dico ergò ſecurè, quòd nullus obligatur ad conſiliorum obſeruantiam, niſi qui vouit ea, & qui vouit, tenetur adimplere. Etiam alia conſilia, quæ non vouit, non tenetur ſub quacunq; pœna, ſed tantum illa, quæ eſt regulę, & ſtatutis illorum annexa, vt patet per beatum Thom. 2.2.q.186. articulo 2. qui quærit ex intentione, vtrum Religioſi teneantur ad omnia cõſilia, & probat concluſionem quam tenet, ſcilicet quod non eſt, & arguit ſic: *Ad ea quæ ſunt ſupererogationis, non tenetur aliquis, niſi ex propria obligatione. Sed non quilibet Religioſus obligat ſe ad omnia, ſed ad aliqua determinata, quidã ad hoc, quidam ad alia, non ergò omnes tenentur ad omnia.* Et ad tertium argumẽtum dicit, quòd quædam conſilia ſunt, quæ ſi prætermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiationibus ſecularibus, puta ſi aliquis haberet proprium, vel matrimonio vteretur, aut aliquid huiuſmodi faceret, quod pertinet ad eſſentialia religionis vota. Et ideò ad omnia illa conſilia obſeruanda Religioſi tenentur Sunt autem quædam alia conſilia de quibuſdam particularibus moralibus actibus, quæ prætermitti poſſunt, abſque hoc, quod vita hominis ſecularibus actibus impleatur. vnde non oportet, quod ad omnia talia Religioſi teneantur. hæc ibi. Et ad huius confirmationem ego ad-

Gerſon de vita ſpirituali lectione 5.

Tho. 2.2.q. 186.a.2.

Digitized by Google

14.q.1. Quod debet. c. 2. Aug. l. 19. cō. Fauſtum c. 25

duxi auctoritates, ſancti Auguſtini 14. q. 1. *quod debetur*. Archidiaconi, Hugonis, S. Thomæ, ad quas nihil mihi reſpondit. Item multas rationes, ſcil. de effectibus peccati venialis. & quod peccatum veniale non dimittitur, donec actu & voluntate deſeratur, & ſi conſilia non ſeruare eſſet peccatum veniale, vel pœna peccati venialis, nunquam eſſet homo ſine peccato veniali, niſi actu ac voluntate inciperet ſeruare conſilia, nihil reſpondit, & benè fecit, quia conſentire debet. Ad aliqua reſpondit, ſed nihil ſoluit.

Et primò, ad hoc quod conſilium de dilectione inimicorum vocaui conſilium, dicit quod Saluator mandatum illud vocauit minimum, dixi pro tunc, q̃ aliquo modo eſt præceptũ, ſci. quoad affectũ, alio modo eſt conſiliũ, ſci. quoad effectũ: arguit cõtra; quod etiã eſt pręceptũ in caſu neceſſitatis, tame morientem paſcere etiam ſi ſit inimicus. Non eſt contra me, quia conſilium in caſu neceſſitatis poteſt eſſe præceptum. Ego non loquor hoc modo in propoſito, & notum eſt non proteruienti.

Ad aliud, vbi argui, quòd ſi non obſeruantia conſiliorũ induceret pœnã venialis peccati, homines ignorãter incurrerent magnam retardationem à vita beata, quia tot pœnas venialium adducerẽt, cum pœnitentiarii hic nullã pœnã iniungerẽt, vt homines de hoc pœniterent, q̃ conſilia non ſeruãt. Reſpondit, *non ſequitur, nam peccata diuerſis modis dimittuntur in præſenti vita*. Ego autem dixi, quòd peccata venialia nunquã dimittuntur in præſenti vita, niſi actu & voluntate deſerantur; ſed communitas omniũ hominũ ferè nunquã actu proponit, velle ſeruare cõſilia. Ergò illa non obſeruantia conſiliorũ nunquã dimittitur eis in præſẽti vita. Sed ſecundum vos tali non obſeruantiæ correſpondet pœna peccati venialis, ergò illa pœna nunquã dimittitur in præſenti vita, ſed reſeruatur ad purgatorium.

Ad

Digitized by Google

Ad aliud, negat mihi illam: *Illud quod eſt in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad pœnam*, quia dicit, *mandata Dei ſunt in pura voluntate hominis, & tamen hoīnē obligant.* Ego & quilibet beneuolus, non omninò obtuſus, cōcipere poteſt, accipiendo illud *eſſe in pura voluntate hominis*, quod ſi fiat, bene facit, ſi non, nulla pœna incurritur: ſic dicunt Doctores eſſe conſilia in pura hominis voluntate, ita quod ſi ea fecerit, præmium acquiret. Si non, pœnam nullam incurrit. Ipſe autem æquiuocando trahit ad hoc, quod ſtet in libertate hominis abſolutè facere vel non facere. Dico ergò quòd præcepta aliter ſunt in hominis libertate, quia ita proponit Deus homini præcepta vt eligat vitam ſi fecerit ea, vel mortem, ſi non fecerit. Non ſic eſt de conſiliis, vt dictum eſt. Ergò tales euaſiones in materia fidei adducere dignum eſt reprehenſione, &c.

VLtimo reſpondit ad illud, vbi argui, *nemo obligatur ad conſiliorum obſeruantiam ſub quacunq; pœna, niſi qui vouit eam*: dicit quod hoc non eſt verum, quia Apoſtoli obligantur ad conſiliorum Chriſti obſeruantiam, nec tamen vouerunt conſilia obſeruare eo modo, quo fratres mendicantes. Reſpondeo, quòd quomodo profeſſi ſint Apoſtoli, neſcio, niſi vt veri mendicantes, & omnium mendicantium Patres & prædeceſſores. vbi dico, quòd diſtinguendū primum, q̄ Apoſtoli fuerunt mendicantes, & hoc quia tanta paupertas fuit eis præcepta, q̄ ſine pera & aliis incederēt, præſertim poſt Chriſti aſcēſiōem in prædicationis officio diſcurrēdo inter æmulos, & planū eſt q̄ imperioſè nō poterāt præcipere, vt darētur eis neceſſaria, ergò tunc ſalcē æſtimo, q̄ neceſſaria victus humiliter mendicabāt. Vnde ad idem multa alia adducit Aug. de Ancona, de Eccl. poteſtate q. 89. a. 4. vnde Theoph. Lu. 10. ſuper illo verbo

Aug. de Ancona de poteſtate Eccleſi. q. 89. a. 4.

Digitized by Google

Theoph. in 10. cap. Lucæ.

verbo: *In eadem domo manete edentes quæ apud eos ſunt*, dicit, *vide ergò qualiter diſcipulos mendicare inſtituit, & pro precio nos habere nutrimentum voluit*, imò dicit, *adeò mendicos mittit, quod neque peram ipſos vult portare, neq; aliquid quibus indigerent*, ſecundum quod Apoſtoli voto ſe ad Religionis cõſilia quædam aſtrinxerunt. dicit enim beatus Auguſtinus de ciuitate Dei, *dixerant potentes illi ſcilicet Apoſtoli, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis? hoc votum potentiſſimi vouerant; ſed vnde hoc eis vouent, niſi ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: Dans votum vouenti.* hæc ille. Idem beatus Hieronymus contra Iouinianum, dicit Apoſtolos vouiſſe perpetuam continentiam, eo q; Dominus meus eis diceret: *Amen dico vobis, quicunq; domũ aut agrum, aut vxorem, &c.* dicit etiam de voto Apoſtolorum clarius, Auguſtinus de Ancona q. 90. articulo 4. & q. 84. art. 1.

Aug. de ciuit. Dei l. 17. c. 4

Hier. con. Iouinian. ep. 50. ad Pammach. c. 8. & l. 15. in Eſa. c. 56.

Aug. de Ancona de eccle. poteſt. q. 90. ar. 4.

Reſtat nunc reſpondere ad ſophiſmata, quæ pro ſe induxit. Ad Armachanum dico, quòd in nullo obligat ad ſibi credendum, quia ſuſpectus eſt in multis dictis ſuis. Dico ſecundò, quòd ipſe loquitur ſatis cautè, quia dicit, quòd diſcipuli Domini non poterant transgredi conſilia Chriſti ſine veniali delicto. De aliis dicit, *Sancti Patres nõ ſanxerunt, vt ſemper ſeruarentur conſilia in facto, ſed in promptu animo, vt cum expedire videbitur, ſeruetur in facto.* Et Armachanus ſecundò adducit ſanctum Thomam, de quo miror cum nihil faciat ad propoſitum, nec loquitur ibi verbum de conſiliis. Tunc facit rationes quatuor: prima eſt hæc: *omne conſilium Chriſti obſeruatum affert præmium, non obſeruatum, affert damnum.* Probat per ſanctum Thomam 4. de veritate ſacræ Theologiæ, libro quarto dicente: *Conſilium affert præmium, non ſeruatum verò adducit ſupplicium.* Reſpondeo negando conſequentiam, ad obligationem

Argumenta aduerſarii 4.

In comp. Theolo. l. 5. c. 68.

tionem

tionem dico quod liber nō eſt Sancti Thomæ, ſed vt creditur Vlrici de Argentina, & notate quæſo, quàm periculosè iſte allegat Doctores, quia omnino non habetur ibi, quod iſte dicit, ſic: *conſilium obſeruatū præmium affert, præceptum ſi non ſeruatur, adducit ſupplicium.* hæc ille. Alibi ſic: *Conſilium ſeruatum affert præmium, non ſeruatum non affert ſupplicium.* & ſic eſt pro me.

Secundo ſic arguit: *omne illud quod obligat ad reddendū rationem in die iudicii, obligat ſub aliqua pœna: Sed aliquod conſilium Chriſti eſt huiuſmodi.* puta conſilium de compeſcentia verborum ocioſorum, vt dicit, quod ſanctus Thomas in libro prædicto c. 70. dicit, illud eſſe conſilium, dicens ſic, quod 7. conſiliū eſt compeſcentia verborū ocioſorū. Dico quòd compeſcentia verborum ocioſorum non eſt conſilium, nec eſt præceptum, ſed eſt mandatum, cuius transgreſſio eſt peccatum veniale, ſicuti præcepti transgreſſio eſt peccatum mortale. Ad auctoritatem dico, ꝙ iterum malè imponit. Non enim dicit Doctor, ſeptimū conſilium eſſe illam compeſcentiam verborum ocioſorum. Sed dicit ſic: *Septimum conſilium eſt de ſimplicitate verborum*, vt ibi, *ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non*; cuius ſenſus eſt, ſi affirmatio vel negatio eſt in ore, ſit etiam in corde, & loquitur conſequenter de non iurare omninò. & nō dicit verbum de compeſcentia illa. Et ſupra modum miror, quod audetis ita libros fallè allegare, peruertere, & truncare. vtiq; falſarius monetæ comburendus eſt, multò magis falſarius ſacræ ſcripturæ; ſed vos habetis ſaluum conductum, & ſic proficiat vobis. 2.

Tertio arguit ſic: Quidquid eſt Chriſtiano pura iuſtitia ſeruandum eſt ſub aliqua pœna: Sed conſilia ſunt huiuſmodi, igitur, &c. Negò Minorem, quia pura iuſtitia dicit debitum, quod rigor juſtitiæ requirit ſub ali- 3.

Digitized by Google

qua pœna. ſed conſilia vt conſilia ſunt, à Chriſto non ſũt ſic de rigore iuſtitiæ promulgata, quod ſi Chriſtianus ea non ſeruauerit, aliquam pœnam incurrat, vt dictum eſt, & quando probat, dicens, q; Chriſtus non poteſt niſi purã juſtitiam conſulere Chriſtiano, nego illam: nam Chriſtus & de facto conſuluit opera ſupererogationis, & illa non ſunt puræ iuſtitiæ, vt dictum eſt, ergo, &c.

Quarto arguit ſic: Omnis Chriſtianus debet Deo amplius ſeruire atq; perfectius, quàm facit de facto, & poteſt conſulere perfectius ſeruitium. ergò, &c. Diſtinguo Maiorem, quia eſt duplex debitum, ſcil. neceſſitatis, & ſupererogationis. Loquendo de debito neceſſitatis, quod obligat ipſum ad culpam, ego nego, quia debito neceſſitatis multi facerent tantum, quantum obligantur; debito perfectionis nemo aſtringitur, niſi qui voto obligatur. vnde dicit ſanctus Thomas 2. 2. q. 186. articulo ſecundo ad 2. *Sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, eſt tamen aliqua perfectionis totalitas, quæ ſine peccato prætermitti non poteſt aliqua autem quæ ſine peccato prætermittitur, dum tamen deſit cõtemptus. Ita etiam omnes tam Religioſi quàm ſeculares tenentur aliqualiter facere, quidquid operari boni poſſunt; omnibus enim communiter dicitur Eccleſiaſtici decimo nono, quidquid poteſt manus tua, inſtanter operare. Eſt tamen aliquis modus huius præcepti implendi quo peccatum vitatur, ſi ſcilicet homo faciat quod poteſt, ſecundum quod requirit conditio ſui ſtatus, dummodo contemptus nõ aſſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra profectum ſpiritualem.* hæc ille.

Thom. 2.2.q. 186. ar. 2. ad 2.

Eccl. 9.

Et quia concluſionem meam principalem probaui ſecundum formam iudicis condicti, ipſe Replicans volens apparere, quaſi aliquid corraſerit circa meas auctoritates, quarum nullam reputo ſolutam: 1. ſic argui ex lege æterna, probando per tria inconuenientia, quæ ſequerentur

ex

ex deordinatione illa, qua quilibet Sacerdos vel diaconus prædicaret. *P*rimum erat, quia perturbarent hierarchicum ordinem tam diuinitus regulatũ, quia nec de primo gradu illuminatorũ, ſcil. Papæ, nec de 2. qui ſunt Epiſcopi, nec de 3. qui ſunt plebani exiſtentes, officiũ cuiuſlibet vſurparent. 3. fuit, ꝙ ſi liceret eis vbiq; prædicare, eadem ratione & confeſſiões audire, Sacramẽta miniſtrare, quẽlibet Epiſcopũ vbiq; conſecrare, & ſic nulla eſt iuriſdictio in Eccleſia. Ad has nihil reſpondit, & ideò ſtant in ſuo robore. 2. fuit hæc, quia tales volentes vbiq; prædicare, cauſarent turbationem ſi venirent ſimul tres, quatuor, vel duodecim ad eandem Eccleſiam, quilibet vellet prædicare, nullus vellet alteri cedere. Reſpondit, ꝙ adhuc nõ vidit horrorẽ, ſed hæc non ſoluunt, quia non argui, quid vos videritis, vel non videritis, ſed quod ita fieri ſit poſſibile. Et dicit aduerſarius, ſi 6. vel 8. fratres de ordine mendicantium poſſunt ſe compati in caſu ſimili. cur non Sacerdotes Domini? Reſpondeo id quod ideò primi ſe cõpatiuntur, & non ſecundi, quia Religioſi non dicunt nec credunt, ſe obligari ad prædicandum ex præcepto Domini. Et inſuper nullo modo prædicare attentant ſine beneuolo conſenſu *P*rælati & etiam plebani. Sed 3. quia ipſi habent ordinem in prædicando, diſtribuendo dies, & vna deputatur *P*rædicatoribus, alia Minoribus, alia Auguſtinenſibus, & cæteris. Tales autem rationes non ſunt inter *P*reſbyteros & Diacones ac Clericos illos, quia illi dicerẽt ſe ex præcepto Chriſti prædicare debere, nec obediret ꝓhibenti, cum magis oporteat Deo quàm hominibus placere.

Sup. prob. art. 1. conſider. 4.

Supra ibidem arg. 3.

Reprobaui per Hieremiam, qui erat Sacerdos in vtero matris ſanctificatus, & tamen mandatus à Domino, adhuc ſe excuſauit. Reſpondit aduerſarius, dicens, *nihil aliud*

Sup. prob. artic. ſecunda.

deo, niſi quod cum magno timore debeat ſacerdos officium prædicationis à Deo etiam oblatum, acceptare. Sed hoc non ſoluit argumentum meum, quia non argui juxta veſtrum videre, ſed quid videre debeatis, oſtendi vobis, per illud, quod ibi vobis dicit ſanctus Thomas de omnibus Preſbyteris & aliis. *non miſſi non ſunt audiendi propter præſumptã auctoritatem.* Ad hoc nihil reſpondet.

Suprà 3. probatione articuli. Matt. 9. Luc. 10. diſt. 21. in nouo. c. 2.

Tertiò argui ex lege Euangelica. poſtquam Saluator miſit diſcipulos, ait illis: *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios.* vbi dixi ex Archidiacono, quòd ideò vult rogari, vt oſtendat, quòd omnis prædicans à ſuperiori ſuam debet admiſſionem accipere. *In nouo.* diſt. 21. Reſpondet ad hoc, *ſuperius ſatis eſt dictum.* Rogo vbi? non reperio ſuperius nec inferius ſatis eſſe dictum, per quod ſolutum ſit tam fundamentale argumentum.

Supra ibidem arg. 1.

Quartò argui de Ioanne Baptiſta Sacerdote ſanctiſſimo, qui non prædicat, niſi de nouo auctorizatus, dũ factum eſt verbum Dei ſuper eum in deſerto, dicit, *verum eſt, nullus debet ſe ingerere, niſi miſſus à Deo per internam inſpirationem, vel per hominis auctorizationem.* Quæro à vobis, an vos ſitis miſſi aliquo iſtorum modorum? nõ ſecundo modo, quia non oſtenditis per canonica monumenta, nec primo modo, quia non apportatis diuini inſtinctus ſigna, quæ expreſſi per longum proceſſum ſuperius. ergò, &c. Iterum ex reſponſo argui ſic: Nullus ad prædicandum debet ſe ingerere, niſi miſſus à Deo, per internam inſpirationem, vel per hominis auctorizationem; ſed multi diaconi & Preſbyteri ſunt, qui non mittuntur, & fortè nunquam mittentur, nec vos ipſi, per Dei inſpirationem aut hominis auctorizationem. Ergò talibus nunquam licebit ſe ingerere ad prædicandum. tamen eſt eis præceptum à Domino ſecundum vos, ergò tales non faciendo

Digitized by Google

do præceptum Domini damnabuntur. conformiter ſecundum vos, Sacerdotes & Diaconi debent prædicare, quia eſt præceptum Domini, & quia illam poteſtatem acceperunt in ſua conſecratione, ergò ad hoc, quod prædicent, nec indigent diuina inſpiratione, nec hominis auctorizatione. Ergò defeciſtis in iſta reſponſione.

Quintò argui ex ſcriptura canonica, prima Tim. 2. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* dicit. *concedo, quòd prædicatio commendanda eſt his, qui idonei ſunt, nec alias eſſent ad Sacerdotium admittendi.* Dico quod argumentum meum non eſt ſolutum, quia multi admittuntur ad Sacerdotium ritè & legitimè, qui non ſunt apti ad prædicandum, ſcilicet in his tribus, vita, ſcientia, & facundia. Vitam omnes debent habere bonam. Quo ad ſcientiam declarat diffuſè, quia multi ſancti Patres Sacerdotes fuerunt, qui prædicare neſcierunt, & quòd minor ſcientia requiritur in his, qui ordinantur extra curam, quam in illis, qui ad curam animarum applicantur. Quo ad facundiam certum eſt, multi ſunt peritiſſimi viri, qui non ſunt facundi ad prædicandum, abſit, quòd illi deberent omnes à Sacerdotio excludi. Sic enim beatus Valerius fuit Epiſcopus Hipponenſis, & nihilominus tantæ impeditionis linguæ, quod B. Vincentio prædicationem verbi Dei commiſit, nec per ſe prędicauit.

Supra proba. art. quarta.
2. Tim. 2.

Sextò argui de beato Paulo, qui 2. Cor 10. de ſeipſo dicit. *Non enim gloriabimur in immenſum, neq; ſuperextendimus nos in Euangelio Chriſti.* Ad hoc nihil reſpondit niſi q; gloſſauit illum textum, per longum, & tamen finaliter ſtat iſtud argumentum: Apoſtolus fuit Sacerdos, & cũ hoc generaliter & ſpecialiter miſſus, & noluit tamen ſe ſuperextẽdere, & hoc eſt quod dicit Gloſſa. *Non enim gloriabimur in immenſum. id eſt, vltra menſuram noſtram, quod illi*

Suprà. loco citato. arg. 2.

 faciunt,

faciunt, qui vſurpando ſibi curam non commiſſam gloriantur vltra menſuram. nec iuuat, quod dicit de Lyrâ ita recipiendum, quod Apoſtolus per verba intendit ſe non eſſe comparandum pſeudoapoſtolis, quia de Lyra ſic exponit, vt ego ſic in ſcriptis tradidi. Similiter Innocentius III. & gloſſa ordinaria, dicens, *ſuperextendere eſt vltra quàm conceditur extendere*. Et ſic patet, quod nulli licet ſe in officio prædicationis ſuperextendere. Ergò non poteſt quilibet vbiq; prædicare liberè.

Sup. pro. ar. 4. in 2. deductione concluſ. Septimo argui de praxi Chriſti, qui cum eſſet Pontifex & Sacerdos, noluit tamen prædicare, niſi in 30. anno, & niſi prius auctorizatus voce Patris, & Spiritus S. viſibili ſusceptione. Reſpondit, *quod ex iſto non video aliud, quàm quòd Sacerdos ſit maturæ ætatis, & Spiritu ſancto inſtigatus ad prædicandum*. certum dixi, & dico quod illud videre debueratis ſcil. quod iſta duo non faciunt ad prædicandum, quia matura ætas annorum multis adeſt, quibus ſcientia, facundia & vita deeſt. inſtinctus Spiritus ſancti incertus eſt, niſi aſſumit ſigna, per quę Spiritus ſancti approbetur præſentia. Ego autem hîc alia video. primum eſt, quod prædicator verbi Dei debet eſſe maturæ ætatis, ſecundum quod licet ſit diuinitus inſpiratus, & actu Sacerdos, ſicut Chriſtus fuit Spiritu S. repletus. Adhuc non debet prædicationis officium aſſumere, niſi auctorizetur & mittatur à ſuperiori. Ideo Chriſtus licet eſſet Sacerdos ſanctiſſimus, non tamen incœpit officium prædicationis, niſi à Patre & Spiritu ſancto ſenſibiliter auctorizatus. Et ſi quis diceret ſe adeo auctorizatum, probet per ſcripturã, vt Chriſtus Ioan. 5. dicẽs, *Scrutamini ſcripturas, illæ teſtimonium perhibent de me*. aut p miraculum, vt Chriſtus Ioan. 10. *Si mihi non creditis, operibus credite*. Inſuper quæro, an Chriſtus peccauit non prædicãdo ante triceſimum annum, aut non? ſi non, ergò non fuit ſibi

Ioan. 5.

Ioan. 10.

ſibi præceptum, nec per conſequens aliis: ſi ſic, ergò non fuit Deus, cũ Deus peccare non poſſit. Ideò ſciendum, ꝙ eſt triplex ætas in homine conſideranda, vna reſpectu ætatis ſiue annoſitatis, ſicut notũ eſt oĩbus. Et quantum ad hanc, expedit & decet, vt cui ex officio non incumbit ante ætatem maturam non præſumat publicè prædicare, exemplo Chriſti, prout in articulo deductum eſt. Sed iſta ad prædicandum non ſufficit. Vnde ſecunda eſt ſenectus vel ætas, reſpectu cõuerſionis alicuius, & ita dicuntur iuuenes vel nouitii, qui licet ſint annoſi, ſunt tamen à ſæculo recẽter conuerſi, ſicut quondam dicebantur neophyti, qui ad fidem nouiter confluxerant. Senes verò, qui diutius cõuerſi, vel longius in ſpirituali vita conuerſati. Et ſimiliter hoc modo, ſi iuuenes vel neophyti non debent prædicare, multo minus qui in erroribus obſtinati nondum à cognitione veræ fidei ſunt reducti. vnde Apoſtolus prohibet neophytum ordinari, & Moyſes prohibet arare in primogenitis boum, & tondere primogenitum ouium, de quibus Apoſtolus ad Hebræos 5. *Etenim cum deberetis Magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis vt vos doceamini, quæ ſũt elementa exordii ſermonum Dei, & facti eſtis quibus lac opus ſit.* Eſt ergò tertia ſenectus, ſcilicet interioris hominis confirmatio & ſtabilitio in bono, iuxta ordinẽ hierarchicæ diſpoſitionis, quæ ſola ſufficit ad officium prædicationis, & hanc docuit in prætacta praxi, Dñs noſter Ieſus Chriſtus. vnde beatus Bernardus ſuper illo Lucæ tertio: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*, dicit ſic, *quamdiu virtus & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis aut incipiens lates in populo? quamdiu nobilis rex, & rex cæli fabri filiũ te pateris, & appellari pariter & putaris. Etenim Lucas teſtatur quo nũ adhuc filius Ioſeph putabaris: O humilitas, virtus Chriſti, quãtũ confundis*

Senectus triplex.
1.
2.
Deut.15.
Heb.5.
Bern.ſerm.1. de epiphania non procul à fine.
Luc.3.

ſuperbiam noſtræ vanitatis? parum aliquid ſcio, vel magis mihi ſcire videor, & iam ſilere non poſſum, impudenter me, & imprudenter me ingerens & oſtentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, & Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cum ſeipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria Patris? vtiq; timebat; ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat eſſe timendum, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere, & quod poſt docuit verbo, iam clamauit exemplo, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. hæc ille. & ne quilibet ſe ad talem ſenectutem ſtatim ingerat, ſed electionem ſeu approbationem Prælati expectet; Ideo beatus Ambroſius ſuper Pſalmo *Beati immaculati*, ſuper verſu: *in quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*. pertractans multa quæ ad præſentem ſenectutem requiruntur, dicit etiam illud quod dixit ad Moyſen, vt ſibi ſeniores eligeret, quos ipſe noſceret eſſe ſeniores. *Et nunc*, inquit, *quibus hoc Spiritu Dei committitur officij, vt eligant Seniores viros, eligunt ſine dubio inter ſeniores juuenem corrigentem viam in cuſtodia verbi Dei*. hæc ille. Iſta ſunt & ſimilia, quę docet nos praxis Chriſti, illo non obſtante, quod Dominus Replicans dicit, ſe nihil aliud videre, quàm ſua dicta.

Matt. 11.

Ambroſius. Pſa. 118. To. 4.

AD octauum vbi Dominus dixit Matth. decimo quinto: *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. non dicit niſi ex Lira, quod egomet dixi, ſcilicet perſonaliter prædicando Iudæis, tunc Chriſtus fuit Sacerdos ſummus, & tamen negat ſe per totum mundum perſonaliter miſſum. Ergò neque Diaconus, neque ſimplex Sacerdos debet ſe putare vbique miſſum, ita quod liberè libertetur vbiq; ſeminare Dei verbum, cum omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio. Item vbi Diaconus vel Sacer-

Supra loco citato, arg. 2.

Digitized by Google

Sacerdos habet libertatem prædicandi, ibi habet præceptum prædicandi, ſecundum vos, ſed habet libertatem vbiq; ergò habet præceptum.

AD nonum, vbi argui, quòd Saluator noſter conſecrauit Apoſtolos ſuos in Preſbyteros in cœna, & poſt hoc ſcil. in die ſuæ glorioſiſſimæ reſurrectionis dedit Apoſtolis auctoritatem prædicandi, dicens: *Sicut me miſit viuens pater, & ego mitto vos.* ergò auctoritate conſecrationis ſacerdotalis illã non habebant. dicit ex Lyra, *mitto*, id eſt, *mittam* ſalua reuerentia Lyræ, ſecundum ſententiam S. Thomæ, tunc miſit actu eos, quia dicit ſic: quod ibi Dominus Apoſtolis iniungit apoſtolicum officium. Apoſtolus enim idem eſt quod miſſus, dicens, *ſicut me miſit pater, & ego mitto vos*, cui alludit beatus Gregorius dicens ibidem: *id eſt ea charitate, qua me pater diligit, & ego vos diligo, cum inter ſcandala perſecutorum vos mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.* & B. Auguſtinus: *æqualem autem Patri Filium nouimus. Sed hic verba Mediatoris agnoſcimus, medium quippe ſe oſtendit dicendo: Ille me, & ego vos*, quibus concordat Doctor Gorra dicens, *id eſt, ſicut ego à me ipſo non veni, ſed miſſus ſum, ſic ego mitto vos, dans vobis auctoritatem. Vnde ad Romanos decimo. quomodo prædicabunt niſi mittantur? Et Iſa. in cap. ſexto, petiuit hanc auctoritatem dicens: Ecce ego mitto me. E contra de malis Prophetis Hierem. vigeſimo tertio currebant, & ego non mittebam, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* hæc ille. Ecce quot Doctores concurrunt ad ſententiam meam, ſcilicet quod in die paſchæ per illa verba, dedit eis poteſtatem prædicandi, Ergò non habebant eam prius, per conſecrationem ſacerdotalem in cœna præcedenti factam. Et dicit Dominus Replicans, iſtud non eſſe factum in die paſchæ, textus dicit, quod factum

Supra loco citato, de praxi Christi in ſuis Apoſtolis.

Lyra in 20. c. Ioann.

S. Tho. ibid.

Gre. hom. 26.

In catena S. Thom.

Aug. in 20. c. Ioannis.

Rom. 10.

Eſa. 6.

Hier. 23.

Digitized by Google

ctum eſt ipſo die reſurrectionis, licet ſero eſſet, & fores fuiſſent clauſæ. Neſcio quid hoc intendit, niſi quod textum malè intelligit, qui dicit, *ipſo die reſurrectionis erant diſcipuli ſimul in vnum congregati propter metum Iudaeorum, & cum eſſet ſero, & fores eſſent clauſa, venit Ieſus & ſtetit in medio eorum, dicens: pax vobis, & oſtendit eis manus & pedes.* Ex quo patet, quod adhuc dies erat, quia non legitur, quod luminaria accendiſſent, vt manus & pedes eius viderent. *& tunc iterum ait illis: Pax vobis, ſicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos.* hæc ibi, &c.

Sup. loco citato arg. 2. Luc. 24.

AD decimum, vbi ex illo Luc. vltimo: *Ecce ego mitto promiſſum Patris in vos, vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* dicit hoc eſſe contra me, quia dixi eos eſſe miſſos in die aſcenſionis, & tamen ſecundum eum non eſſet contra me, quia ipſe exponit ex Lyra, *Ecce ego mitto*, id eſt, *mittam.* & neſcio quid velit per hoc. Nam verum dixi, quod in die aſcenſionis ſunt miſſi, & tamen prohibiti ad certos dies, vt quieſcerent, donec virtute ex alto inducerentur. Vnde dico, quod ſancti Apoſtoli tribus vicibus ad prædicandum leguntur miſſi. *P*rimò antequam eſſent Sacerdotes, vt in ſola Iudæa prædicarent. Secundò, in die *P*aſchæ, ſcilicet reſurrectionis dominicæ, quando iam ante triduum fuerũt conſecrati in Sacerdotes, tunc fuit eis commiſſa prædicandi poteſtas, & quaſi quædam declaratio per Chriſtum facta, quòd aliqui eſſent venturi, qui abſq; commiſſione legitima vſurparent ſibi prædicationem verbi, ratione gradus Sacerdotii, oſtendens, hoc non eſſe verum, ſed ſupra Sacerdotium requiri ſpecialem miſſionem, ideò iterum miſit eos, dicens, *ſicut miſit me viuens pater, &c.* Et qa adhuc poterant eſſe dubii, vbi deberẽt prædicare, quia in

Tribus vicibus Apoſtoli ad prædicandum miſſi ſunt.

prima

prima miſſione prohibuit, ne alibi quàm in ſola Iudæa p̄dicarent. Ideò tertio miſit eos declarando, quòd non in ſola Iudæa, ſed in toto orbe eſſet Euangelium publicandū per eos, dicens, in hora aſcenſionis: *Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*

AD vndecimum de praxi Apoſtolorum adduxi ſibi ſpeciales praxes 1. Petri, 2. Pauli, 3 Timothei, 4. Marci. Ad omnia hæc nihil reſpondit, & optimè fecit, quia in veritate euadere non potuit. quin concedere concluſionē per me intentā oportuit, prout praxes illæ clariſſimè adducunt. Quo ad praxin generalem Apoſtolorum, vbi honori beati Petri detraxit. Timeo & certifico eum, quòd ſi non reſipiſcat, Petrus claues continebit, nec ſibi ianuam regni aperiet. dixit enim primò, ꝙ non habetur ex ſcriptura canonica, Petrum fuiſſe ſum̄um Pontificem à Chriſto inſtitutum, cuius contrarium latiſſimè eſt heri deductum. dixit 2. quod ego addidi de proprio, li. *ſoli,* dicens, *ſoli Petro dictum eſt, paſce oues meas, tibi dabo claues,* ego dico verum eſt, quòd Euangeliſtæ addunt, *ſoli,* primum verbum ſoli Petro dictum eſt, ſecundū ſibi ſoli excellenter; Quo ad illud *paſce oues meas,* dicit S. Tho. ꝙ hoc Petro in tanta ſingularitate conuenit, quod Chriſtianus dici nō poteſt, qui ſe ab obedientia ſum̄i Pontificis ſubtrahit. Quo ad 2. dicit Rabanus, *quia enim regem cælorum maiori deuotione præ cæteris cōfeſſus eſt merito præ cæteris, collatis clauibus regni cæleſtis donatꝰ eſt.* Et valdè notandū ꝙ dicit Origenes, ꝙ Petro dicit Dominus, *quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis,* ſed omnibus dicit, *Quodcunq; ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælo. Ad ſignandum,* inquit, *primatum & principatum in Petro ſuper omnes.* Petrum etiā omnibus præfecit, dum ait, *paſce oues meas,* ait B. Auguſt. de quæſtionib. veteris & noui teſtamenti

Sup. in proba. 3. ex praxi Apoſtolorum.

Thomas.

Rabanus.
S. Tho. in cit.

Orig. Mat. 16.

Aug. in quæſtionibus noui teſtam. ca. 75.

Digitized by Google

menti q. 20. cap. 17. videte iam an ſine cauſa addiderim, *ſoli*, licet non ſit verbum textus.

Suprà in 3. probat. cõcluſionis ex praxi Apoſtolorum circa finem.
Matt. 9.

AD duodecimum, vbi argui de praxi ſeptuaginta duorum diſcipulorum, nihil ad propoſitum reſpondit mihi, quia exponit illum textum, *Rogate Dominum meſſis*, totaliter de miſſione facta per Chriſtum perſonaliter in principio vocationis ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quod ego non nego. ſed argumentum meum iſtud fuit in ſententia. licet ſeptuaginta duo à Chriſto miſſi fuerunt ante eius paſſionem, tamen poſt eius glorioſiſſimam aſcenſionem nullibi prædicabant, niſi quo eos Apoſtoli miſerunt, ergò quantum ex praxi illa, nullus noſtrum habet facultatem alicubi prædicandi, niſi vbi mittitur auctoritate Apoſtolorum, id eſt, Prælatorum Eccleſiæ. Antecedens probaui ex c. *in nouo*. quod Apoſtoli videntes meſſem multam, & operarios paucos, *rogauerunt Dominum Meſſis*, & ſequitur, *& ipſi elegerunt ſeptuaginta duo*, *& miſerunt eos ad prædicandum*. hæc ibi. Confirmaui ex Euſebio. Iſta ergò ratio ſtet in alto. Quærit ibi vbi ſeptuaginta duos facti ſũt Sacerdotes? Reſpondeo cum Petro de Palude, quòd hoc in ſcripturis canonicis non reperitur, niſi quod ſeptem facti ſunt Diaconi, & Matthias in locum Iudæ ſucceſſit, & ſimilia, &c.

diſt. 21. in nouo. c. 2.
Luc. 10.

Suprà in probat. 4. conclu. de praxi primit. Eccl.

AD tredecimum de praxi primitiuæ Eccleſiæ ſimpliciter nihil reſpondit, & optimè tacuit, quia in veritate euadere non potuit. Oſtendi enim quod primus Papa poſt Petrum beatus Clemens, prohibet omnibus Sacerdotibus ne quidquam agere audeant, in cuiuscunq; Presbyteri parochia, absq; plebani conſenſu. Et beatus Dionyſius attribuit prædicationem Epiſcopo propriè & antonomaſti-

maſticè, diſtinguens tres actus hierarchicos; ſecundùm tres gradus Eccleſiaſticos, ſcilicet purgare diacono per exorciſationem: illuminare Preſbytero, per baptizationē: proficere Epiſcopo, per confirmationem & prædicationem, iuxta declarationem per me nuper factam.

Progrediendo ad auctoritates ſanctorúm Doctorū, reſpondit tantum ad tres, cum ego adduxiſſem octo. Primò ad Ambroſium, qui dicit in ſententia cætera. *Rectores & cætera officia diſtincta ſunt, ne ſi vnus poſſet omnia, vileſcerent ſingula.* Reſpondit, quòd hoc ideò eſt, quia aliud officium Presbyteri, aliud Diaconi; ſed hîc nihil eſt ad mentem Ambroſii, quia litera loquitur de prædicatione & baptizatione, quæ fuerunt, dicit, ſingulis cōceſſæ in principio, ſed fundata Eccleſia dicit, ſi nunc vnus ſingula faceret, omnia vileſcerent. *Supra proba. 6. concluſ. ex doctrina Doctorum.*

Ad auctoritatem Gregorii in capitulo ſcriptum eſt 6. q. 3. allegat gloſſ. & non ſine vſura comportauit eam, non enim habet gloſſ. quæ propriè gloſſ. dicitur decreti, ſeu apparatus Ioan. niſi quòd Epiſcopus in aliena diœceſi publicè prædicare, tanquam ius habens in populis illis, non poteſt, ſed pertranseundo ſine ſolemnitate poteſt eos monere ad bonum, ſicut & monachus & quilibet alius, ſecundùm quoſdam tamen poteſt prædicare, non tamen concitando turbam 15. d. Et nota quod ipſe ibi interpoſuit, & addidit etiam ſolenniter, vt hic tamen non concitādo turbas. 16. q. 3. *placuit,* litera, *ſolenniter*, non habetur in gloſſ. imò gloſſ. habet: *ſine ſolemnitate poteſt eos monere.* *Supra loco citato.* *diſt. 19. ſecundum. c. 7. 16. q. 3. placuit. c. 55.*

Ad tertiam quæ eſt beati Bernardi, dicentis: *Monacho neophyto, & non miſſo, non licet prædicare.* Reſpondit: *concedo quod non miſſo, non licet prædicare, niſi ex ſpeciali miſſione*, ſed multi monachi ſunt Diaconi & Presbyteri: ergò non licet Diacono & Preſbytero prædicare abſq; ſpeciali miſſione. *Supra loco citato.*

miſſione. *E*x conceſſo ſic. Non miſſo prædicare non licet ſed nulli diaconi vel preſbyteri niſi curati, ſunt miſſi, ſicut & aliqui Religioſi. *E*rgò nullis talibus niſi curatis licet prædicare abſq; noua miſſione. Sed dicis, quod omnes *P*reſbyteri & Diaconi ſunt miſſi. Quæro à quo? aut à Deo, aut ab homine. Si à Deo; oportet hoc probare, ſiue fiat illa miſſio per reuelationem manifeſtam, ſiue per inſpirationem occultam. *S*ic enim docet B. Ioannes: *probate ſpiritus, an ex Deo ſint, & nolite omni ſpiritui credere*. *S*ic enim quilibet poſſet dici, etiam hæreticus, laicus, vel mulier, quòd ſint miſſi à Deo. ſi ab homine, oportet quòd ille ſit *P*rælatus *E*ccleſiæ illius, vbi prædicare intendis, cum nullus Vngarus habeat licentiare ad prædicandum in Anglia, nec econuerſo, ſed tantum ſunt duo genera Prælatorum, qui poſſunt dare licentiam prædicandi aliis, ſcil. Papa & *E*piſcopus loci illius, vbi prædicare intendis. Nam plebanus non poteſt licētiare ad prædicandum in ſua parochia generaliter, niſi tantum approbatos viros, ſcilic. ſacræ Theologiæ Profeſſores, & ſimiles, vt dicunt Franciſcus Zabarella, Heinricus Voyt, & multi Iuriſtæ, *c. cum ex iniun. de haret.* ergò ſine licentia *P*apæ vel Epiſcopi loci tales dicuntur nō miſſi, nec habent poſſe prædicare verbum Dei. hæc ibi.

1. Io. 4.

Hinc reſpondet ad concilia generalia, quæ adduxi, & primo ad c. *cum ex iniuncto* dicit concludendo ſic: *patet clarè ex prædictis, quod ſicut non eſt cauſa ſufficiens ad probandum, quod ille Sacerdos vel Diaconus ad prædicandum à Deo eſt miſſus, quia facit miracula, ſed confiteri veritatem, facere iuſtitiam, mundum contemnere, gloriam ſpernere, opprobria ſuſtinere humiliter, Sacerdoti & Diacono eſt teſtimonium ſufficiens, vt habens legis Dei notitiā, prædicet liberè Ieſu Chriſti Euangeliū, quia ſic eſt à Deo miſſus, & illa eſt miſſio, de qua ad Rom.* 10. *quomodo prdæicabunt, niſi mittantur?* hæc ille. Ecce iam palam locutus eſt, & erroris ſui

Sup. in 5. pro. concluſionis ex Conciliis antiquis.

totum

Digitized by Google

totum ſpiritum euomuit, & quod vsq; huc ſemper palliauit, nunc detexit, dixit enim, *oportet prædicantem eſſe miſſum.* Sed iam auditis quod dicit, *ſufficit oſtenſio bonorum operum ad illius miſſionis efficaciam, nec alia miſſio Prælati requiritur.* ſic enim exponit Apoſtolũ, vt audiſtis. Sed inſto. Contra iſtã concluſionem bimembrem pono duplicem concluſionẽ Prima eſt contra primam partem, ſecunda contra ſecundam partem. prima eſt iſta. *Cauſa ſufficiens ad probandum quod ille Diaconus vel Sacerdos eſt miſſus à Deo ad prædicandum eſt, quia facit miracula.* probatur multipliciter. primo ſic. Illa eſt cauſa ſufficiens ſe ad probandum à Deo miſſum, quam Dominus dedit Moyſi quærenti: *quod ſignum oſtendis mihi, vt ſi dixerint Pharao aut filii Iſrael, non miſit te Dominus,* aliâs Dominus inſufficienter miſiſſet Moyſen, ſi cauſa probationis fuiſſet inſufficiens. Sed Dominus non oſtendit ſibi aliã cauſam, ob quam tenerentur Pharao & filii Iſrael ſibi credere ipſũ à Deo miſſũ, quàm virtutẽ miraculorũ, conuertendo virgã in colubrũ, & ecõuerſo. Ergò iſta eſt adhuc ſufficiẽtiſſima ad probãdũ ſe miſſũ à Deo ad prædicandũ, facere miracula. 2. ſic: Illa eſt ad eundẽ finẽ cauſa ſufficiens, quã Dñs aſſignauit ſuis diſcipulis ad confirmationẽ ſuæ prædicationis, quia non miſit eos inſufficienter. Sed ipſe Dñs nõ dedit aliam cauſam diſcipulis, dum irent ad prædicandũ, cur vbiq; admitti deberent, niſi quia miracula facerent, vnde illos mittens ad prædicandum ait, *infirmos curate, leproſos mundate, dæmonia eiicite,* Mat. & Luc. 10. ergò facere miracula eſt illius probationis cauſa ſufficiens. 3. ſic: Illa cauſa eſt ſufficiens, quam Dominus in ſua praxi aſſignauit Iudæis ad probandũ veritatem ſuæ miſſionis, quia ipſe omnia benefecit. Sed ipſe aſſignauit eis illam cauſam, ſcilicet, operationem miraculorum ſuorum, dicẽs: *Si mihi non creditis, operibus credite. Et ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo*

1. Sufficiunt miracula ad probandã miſſionem extraordinariam.

2.

Matt. Luc. 10.

3.

Io. 10. 14. 15.

alius

alius fecit, peccatum non haberent. Ioan. decimo. quæ de operibus miraculorum, expreſſè exponit ſanctus Thomas. De Lyra, & alii. Ergò facere miracula eſt ſufficiens cauſa ad probandum, ſe miſſum à Deo ad prædicandum. Quartò ſic: Illa eſt ſufficiens cauſa, qua beatus Paulus probauit, ſe & Petrum à Deo miſſos ad prædicandum. Sed hoc virtute miraculorum. Ergò, &c. Maior patet ad Galat. 2. vbi dicit, *qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* vbi dicit ſanctus Thomas. *Sed poſſet aliquis dicere Paulo: vnde conſtat nobis, quòd tibi ſit commiſſum Euangelium à Deo inter gentes? Reſpondit Paulus, per operationem Chriſti in me. Sicut enim patet, quod Petrus accepit Euangelium à Chriſto propter miracula, quæ fecit Chriſtus per eum. Ita patet, quod ego ſcilicet Paulus ab ipſo Chriſto accepi etiam propter miracula, quæ operatus eſt in me.* hæc ille. Vnde & idem probat ſuum Apoſtolatum, dicens: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt inter vos, in omni patientia, in ſignis & prodigiis, & virtutibus,* hoc eſt, *patientia in moribus, & prodigia in ſignis.* prout exponit beatus Hieronymus. Similem ſententiam poſui prius. Sed nihil mihi eſt reſponſum ad illa, & benè, quia concludunt neceſſariò, nedum quod facere miracula ſit ſufficiens cauſa, ſed & quod illa ſint neceſſaria, niſi adducatur teſtimonium ex ſcriptura. Et hoc vult c. *cum ex iniuncto, de hæret.* vt patet intuenti. Sed cõtra hoc auiſat dominus opponens, dicens, quòd in fine mundi diſcipuli Antichriſti magis quàm Chriſtiani miracula facient, prout Matth. 24. patet. Reſpondeo, quod mirabilia, quæ fient tempore Antichriſti, ſunt reſpuenda, quia non ſunt vera miracula, & cum hoc iam ex ſcriptura canonica auiſata eſt Eccleſia, quòd non ſunt miracula vera, vnde nec Chriſtus, nec Apoſtolus vocat opera Antichriſti miracula, ſed ſigna & prodigia. vnde dicit ad Theſſ.

Tho. ibid.

2. Cor. 12.

Hier.

Mat. 24.

Digitized by Google

Theſſ. 2. quòd aduentus Antichriſti erit ſecundum operationem ſathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mẽdacibus. vnde dicit S. Thomas 2. 2. quæ. 178. ex beato Auguſtino 2. de ciuitate Dei, quòd illa ſigna mendacij dicũtur ſigna vera, quia faciunt veras res, ſicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & ſerpentes veros, non autẽ habebunt rationem veri miraculi, quia fient virtute dæmonum & naturalium cauſarum ad hominum deceptionem. ſed operatio miraculorum, quæ attribuitur gratiæ gratis datæ, fit in virtute diuina ad hominum vtilitatem. Secũdo arguit ſic: *mali faciunt miracula* 1. q. 1. *Teneamus. Ergò facere miracula non eſt ſufficiens cauſa.* Reſpondeo, quòd duplices ſunt mali, aut qui malè viuunt, aut qui malè docẽt. Dico ergò cum S. Thoma vbi prius, articulo ſecundo ad tertium argumentum, quòd miracula ſemper ſunt vera teſtimonia eius, propter quod fiunt, vnde ſicut hi, qui malè viuunt, nunquam faciunt miracula in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, ſed ſi quandoq; Deus miracula per eos facit, eſt in teſtimonium virtutis diuini nominis quòd inuocãt, aut teſtimonium virtutis Sacramentorum, quæ applicant ſeu exhibent: ita qui falſa docent, nunquam poſſunt facere miracula, in teſtimonium veritatis illius falſæ doctrinæ: ſecus ſi quis etiam malè viuat, & benè doceat, talis enim ſæpè miracula facit, non in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, quam non habet, ſed in teſtimonium ſuæ veræ doctrinæ, quam docet, & hoc tam clarè docet Dominus Marci 9. vbi poſtquam dixiſſent diſcipuli, *Domine, vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum.* ait Dominus illis. *nolite prohibere eum,* & ſubdit tamen dicens: *Nemo eſt qui facit virtutem in nomine meo, & poſſit cito malè loqui de me.*

2. Theſſ. 2. Tho. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 2. Aug. 2. de ciuit. Dei c. 19. 1. q. 1. teneamus, c. 56. Aug. tract. 13. ad 3. c. 10. S. Thom. 2. 2. q. 178. a. 2. ad 3. Marc. 9.

Contra ſecundam partem ſuæ concluſionis ſit iſta

Digitized by Google

propoſitio. *ſicut cauſa ſufficiens eſt facere miracula ad probandum ſe miſſum à Deo ad prædicandum, ita non ſufficit facere quæcunque perfectionis & ſanctitatis opera ad ſufficienter ſe probandum miſſum à Deo ad prædicandum, hoc addito, niſi adducat ſpeciale de ſe ſcripturæ ſacræ teſtimonium.* Probatur dupliciter, primo modo ſic, quia talia opera ſunt ſæpè apparentia extrinſecus, & non exiſtentia intrinſecus, ſicut Dominus ait hypocritis Mat. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos foris quidem patetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* & pſeudoapoſtoli ſe in Apoſtolos Chriſti transformant, ſicut Angelus Sathanæ in Angelum lucis, 2. Cor. 11. ideo Dominus admonet nos, dicens. *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, Matth. 7. & hoc quia licet Dominus noſter eſſet ſanctiſſimus in omni operatione ſanctitatis, docuit tamen nō ſufficere illa opera ad hoc, vt Iudæi crederent eum miſſum à Deo eis in legiſlatorē, ſed direxit eos, ſuper & præter omnia opera ſuæ ſanctitatis, ad opera miraculorum, dicens, *ſi mihi non creditis, operibus credite,* vt dictum eſt. Similiter & Apoſtoli erant ſanctiſſimorum operum, & tamen probant ſuam miſſionem per miracula. Sed contra hoc adducit dominus Replicans auctoritates dicens, quòd probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed iuſtè viuere, & ſic de ſingulis. Ad ea ſimul reſpondeo, quod auctoritates ſicut ſtant, veriſſimæ ſunt. Ego enim concedo, quod facere miracula non eſt ſemper ſignum ſanctitatis illius qui facit, ſed dico quòd facere miracula ad ꝓbandū ſe eſſe miſſum à Deo ad prædicandū, eſt ſignum ſufficientis probationis. vnde aliud eſt eſſe hominem Dei ſeu virū bonū, aliud eſt, eſſe prædicatorē aptum.

Non ſufficit facere quæcunq; perfectionis opera ad ſufficienter probandum ſe miſſum à Deo, niſi quis de ſe adducat teſtimonium ſcripturæ.

2. Cor. 11.

Matt. 7.

Qui

Qui ergò benè viuit, oſtendit ſe eſſe à Deo aliis in exemplum, ſed non probat per hoc ſe miſſũ ad prædicandum ſine licentia *Prælatorum*, niſi oſtendat ſuæ miſſionis miraculum. *S*ed contra hoc aſſumit ſic: *Si hac requirerentur vniuerſaliter tunc maximè deberet dubitari de Patribus huius Concilii ſacerdotibus, quòd ſint à Deo miſſi, cum nullũ adhuc viderim operari miraculũ, vel habere ſuper hoc teſtimoniũ ſcripturæ ſacræ ſpeciale, vltra alios Sacerdotes,* reſpondeo, quòd Patres huius Concilii ſacri non indigent facere miracula, quia nullus eorũ jactat ſe inuiſibiliter eſſe miſſũ à Deo, ita ꝙ velit prædicare, non habita licentia, imò reclamãte, & ſub ſentẽtia excomunicatiõis ꝓhibẽte Prælato cuiuſlibet eorũ. Sed vos q. dicitis, vos licentia Prælatorũ nõ indigere & poſſe vbiq; etiã Prælatis cõtradicẽtibus ad vitã meliorẽ trãſire, ſcilic. prædicare, vos tenemini miraculis, vel ſcripturæ teſtimonio oſtendere, quod illã poteſtatẽ habetis à Deo, ita dicit c. *cum ex iniuncto*. 2. quia horũ Patrũ Reuerendiſſ. doctrinã & fidẽ à Deo eſſe, approbat vniuerſalis Eccleſia Spiritu ſancto edocta, qui docet eam omnem veritatem, ſecundum promiſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, pariformiter Sum. Pontifex vicarius eius vnicus in terris, cui Dñs in perſona Eccleſiæ ait, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, & Luc. 22.
iterum: *tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiã meã* Matt. 16.
& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. & iterũ: *Ecce ego vobiscũ ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationẽ ſæculi.* & iterũ Ioan. 14.
Ego rogabo Patrẽ & aliũ paraclitũ dabit vobis Spiritũ veritatis, vt ſit vobiſcum in æternũ. 3. quia qui noua prædicat & inſolita, prout vos facitis Bohemi, tenetur illam nouam doctrinã cõprobare nouis ſignis, quia ſaluator noſter vt primo miſit Apoſtolos ad ꝓdicandũ nouã doctrinã, ſcil. de regno Dei, dedit eis ſimul cũ hoc poteſtatẽ ſuꝑ omnia dæmonia eiiciẽdi, & vt languores curarẽt. Mat. & Luc. 10. vbi dicit Beda Mat. & Luc. 10.

 lib. 3.

Beda. tertio cap. 3. ſuper Lucam. *Conceſſa primum poteſtate ſignorũ, miſit prædicare regnum Dei, vt promiſſorum magnitudini atteſtaretur magnitudo factorum, fidemq; verbis daret virtus oſtenſa, & noua facerent, qui noua prædicarent.* hæc ille. Si dicis, non eſt

Iſidorus. iam tempus faciendi miracula, quia dicit Iſidorus libro 1. de ſummo bono, capitulo vigeſimo quinto: *Antequam Antichriſtus appareat, virtutes ab Eccleſia ceſſabunt.* Reſpondeo quòd iam ceſſarunt miracula, non ideò, vt qui vult prædicet & dicat, ſe miſſum à Deo, & hoc ſufficiat, nec miraculo probare debeatis, ſed ideò, quia fides Catholica eſt plenè fundata, nec eget probatione noua, & hoc eſt quod

Greg. ho. 29. dicit beatus Gregorius ſecunda parte homiliarum, homil. nona, *vt fides credentium creſceret miraculis, fuit nutrienda: quia nos cum arbuſta plantamus, tamdiu aquam ſuperfundimus quouſq; ea in terra coaluiſſe videamus, quia ſi radicem fixerit, à rigando ceſſamus.* hęc ille. & hæc de materia miraculorum.

Conſequenter de literis commendatitiis dicit, quòd inuentæ ſunt propter malos. Reſpondeo, quod vtiq; hoc verum eſt, quod propter Pſeudoapoſtolos, dicit gloſſ. 2. Cor. 3. ſuper illud: *Numquid commendatitiis egemus literis, ſicut quidam,* ſcilicet qui ſunt Pſeudoapoſtoli? Reſpõdit ſanctus Thomas in libro de contra impugnantes Religionem, propè finem: Propriè duo ſunt genera hominum, ſcilicet non miſſi prædicantes, & falſa docentes, de quibus ambobus ſimul Dominus ait Ieremiæ vigeſimo tertio: *Non mittebam eos, & ipſi currebant*, quoad primum. *Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Quoad ſecundum. Iſti ſunt qui tenentur habere literas commendatitias, qui prædicare volunt inuitis Prælatis. Ad id quod dicitur

Act. 13. Actorũ decimo tertio, quòd Paulus & Barnabas ſedebãt in templo, & Principes miſerunt ad eos, an haberent verbum

›bum exhortationis ad plebem, dicit Lyra, quòd ex hoc eorum prædicatio efficacior reddebatur, quòd ſe non ingeſſerunt ad prædicandum, ſed rogati fuerunt, gloſſa dicit: *ſedent quaſi audituri legem, non quaſi prædicaturi, ecce humilitatis exemplum.* dicit gloſſa. *dicunt Principes ad Apoſtolos: Si habetis verbum exhortationis? non dicunt, prædicationis vel lectionis.* hæc ibi. Non debent ergò Diaconi vel Presbyteri prædicare, niſi inuitati ad ſermocinandum. 7.q.1.*Epiſcopi* Ad textum quem adducit 19.q.2. *Duæ.* qui dicit, quòd propter criminoſos literæ commendatitiæ inuentæ ſunt. Si gloſſam legiſſetis, tacuiſſetis, quia dicit gloſſa ſic: *Licet propter criminoſos fuerit conſtitutio data, extenditur tamen etiam ad non criminoſos, quia nullus recipitur ſine commendatitiis literis. Etenim quod ſtatuitur propter cauſã impulſiuã, cauſſa ceſſante non ideo ceſſat conſtitutio, ſicut dicitur ff de don l.2.§.vlt.* hęc glo. Quod autem concludit Replicans ex eodem textu, dicẽs: *Ex iſto Canone 19.q.2.Duæ. ſequitur tertiò, quòd quisquis ſpiritu Dei ducitur, Epiſcopo contradicenti, ad meliorem vitam poteſt tranſire. Ex quo patet etiam, quod Diaconus vel Sacerdos diſpoſitus ad prædicandum, & ductus Spiritu Dei liberè Chriſti Euangelium abſq; licentia Prælati ſpeciali poteſt prædicare, patet,* inquit, *quia bonum eſt Diaconum vel Presbyterum, vel Sacerdotem benè viuere, melius benè viuere & vtiliter prædicare, ergò poterit de prædicationis ocio, in laborem, & ſic tranſire ad vitam meliorem.* Ecce iterum palàm loquitur, & prouerbia obiicit, & ſic dico duo. Primum, quòd Spiritu ſancto ductus poteſt ingredi Religionem, nolente Epiſcopo. Secundò, quòd hoc eſt omninò falſum, quod ex hoc, inquit, patet, quod etiam Sacerdos vel Diaconus diſpoſitus ad prædicandum ductus Spiritu Dei, abſq; licentia Epiſcopi liberè poſſit prædicare Euangelium Chriſti. Nam dico pro

Lira ibid.

Gloſſ.ord.ibi.
Glo.interl.ib.

7.q.1.Epiſcopi.c.38.
19.q.2.Duæ.c.2.

Digitized by Google

concluſione, quod quicunq; Spiritu Dei agitur, nunquã contra voluntatem Prælati, vel ſine licẽtia Prælati, agit in ſua Eccleſia vel diœceſi, quia Spiritus S. non eſt arrogans, importunus, aut inobedientiæ magiſter, ſed potius mitis,

Sap. 7. manſuetus, humilis, vt patet *Sap. 7.* vnde ſecurè dico, quòd quicunq; à Deo ad prædicandum mittitur, ſe Prælato præſentare tenetur maximè, ſi requiſit⁹ fuerit à Prælato, vt ꝓbationẽ eius accipiat, & obedientiæ virtutẽ oſtendat. vnde in c. *cum ex iniuncto* dicitur: *Si tamen de hac inuiſibili miſſione conſtaret*, ex quo concluditur, quod qui aſſerit illam inuiſibilem miſſionem, tenetur eam probare, & cognitio talium de iure, & conſuetudine, ſpectat fieri coram Papa, vel Epiſcopo loci, ſecundùm illa quæ habentur & notantur in

c. venerabili. de teſt. & atteſt. 51. item de teſtibus cogen. c. 11. c. *venerabili* de teſt. & in c. 1. de reliquiis & veneratione Sanctorum, & ſic tenetur ſe præſentare Prelato, etiã ſi ſit miſſ⁹ à Deo miſſione inuiſibili, & ꝓbare eam modis prædictis, & dico maximè ſi requiſitus fuerit. 1. propter Paulũ, qui ſe Petro non ſtatim præſentauit, ſed diu poſt vocationem, & hoc quia à Chriſto vocatus, nec à Petro requiſitus, propter certitudinẽ miraculorũ, quæ fecit Dñs propter Paulũ,

Greg. l. 1, dialog. c. 4. & ꝓpter S. Equitiũ Abbatẽ, qui miſſus à Deo per Angelum tandem requiſitus per Prælatũ, ſubitò ei parere voluit, niſi Dominus miraculorũ euidentia præueniſſet, vt patet li. 1. dialogorum, c. 4. & probatur propoſitio multipliciter: primò per beatum Auguſtinum in fine ad Oroſium dicentẽ,

Auguſt. *illum cognoſce miſſum à Deo, quem non paucorum hominum adulatio eligit, ſed illum quem vita & mores optimi, & Apoſtolicorũ examinatio commendat Sacerdotum*, hæc ille. Ecce quomodo nõ ſufficit ſe dicere miſſũ à Deo, ex moribus optimis, ſed etiam requiritur Apoſtolicorum Sacerdotum, & Prælatorũ

De off. iud. or. c. inter cætera 15. examinatio. 2. dicit gloſſ. hoc de offic. ordi. c. *inter cætera*: quod nulli licet prædicare, niſi mittatur auctoritate Epi-

ſcopo-

ſcopatum, vel Apoſtolicæ ſedis, de hæret. c. *excommunicam⁹, §. quia verò*, hæc ibi. Si nulli, ergò nec ei, qui ſe dicit à Spiritu Sãnſpiratũ, præſertim ſi requiſitus fuerit à Prælato. 3. dicit B. Bern. vt allegatũ eſt de inſtinctionib. *excogitatio, quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit apertè tunc diuinam à Deo noueris eſſe, ſi pacifica ſit, ſi Prælati tui atq́; ſpiritualium fratrum approbetur inditio: quoniam non facit Dominus verbũ, quod non reuelauerit ſeruis ſuis.* propter hoc Paulus mittitur ad Ananiam, ſic Cornelius dirigitur ad Petrum. ſic Eunuchus inſtruitur per Philippũ, vt approbationẽ & iudiciũ Prælati, & virorũ ſpiritualiũ requirere doceremur, ſicut de eo plẽius in collationibus patrum habetur. 4. hoc dicit Zaborella de hære. c. *excommunicamus*, ſuper verbo, *vſurpare*, dicens, *qui*, inquit, *prædicat ſine licentia, dicitur vſurpare.* & talis eſt, qui probatur non miſſus, vel qui non habet auctoritatem à Papa, vel ab Epiſcopo loci, vel qui miſſionẽ non cõprobat per operationẽ miraculi, vel ſcripturę teſtimoniũ, ita quòd ſit miſſus eo modo, quo ſcriptura præcepit, ſecundum Innocen. & dicit Hoſtienſis, quòd in hac re tam ardua, non credetur ipſius juramento, tum quia ſolius, tum quia in re propria. 4. q. 3. de teſt. *licet*, & hoc eſt quod communiter volunt canones, quod nulli licet prædicare in diœceſi cuiuscunq; Epiſcopi, ſine eius licentia. 16. q. 1. *cunctis fidelibus*, & ſummo opere omnibus Preſbyteris & Diaconibus, & reliquis clericis attendẽdũ eſt, vt nihil abſq; Epiſcopi propria licentia agãt, nõ vtiq; miſſas ſine eius juſſu quisq; Preſbyterorũ in ſua parochia agat, nõ baptizet, neq; quicquã abſq; eius ꝑmiſſu faciat. Hæc ibi. Vnde dico, ꝙ talis à Deo miſſus tenetur ſe Prælato inſinuare, & ab eo licẽtiã petere. ꝙ ſi miſſio eſſet occulta, tenetur eam probare per miracula vel ſcripturã ſed ſi manifeſta, & magnificè probata eſſet, & Prælatus malitioſè nollet eum licẽtiare, fortè ſufficeret licentia diuina.

De hære. c. excommunicamus. 13. §. quia verò.
Bern. ſuprà in reſpon. ad 1. arg. aduerſarii, ſigno 3. inſtinctus diuini.
Act. 10, 9. 8.
3. q. 4. nullus c. 16. q. 1. cunctis fidelibus c. 41.

Poſt

Poſt hæc aggreditur reſponſiones meas, vbi inter multa relumptione indigna, dicit primò, quòd vbi ego dixi non eſſe ſimile de pane materiali, & ſpirituali. Quia in eleemoſyna materiali non ſequuntur pericula apud ſuſcipientes, ſicut in pane verbi, quod ſpargerent hæretici. dicit hoc non eſſe vniuerſaliter verum, ſed & ex ſuperflua eleemoſyna, quam Clerus recipit, omne malum in Clero ſubſecutum eſt, & enumerat multa vitia. Dico. hoc eſt omninò dubium. Nam in cœlo orta ſunt ſchiſmata, vbi iſta temporalia non fuerunt. Et hodiè paupetiores ſunt deteriores. Iure certum eſt, quòd diuitiæ ſunt organa ad virtutem, ſecundum Philoſophum primo Ethicor. & ſunt multis materia benè operandi. Dicit etiam, quòd malè argui, deſcendendo de vno ſtatu in alium, ſic ſcilic. ſecundum eum ſequeretur, vbi arguit, *licet dare eleemoſynã corporalem ſine licentia, ergó & ſpiritualem, ſcilicet prædicare &c.* Sequetur. *Licet Laico dare eleemosynam corporalem, ergò & celebrare Miſſam, cum Miſſa ſit eleemosyna ſpiritualis.* & ipſemet ibi deſcendit, de ſtatu vno in alium. Poſui ibi & alias ſimilitudines, quas dimiſit intactas. Poſtea ad tertiam ſolutionem dicit, quod, vbi dixi, eſſe diſſimilia, generare filios carnis, & ſpiritus. quia generare filios carnales eſſet principalis finis matrimonii: Sed principalis finis Sacerdotij *omninò eſſet generare filios Dei per prædicationem, ſed magis conficere corpus Christi verum. Dicit hoc eſſe cõtra factum & dictum Chriſti, Lucæ 4. *Quia & in aliis ciuitatibus oportet me euangelizare &c.* vbi habetur ibi, quòd principalis actus Sacerdotii non ſit ſuper corpus Chriſti verũ. Ad ſimiles fabulas multas, ineptum iudicaui reſpondere, ne obtunderem aures veſtras, Patres reuerendiſſimi.

Ariſt. 1. Eth.

Supra in reſponſionibus ad 2. & 3. argument. aduerſarij.

** forſan non omnino.*

Circa primum corollarium, vbi dixi, non quilibet Sacerdos Domini habet facultatem prædicandi virtute Sacerdo-

Supra coroll. primo.

cordo-

cerdotij, allegaui ſex Doctores. nihil reſpondit, niſi tantum in effectu ad propoſitum, contra iſtud ſcilicet, arguit ſic: *Cuicunq; Papa committit officium prædicandi, ille habet ex eodem. Ergo cui Deus committit officium prædicandi, ille habet ex eodem.* Verum eſt. ſed oſtendat, quòd Deus ſibi commiſerit officium illud, & credemus ei, vt dicit capitulum, *Cum ex iniuncto*, de hæret.

Circa ſecundum corollarium quod probaui ſex rationibus, nihil reſpondit, niſi ad illam, vbi ego probando dixi, quod non eſſet præceptum Domini, prædicare Presbyteros ſingulos, dicit, quòd neget Maiorem, ſcilicet illud: *Non eſt præceptum homini, à quo ſe licitè excuſare poteſt*: quia dicit, eleemoſynam eſſe præceptum, à qua excuſentur multi. Dico quòd eleemoſyna nulli eſt præcepta, pro tunc, dum ab eius impenſione poteſt licitè excuſari. Eſt enim præceptum affirmatiuum, non obligans, niſi pro hic & nunc. Conſequenter ibi ego reſpondendo dixi, quod illud præceptum Domini: *Ite in orbem vniuerſum*, non obligabat vniuerſos Apoſtolos, vt quilibet eorũ iret in totum mundum, & in quemlibet angulum orbis, quia nullus eorum hoc fecit, dicit quod illud eſt contra illud Acto. 10. *Nobis præcepit Deus prædicare populo*, &c. Nego hoc, quia nõ dicit; præcepit cuilibet noſtrum ſigillatim prædicare in quolibet angulo mundi, licet diſperſi ita prædicabant, quod in omnem terram exiuit ſonus eorum. Ad illam autem: *Fidelis ſeruus & prudens*, dixi, quod dicta eſt de Prælatis, qui ſunt conſtituti ſuper familiam Domini; Replicans dixit, quòd etiam alii Preſbyteri debent habere curam de familia Domini, iuxta illud Eccl. 17. *Vnicuiq; mandauit Deus de proximo ſuo.* Reſpondet beatus Thomas quodlibetico 12. q. 18. art. 29. Quod Deus non præcipit cuilibet curare de proximo per publicam prædicationem, ſed priuatam

Sup. coroll. 2.

Act. 10.

Eccl. 17.
S. Tho. quodl. 12. q. 18. a. 29.

Ec admo-

Digitized by Google

admonitionem? Adducit Chryſ. contra: *Nam Sacerdos debitor eſt, vt veritatem quam audit à Deo, liberè prædicet.* 11. q. 3. *nolite.* Reſpondeo quod ſenſus textus eſt, quod vbi periculum fidei imminet, & confeſſio requirit, tenetur Sacerdos ſicut & laicus veritatem Dei confiteri, & ſi propter timorem mortis, veritatem non confiteretur, peccaret. Ad auctoritatem Iſaiæ, *clama ne ceſſes.* dixi, quòd Iſaiæ ſoli præceptum. dicit quod non, quia ſecundum Lyram, intelligitur de Christo ad literam, & illa vox dicentis *clama*, extenditur ad Ioan. Baptiſtam. Reſpondeo, quod non eſt inconueniens ad eundem textum habere plures ſenſus literales, ſicut Lyra exponit illam auctoritatem ad Hebræos 10. *& ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* 2 Reg. 7. de Salomone & de Chriſto. tamen literaliter principalius de Iſaia dicta ſunt, vt patet ex nuda hiſtoria textus, contra vos, qui audebatis dicere, quod obligaret omnes.

11. q. 3. nolite c. 86.
Auctor operis imperfecti hom. 25.
Eſa. 58.

POſt hoc adducit auctoritates tres, quarum ſenſus eſt, quod Sacerdotes inſtituuntur ad prædicandum, & ad interpretandum legem. Reſpondeo primo, quod ſæpè in dictis ſanctorum, Sacerdos pro Epiſcopo ponitur, & pro curato, de quibus communiter intelliguntur iſtæ auctoritates, ſicut patet in cap. *ſit rector.* vbi B. Gregorius dicit, *præconis officium ſuſcipit quiſquis ad ſacerdotium accedit.* vbi ad literam loquitur de rectoribus & paſtoribus ſub nomine Sacerdotis, ita in propoſito. Secundo dico cum domino Guilielmo Pariſienſi in ſuo ſacramentali capitulo de ſacro ordine, quod Sacerdotum officium fuit ſemper prædicare, iuxta illud Malach. 2. *labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam & legem de manu eius requiram.* & infra dicit, quòd Sacerdos modicam auctoritatem docendi habet, quia datur eis cum ſola cura animarum, tanquam annexum.

Greg. 2. parte paſtoralis c. 4. diſt. 43. ſit rector. c. 1.
Guiliel. Pariſienſis.

Ex

Ex tunc enim tenetur docere populum ſibi commiſſum. nunquam tamen dicitur eis in ſua ordinatione, *ite, docete, & prædicate*, docere enim & prædicare eſt ſpeciale officiũ Epiſcoporum, quod in conſecrationibus ſuis eis dicitur. *Ite prædicate populis*. hæc ille. Et per hoc ſoluuntur duo motiua Domini Replicantis ſuperius poſita, quia dicit, *ſiue cum charactere, ſiue aliter, hoc ſcio quod Sacerdos habet poteſtatem prædicandi*, & probat primò ſic, quia ſi non, cur cantaretur in eorum ordinatione *Ite in orbem*? Ad hoc dico, ꝙ ego quæſiui à multis Epiſcopis præſentibus & abſentibus, qui dicunt ſe illud non facere decantari. Inſuper nec in rationali diuinorum reperitur quidquam de iſto, & ita non eſt eſſentiale officij. Dico ſecundo, quòd quia in aliquibus Eccleſiis iſta verba decantantur, hoc fit in fine, quando totum officium eſt finitum, & Presbyteri iam ſegregantur ad ſe exuendum. Tunc cantant Clerici: *Ite in orbem*, &c. Et tunc dico duo. Primum ꝙ iſta deuotio eſt purè ceremonialis, & non habet vllam efficaciam admittendi eos ad prædicandum, ſecundum quod iſta decantatio non mittit Presbyteros, eo quòd illi qui cantant, non habẽt auctoritatem mittẽdi eos, nec Epiſcopus poteſt mittere niſi per diœceſin ſuã, vt dicũt doctores circa capi. *cũ ex iniuncto* de hær. Arguit 2. ſic, quia in pontificali dicitur: *Oportet Epiſcopum benedicere, præeſſe, & prædicare*. dico vt prius ꝙ ibi oſtẽdit, q̄d ſit officiũ Sacerdotis. Sed illius officii executio nõ dat, niſi dum cura ſibi cõmittitur, aut aliũde executio officii impertiatur. Vnde dicit 24. q. 1. *miramur*, ꝙ aliud eſt poteſtas officii, aliud eſt executio. In pleriſq; eſt vnũ ſine altero, vt in Monachis, q̄ habẽt officiũ, ſed nõ executionẽ, niſi ex ſpeciali cõmiſſione: ita dicit in c. *adiicim⁹*. Ecce ꝙ ſinguli Sacerdotes in ſua dedicatione presbyteratus baptizãdi & p̄dicandi poteſtatẽ accipiũt, ſed executionẽ illius po-

24. q. 1. *Miramur. c. 37.* 16. q. 1. *adiicimus c. 19.*

poteſtatis non habent, niſi ad talia aſſumantur, ſicut agens naturale potentiam habet agendi, ſed non habet executionem illius potentiæ, niſi habeat materiam ſibi miniſtratam, vt applicat de prædicatione ſanctus Thomas quodlibetico duodecimo, quæſtione decima octaua, art. 29. vt prædictum eſt, &c.

Tho. quodl. 12 q. 18. a. 29.

CIrca tertium corollarium de Diaconibus dicit, quòd mea propoſitio non fuit contraria ſuæ, & ego dixi tunc, quod ſic: quia licet non dicat in concluſione de præcepto, tamen exponit ly. *debet*, capi præceptiuè, dicit me truncaſſe gloſſam. *In ſancta.* dico, quod verba ſuperflua caueo, recepi quod deſeruirent mihi, omiſi quo non indigerem, & tamen poſuit contrarium eius quod poſui, ſi non in concluſione, tamen in declaratione. Adhuc pro mea concluſione ſtant, pro me adducta; quia allegaui ſeptem rationes, & non reſpondit mihi niſi ad vltimam, & loco illius adduco Wilhelmum de monte Lauduno qui dicit in Rubrica de ordine Diaconatus, quòd officium Diaconi eſt prædicare, id eſt, legere recitando Euangelium & Epiſtolam, quæ ſunt de nouo teſtamento. Et ſubdit, *nec intelligas quod prædicare verbum Dei eis licet ratione huius ordinis, quia ſolum Magiſtris in Theologia, ſeu Epiſcopis, & aliis, qui ad hoc officium, ſcilicet prædicandi, propter curam animarum electi ſunt, his licet:* hæc ille. Sed abſit, vt Dionyſius diuiniſſimus accedat, quaſi Diacono officium prædicationis aſcribat, nequaquam. dicit enim dominus Albertus ibidem ſic, poſt verba Dionyſij, quod Dionyſius dicit, quod iſta communia erant in conſummatiuis orationibus, ſci. quibus conſecrabantur Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi, & iſta eſſe communia. primum eſt, quod ſignatur ſigno crucis. Secundum, quod recitantur ab Epiſco-

Supra corol. 3.

diſt. 29. in ſancta. c. 2.

Greg. l. 4. Ep. 44.

Diony. Areopag. de Eccleſ. Hierarch. c. 5.

po ex

Digitized by Google

po ex nomine, quod ad talem ordinem aſſumantur. Tertium, quod oſculantur omnes *Sancti, qui adſunt. Quartum, quòd quilibet horum ab Epiſcopo conſecratur. Primum notatur ibidem *ſignaculum cruciforme*, id eſt, in modum crucis. Secundũ ibi: *prædicatio*, id eſt recitatio ex nomine, quod ad talem ordinem aſſumantur. quia Epiſcopus dicebat *ſignanter, Ille de Sacerdotibus in Epiſcopũ diuina eum prouehente gratia aſſumetur. Et ſimiliter de aliis. Tertium ibi: *ſalutatio*, id eſt, oſculatio, & hic erat ritus cõſecrationis in primitiua Eccleſia: vnus Epiſcopus poterat Epiſcopum conſecrare. hæc ille. Ex quibus patet, replicantem non intellexiſſe Dionyſium. Prædicatio enim dicitur ibi paſſiuè pro recitatione publica ex nomine. Et quia dicit, me truncaſſe gloſſam, oſtendam ipſum truncaſſe illam partem gloſſæ, quæ totam ſuam glo. *excitat. Verbum enim ipſe ceſſauit, ſequitur & ſic in ſede Apoſtolica. Ex quo quidam dicunt in Romana Eccleſia, & de Cardinalibus hoc ſtatutum ſeruandum: hic verò intelligit generaliter eſſe prohibitum, cum ad legẽdum Euangelium ſint inſtituti, quod patet ex illo verbo, quod dicit, *infra miſſarum ſolemnia*. hæc ibi, vt dicit gloſſa quod nullo modo eſt dicendum, Diaconi officium eſſe prædicare publicè, ſed legere Euangelium, quod notat textus qui ſequitur in eodem capitulo, dicens. *Qua de re præſenti decreto conſtituto vt in ſede hac ſancti altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumq; Euangelicæ lectionis officium infra miſſarum ſolemnia exſoluant*. hæc ibi. Nota, dicit, quod ſolum lectionis Euangelicæ officium exoluant, quod prius dixit *prædicare*, & ſic ipſe truncauit textum cum gloſſa ſatis præiudicialiter. patet ergò, quòd niſi Diaconi ſint curati, non conuenit eis abſq; licentia ſpeciali prædicare. Sed dicit Replicans, *miranda res, ſi officium Diaconi non eſt niſi*

*alius m.ſ. *ſanctos.*

*alius liber *ſingulariter.*

diſt. 92. In ſancta. c. 2.

*alter liber *excæcet.*

Locus vt videtur truncatus.

Digitized by Google

legere Euangelium, cur eius officium eſt tam periculoſum, vt dicit Aug. diſt. 40. Ante omnia. Reſpondeo, quod nõ ideo dicitur periculoſum, quia habet legere Euangeliũ, ſed quia Diaconus habet in omnibus aſſiſtere Presbytero, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, ſcil. in Chriſmate, in patena & calice, & ſic de ſingulis, vt patet in c. *perlectis*, d. 25. & in c. *cleros*. diſt. 21. ſicut in Sacerdotibus conſecratio, ita in Diacono miniſterii diſpenſatio. Et cum periculoſum ſit gerere officium Sacerdotii propter ſacrũ ordinem quem habet, vt caſtè viuat, bonam vitam ducat, & Sacramenta dignè tractet, ſic & omnia illa exiguntur in Diacono. & tamen multi ſunt Presbyteri, qui non tenentur prædicare, nihilominus officium eorum eſt periculoſum propter ordinis eminentiam, & eorum, quæ ad ordinem requiruntur presbyteralem, ſic & in Diacono.

diſt. 40. ante omnia c. 7. Aug. ad Valerium ep. 148. diſt. 25. perlectis. c. 1. diſt. 21. cleros c. 1.

Circa quartum corollarium ponit, vt dicit, mihi oppoſitum, ſcilicet quod congruit valdè multos eſſe prædicantes, etiamſi non tot ſint populo miſſantes. Non eſt mihi oppoſitum, quia ſtant ſimul, quòd in caſu congruit multos eſſe prædicantes, in caſu multos miſſãtes, ſi ſimul ambo haberi non poſſunt. dixi enim ſic inter cætera; Sciendum tamẽ, quòd in caſu fortè eſſet laudabilius p̃dicare ei, qui habet auctoritatem, quàm miſſare, ſci. ſi eſſet populus infirmus & infidelis in his, quæ credere vel agere tenẽtur. Tunc ſi talis Sacerdos ſimul vtrumq; facere non poſſet, potius eſſet ei prædicãdum, quàm miſſandum. Et tũc diceretur prædicare eſſe melius, quàm miſſare, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſtante tali conditione. & ſic ſecundum quid cederet perfectius minus perfecto ſci. in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, ſicut bonũ vinum licet de ſe ſit melius quàm aqua, tamen aqua melior

Sup. cor. 4.

Digitized by Google

or eſt febricitanti. Veruntamen communiter actus miſſãdi nõ repugnat actui prædicandi, imò ſimul ſtant, & vnus ordinatur ad alium, ſicut prædicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotius præparetur ad audiendum Miſſam, in cuius ſignum prædicatio ſolet communiter fieri ante eleuationem, ſc. poſt euangeliũ. ſed populo iam benè cõuerſo, dixi, vtilius eſt ſæpè miſſare, & interdũ prædicare, quã quotidiè prædicare, & rarò miſſare. Quod autem inter cętera dicit, ꝙ negligentiæ Chriſtiani populi plus purgantur ꝑ alia, quàm per miſſarũ conſuetudinalẽ auditionẽ, puta ꝑ eleemoſynarũ largitionẽ, verbi Dei deuotã auditionem, euchariſtiæ communionem. dico quod hoc aliquãdo fallit, ꝙ plus purgãtur per iſta, quã per miſſarũ auditionẽ, qa ſæpè cũ maiori deuotione & diſpoſitione audit Miſſã, quã faceret alia illa, vel alterũ ex his. & ſic percipit effectũ ſpiritualis communionis & incorporationis corporis Chriſti. vnde nõ ſolũ Sacerdos, ſed & circũſtãtes dicunt *cõmunicantes*, ideo licet ipſe ſolus communicet, tamẽ in plurali orat, dicẽs, *purificẽt nos quæſumus Domine Sacramẽta quæ ſumpſimus.* Ad rationes in contrariũ adductas. Ad 1. *Illud plus congruit populo, cui⁹ exemplũ Chriſtus, Apoſtoli, & primitiua Eccleſia in ſe plus oſtendũt. ſed illi plus prædicarũt, quàm miſſarũt. ergò, &c.* Reſpon. quoad Chriſtum, non ſequitur, Chriſtus pluries prędicauit, & tantũ ſemel miſſauit, erg. vtilius eſt ꝓdicare, quã miſſare, qa vt prædixi, Chriſtus tantum ſemel paſſus eſt, & pluries prædicauit, & tamen eius paſſio vtilior eſt, quàm eius prædicatio; non enim quod pluries fit, de eo melius eſt, ſed imperfectius, vt declaraui. Ad Apoſtolos & Eccleſiã primitiuã, An illi ſæpius prædicauerint vel celebrauerint, neſcio, credo ꝙ quotidiè celebrauerũt, nã fideles quotidiè cõmunicauerũt. de conſ. diſt. 2. *peracta*. erg. & Apoſto. nec eſt veriſimile ꝙ Apoſtoli induxiſſẽt populũ ad quoti-

De conſec. di. 2. Peracta. c. 10.

diè cõmuni-

candum, niſi hoc etiam exemplo oſtendiſſent, & ipſi miſſando celebraſſent, vnde erant perſeuerantes in oratione, & fractione panis. Ad ſecundam, vbi arguit, *illud valdè congruit populo, quod eſt pabulum dignioris partis hominis, ſed hoc eſt verbum Dei.* Reſpondeo, quod non minus eſt pabulum animæ auditio Miſſæ, per quam homo incorporatur Chriſto, vt dictum eſt. Ad tertiam; *Illud plus congruit populo, per quod plures conuertuntur ad fidem, ſed tale eſt prædicatio, ergo, &c.* Reſpondeo, quod in caſu, vbi populus indigeret conuerti, & Sacerdos non poſſet vtrumque ſimul facere, celebrare, & prædicare, potius eſſet prædicandum, quàm celebrandum. Ad quartum. *Illud plus cõgruit populo per quod generantur in filios Dei, ſed hoc eſt prædicatio.* Reſpondeo, quod vbi populus eſſet extra fidem, &
Ioan. 1. ſic non eſſent filij Dei, juxta illud Ioannis primo, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,* vtilior eſſet prædicatio. Sed dum ſunt filii Dei per fidem, vt nũc eſt populus in fide fundatus, vtilior eſt celebratio. Dico etiam quod miſſatio in hoc excedit prædicationem. quia prędicatio tantum conuertit viuos, celebratio Miſſæ etiam adiuuat defunctos. In pleriſq; tamen prædicatio & miſſatio ſe habent adinuicem, vt excedentia & exceſſa. Ad quintum. *Illud plus congruit populo, cuius executionẽ Dominus ſtrictius præcepit fieri, ſed hoc fuit prædicatio.* Reſpondeo, quòd Dominus non minus præcepit Apoſtolis Miſſas celebrare, quàm prædicare. Nam ſicut præcepit dicens, *euntes prædicate,* ita præcepit, *hoc facite in meam commemorationem.* tamen comparationibus omiſſis, teneamus cũ
1. q. 1. Interrogo. c. 94. B. Auguſtino, q. 1. *interrogo.* quod non minus eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti ſecundum gloſſã hoc modo, quod plures conuertit, & facit compungi hominem, vt omnia peccata per verbum Chriſti quandoq; tollantur.

Sed

Sed per corpus Chriſti venialia tantum tolluntur, vt de conſec.diſt.2. c. *iteratur*, & c. *quotidie*, hæc ille. Tamen inter omnia grata Deo Patri, gratiſſimum eſt ſacrum Miſſæ officium, nihil enim in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Ieſu Chriſti. de conſecrat. diſtinctione 2. *nihil*. *de conſec.diſt. 2. iteratur c. 71. de conſec. diſt. 2. quotidie. de conſ. diſt. 2 nihil.*

CIrca quintum corollarium inter cætera diffamatoria dicit de templis & altaribus, *ſic putant enim cæci duces cum cæco populo, quod verus Dei cultus & honor, aut Sanctorum laus conſiſtat in ampla templorum ſtructura, aut in altarium ſplendida multitudine, &c.* Pro certo dico, quòd non mirum, ſi populus audiens talia prædicare Sacerdotes, frangit templa, euertit altaria, deſtruitq; Sancta. Verè ita eſt, ſicut dominus Replicans dicit in vno correlario, cauſæ ruinæ populi ſunt maximè Sacerdotes mali, præſertim hæretici peſſimi, præambuli Antichriſti, qui quidquid Chriſti nomine conſecratum eſt, Antichriſti more demoliri conantur, & in tantis ſacrilegiis, cum quid agam, ego ignoro, hoc mihi reſidui eſt, ad omnipotentem oculos erigere cordis, & clamantem exaudiet me, ſecundum magnam gloriam ſuam, orantem illud Pſalmiſtę: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum, improperium ipſorum, quod exprobrauerunt tibi Domine. nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ confitebimur in ſæculum, Amen.* *Sup. coroll. 5.* *Pſal. 78.*

CIrca ſextum corollarium: *Cuicunq; ex cauſſa rationali Papa prohiberet officium prædicandi ſub excommunicationis ſententia, ille teneretur obedire.* Probaui ex praxi Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum ex Concilio Nicæno, Carthaginē- *Sup. coroll. 6.*

Digitized by Google

ſi & aliis,ex capitulo *cum ex iniuncto*, & ſententíaliter concluſi,quomodo vnico ſole,id eſt, Eccleſiæ vniuerſalis auctoritate,omnia ſuarum diſputationum allegata,poteram exſiccare,ſicut B.Hieron.poſt longam diſputationem dixit ad Luciferianum. Reſponſionem nullam reportaui,& optimè,quia ſpero quod conſentiat veritati à me irrefragabiliter probatæ.

S.Hier.cont. Luciferianũ.

Sup.corell.7.

IN ſeptimo correlario meo mihi cõdeſcendit, & ſe correxit,quia primo poſuit, quod propter ſcandalum peruerſorum non eſſet omittenda prædicatio. Nunc declarat ſe,dicens,*ſicut ego poſui, quod non ſimpliciter, ſed aliquando poſſunt ad tempus propter ſcandalum puſillorum.* hoc ego conceſſi, & ſcripturis multis probaui. Tamen quia non obſtante illa declaratione, probat primam concluſionẽ tripliciter. Ego reſpondendo ad 1. articulum: *Nullum præceptum Domini propter ſcandalum peruerſorum eſt omittendum, ſed fidelis prædicatio verbi Dei eſt præceptum Domini, ergò,&c.* Reſ. quod in tali caſu, vbi,vt dixi in prima poſitione, omnes ſcandalizantur de prædicatione,non eſt præceptum Domini prædicare,imò eſt præceptum eius pro tunc tacere. iuxta illud Mat.7. *Nolite ſanctum dare canibus*,ſecundum expoſitionem beatorum Chryſ.& Auguſt. Ad 2. *Oblatio venerabilis ſacri Euchariſtiæ non eſt omittenda propter ſcandalum peruerſorum.ergò nec prædicatio.* Reſpon.quod in caſu vbi celebrans ſcandalizaret aliquem,vtpote, vt ſi eſſet publicus concubinarius,vel ſimili crimine notorio conuictus, deberet prius à celebratione abſtinere,quàm in ſcandaliſatione celebrare. Ad 3. *Pabulum fidelium non eſt omittendum propter ſcandalum peruerſorum, ſed prædicare eſt huiuſmodi.* Reſp. quòd in caſu ſcandali prædicatio non eſt pabulum ſcandalizatorum,vt deduxi in poſitione aliâs,ex Petro de Palude.

Digitized by Google

IN corollario octauo increpat me, quod dixi, *Prælatos* & Epiſcopos poſſe per ſe vel per alios in certis caſibus ſatisfacere officio prædicationis, vbi ipſe vult, quod per ſe teneantur. & dicit, q; non æſtimat me aliud velle, niſi Prælatos liberare vel excuſare à fideli verbi Dei annunciatione. Reſp. quod nunquam mentis meæ fuit hoc, ſed ſuſpicionem ſuam euomuit. Sæpè enim dixi, officiũ Epiſcoporũ eſſe prædicare verbum Dei, ſed intendo illud quod dicitur libro tertio de offi. ord. cap. *inter cætera, quæ ad ſalutem animarum ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei maximè noſcitur ei neceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ita anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Vnde cũ ſæpè cõtingat quod Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectũ ſcientiæ, quod in eis reprobandũ eſt omninò, nec de cætero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiũt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendũ aſſumant potentes in opere & ſermone.* hæc ibi. Ibi enim comprehenduntur penè caſus quos poſui, in quibus pro loco & tempore iuxta negotiorum occurrentium varietatẽ, poſſũt *Prælati* prædicationis officio p alios pũidere. *Sup. in cor. 8.* *De offi. iud. ord. inter cætera c. 15.*

Hæc ſunt, quæ ego frater Henricus Kalteiſen, ordinis fratrũ Prædicatorũ, ſacræ Theologiæ *Profeſſor*, ac prauitatis hæreticæ inqſitor, vobis Bohemis cõſcripſi, p veſtra reductione ad vnitatẽ ſanctæ vniuerſalis *Eccleſię*, p veſtra eruditione iuxta mihi miniſtrata in 3. artic. ſcilic. de verbi Dei libera prædicatione. Hæc audiſtis, quæſo corde credatis, & ore confiteamini, vt fructum æternæ beatitudinis cõſeq̃ mereamini, iuxta thema in huius replicæ principio aſſũptũ, ſc. *beati qui audiũt verbũ Dei, & cuſtodiũt illud.* Præſcri-

pta autē ſingula huic ſacroſanctæ generali Synodo Baſilienſi offero corrigenda, cuius iudicio me ſubiicio per omnia.

Terminata fuit hæc replica, in præſentia ſacri Concilii & Bohemorum recitata. 1433. in hebdomade pœnoſa, celerrimè & abruptè collecta propter nimiam feſtinantiam Bohemorum ad recedendum. Ideò propitium requirit correctorem.

Et ſic eſt finis huius materiæ, videlicet articuli tertij. Deus glorioſus ſit benedictus in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Ora-

Digitized by Google

Oratio

IOANNIS DE POLE-MAR, ARCHIDIACONI BAR-CINONENSIS, APOSTOLICI PA-LATII CAVSARVM AVDI-toris,

QVA

In Concilio Baſileenſi anno 1433. per dies tres refuta-uit quartum articulum Bohemorum,

DE

CIVILI DOMINIO CLERICORVM,

QVEM

PROPOSVIT PER TRIDVVM

PETRVS RAYNE ANGLVS

Nunc primùm ex codicibus m. ſ. edita

AB

HENRICO CANISIO NOVIO-MAGO SS. CANONVM PRO-FESSORE INGOLSTADII.

Digitized by Google

TESTIMONIA DE IOANNE Polemar.

Fuit Ioannes Polemar inter Legatos à Concilii Baſil. Patribus Pragam miſſos, teſte Cochlæo lib.6. hiſt. Huſſit. fol.254. *Tentatum eſt aliud tandem remedium ab Illuſtriſſimo Principe Bauariæ Duce, VVilhelmo Protectore Concilii, videlicet, vt omiſſis diſputationibus, res amice componeretur. Qua de re Pragæ poſtea Ioannes Polemar coram cunctis regni ſtatibus orationem habens.*

Venimus ad vos, inquit Ioannes Polemar in illa oratione ad Bohemos: *Ambaſiatores numero decem pro parte ſacri Concilii, quorum tres ſunt de Francia, &c. quinq; verò ſunt Teutonici, vnus Epiſcopus Auguſtenſis, & reliqui de diuerſis partibus. Ego verò inter omnes minimus, de partibus Hiſpaniæ, regni Aragoniæ, ciuitate Barcinonenſi, ad huc per 46. dietas diſtante.* Extant orationes variæ apud Cochlæum lib. 2. hiſt. Huſſ. fol.256.&c.

Tranſmiſſa igitur, inquit Cochlæus lib.7. fol.267 à *Concilio pro legatis Bohemorum noua ſecuritate ac ſaluo conductu, venerunt illi Baſileam ſimul cum Concilii oratoribus. Cuius ſanè rei geſtæ ſeriem nemo melius explicat, quàm orator Concilii Ioãnes de Polemar Hiſpanus, in ea oratione, cuius initium eſt: Magiſter ſcimus, quia verax es. Quam in ſecundo ſuo in Bohemiam aduentu Pragæ habuit ad Bohemos.*

In reſponſo Legatorum Concilii ad dubia Bohemorum (quod extat apud Cochlæum l.8. hiſt. Huſſ. f.284.) dicitur Polemar Decretorum Doctor.

In Executoria dominorum Legatorum (quæ extat apud Coch.l.8.hiſt.Huſſ.f.289.) dicitur Ioañes de Polemar, Archidiaconus Barcinonẽſis, Apoſtolici Palatii cauſarum auditor, & Decretorum Doctor.

RE-

RESPONSIO AD QVARTVM ARTICVLVM Bohemorum, de temporalitate Eccleſiæ, ſiue quod licet Eccleſiæ habere temporalia, per Magiſtrum Ioannem de Polemar.

DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. *Pſal. 69.*
Excelſus ille Propheta Dauid, de quo ſcriptum nouimus, Deum dixiſſe, quod *1 Reg. 13.*
inuenerit hominem ſecũdum cor ſuum, *Pſal. 88.*
ſic ſuæ humilitati omnium virtutum ſolido fundamento *Act. 13.*
fixus ſtabat, vt nihil de ſuis viribus ingenioue præſumeret, ſed tanquam in ſe deficiens; diuinum ad ſe poſcebat adiutorium feſtinare, & velut imbecillis infans, qui etſi manu teneatur à matre, nihil ſui corpuſculi fragilitati confiſus, dum gremio eius toto corpore non inhæret, matrem inclamitat, & palpitando tremens inhærere feſtinat: Sic inculcata petitione Deum in adiutorium eius intendere & ipſum Deum ad adiuuandum ſe feſtinare depoſcit.

Hanc

Hanc Prophetæ Deoq; accepti viri vocem Sancta mater Eccleſia per omnes dies in ſingulis diuinorum officiorum exordiis laudabili more exhibendam aſſumit. Nec immerito ad diuinas laudes accedens, Dei auxilium deprecatur. Sciens quod aduerſarius noſter, qui iuxta beati Petri doctrinam, circuit, quærens quem deuoret, tunc infremit vehementius, tunc inſtantius ſuas molitur inſidias, cum diuinis obſequiis appropinquare nos cernit. hinc ſapiens ait, *fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. capitulo.

1. Pet. 4.

Eccl. 2.

At ego hominum minimus aggreſſurus hoc tam grande negotium, matris meæ morem ſeruabo, vt pro diuini auxilii imploratione ipſam propheticam accipiam vocem; Etſi in dictandis precibus apud Iudices ſolemus patronorum iamdudum approbatorum inſequi formas, quanto magis apud Dei maieſtatem in offerendis precibus, vti decet verbis eorum, quos Deo placuiſſe cognouimus, quam maxime quæ ab Eccleſia ſancta Catholica Spiritus ſancti magiſterio docta, ſunt in quotidiano vſu recepta? Iam iam igitur ſanctum Dauid, ſanctamq; matrem Eccleſiam imitans, ad te Deus meus, mundi creator, & prudentiſſime gubernator tota cordis intentione, cum fiducia plena recurrens poſtulo atq; dico, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* Da Domine mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus ſum ego, & filius ancillæ tuæ Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, da mihi in apertione oris mei ſermonem cum fiducia, & vt notam facere cunctis valeã huius articuli veritatem. Et tu glorioſiſſima Dei genitrix Virgo Maria, voſq; omnes ciues Ieruſalem ciuitatis ſupernæ tam angelici ſpiritus quàm humani, me ſupplico

Sap. 9.

veſtris precibus adiuuare, Silueſter, Gregori, Thoma Cãtuarienſis, cæteriq; ſancti Pontifices, qui in Eccleſia Dei, poſtquã temporalib⁹ affluit mirabiliter coruſcatis, vos in veſtra cauſa interpello, aſſiſtite mihi, gloriam veſtram defendi depoſco, veſtrum quoq; omnium, qui præſentes adeſtis deuota orationis ſuffragia pro me fieri poſtulo, atq; vt pro omnibus communiter exoremus, dicentes: *adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem in diebus noſtris, Amen.* 2. Mach. 1.

REuerendiſſimi in Chriſto Patres, Illuſtriſſime Princeps, ac reuerendi in Chriſto Patres in Eccleſia Dei prælatione fungentes Doctores atq; Magiſtri, Cæteriq; viri perſpicui, qui de vniuerſis Chriſtiani orbis nationibus in hoc loco diuinæ benedictionis in Spiritu ſancto congregati eſtis, ad celebrandum vniuerſalis Eccleſiæ ritè congregatum generale Concilium, non indignè ferant veſtræ reuerentiæ humili ſupplicatione depoſco, nec vitio temerariæ præſumptionis aſcribant, ſi ex tanta doctiſſimorum virorum copia ego cunctis inferior, hoc tam grande negotium aggredi auſus ſum. In eo namq; ſtudio in quo nutritus fui * minori affert conſtitutio primum locum, vt difficiliora maioribus reſeruentur, propterea, qui primum locum vendicat, non præſumptuoſus, ſed magis humilis reputatur. hac lege fretus, hoc mihi licere putaui. Ego igitur ſi placuerit, primo dicam, & vos denuò corrigetis, quoniam hoc eſt mentis meæ firma ſententia, quod omnia dicta mea ſanctæ matris Eccleſiæ, & huius ſacri Concilij ipſam repræſentantis, correctioni ſint & determinationi ſubiecta. Nec mirũ, ſi ego ſciolus hoc dico, cum doctiſſimi ac ſanctiſſimi Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæteriq; Doctores ipſius ſanctæ matris Eccle-

*alterum exemplar: iuniori.

Gg ſiæ

ſuæ determinationi ſubiecerint dicta ſua. Ego igitur corrigi & emendari ſum paratus, ſi quid forſan proferam minus rectè, imò & ex tunc haberi volo pro nondicto.

Eſt & in alio mentis meæ intentio declaranda, quod nihil intẽdo dicere in iniuriam, contumeliam vel offenſam dominorum Ambaſiatorum incliti Regni Bohemiæ hic præſentium, ſed cum eorum bona pace. quod ſi fortè inaduertenter aliquid dixero, quod in eorum iniuriam vel offenſam videatur ſonare, quod nullatenus me facturum puto, cum non ſit ex meo animo, haberi poſtulo pro non dicto, quoniam teſtis mihi eſt Deus, quod nullatenus eos offendere, nec exaſperare cupio, ſed placare. A vobis dominis ambaſiatoribus poſtulo gratam & benignam pariter & attentam audientiam accommodari ſermonibus meis, quoniam in veritate loqui intendo, & ex charitate, per quam pro veſtra ſalute pariter & honore non ſolum mea, ſed meipſum impendere ſum paratus. Det nobis omnipotens DEVS per ſuam clementiam, ſuppliciter poſtulo, idem ſapere, & in vnanimitate & charitate ſuæ maieſtati acceptabiliter famulari. Amen.

Iam ad diſputandum articuli materiam appropinquans, ne velut ruſticus & agreſtis hoſpes illotis manibus ad diuinam menſam accedam, breuem præfationem decreui præmittere, non peregrinam, ſed vtiq; pertractãdæ materiæ ſatis conſonam. pro cuius fundamento ſuſcipio verbum ex Euangelio his diebus ſæpius recitato. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Luc. 2. cap. Expaueſcit anima mea, nimioque terrore concutitur audiens verba Prophetæ huius, de cuius veritate dubitare non licet, cui tale ab Euangelio teſtimoniũ perhibetur, quod erat *homo iuſtus & timoratus, expectans redem-*

Luc. 2.

demptionem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Quid dicis ſancte Propheta? de quo hic loqueris? *Ecce hic poſitus eſt,* &c. Planè de Ieſu ad matrem eius Euangeliſta dictum oſtendit. Quid hoc? nonne Angelus, qui eius conceptum ad Ioſeph nunciare venit, dixit, quòd *ipſe ſaluum faceret populum ſuum à peccatis eorum?* Matth. 1. Nonne & tu expectans ipſe eras redemptionis Iſrael? & ad aſpectum eius, tanquam redemptionem vidiſſes Iſrael, exultaſti, & benedixiſti Dominum, dicens? *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Si ergò ipſe eſt ſalutare Dei, ſi eſt lumen ad reuelationem gentium, & gloria plebis Iſrael, quomodo nunc dicis? *Ecce hic poſitus eſt in ruinam?* Si dixiſſes: Ecce hic poſitus eſt ad ruinam gentium, & reſurrectionem Iſrael, dixiſſes quod ſperabant Iudæi. Sed vtrumq; dicis in Israel. Iſrael populus Dei erat. ergo in populo Dei vtrunq; contingit, quod aliis erat in reſurrectionem, aliis in ruinam. Quid hoc? tabeſcere feciſti velut araneam animam meã. Sed & fruſtrà conturbatur homo, quoniam verba Prophetæ mẽtiri non poſſunt, & myſterio magno non caret. videamus, ſi ſuggerente Spiritu ſancto aliquid capere ex eis poſſimus. Ieſus ſalutare eſt, Ieſus lumen eſt, quomodo ſaluat? quomodo illuminat? vtique per ſermonem ſuum, quia verbum eius erat lux, ex ſe illuminans omnem hominem, ſed non omnis homo eſt illuminatus ex eo, non luminis, ſed viſus defectu. Vnde Origenes, *Sicut enim lux, etſi oculos debiles turbet, lux eſt, hoc modo Saluator perſeuerat, & ſi plurimi corruant, neq; enim eſt eius officium deſtructio, ſed eorum veſania. Quamobrem non ſolum ex ſalute bonorum, ſed etiam ex malorum diſſipatione, virtus eius oſtenditur.* Nam

Matth. 1.

Pſal. 38.

Origenes.

ſol quia multum radiat, propterea viſu debiles præcipuè turbat. Et
Chryſ. Chryſoſtomus: *Attende autem diſtinctionis exquiſitam prolationem. præparatio quippe ſalutis dicitur coram omni populo, ſed caſus & ſubleuatio plurium. diuinum enim propoſitum eſt ſalus ſingulorum: Caſus autem & ſubleuatio conſiſtit in plurium intentione credentium & non credentium.* Iam vt opinor videre incipimus quomodo ipſe IESVS, qui pro ſalute hominum venit in mundum, poſitus eſt in aliorum ruinam, & aliorum reſurrectionem, & in Iſrael, ſed non verè Iſrael. In
1. Cor. 10. Iſrael, ſecundum carnem, ſed non in Iſrael ſecundũ Spiritum. hoc idem Euangelicis teſtimoniis comprobemus.
Ioan. 5. Ipſe idem Chriſtus dixit, Ioannis 5. *Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audient, viuent.* Ecce quomodo in reſurrectionem multorum non omnium, quoniam qui audient viuent, *audient*, id eſt, obedient, *audient* aure cordis, multi enim audierunt aure corporum,
Aug. tract. 19. in Ioan. c. 5. qui non habuerunt vitam, prout Auguſtinus exponens hunc paſſum, ait. Addatur aliud teſtimonium ex Euan-
Ioan. 9. gelio Ioannis 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, qui vident cæci fiant.* Sic ergò in aliorum
1. Ioan. 5. reſurrectionem, & aliorum ruinam. Addamus & tertiũ, vt tria ſint quæ teſtimonium dent, iuxta canonicam Io-
Io. 6. annis. Et iſtam materiam clarius legimus in Euangelio, Ioannis 6. quod cum Chriſtus dixiſſet, *niſi manducaueritis*, &c. multi diſcipulorum dicentes, *durus eſt hic ſermo*, & abierunt retrò, & remanſerunt cum Ieſu duodecim. Ecce ſermo Dei, qui lux eſt vera, non ſolum in Iſrael, ſed in Chriſti diſcipulis aliis in vitam fuit, aliis in ruinam. vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo 54. Et habetur de conſec. diſt.
De conſ. diſt. 2 prima hæreſis c. 44. 2. *Prima quidem hæreſis in diſcipulis Chriſti velut à duritia ſermonis eius facta eſt. Cum enim diceret: niſi quis manducauerit, &c. illi non intelligentes dixerunt adinuicem, durus eſt hic ſermo, & ſe-*

& ſeparauerunt ſe ab illo, remanſit cum 12. inſtruxit eos, Spiritus eſt, inquit, qui viuificat, caro nihil prodeſt; verba quæ locutus ſum ad vos, Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritualiter, Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis carnaliter, etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt, &c. Et ſic prima hæreſis à ſermone Chriſti occaſionaliter orta eſt propter illorum malam intelligentiam. ſic & vniuerſæ hæreſes, quæ ab initio naſcentis Eccleſiæ ortæ ſunt, ex hoc proceſſerunt. Exemplificemus de aliquibus. Fuerunt quidam hæretici vocati Carpocratiani, qui ex Euangelio Luc. 2 *Cum inducerent Ieſum parentes eius*, falſum ſuſcipientes intellectum, dixerũt Chriſtum hominem tantum fuiſſe, & de vtroq; ſexu ꝑgenitum. contra illum articulum fidei *Natus ex Maria virgine*. Fuerunt & alii vocati Cerinthiani, qui ex eo, quod dixerat, *Non veni ſoluere legem*, dixerunt circumciſionem eſſe ſeruandam. Contra illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis prodeſt.* Fuerunt & alii qui ſe nominabant Apoſtolicos, quia dicebant ſe Apoſtolicam vitam ſeruare, & neminem poſſe ſaluari, qui proprium poſſideret, propter illud verbum Chriſti, *Niſi quis renunciauerit omnia quæ poßidet, &c.* horum ſectator fuit Manichæus, & etiam Iulianus apoſtata, qui ſub hoc colore Chriſtianos ſuis facultatibus ſpoliabat. Fuerunt & Adamiani, qui ex illo verbo Chriſti, *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, &c.* dicebant, quod ad ſtatum primæ innocentiæ oportebat redire, & ideo nudi orabant. Audiui aliquando in Bohemia aliquam ſectam his ſimilem fuiſſe, quæ tamen exſufflata & deleta fuit. Deo gratias. Fuerunt & alii vocati Antropomorphitæ, qui propterea, quia legimus in ſacra ſcriptura, *dextera Dei fecit virtutem, &, terra ſcabellum pedum eius*, & alia ſimilia, credebant Deum habere humana membra, contra illud Ioannis 4. *Deus Spiritus*

Carpocratiani. *Luc. 2.* *Cerinthiani.* *Mat. 5.* *Gal. 5.* *Apoſtolici.* *Luc. 14.* *Adamiani.* *Matt. 19.* *Antropomorphitæ.* *Pſal. 117.* *Eſa. 66.* *Ioann. 4.*

Heraclionitæ. eſt. fuerunt Heraclionitæ, dicentes omnia conſilia perfe-
ctionis data à Chriſto in Euangelio eſſe obligatoria om-
nium Chriſtianorum, Monachos tantum recipiebant, &
Donatiſtæ. coniugia reſpuebant. Fuerũt & Donatiſtæ, qui ex eo quod
Ioan.14. Chriſtus dixit, *Pater maior me eſt*, denegabant filiũ ſecundũ
diuinitatẽ, æqualẽ eſſe Patri, contra quos in Symbolo di-
citur, *æqualis Patri ſecundum diuinitatẽ, minor Patre ſecundũ hu-
manitatẽ.* fuerũt & quidam, q̃ ex eo quod Chriſtus dixit A-
Luc.10. poſtolis. *nolite portare neq; peram, &c. neq; calciamẽta.* nudis pe-
Nudipedes. dibus ambulabant, omnes calceatos damnabant. fuerunt
& qui propter verbum Iacobi omninò nolebãt iurare, q̃-
dam etiam licita iuramenta reſpuebant. fuerunt & qui ꝓ-
Mat.19. pter verbum Chriſti, *Si quis reliquerit patrem & matrẽ, vxorẽ,*
Marc.16. *filios, &c.* relinquebant vxores, filios, etiã paruulos non cu-
rabant alere, neq; parentes etiam debiles, contra quos in
Gangrenſi Concilio multa decreta facta fuerunt, quæ
diſt.30.ſi qui habentur trigeſima diſtinctione: *Si qui filii.* & multis. Et
*filii.c.1.2.& * hæc cauſſa exempli dicta ſufficiant. Nam multæ aliæ hæ-
ſeqq. reticorum ſectæ, Deo permittente, in Chriſtiano populo
ortæ ſunt, de quibus Iſidorus 8. libro etymol. & habetur
24.q.3. Qui- 24. quæ ferè omnes ex ſacra ſcriptura, non tamen benè
dam autem.c. intellecta, ſe fundamentum accipere crediderunt. Vn-
39. de Chryſoſtomus de laudibus *Pauli*, homilia quarta:
Iſido.l.8.ety- *Omnes hæreſes*, inquit, *prædicant Chriſtum, ſed non omnes ſanè*
mol c.5. *prædicant atq; legitimè.* Nunc autem Auguſtinum audiamus
Chryſ.
Aug.tract.18 & eius conſilium diligenti animo perpendamus, ſermone
in Ioan.c.5. 18. ſuper illud Ioannis 5. *Non poteſt filius quicquam à ſe face-
re, &c.* ſic inquit: *Neq; enim natæ ſunt hæreſes, & quædam dog-
mata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipi-
tantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod
in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.
Itaque chariſſimi cautè hoc audire debemus, ad quæ capienda par-*
uuli

Digitized by Google

nuli ſumus, & corde pio, & cum tremore, ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanctitatis, vt quod ſecundum fidem, qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus, quod autem ſecundum ſanam regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc eſt, vt etiamſi quid ſit, neſcimus, bonum tamen & verum eſſe, minimè dubitemus. O ſacrum & memorandum documentum, illorum præſumptionem confundens, qui quicquid eorũ intellectus non ceperit, reprobant & condemnant. Nam ſic conſulit Auguſtinus, *Sed etiamſi neſcimus*, inquit, *bonum & verum minimè dubitemus.* magna ergò reuerentia ſcriptura ſacra ſuſcipienda eſt, & eius vera intelligentia eſt cum diligentia flagitanda. Nam non in verborum foliis eſt Euangelium, ſed in radice rationis. Vnde Hieronymus in Epiſtola ad Galatas, & eſt in decretis 1. quæſtio. 1. *Marcion & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes non habent DEI Euangelium: quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* Et ad hoc propoſitum Caſſianus in ſecunda collatione Abbatis Sereni iuxta principium, cum dixit, quod ſacra ſcriptura eſt ager fertilis, in quo ſunt aliqua, quæ ad literam paſtum habent. ſicut illud: *Audi Iſrael DEVS tuus vnus eſt*, dicit quod etiam aliqua ſunt, quæ niſi allegorica explanatione extenuata fuerint, & ſpiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad ſalutarem interioris hominis cibum, ſine corruptionis * labe peruenient, magiſque ex eorum perceptione læſio quàm vtilitas ſubſequetur, vt eſt illud: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Et, *qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat.* Et, *qui non accipit crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quod quidam

Hier. in epiſt. ad Gal. c. 1. 1. q. 1. Marcion & Baſilides c. 64.

Caſſianus colla. 8. quæ eſt Sereni ſecunda.

Deut. 6.

* *exemplar impreſſum habet: clade.*

Luc. 12.

Luc. 22.

Mat. 10.

quidam diſtrictiſſimi Monachorum, habentes quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, easq; iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus intulerunt. Et idem in prima collatione Abbatis Moyſi ſub parabola de trapezita, cuius ſtudium eſt, ne in moneta decipiatur, *agnoſcite*, inquit, *nos hæc ſpiritualiter obſeruare debere, ſub huius nominis exemplo demonſtrat primum, vt quicquid cordibus noſtris irrepſerit, vel ſi quod nobis dogma fuerit intromiſſum: vtrum nam ſit diuino illo & cœleſtis ſpiritus igne purgatum, an ad Iudaicam ſuperſtitionem pertinens, ſeu de ſæcularis Philoſophiæ tumore deſcendens, in ſuperficie tantum præferat pietatem, diligentiſſimè perſcrutemur, quod ita poterimus implere, ſi illud Apoſtolicum fecerimus. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* quo genere quoſdam dicit fuiſſe deceptos, & infra ſubiungit. *Secundò ſollicitè nos explorare conuenit, ne auro puriſſimo ſcripturarum, praua interpretatio coaptata, metalli precioſitate nos fallat. In quo etiam eſt, quod Domino Saluatori callidiſſimus Diabolus velut homini ſimplici, tentauit imponere, dum ea quæ generaliter ſunt ſuper iuſtorum intelligenda perſonis, maleuola interpretatione corrumpens, etiam ſpecialiter huic, qui Angelorum cuſtodia non egebat, adaptare conatur, dicens, mitte te deorſum. Angelis enim ſuis mãdauit Deus de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. pretioſa ſcilicet eloquia ſcripturarum callida aſſumptione cõuertens, & ad contrarium ſenſum noxiumq; detorquens, vt imaginem tyrannici vultus, ſub colore nobis auri fallentis obiiciat.* & infra. *quæ cum ſint noſtræ ſaluti profeſſioniq; contraria, tamen velamine quodam miſericordiæ ac Religionis obtecta, facilè imperitos, incautosq; decipiunt imitantur enim nummiſata veri Regis. quia videntur ad præſẽs plena pietatis, ſed nõ ſunt à legitimis monetariis id eſt, Catholicis & probatis Patribus figurata, nec de cardinali ac publica col-* *lationis*

Caſsianus collatione 1. c. 20

1. *Ioan. 4.*

Pſal. 90.

lationis eorum prodeunt officina, ſed furtim fraude dæmonum fabricata, non ſine detrimento imperitis quibuſq; ac ignorantibus ingeruntur. & intra. *Erit ergò neceſſaria nobis iſta diſcretio, vt primum nos materia auri veri ſeu fucati fallentiſq; non lateat. Secundo, vt has cogitationes, quæ mentiuntur opera pietatis, tanquàm adulterina nummiſmata, & paracaraxima reprobemus, vtpote quæ falſam imaginem Regis non legitimè ſignata contineant, velut illa, quæ in auro precioſiſſimo ſcripturarum, vitioſo & hæretico ſenſu, non veri Regis, ſed tyranni præferunt vultum, ſimiliter diſcernentes refutare poſſimus.* Attendamus obſecro, & mente iugiter habeamus huius ſancti Patris ſapientiſſimum dogma, qui ſub ſimilitudine de moneta, falſam nos docet cauere doctrinam. Etenim ſicut ipſe declarat, moneta falſa eſt, ſiue quæ de non bono metallo fabricata eſt, ſiue quæ non habet veram imaginem, quia non eſt fabricata in publica officina. *Sic* eſt pariformiter in doctrina. Omnis doctrina ſuſpecta, ſiue ſit, quæ ex ſacra ſcriptura non eſt accepta, ſiue quæ ex ſacra ſcriptura verba ſuſcipiat, ſed non eſt in ſenſu, quem Spiritus ſanctus flagitat, applicata. Sicut diabolus fecerit, quando dicebat Chriſto, *mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, Angelis ſuis &c.* Auctoritatem ſcripturæ aſſumebat, ſed in ſenſu ſophiſtico atq; falſo. Et ſicut timens decipi in moneta, volenſq; ſibi benè cauere, non vult recipere monetam, niſi de publica officina. Sic fidelis Chriſtianus, qui tutè vult dirigi in doctrina ſana, nullam ſuſcipiat, niſi quam in publica officina publicè & generaliter in Eccleſia Dei videt ſuſcipi & approbari. ſicut enim beatus Auguſtinus ait, *omnis Catholicus ſecurus partem eam deteſtatur, cui Eccleſiam vniuerſalem Apoſtolicis ſedibus roboratam, non communicare cognoſcit.* Vnde Hieronymus ſuper illo verbo Pauli ad Galat. cap. 2. *contuli cum illis*, ſic ait, *oſtendit ſe non habuiſſe ſecuritatem Euangelij, niſi auctoritate Pe-*

cap. 22. — *Auguſt.* — *Gal. 2.* — *Hier. in ep. ad Gal. c. 2.*

tri & aliorum roboratum eſſet, id eſt, niſi deduxiſſet ipſum ad publicam officinam. Si ergò *Paulus* oſtendit ſe non habere ſecuritatem Euangelii, niſi deduxiſſet ipſum ad publicam officinam, ad concilium Eccleſiæ, quis auderet doctrinam aliquam ſuſcipere, aut docere, quam non approbauerit ſancta Dei Eccleſia? Et ad idē eſt Auguſtinus contra Fauſtum. *Apoſtolus enim Paulus, poſt Chriſti aſcēſionem de cælo vocatus, ſi non cum Apoſtolis communicaret, & cum eis Euangelium conferret, quo eiuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non communicaret*. & hæc ponuntur p̄ gloſſam in loco præallegato. Iam igitur recolligendo prędicta, cum ſermo diuinus, iuxta verba thematis præſumpti, poſitus ſit in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael, in reſurrectionem ſcilicet ſanè intelligentium, & in ruinā peruerſum ſenſum capientium ex eodem, vt ſupra deductum eſt, ſobriè & humiliter ſuſcipi debet, neq; ſtatim quod prima ſignificatione verborum aliquid ſonare videtur, illi ſenſui adhærendum eſt, quoniam non in verborum foliis, ſed in radice rationis conſiſtit Euangelium, vt Hieronymus dicit, & eſt ſupra allegatum. Omneſque hæretici, & diabolus etiam, pro ſe allegant ſcripturā, vt prædictum fuit. Sed conſulendi ſunt maiores, quid ſenſerint Patres Spiritu ſancto pleni, non inniti propriæ prudentiæ contra Salomonis doctrinam. Super quo verbo Hieronymus inquit, *innitens prudentiæ tuæ. Prudentiæ ſuæ innititur qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, præponit decretis Patrum*. Sed potiſſimè ſtandum eſt determinationi ſā̄ctæ matris Eccleſiæ, cui Hieronymus, Auguſtinus & omnes Doctores ſua dicta ſubmittunt, & à qua illorum pendet auctoritas. vnde enim eſt, quod dicta Hieronymi, Auguſtini & talium auctoritatem habent, niſi quia ſunt ab Eccleſia approbata? ſicut legitur 15. diſt. *Sancta Romana*. Si igitur

Auguſt.

Pro. 3.
Hier. in prou. c. 3.

tur Doctores ſua dicta determinationi *E*ccleſiæ ſubmiſerunt, & vt auctoritatem habeant, ab illa ſumpſerunt, quis eius audebit ſententiæ refragari? *S*i quis ergò optat ſacræ ſcripturæ ꝓfundiſſimũ pelagus transfretare, in naui Eccleſiæ hoc tutus faciat, aliàs infallibiliter demergetur. Oremus ergò Deum omnipotentem, vt mentibus noſtris Spiritus Sancti gratia infundatur, quæ doceat nos omnẽ veritatem, quatenus ſermo diuinus in ſcriptura ſacra reuelatus, nõ ſit nobis in ruinam, ſed in reſurrectionem, ad ipſius omnipotentis gloriam, atque laudem, & ſalutem animarum noſtrarum totiusque populi Chriſtiani. Amen.

Dignum reor hic dicere, quod cum iuxta præordinationem diuinam Eccleſia ſancta Catholica infantiæ ſuæ tempore, vsq; ad præfinitum tempus à patre diras tyrannorum perſecutiones paſſa fuiſſet, adeò vt ſicut Iſidorus ait 5. etymo. cap. decimo ſexto, perſecutione feruente docendarum plebium facultas minimè daretur, ſed Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſſet. Tandem Conſtãtino principe miraculoſè à lepræ morbo ſanato, & per beatum *S*ilueſtrum baptiſato, in virilis ætatis robur euaſit, tunc, vt idem Iſidorus ait, & habetur 15. diſtinctione c. *canones.* inceperunt ſacra Concilia celebrari. Nicænum primo, in quo ſancti *P*atres, iuxta fidem Euangelicam & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos fidei ſymbolum ediderunt. quod ideo in publica Miſſa altis vocibus cantat Eccleſia, vt oſtendat ex tunc, omni trepidatione ſecluſa, fidei Catholicæ proclamationem Eccleſiã generaliter accepiſſe, deinde alia tria principalia Concilia, & alia ſubſequentia, à quibus omnis Eccleſiæ decor & pulchritudo edocta eſt, eoq; tempore tanquam cõpletis prophetiis, quæ de gloria & potẽtia *E*ccleſiæ ſcri-

Iſidorus 6. etymo. c. 16.

diſt. 15. canones. c. 1.

Pſal. 2. pta erant, ſicut illa: *& nunc Reges intelligite, &c.* Et illud: *ſpe-*
Pſal. 67. *ciei domus diuidere ſpolia,* & illa: *Adorabunt eum omnes Reges,*
Pſal. 71. *&c.* Eccleſia, quæ dudum velut imbecillis tantum rogare & inuitare poterat, auctoritatem & poteſtatem accepit, etiam compellendi. Sicut Auguſtinus ait ſcribens Donato. Et habetur 23. q. 4. *diſplicet*, iuxta finem ſic dicit: *Non attendit, quia tunc primum Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumq; in ea completa fuerat illa prophetia: adorabunt eum omnes Reges terræ, quod vtiq; quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolum inuitet, ſed etiam cogat ad bonum. hoc tum Dominus ſignificare voluit: qui quamuis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem, & hoc in illa conuiuii ſimilitudine, ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit Dominus ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait ſeruo, Exi citò in vicos & plateas ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc, & ait Domino ſeruus, factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt, & ait Dominus ſeruo, Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc, quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum eſt, Introduc eos, nunc dictum eſt, Compelle, ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia, adhuc creſcentis, vt eſſent vires etiam compellendi.* Hæc Auguſtinus. Ex tunc quidem per diuerſa donaria tam dicti Conſtantini, quàm aliorum fidelium principum, aucta eſt Eccleſia Dei in temporalibus bonis ampla poſſeſſione, non quidem, quin iam ante Eccleſia temporalia bona habuiſſet, vt inferius deducetur, ſed quia ex tunc ampliſſimè magnificata eſt. Et quã diu principum ſæcularium ad Eccleſiam fuit, eritq; deuotio, & inter illas duas poteſtates, Eccleſiaſticam ſcilicet & ſæcularem, Eccleſiam & imperium, fuit, eritué vnitas & concordia, fuit & erit quoq;

[Margin notes: 23. q. 4. diſplicet. c. 38. — Aug. Donato Presbytero. ep. 204. — Luc. 14.]

Digitized by Google

quoq; orbi tranquillitas, & felicitatis decor. Ideoq; humani generis inimicus, cuius proprium eſt vnitati & charitati aduerſari, & chriſtiani populi profectibus obſiſtere, ſæpè niſus eſt ſuperſeminare zizaniam, & ſubortis diſcordiis inter has duas poteſtates, inſurrexerunt homines acuti ingenio, ſed non in bonum, quorum aliqui prouocati, quia non poterant in Eccleſia promotiones quas optauerunt obtinere, vel quia diſtricti fuerant, vel correcti, alii aliis paſſionibus impulſi, diſputare inceperunt & aſſerere, quod Eccleſia non poterat bona temporalia poſſidere vel habere, maximè ciuile dominium, ſed nec defuerunt, qui ſententiam omninò contrariam affirmarunt, dicentes, non ſolum Eccleſiam poſſe licitè poſſidere & habere bona temporalia, & ciuile dominium, ſed etiam Papam tanquam Chriſti Vicarium, qui vniuerſorum eſt Dominus, omnium ciuilium dominiorum eſſe primum adminiſtratorem, imò & Dominum, eo modo, quo dominia hominibus ſub Deo competunt. Et ad hoc poſſem allegare magnam copiam Doctorum, ſic tenentium, ſuiſque ſcriptis & tractatibus hoc firmantium. Fuit quoq; quidam Cancellarius Pariſienſis, qui ſic initiat ſuum tractatum: *Interdum contingit, quod vitare volens vnum errorem, incidit in contrarium, &c.* & poſitis aliquibus exemplis, ſic ſubiungit, *modo conſimili circa poteſtatem Pontificum veritas medium ponit, inter illos duos errores. Nam error VValdenſium fuit, ſucceſſoribus Apoſtolorum, videlicet Papæ & Prælatis Eccleſiaſticis repugnare dominium in temporalibus, nec eis licere habere diuitias temporales:* & poſita alia contraria iam ſuperius memorata opinione, ſubiungit, *inter has opiniones contrarias, quarum primam erroneam omnes putant, puto quod veritas medium ponit, ſcilicet quod Prælatis Eccleſiæ non repugnat habere dominium in temporalibus, & iuriſdictionem, contra primam opinio-*

Diuerſæ opiniones de dominio temporalium, an poſſit competere perſonis Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

pinionem erroneam. nec tamen eis debetur per ſe ratione ſtatus ſui, & ratione quia ſunt vicarii Chriſti, & Apoſtolorum ſucceſſores, ſed eis poſſunt conuenire ex conceſſione principum. hæc ille.

Ego quidem inter has opiniones quid ſentire valeam, vt tamen præmiſſis proteſtationibus & bona pace loquar, niſi quod prima opinio, ſcilicet, quòd Eccleſiæ non liceat habere diuitias temporales, quam præſcriptus Doctor dicit ab omnibus erroneam reputatam, & nonnulli aſſerunt fuiſſe condemnatam in Concilio generali, de quo in c. *excommunicamus* de hæreticis, introducta ſit, & defenſa ab his, qui ſub colore cuiuſdã palliatæ honeſtatis, tanquam prætendentes optare Eccleſiæ ſanctitatem, ipſam deſtruere vellent. Vnde Hieronymus in minori Breuiario ſuper illo verbo Pſalmi, *vt deſtruas inimicum & vltorem,* ſic inquit, *Inimicum & defenſorem hæreticum ſcilicet, qui tum nequitia ſua impugnat Eccleſiam, eam tamen defendere aſsimulat.* Et Auguſtinus ſuper eodem, *quem niſi hæreticum. Nam ipſe eſt inimicus & defenſor, qui fidem Chriſtianam cum impugnat, videtur defendere.* Vnde Gregorius 23. moralium. *Sæpè hæretici per hoc quod eſſe hominibus deſpicabiles ſolent, cum à cunctis ferè gentibus ſanctam Eccleſiam venerari conſpiciunt; opinionem eius quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes: idcircò illi cuncta temporalia ſuppetunt, quia ei præmia æternorum munerum ſubtrahuntur. Quorum vocibus Heliu obuiat, dicens: Ne fortè dicatis, Inuenimus ſapientiam, Deus proiecit eum, non homo. ac ſi arrogantes intra ſanctam Eccleſiam, ſed tamen fideles contra hæreticos dicant, per hoc quod ſanctam Eccleſiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, proiectam à Domino non credatis. Scit enim redẽptor eius & in hoc itinere ſolatia venienti tribuere, & peruenienti ad æternam patriam ſuperna præmia reſeruare. Incaſſum igitur dicit-*

c. excommunicamus. de hæret. lib. 5. t. 7. c. 13.

Hier. in Pſa. 8.

Auguſt. ibid.

Greg. 23. moralium.

Iob. 32.

dicitis, quòd Deus eam, non homo proiecerit, cum venerari eam à cunctis ferè hominibus videtis: quia ſic ei terrena gloria adiumentum tribuitur, vt per hoc multiplicius etiã ad cœleſtia ſubuehatur. ſic Gregorius. De aliis autem opinionibus, ſiue de omninò contraria, ſiue de illa, quam ipſe dictus Doctor ponit mediam, mihi dicere nõn eſt opus. Satis mihi eſt falſam opinionem refellere, & quod Eccleſiæ bona temporalia habere & poſſidere liceat, demonſtrare. Hunc ergò ordinem, Deo propitiante tenebo. Primo rationes in cõtrarium factas ſoluere & enodare curabo. Secundò licet primum ſufficeret, tamen nihilominus quaſi ex ſuperabundanti veritatem, quæ eſt, ſcil. quod Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum ſit habere & poſſidere bona temporalia, firmiſſimis demonſtrabo documentis. Hæc quæ præmiſi, dante Domino, credo me ſic luculentius agere, ſi paſſim inſequar veſtigia Magiſtri Petri, qui hunc articulum propoſuit, eiusque ſcripta, quæ obtulit, in quo præterire nolo, quod cum in mediis propoſitorum ſit vacuus, vt clarè DEO propitio deducetur; in principio tamen & in fine plurimum loquitur rigidè & Eccleſiaſtico ſtatui detrahendo, & ea, quæ in ipſis principio & fine loquitur, relinquit penitus ſine aliquo fundamento. Dicit in principio, quòd intranquillitatis & diſcordiæ mundi cauſa eſt dominatio Cleri, ſuper bonis immobilibus ſeu mobilibus huius viæ, & ad hoc dictum nullam probationem adducit.

Modus procedendi.

Ego autem è contrario dico, quod ad tranquillitatem & pacem orbis multum proficit potentia & dominatus Eccleſiæ; niſi enim Eccleſia haberet potentiam, tanta eſſet indiſciplinatio & arrogantia hominum ſuperborum, volentium inniti opinionibus propriis, quod niſi eſſet ma-

gna

na potentia Eccleſiæ ad comprimendos eos, quotidiè hæreſes pullularent & recreſcerent. hoc vnusquisq; volens aduertere, per ſeipſum intelligere poteſt. quoniam varietates opinionum cum capitoſitate & pertinacia nõ deſunt, ſed per timorem comprimuntur, & poteſt hoc apertè cognoſci ex eo quod erat antequam Eccleſia hanc potentiam haberet, prout patet ex dictis Iſidori iam ſuperius allegatis, quod ante illa tempora Conſtantini iam nõ erat facultas docendarum plebum, cum Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſſet: etiam ex dicto Auguſtini ſuperius allegato, poſſem & adhuc multa alia deducere, quę dimitto, ne efficiar nimis longus.

Concluſio aduerſarii.

Ponit demum concluſionem ſuam ſub his terminis: *Secularis poſſeſſio, ſicut & ciuile dominium iure diuino & humano, Doctorum ſanctorum ſententiis, & ratione efficaci, tempore legis gratia prohibetur Clero Chriſti.*

c. licet. de off. ord. l. 1. t. 31. c. 12.

Deinde ad declarandum terminos, facit vnam diſtinctionem de poſſeſſione, & ponit deſcriptionem poſſeſſionis, quam ponit glo. ſuper l. 1. ff. de acqu. poſſ. Quæ dicta per eum poſſem multipliciter impugnare, ſed non curo contentiones verborum. Scio quod illam deſcriptionẽ ponit gloſſa prædicta, & ꝙ diuidit poſſeſſio in has tres ſpecies: ciuilem tantum, naturalem tantum, & naturalem & ciuilem, & illam quam ponit ipſe dicit ſecularẽ, non eſt in C. nec in ff. nec in toto corpore iuris, & tamen eam vult fulcire ex quadam gloſſa c. licet. de off. ord. Clarè patet, quod non facit ad propoſitum. videamus textũ & gloſſ. textus dicit. *Licet tam circa viros Religioſos quam Clericos ſæculares.* Diſtinguit hic duas ſpecies Clericorum, ſeu Eccleſiaſticorum hominum, alios Religioſos, alios ſæculares Clericos. Gloſſa exponit quid ſit dicere *Clericos ſæculares*, & dicit quod Clerici ſæculares dicuntur, qui

Digitized by Google

qui poſſunt habere proprium, ſicut & laici, cum Religioſi hoc non poſſint: Sic & Hoſtienſis in c. 1. de ſum. Trin. ſuper verbo *communem*, dicit, quod ſicut Deus creauit naturam ſpiritualem, corporalem, & hominem, cuius eſt mixta natura, vt ibi textus, ita genus Clericorum permixtam vitam ducit inter laicos & Religioſos. Quæ quidem allegata gloſſa facit ad hoc, quod dicatur ſæcularis poſſeſſio, non eſt ſpecies ſæcularis poſſeſſionis, imò omnis poſſeſſio in hac vita eſt ſæcularis, quia ſæculare idē eſt quod temporale, vt dicit glo. ſuper Epiſtola ad Hebræos nono, ſuper illo verbo *ſanctum ſæculare*, id eſt, temporale. Benè ſcio differentiam inter res ſpirituales & temporales, & temporalia poſſidentur, vt ipſemet dixit. Certè audeo dicere, quod competenter mihi nota eſt materia poſſeſſionis. Nam ſcio me repetiſſe in ciuitate Barchinonę, c. cauſam quæ de præſcrip. vbi aderant plus quàm quinquaginta Doctores & Licentiati in jure, & ibi latiſſimè examinaſſe deſcriptionem & diuiſionem poſſeſſionis. Et demum quando debui aſſumi ad officium auditoris Palatii Apoſtolici repetiiſſe c. cum dilectus de cauſſa poſſeſſi. & propriè: cui quantum conueniat hæc materia, norunt omnes jurisperiti. tamen ego neſcio intelligere, quid dicat ex diſpoſitione terminorum. Scio etiam quod interdum poſſeſſio capitur pro re poſſeſſa. ff. de ver. ſig. l. interdum. & ita ſępè capitur in ſacra ſcriptura, ſicut Gen. 13. quod *erat poſſeſſio eorum nimia*. Et in Euangelio Matth. c. 19. de juuene q *habebat poſſeſſiones multas*. quas textus ipſe allegat & applicat ad deſcriptionem poſſeſſionis ſupra memoratæ, ad quam nihil faciunt, ſalua gratia allegantis.

Gloſſ. ad Heb. 9.

c. cauſam quæ de præſcrip. lib. 2. tit. 26. c. 7.

c. cum dilectus de cauſa poſſeſsionis & proprietatis. lib. 2. tit. 12. c. 6.

Gen. 13. Matt. 19.

Relinquamus iſta, & relinquamus alias ſuperſtitiones, quas facit de dominio pro declaratione termini poſiti

Digitized by Google

poſiti in concluſione, *ciuile dominium*, quod etiam ad bona mobilia & immobilia juxta ſuum conceptum applicari non poteſt, quoniam in bonis mobilibus habetur ab hominibus priuatum dominium, & non ciuile, quorũ bonorũ dominia vt plurimũ acquirũtur jure gentiũ, quod eſt jus naturale. Et valdè pauci modi ſunt acquirendi dominia de jure ciuili l. ex hoc jure ff. de juſti. & jure ff. de acqu. re. domin. l. prima. & ibi gloſſa enumerat aliquos paucos modos, quibus dominia acquiruntur de jure ciuili. Et videamus ad intellectum, quid poteſt velle dicere, & occurrunt mihi iſta duo. Primò quòd Clerici non poſſunt habere proprium, ſed poſſunt habere omnia in communi, & hoc videtur dicere quarta ſuppoſitio ſi legatur. Sed neſcio ſi hoc ipſe ſentit, cum, ſicut audio, eius vitæ contradicat, nec credo, quod ſi adueniret ſibi bona hæreditas patris, vel alicuius conſanguinei vel amici, portaret eam in communi cum fratribus monaſterij Sclauorum in Praga, cum quibus viuit. Secundum, quod etiam in communi nõ poſſint habere & poſſidere bona mobilia & immobilia. Sed & hoc videtur contrariare ipſi quartæ ſuppoſitioni, vbi dicit, quod habent in communi. Et maximè contrariatur cõtentis in ſchedula additiua vltimo data, in qua, vt mihi videtur videns ſe deficere in probationibus eorum, quæ præmiſerat, ipſa deſtruit & nouam materiam introducit, ſine alicuius probationis fulcimento. Ego autem dico, quod Clerici non Religioſi, ſeu qui voto ad hoc nõ ſe obligarunt, licitè poſſunt habere & poſſidere bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorũ, ſi eis relinquuntur, & alia bona juſtè acquiſita, traditione, donatione, ex cauſa, vel alicuius liciti contractus, vel arte licita. Item quod Eccleſia poteſt habere & poſſidere bona temporalia mobilia, & immobilia, domos, præ-

Clerici non Religioſi poſſunt habere & poßidere omnis generis bona temporalia, mobilia & immobilia

prædia, villas, caſtra, oppida, & ciuitates, & in eis habere priuatum & ciuile dominium. Et ea quæ in contrarium dicta ſunt, minimè obſtant, quibus reſpondeatur per ordinem. Et primò allegantur auctoritates veteris teſtamenti, Num. 18. & aliæ, in quibus habetur, quod dixit Dominus de tribu Leui, quod in terra illa *nihil poſſiderent, neque haberent partem inter eos.* Et ſuper eiſdem auctoritatibus radicaliter fundatur prima & ſecunda ratio de rationibus, quæ in fine poſt allegationes auctoritatum ſubiunguntur. *iuſtè acquiſita.* *Ad auctoritatem Num. 18.*

Ad hęc omnia reſpondeo, quod ſicut dicit Magiſter Bonauentura ſuper 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. articulo tertio. Sacerdotii Chriſti non tam fuit figura Sacerdotiũ Aaron, quàm etiam Melchiſedech, ſecundum quod dicitur ad Hebr. ſeptimo: *fuit Rex & Sacerdos*, ſic & Chriſtus. Et quãuis honorem regalem recuſauerit, & ipſe pauper vixerit, tamen propter ſuam dulciſſimam benignitatem, ad hoc alios non artauit. vnde nullatenus eſt credendum, ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ aliter regi quàm diſponat Spiritus ſanctus. Hæc omnia Magiſter Bonauentura. Cum ergò Sacerdotium Chriſti ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, ſicut Apoſtolus ait, nil mirũ ſi Sacerdotes poſſideant temporalia, ſicut Melchiſedech, qui erat Rex Salem, & nihilominus Sacerdos altiſſimi. Ge. 14. Sed nolo eſſe hac reſponſione contentus. pro parte altera allegati ſunt quinque textus veteris Teſtamenti, qui videntur ſonare, quod Leuitæ nil debebant poſſidere in terra promiſſionis, ſed habere decimas, & primitias, & oblationes, pro ſuſtentatione ſua. Et ego allegabo quindecim textus, quod Leuitæ habuerunt & poſſidebant bona mobilia & immobilia, ſeruos, domos, prædia & oppida, & ciuitates. Sed ante volo præmittere, ꝙ in tẽpore ante le- *Bonaue. art. q. 3. ad 17.* *Heb. 7.* *Gen. 14.*

Digitized by Google

te legem, vt communiter Doctores dicunt, primogeniti
Gen.27. fuerunt Sacerdotes, & præ aliis dominium, & hæredita-
Gen.49. tem habuerunt. Vnde Gen.27, dixit Iſaac ad Iacob: *Eſto*
Hier. in quæſt. in Gen. *dominus fratrum tuorum*, quia prima erat benedictio primo-
geniti, & Gen.49. *Ruben fortitudo mea, primus in donis, &*
maior in imperio. quod exponit Hieronymus in gloſſa de Sa-
cerdotio maiori hæreditate, & imperio ſuper fratres, quę
habuiſſet, niſi aſcendiſſet cubile patris ſui Abraham. Et-
Chry. in c.1. Mat. in opere imperf. iam fuit Sacerdos, vt probat Chryſoſtomus ſuper Matth.
primo. Et quam diues fuerit, omnes ſcimus. De Mel-
chiſedech iam dictum eſt, & ſic patet, quod in populo Dei
Sacerdotes fuerunt opulentiſſimi.

Veniamus ad tempus legis veteris, & ſequamur or-
Leu. 25. dinem. primo. Leu. 25. *Ædes Leuitarum quæ in vrbibus ſunt,*
ſemper poſſunt redimi, ſi redemptæ non fuerunt, in Iubileo reuer-
tentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum ſunt pro poſſeſ-
ſionibus inter filios Iſrael, Suburbana autem eorum non veneant,
Leuit.27. *quia poſſeſſio ſempiterna eſt.* Item Leuit. 27. *Homo ſi vouerit*
domum ſuam, & ſanctificauerit Domino, & infra *ſi agrum poſſeſ-*
ſionis ſuæ vouerit, & conſecrauerit Domino, &c. & infra: *ſi nolue-*
rit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum, qui
vouerit, redimere non poterit, quia cum iubilei venerit dies, ſancti-
ficatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet Sacer-
dotum. & infra: *Omne quod conſecratum fuerit Domino, ſiue homo*
Num.35. *ſiue animal ſanctum ſanctorum erit Domino.* Item Num. 35. *Lo-*
cutus eſt Dominus ad Moyſen præcipe filiis Iſrael, vt dent Leui-
tis de poſſeſſionibus ſuis vrbes, ad habitandum, & ſuburbana earum
Num.31. *per circuitum, &c.* Num. trigeſimo primo. Cum Iſrael viciſ-
ſet Madianitas, & de eis tuliſſet magna ſpolia, iuſſit dari
Eleazaro vnam animam de quingentis, tam ex homini-
bus, quàm ex bobus, aſinis, & ouibus, & Leuitis quinqua-
geſimum caput hominum, boum, & aſinorum, & cuncto-
rum

Digitized by Google

rum animantium, ex media parte filiorum Iſrael. Item, Deut. decimo octauo de cæteris Leuitis volentibus miniſtrare dicitur, *partem ciborum eandem accipient, quam cæteri, excepto eo, quod in vrbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur*. Item Ioſue 21. dederunt Leuitis filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis, iuxta imperium Domini, ciuitates & ſuburbana eorũ & ibi ſcribitur, quomodo quælibet tribus dedit certas ciuitates, alia decem, alia tredecim, alia quatuordecim, &c. Et in fine ſubiungit: *Itaq; ciuitates vniuerſæ Leuitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael 42. cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ*, & præterea ſex refugii, & ſic erant 48. Item 3. Reg. 2. Salomon ait ad Abiathar Sacerdotẽ, *vade in Anathot ad agrum tuum*, & ſic Sacerdos habebat agrum. Item 2. Paralip. 11. Roboam Dei cultum tenente, & Ieroboam idololatriam inducente dicitur, *Sacerdotes venerunt ad Roboam relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas.* Ecce quot poſſeſſiones habebant Sacerdotes? Item Ieremias Propheta ſanctificatus in vtero Sacerdos, emit agrũ, ſoluit precium, ſtipulationes fecit, & ſibi fieri inſtrumentum Ierem. 32. cap. Item de eodem 37. capitulo: *Cum ergò receſſiſſet exercitus Chaldæorum ab Ieruſalem, egreſſus eſt Ieremias, vt iret in terram Beniamin, & diuideret ibi poſſeſſionem in conſpectu ciuium.* Item primi Eſdræ ſecundo de redeuntibus Sacerdotibus à captiuitate ſic dicitur: *Habitauerunt ergò Sacerdotes & Leuitæ, & janitores & cantores in vrbibus ſuis, vnusquiſq; Iſrael in ciuitatibus ſuis.* Item, certum eſt, Ionathan fuiſſe Sacerdotem, ex primo Machabæorum, & ducem & principem ad bellandum: ibidem 9. & ſummum Sacerdotem, ibidem 12. qui habuit amplas poſſeſſiones. vnde in fine decimi capitis dicitur: *Addidit adhuc ſcilicet Alexander Rex glorificare Ionathan, & miſit ei fibulam auream, ſicut eſt conſuetudo dari cognatis Regum, & dedit ei Accharon* (nomen

Deut. 18. Ioſu. 21. 3 Reg. 2. 2. Par. 11. Hier. 32. Hiere. 37. 1. Eſd. 2. 1. Mach. 9. 12. 10.

Digitized by Google

men eſt ciuitatis) *& omnes fines eius in poſſeſsionem.* Item ibi-
1. Mach. 11. dem 11. Demetrius Rex prędicta confirmauit Ionathæ, & maiora addidit. *fecit Ionathæ Rex ſicut fecerunt ei qui ante eum fuerant, & exaltauit eum in conſpectu omnium amicorum eius, & ſtatuit ei principatum Sacerdotii, & quæcunq; alia habuit prius preciosa, & fecit eum principem amicorum.* Item ibidem: *Scripſit Rex Antiochus adoleſcens Ionathæ dicens, conſtituo tibi Sacerdotium, & conſtituo te ſuper quatuor ciuitates, vt ſis de amicis Regis. & miſit ei vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, & habere fibulam auream & Simeonem fratrem eius conſtituit ducem in terminis Tyri, vſq; ad fines Ægypti.* de Sacerdotibus omnia iſta dicta ſunt.

Sed de Iuda Machabæo & aliis principatum & potentiam liber Machabæorum oſtendit, & ſic ſunt quatuordecim auctoritates veteris teſtamenti. addatur vna de nouo teſtamento, quantum pertinet ad vetus. Actor. 4.
Acto. 4. *Ioſeph qui cognominabatur Barbaſas Leuites, Cyprius genere, vendidit agrum,* hic erat Leuita ſecundum Magiſtrum hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Nicolaum de Lyra, habebat tamen agrum quem vendidit. & ſic habeo quindecim auctoritates contra quinq;, quæ vincere debent; nam æqualis roboris & fortitudinis ſunt, cũ ſint ex textu Bibliæ. Sed in ſacra ſcriptura nulla eſt contrarietas. quid ergò? videamus verũ ipſius intellectum, ne ſermo ad corticem literæ intellect⁹ ſit nobis in ruinam. Textus per me adducti ad plurimum faciunt teſtimonium de facto. Quid ergò? fuit violata lex illa data per Deum? abſit. Sed videamus ipſius verum & planum intellectum. Ego dicam valdè planè, Dominus dedit 12. tribubus Iſrael terram promiſſionis, iſta terra erat diuidenda inter tribus per partes ſeu hęreditates ſeparatas, vt verbi gratia, tribus Zabulõ habebit Bauariã, tribus

bus Nephtalim Franconiã, tribus Beniamin, Auſtriã, & ſic de aliis, ita ſunt diſtincti & limitati fines tribuum in Canone Bibliæ. Tribus autem Leuitica, cum eſſet ſacerdotalis, non habebat eſſe ſeparata, ſed debebat ſeruire in ſanctuario ad vtilitatem omnium tribuum. Et ideo non habebat ſortem ſeu hæreditatem ad partem, ſicut vna tribus ex aliis, ſed habebat plus quàm aliqua tribus, quia cũ eſſent 12. tribus, ſibi non pertineret niſi 12. pars, & habuit decimam omnium, & vltra decimam, primitias, & oblationes, vota, ſacrificia, redemptiones, & emendas, domos, ſuburbia. Ecce quantam opulentiam habebant illi Sacerdotes, vtiq; vix credo, quod vel ſaltem in paucis locis, Sacerdotes noſtri habeant maiorem opulentiam, & ita eſt intellectus illarum auctoritatum, quod non habuit ſortem. Si enim Deus faceret tantam gratiam Germanicæ nationi, quod acquirerent terram illam ſanctam, & demũ deberent ſibi diuidere ꝑ partes & nationes ſeparatas, certum territoriũ Bauaris, certum Auſtralibus, certum Bohemis, & nõ darẽt Sacerdotibus ſortem vel hæreditatem ad partem, ſed cum omnibus partibus haberent in vnaquaq;. habebant enim illi Sacerdotes ſicut dictum eſt mobilia, & immobilia, domos, & prædia, in quibus habebant verum dominium, quia poterant illa vendere, & alienare, quæ non poteſt facere, niſi dominus. Quid autẽ poſſent vendere & alienare, patet per illam auctoritatem Ieremiæ 32. & Actorum quarto. Eccleſia hodiè in temporalibus bonis non habet aliud, niſi oblata à fidelibus, ſi qs obtulit Eccleſiæ domum, vel agrũ, caſtrũ aut oppidum. Sic & illi habuiſſent ſi oblata fuiſſent, quia erat lex Domini, vt ſuprà eſt allegatum Leu. vigeſimo ſeptimo: *Si vouerit domum ſuam*, Sed fortè dicet, ſed non habebant ciuile domi-

Hier. 32.
Act. 4.

dominium, dico, textus non dicit, Non habebant ciuile dominium, ſed nihil aliud, quàm decimas & primitias poſſidebunt. In nullo illorum textuum fit mentio de ciuili dominio. Præterea dixi, & verum dixi, quod ciuile dominium non eſt applicabile ad bona mobilia & immobilia: Sed dicam, quid eſt ciuile dominium, de quo fortè loqui nolunt, licet non expreſſerint illud, de quo dicitur, quod Imperator eſt Dominus iſtius ciuitatis, vel mundi. de quo p Doctores in l. Benè à Zenone. C. de quad. præſ. & in c. conuenior 23. q. 8. Sed non eſt dominus illius domus, vel illius, quia imò illi priuati, vel domini domorum, & prædiorum ſunt. Sed eſt quoddam vniuerſale dominiū quod magis propriè dicitur poteſtas de publico, ſeu juriſdictio, cuius deſcriptio habetur per gloſſ. in l. 1. ff. de juriſdicti. Sed certè tale dominium in populo Iſrael à principio nullus habebat, niſi ſolus Deus. Ideo quando noluerunt habere Regem, dixit ad Samuelem, *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnarem ſuper eos* 1. Reg. 8. Imò & Leu. 25. dicit, *Terra quoq; non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ & coloni eſtis.* Huius autem dominii ſeu juriſdictionis adminiſtrationem & exercitium habuerūt domini Sacerdotes. Primum Moyſes, qui erat Sacerdos. Vnde Pſalmiſta: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* & idem dux & rector populi Iſrael. Deinde tempore iudicum, qui regebant Iſrael, fuerunt iudices plures de tribu Leui, ſicut Heli & Samuel, qui fuit de tribu Leui, vt ait Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ. Et Auguſtinus in quæſtionibus veteris teſtamenti tractando illud, quomodo Helcana, pater Samuelis decimas offerebat, cum eſſet Leuita? & ibi ad noſtrum propoſitum dicit, quod quia accipiebant vxores de aliis tribubus, ſicut Ioiada Sacerdos duxit filiam Regis Ioram, & ſic habebant poſſeſſiones vxorum.

1. Reg. 8.
Leu. 25.
Pſal. 98.
Aug. in quæ. veteris teſtamenti. quæſt. 46. to. 4.

Tan-

Tandem ſupremum iudicium erat Sacerdotum, dicente Domino Deut.17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, lepram & non leprã, cauſam & cauſam, & judicum inter portas, videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunq; dixerint tibi, qui præſunt loco quem elegit Dominus*, & intra: *qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrauerit Domino Deo tuo, ex decreto judicis, morietur ille homo.* Poſtea verò venerunt Reges, infra quorum tempus non legimus quempiam præter Reges habuiſſe dominium alicuius ciuitatis, oppidi vel caſtri. Si nemo habebat, non mirum, ſi Sacerdotes non habebant. Eſt namq; mos in aliquibus Regionibus, ſicut audio eſſe in Affrica, quod ſolus Rex habeat dominium ciuitatum, oppidorum, caſtrorum & villarum. Sed poſtea temporibus Machabæorum, nonne Mathathias, Ionathas, Iudas Machabæus, & fratres eius Sacerdotes ſimul fuerunt & principes, vt hiſtoria Machabæorum liquidè atteſtatur, & ſic habuerunt ciuile dominium? *Deut.17.*

Iam venio ad auctoritates noui teſtamenti, & primo loco allegantur quatuor auctoritates ordine ſucceſſiuo, quæ ſalua bona gratia allegantis valdè parum faciunt. Prima eſt de vocatione Petri & Andreæ. Alia de vocatione Matthæi. In quibus magna vocantis virtus, & obedientia vocatorum meritò commendatur. Sed cum non habeant notam præcepti, neq; prohibitionis, non poteſt ex eis argumentari ad licitum vel illicitum, ſed ad laudabiliter imitandum, perſonarum, rerum & temporum circumſtantiis adhibitis ſicut decet. *Ad auctoritates noui teſtamenti.* *Ad 1. Mat. 4.* *Mat. 9.*

2.Cor.3. menti, ſicut dixit Paulus 2.Cor.3. *Non litera, ſed ſpiritu, quia litera occidit, ſpiritus autem viuificat.*

Et primo ſciendum eſt, quòd per hunc modum loquendi *nolite* vel *noli* non ſemper inducitur prohibitio, vt contra faciens peccet, ſed eſt ſæpè quædam exhortatio vel confortatio. Graue nimis eſſet, ſi vbicunq; in ſacra ſcriptura talis inuenitur locutio, prohibitionem induceret ſuper expreſſa ad ſenſum grammaticalem, Lucæ quinto, præcepit ne cui dicerent, Marci decimo de libello repudii. Scriptum eſt in Euangelio Lucæ decimo quarto: *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos aut fratres, aut cognatos.* Nunquid eſt intelligendum ex hoc prohibitum inuitare amicos? Vnde Beda, vt Thomas allegauit in gloſſa: *fratres igitur & amicos & diuites, alterutrum conuiuia celebrare, non quaſi ſcelus interdicit, ſed ſicut cætera neceſſitatis humanæ commercia ad promerendum vitæ cœleſtis præmia* * *modicum valere.* Iterum ſcriptum eſt Matthæi decimo: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt,* nunquid propterea eſt abiiciendus omnis timor eorum, qui poſſunt corpus occidere? certè non, ſed hoc eſt intelligendum, ne propter timorem corporis iuſtitiam deſeramus. Item: *nolite ſoliciti eſſe quid manducaturi eſtis, neque ſoliciti eſſe de craſtino.* Nunquid eſt propterea ſic abiicienda omninò ſolicitudo victus & veſtitus, pro futuro tempore? certè non. Vnde Auguſtinus in libro ſecundo de ſermone Domini. *Vehementer cauendum eſt, ne fortè cum viderimus aliquem ſeruum Dei prouidere, ne iſta neceſſaria deſint, vel ſibi, vel his, quorum cura ſibi commiſſa eſt, iudicemus eum contra præceptum Domini facere, & de craſtino ſollicitum eſſe. Nam ipſe Dominus cui miniſtrabant Angeli propter exemplum, ne quis poſtea ſcandalum pateretur, cum aliquem ſeruorum eius animaduertiſſet iſta neceſſaria procurare, loculos habere dignatus eſt, quibus portabatur pecunia,*

Verbum. Noli aut nolite, nō ſemper prohibitionem ſonat.

Luc.5. Marci 10. Luc.14.

S.Tho. in cate. ex Beda.

** textus impreſſus habet nihil.*

Mat.10.

Matt.6.

Aug.l.2. de Serm. Domini in monte paulo vltra medium.

Digitized by Google

nia, vnde vſibus neceſſariis quidquid opus fuiſſet, praberetur. hac prouidentia alii Apoſtoli Paulus & Barnabas praceperunt collectas fieri in vſus Sanctorum qui erant in Ieruſalem. hæc Auguſtinus. Hoc de collectis habetur Actor.11. ad Rom.15. & ipſe Paulus pro futuro ſuo itinere talem prouidentiam habuit, & ipſe oſtendit 2.Cor.9. Et ad Philip.4. Iterum cum Chriſtus dixit, *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, numquid hæc prohibitio fuit magis confortatio quædam, ne timorem aut ſolicitudinem formidoloſam haberent? ſic in propoſito. Iterum quomodo Chriſtus dixit Lucæ ſexto: *nolite judicare*. Nunquid prohibuit omne judicium? abſit. Iterum cum Apoſtolus Iacobus dixit: *nolite jurare*. nunquid propter hoc debet omne juramentum cenſeri prohibitum? abſit. Tandem cum Paulus dixit Timotheo: *noli aquam bibere*. Peccauit Timotheus, poſtea quãdo aquam bibit? In huiuſmodi locutionib⁹ attẽdenda ſunt plura. perſona loquens, cui loquitur, res de qua, quo dicendi genere, & qua de cauſa. Quoniam vt inquit Hilarius, *intelligentia verborum ex dicendi cauſis eſt aſſumenda, & mens dicentis magis eſt attendenda, quam verba*. Hac vna regula præſuppoſita infallibili, quæ trahitur ex Auguſtino tertio de doctrina Chriſtiana, cuius libri principalis intentio eſt inſtruere nos ad intelligendam ſacram ſcripturam. Regula eſt iſta. Quod quando ſcriptura ſaluari non poteſt in ſenſu terminorum grammaticaliter acceptorum, tropica ſeu figuratiua locutio eſt; Solet enim ſcriptura tropicè ſeu parabolicè loqui, ponens interdum cauſam pro effectu, vel effectum pro cauſa: vel rem pro vitio vel virtute, quæ vt communiter vel vt plurimum ſolet conſequi ad eam, v.g. dixit Chriſtus Matt.5. *Quicunque dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehenna ignis.* Certè ibi cordis rancorem ad apertam contumeliam proſilientem in-

Act. 11. *Rom.*15. 2.*Cor.*9. *Philip.*4. *Mat.*10. *Luc.*6. *Iaco.*5. 1.*Tim.*5. *Hilarius.* *Auguſt. de doct. Chriſt.*

tellexit, alioqui reus fuiſſet gehennæ ignis Paulus quando dixit Galatis, O inſenſati Galatæ. Vnde Auguſtinus vigeſimo primo de Ciuitate Dei, iuxta finem: *Non dicit fratri ſuo fatue, qui cum hoc dicit, non ipſi fraternitati, ſed peccato eius infenſus eſt.* Iterum aliud exemplum. Chriſtus dixit Matthæi vigeſimo quarto: *Nolite vocari Rabbi.* Item dixit ibidem, *Patrem nolite vocare in terra.* Certè non hæc nomina nec officia prohibere intellexit, ſed ambitionem ſuperioritatis & excellentiæ, quæ talia officia & nomina vt communiter conſequi ſolent. Vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo *Attendite popule meus.* coram Patribus, &c. dicit *Paulus ſenior dicit, non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo, cum ſciret vtiq; à Domino dictum, Ne vobis dicatis patrem in terra, quod nõ ideo dictum eſt, vt vocabulum honoris humani de loquendi conſuetudine toleretur, ſed ne gratia Dei qua in vitam æternam regeneramur, naturæ vel poteſtati, vel etiã ſanctitati cuiuſquã hominis tribueretur.* Ecce quomodo Auguſtinus docet nos intelligere verba Chriſti in ſenſu intrinſeco, non gramaticali, vt dicamus, quod quicunq; aliquem vocat patrem, peccet, nec quicunq; vult vocari Rabbi, quod idem eſt, quod Magiſter, alioqui peccaret Magiſter Petrus Anglicus, qui benè vult vocari Magiſter. & multi alii quotidiè peccarem⁹. Nunc autem oſtendendum eſt, quòd ipſæ auctoritates ſaluari non poſſunt, primò ex hoc quod Euangeliſtæ ſibi inuicem contradicere videntur. Cum Matthæus & Lucas dicunt, *neque virgam*, Marcus autem dicat, *niſi virgam*, & ſic duo negare videntur, alter videtur concedere. Vnde oportet quòd figuratiuè loquantur, prout Auguſtinus dicit in de conſenſu Euangeliſtarum. Item quod nec Chriſtus nec Apoſtoli hanc doctrinam ſeruarunt, patet, nam Chriſtus habebat loculos, in quibus portabantur pecu-

Aug. li. 21. de ciui. Dei. c. 27.
Mat. 23.
Aug. in Pſal. 77.
1. Cor. 4.
Mat. 10.
Luc. 10.
Marc. 6.
Aug. l. 2. de conſ. Euange. c. 30.

Digitized by Google

cuniæ ad emendum neceſſaria Ioannis decimo tertio Ioan.13.
capitulo, ſuper quo Auguſtinus in homilia 62. *Habebat* Aug.tra.62. in Ioan.
ergò Dominus loculos à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat, tunc primum Eccleſiaſtica pecunia forma eſt instituta, vt intelligeremus, quod præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruaretur à Sanctis, ſed ne Deo pro iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem, juſtitia deſeratur. Hæc Auguſtinus. Hoc idem patet ex illo Euangelii Ioannis quarto, Ioan.4. quando Ieſus loquebatur cum Samaritana, quod Apoſtoli ibant in ciuitatem cibos emere. Et Marci ſexto dixerunt diſcipuli, *euntes emamus pro denariis panes, & demus eis.* Ioan.6. Nec CHRISTVS intrans ciuitatem, interrogabat, &c. Nec intrabat quamcunq; domum, & ibi manebat, ſed recipiebat conuiuia, & à ſanctis mulieribus ſibi miniſtrabatur. Item panem ſecum detulerunt Petrus & Andreas quando iuerunt piſcari, Ioannis vltimo. Ioan.21. Item non legimus quod Apoſtoli ſeruauerunt illam clauſulam, vt intrantes ciuitatem peterent quis in ea dignus eſſet, & ibi manerẽt. Sed de Paulo legimus in communi legenda, & in hiſtoria ſcholaſtica, quod conduxit domum Romæ, & ipſe recepit ſtipendium ſeu ſubſidium ab aliis Eccleſiis, de quibus viuebat apud Corinthios 2. 2.Cor.9. Cor.11. ad Philippe.4. Philip.4. *Scitis autem vos Philippenſes quando profectus ſum à Macedonia, nulla mecum Eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli, quia Theſſalonicam ſemel & bis in vſum mihi miſiſtis.* Circa iſta veriſimile eſt, quod in pecuniam mittebantur, & ab eo conſeruabantur, ſed vtcunque ſit, ſiue pecunia, ſiue æs, ſiue panis, ſiue veſtimentum, omnia eſſent contra prohibitionem, ſi prohibitio eſſet. Et collectæ miſſæ in Ieruſalem, de quibus Actorum 11. & ad Rom. 15. contra prohibitionem eſſent Act.11. Rom.15.

Digitized by Google

ſi prohibitio eſſet. Et Petrus calciamenta habebat, quomodo Angelus dixit ei, *calcia te caligis tuis*. Act. 12. cum tamen textus Euangelii dicat, *neq; calciamenta*, & ſic omnes deberemus ire diſcalciati, tamen neminem video diſcalciatum, ſed omnes calciati ambulamus. Sed & Sixtus & Laurentius, qui theſauros habebant Eccleſiæ, Nicolaus & Ambroſius, & multi Sancti transgreſſi fuiſſent, quæ nullatenus ſunt dicenda. Videamus ergò verum intellectum, quoniam ad literam juxta ſenſum grāmaticalem ſtare non poſſunt, niſi dicamus, quod fuit non præceptum ſed documentum vtile, pro illa miſſione, qua miſſi fuerunt ad populum Iudæorum prædicare pœnitentiā, & q̄ appropinquabat regnum Dei, ita dicit Auguſtinus in libro contra Adamantium, diſcipulum Manichæi, hoc non fuit præceptum ſed documentum vtile pro illo tempore, & hoc eſt de mente Chryſoſtomi, prout dicit S. Thomas 2. 2. quæ. 185. diſt. 2. art. 6. in cor. ad ſecundum articulum. Pro cuius declaratione eſt ſciendum & docendum, quod Apoſtoli bis fuerunt à Chriſto miſſi, primò tantùm ad Iudæos prædicare, quod appropinquabat regnum cœlorū, & pro hac illam legem acceperunt. Secundò fuerunt miſſi poſt reſurrectionem à Chriſto in vniuerſum mundū prædicare Euangelium omni creaturæ, & hæc miſſio fuit libera, nec coarctata terminis terrarum, ſicut prima, nec cerimonialibus illis limitata, ſed in lege perfectæ libertatis; ſicut dixit Iacobus capite primo, & hoc ſatis oſtenditur, quia dicit Auguſtinus ſecundo libro de doctrina Chriſtiana: *Illi credentium, qui fuerunt ex Iudæis, ſeruarunt illam communem vitam, quia erant legalibus honoribus aſſueti. Alii autem qui de gentibus conuerſi fuerunt, talem viuendi modum non ſeruauerunt.* Illa ergò prima miſſio cum ſuis regulis præteriit. Nec iam prædicamus, quod appropinquat regnum

Act. 12.

Aug. contra Adamantiū Manichæi diſcipulum. Chry. ſuper illa verba: Salutate. Priſcam, habetur immediatè poſt Epiſt. ad Ro. S. Tho 2. 2. q. 185. ad 2.

gnum cœlorum. Sed in ſecunda miſſione ſuccedimus ad prædicandum *E*uangelium omni creaturæ.

Vel dicamus ad mentem loquentis magis attendẽtes, quod magis confortatio quàm prohibitio fuit, & demonſtratio facultatis & poteſtatis, vt non timerent ſine ſacculo & pera ire ad prædicandum, ſed omnem anxietatem & ſolicitudinem deponerent. & hic eſt communis modus loquendi. Si enim aliquis noſtrum mitteret ſeruum ſuum, & ſciret quod in via nil ſibi deficeret, quia vel alius ſocius, omnia neceſſaria ſecum ferret pro ambobus vel irent per domos amicorum, vbi eis nil deficeret, diceret illi? Noli portare panem neq; vinum. Sic ergò volebat eos carere omni ſolicitudine temporalium, & omnem timorem expellere, augereq́; fiduciam. Et hoc eſt de mente Chryſoſtomi, provt eum allegat *S.* Thomas in gloſſa continua ſuper Matt. decimo, vbi inter alia ſic dicit *ab omni eos ſoluens ſolicitudine, vt vna ſola detineantur cura, quæ eſt doctrina, à qua etiam eos ſoluit, dicens, neq; ſoliciti ſitis quid loquamini.* Et alia dicit, quæ hic longum eſſet recitare. ſed poterimus in libro videre. Hoc etiam eſt de conſẽſu Euangeliſtarum. De mente Auguſtini vbi ſic dicit, *vnde ſatis oſtenditur, cur eos hoc poßidere aut ferre noluerit, non quod neceſſaria non ſint ſuſtentationi huius vitæ, ſed quia eos ſic mittebat, vt eis hæc deberi demonſtraret.* & reliqua quæ longũ eſſet hîc ſcribere, videre poterimus in libro.

Chry. in 10. c. Matt.

Aug. de conſenſu Euangeliſtarum vbi ſupra.

Et tandem vt his finem imponam cum gloſſa ordinaria, *radicem omnium malorum auaritiam de eorum pectoribus voluit amputare, ipſam intendens, per aurum, argentum, æs, &c. quæ auaritiæ ſolent eſſe materia.* Sicut & prædixi de illis auctoritatibus: *Nolite vocari Rabbi, & nolite patrem vocare.* & in hoc concordant multorum Doctorum ſententiæ, quas ex gloſſa continua ſancti Thomæ poterimus videre. Sic

Digitized by Google

Deut.17. in illo Deut. decimo ſeptimo: *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos*, &c. intelligendum eſt non ſimpliciter, ſed ad pompam & ſuperfluitatem, aliâs peccaſſet in hoc Dauid tam commendatus à Domino, qui certè multiplicauit equos, & familiam ampliauit. Sicut ergò ibi ſub illis verbis, non abſoluta illarum rerum prohibitio intelligenda eſt, ſed ad pompam & ſuperfluitatem, vt ibi dicit Lyra, ſic & hic auaritia prohibetur, quæ vtique, etſi in omnibus hominibus reprehendenda ſit, eſt in Sacerdotibus deteſtanda. Huic ſenſui concordat Ambro- *Ambr. in c. 10. Luc.* ſius, ſicut allegat Thomas ſuper illud Lucæ *Dominus poſt*, &c. qui volunt adhuc deriuare tractatum, vt ſpiritualem tantummodo locus iſte formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuiſſe, non ſolum poteſtate reiecta, contēptiſq; diuitiis, ſed etiam carnis illecebris abdicatis, & Theophylactus quidam etiam Apoſtolos non portare peram aut baculum, aut duas tunicas, ſic intelligunt, vt non theſaurizent.

Ad 6. & 11. Venio conſequenter ad ſextam, & huic coniungo 11. quia ſimiles ſunt, vna eſt Marci, alia Lucæ, de illo, *ſi vis perfectus eſſe*, ad quod iam dictum eſt ſupra, non Apoſtolis, ſed illi iuueni fuiſſe dictum. Etſi dicatur, quòd Prælatis competit eſſe perfectos, dixi & dico quod illud: *Vende*, &c, non eſt eſſentiale perfectionis, ſed inſtrumentum ſine quo benè poteſt eſſe perfectio. Patet de Abraham, de *Gen. 17.* quo dictum eſt Gen. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* *Mat. 19.* De Iob, Tobia, & multis aliis, de quibus infra dicetur. *Marc. 10.* Cum autem ſubiungitur, *Facilius eſt camelum per foramen* *Luc. 18.* *acus introire, quàm diuitem intrare regnum cælorum.* hoc generaliter ad omnes pertinet tam Clericos quàm Laicos. Quomodo autem hoc intelligatur, ipſemet Chriſtus declara-

clara-

Digitized by Google

clarauit Marci decimo. Nam cum dixiſſet, *quam diffi-cile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*, & diſcipuli obſtupuiſſent, quaſi declarando rurſus ait, *filioli, quàm diſ-ficile eſt confidentes in pecuniis intrare in regnum Dei?* Ecce de quo diuite loquitur, qui ſpem ſuam in pecuniis ſuis ponit. Vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo, *Quid gloriaris in malitia, &c. Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum.* *Aug. in Pſal. 51.* *Mat. 19.* *Quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus abeunti illi à ſe diuiti contriſtato dixerat, Vende omnia, &c. & magnam deſperationem diuitibus prænunciarat, vt diceret. facilius poſſe camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cælorum, Nonne continuò diſcipuli contriſtati ſunt, dicentes apud ſemetipſos, quiſnam poterit ſaluari? diuites paucos attendebant; latebat eos tanta pauperũ multitudo. non ſibi poterant dicere, ſi difficile eſt, imo impoßibile, vt intrent diuites in regnum cælorum, ſicut impoßibile eſt vt intret camelus per foramẽ acus: Omnes pauperes intrant in regnum cælorũ, diuites ſoli excluduntur? Quot ſunt enim diuites? at verò pauperum innumerabilia millia. Non enim tunicas inſpecturi ſumus in regnũ cælorum, ſed veſtis cuiq; fulgor juſtitiæ deputabitur. Sunt ergò pauperes æquales Angelis Dei, induti ſtolis immortalitatis, fulgebunt juſti ſicut ſol in regno patris ſui Quid nobis eſt de diuitibus paucis ſolicitos eſſe atq; laborare? non hoc ſenſerũt Apoſtoli. Sed cum Dominus hoc dixiſſet. facilius eſt camelum, &c. illi apud ſe dicentes, quiſnam poterit ſaluari? Quid attenderunt? non facultates, ſed cupiditates: viderunt enim ipſos etiam pauperes, etſi non habentes pecuniam, habere tamen auaritiam, & vt noueritis, non pecuniam in diuite ſed auaritiam condemnari, Aduertite quod dico, reſpicis illum diuitẽ ſtantẽ iuxta te, & fortè in illo eſt pecunia, & non eſt auaritia, in te non eſt pecunia, ſed eſt auaritia. pauper vlcerosus, ærumnoſus, linctus à canibus, non habens opem, non habens eſcam, non habens fortè ipſam veſtem, ablatus eſt ab Angelis*

*ſinu Abrahæ, eia tu pauper gaudes modò. Nunquid nam tibi & vl-
cera optanda ſunt? nonne patrimonium tuum ſanitas eſt? non eſt
in hoc Lazaro meritum paupertatis, ſed pietatis. Nam diues qui
ſublatus eſt, non vides quo ſublatus ſit? Quis eſt ſublatus ab An-
gelis? pauper ærumnoſus & vlceroſus. quo ſublatus eſt? in ſinum
Abrahæ. lege ſcripturas, & inuenies diuitem Abraham, & noue-
ris, quia diuitiæ non puniuntur. habebat Abraham multum auri
& argenti, pecorum, familiæ, diues erat, & in ſinum eius pauper
Lazarus ſublatus eſt, & in ſinum diuitis pauper recipitur, an poti-
us ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? Quid ergò cul-
pat ſcriptura? non dixit, ecce homo qui fuit diues, ſed ecce homo qui
non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diui-
tiarum ſuarum, non quia habuit diuitias, ſed quia in ipſis ſperauit,
& in Deo non ſperauit: ideo damnatur, ideo punitur, ideo mouetur
de tabernaculo tanquam motus ille terrenus, ſicut puluis quem pro-
iicit ventus à facie terræ, ideo exſtirpatur radix eius de terra vi-*
1.Tim.6. *uentium. Num quid huic ſimiles ſunt diuites, de quibus Paulus lo-
quitur, præcipe diuitibus huius ſæculi non ſuperbè ſapere, nec ſperare
in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* & infra: *deniq; illis
quid præcipis? diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, com-
municent, & ſi facilè tribuerint, ſi communicauerint non habenti,
intrabunt per foramen acus? intrabunt planè. Nam & pro il-
lis ipſe camelus intrauit, ipſe enim prior intrauit, quem ſicut came-
lum nemo ſarcina paſſionis oneraret, niſi ipſe ſe in terram depo-
neret, & ipſe hoc dixit, quod hominibus impoſſibile eſt, Deo facile
eſt.* & infrà: *os eorum locutum eſt vanitatem, &c. neq; cla-*
Pſal.143. *mor in plateis eorum. Deniq; quid in illis reprehenditur? non quia
iſta habuerunt, nam & boni habent iſta, hoc intendite. Sed quid?
ne paſſim diuites reprehendatis, & rurſum, ne de paupertate & e-
geſtate præſumatis. in quo ergò iſti notantur? quia beatum dixe-
runt populum cui hæc ſunt.* hæc omnia Auguſtinus. Et ad
*Chry.Mat.*19. hoc dictum Chryſoſtomus ſuper Matth. 19. quod allegat

Ma-

Digitized by Google

Magiſter Petrus Chryſ. ſic dicit. *Non pecuniis detrahens, ſed eis qui detinentur ab ipſis.*

Septima fuit coniuncta cum quinta, & vtriq; ſimul reſponſum. Venio ad octauam, cui & duodecimam cõiungo, quia eadem auctoritas eſt à duobus Euangeliſtis recitata, quarum ſolutio ſatis liquet ex originali Chryſoſtomi, quem Magiſter Petrus allegat. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, non contenti regere ſubditos ſuos, violenter eis dominari nituntur, inter vos autem, qui eſtis mei, non erunt hæc.* Ecce quod intendit reprobare tyrannicum dominium, & oſtendere quod prælatio Eccleſiaſtica debet eſſe juſta & caritatiua, ad modum paſtoratus cum ſolicitudine, pro vtilitate omnium, miniſtrando eis ad animarũ ſalutem, & hoc eſt, quod Petrus Apoſtolus ait, 1 Pet. 5. quæ auctoritas in loco finali per Magiſtrum Petrum poſita eſt. Paſcite *qui in vobis eſt, gregem Domini, &c. non dominãtes in Clero, ſed forma facta gregis.* Sed aduertendum eſt, quod ibi eſt vna gloſſa, quæ ſic dicit, *paſcite non ſolum verbo & exemplo, ſed corporali ſubſidio,* ex qua apparet, quòd Prælati eccleſiæ de bonis temporalibus debẽt tantum habere, ꝙ ſufficiat pro eorum vitæ neceſſariis, & poſſint etiam ſubditis & pauperibus in neceſſitatibus ſubuenire, quod in ſuo loco latius Deo propitio declarabitur.

Ad 8. & 12. *Mat. 20. Mar 10. Luc. 22.* *1. Pet. 5.* *gloſſa ordin.*

Nona fuit coniuncta cum quinta & ſeptima, & ſimul vtriſq; reſponſum, & hoc quantum ad illud Lucæ nono: *nihil tuleritis, &c.* Ad id autem, quod ſubiungit ex Luca cap. decimo quarto: *qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus, & ſi non odit patrem & matrẽ &c.* Dico quod iſta non pertinent ad Clericos tantùm, ſed ad quemlibet Chriſtianum dicta ſunt, quia accipitur ſic Chriſti diſcipulatus. Veruntamen ad quoſcunq; referatur, quomodo hoc intelligendum ſit, gloſſa ibi declarat,

Ad 9. *Luc. 9.* *Luc. 14.* *gloſſ. ord.*

rat, dicens, quod omnibus mundanis renunciant, quia ita eis licitè vtuntur quæ poſſident, vt tamen mente tendant ad æterna. veritas huius gloſſæ patet ex conſequenti, vbi dicit, qui non odit *patrem & matrem*, &c. quæ non poſſunt intelligi de actuali odio, ſed quod illa diuino amori non præferat, vt clarè deducit Gregorius in homilia ſuper illo Euangelio. hoc etiam patet. Nam Lazarus & Maria & Martha non renunciauerant facultatibus, & tamen erant diſcipuli Chriſti. Item Nicodemus princeps Iudæorum, & Ioſeph ab Arimathia diues erat, & diſcipulus Chriſti, de quo Rabanus ſuper Mat. 27. *Magnæ dignitatis fuit apud ſeculum ſed maioris meriti apud Deum, quia non erat diues diuitiarum amore, ſed tantummodo poſſeſſione. ideo diuites nõ excluduntur à diſcipulatu Saluatoris Iſte autem diues erat & diſcipulus, quia nec pecuniæ amator, ſed diſtributor.* hæc Rabanus. Legitur etiam Act. 21. quod Paulus hoſpitatus fuit in domo Philippi Euangeliſtæ, qui habuit quatuor filias, & ſic non renunciauerit omnibus, & tamen erat Euangeliſta, id eſt, prædicator Euangelii. vnde Beda ſic dicit: *Omnium fidelium eſt renunciare omnibus quæ poſſident, hoc eſt ſic tenere ea, quæ mundi ſunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in vſum, æternam in deſiderio, ſic terrena gerere, vt tamen tota mente ad cœleſtia tendant.* Ideo venio ad decimam, quæ eſt, *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* quæ vtrique ſtatui pertinet, *Nemo poteſt ſeruire Deo & Mammonæ*, neque Clericus, neq; laicus. Et ego talem abuſum in homine excuſare neſcirem, quod ſeruiat ipſe diuitiis, ſed vtatur debitè illis, & tunc non Mammonę, ſed Deo ſeruit ipſe, & mammonam ſibi ſubiicit, & etiam Deo ſeruire facit. Vtiq; Deo ſeruit Prælatus Eccleſiæ, qui res Eccleſiæ debitè adminiſtrat & fideliter, quorum eſt procurator non Dñs, prout etiam Magiſter Petrus allegat. Ex. de donat. frat. Et Auguſt.

Gre. hom. 37.

Rabanus.

Act. 21.

Beda.

Ad 10.

De dona. Fraternitat. l. 3. tit. 24.

Digitized by Google

guſt. & habetur 23.q.7. *quod autem.* Si autem priuatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, non illa ſunt noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, & hanc etiam Mag. Petrus allegat Cor. 14. *23.q.7.quod autem.c.3. Aug.ep.30. ad Bonifaciũ.*

Reliquę auctoritates quæ inducuntur, parum vrgere videntur, quapropter illas omitto, cauſa abbreuiãdi. Si autem alicui vel aliquibus earum velint inſiſtere, deſignent illas, & ego Deo propitio ſatisfaciam, & etiam ex infra dicendis ſatis patebit reſponſio.

Venio igitur ad originalia Doctorum, quæ cum ſint multa & longa, per ſingula reſpõdere tempus longiſſimũ occuparet. Sed ego breuius quo potero complectar eadẽ ad omnia ſimul quaſdam generales reſponſiones dando, ad aliquas verò illarum, quæ magis vrgere videntur, ſpecialia dabo reſponſa.

Inprimis nonnulla ipſorum de religioſis loquuntur, licet Mag. Petrus extra ſcriptum extulerit vocem ſuam, dicens: *Non dicant hæc loqui de Monachis, quia Monachi nondum erant.* Ad quod ego habeo dicere, quod dixiſſe legimus Auguſt. 23.q.7. *quod autem. vſq; adeo calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant quam ſint inter ſe contraria, quæ loquuntur.* Nonne ipſemet allegat Dionyſium de Eccleſiaſt. hierarchia, cap. 6. dicentem Monachos eſſe de ſtatu eorũ, qui perficiuntur? Sed Dionyſius fuit diſcipulus Pauli, & contemporarius Apoſtolorum. Vnde clarè liquet, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ fuerunt Monachi, cœnobitæ dico, viuentes in congregatione; Nam prout Caſſianus recitat libro ſecundo, & hiſtoria Eccleſiaſtica libro 2. ante finem. Beatus Marcus Euangeliſta apud Alexandriam Monachorum vitam inſtituit. Et in legenda B. Marci legitur, quòd fundauit Monaſterium ſanctimonialium fœminarum. *23.q.7. quod autem. De Monachis. Caſſianus. Euſ.l.2.c.15. 16.*

Nemo

Nemo ergò detrahat Religionibus, quæ à tempore Apoſtolorum, & ab ipſis Apoſtolis & Chriſti diſcipulis ſumpſerunt originem & initium, & vtiq; plurimum Dei Eccleſiam illuſtrarunt. Magna pars Doctorum Eccleſiæ fuerunt Religioſi. Ecce Auguſtinus, Hieronymus, & Gregorius de quatuor principalibus Doctoribus tres fuerunt Religioſi, his addimus Chryſoſtomum, Magiſtrum, Gratianum, qui compilauit volumen decretorum. Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de ſancto Victore, Anſelmum, Nicolaum de Lyra, ſanctum Bernardum, Thomam de Aquino, Albertum, Bonauenturam, Petrum de Tarantaſio, Scotum, & plures alios, qui Eccleſiam Dei ſuis illuſtrarunt ſcripturis. Vtinam omnes tales æmulationes ceſſarent, & omnes vnanimiter curaremus agere, quę Chriſti ſunt, tanquam diuerſa membra vnius corporis. Nam ſicut dicit Apoſtolus, ſicut in vno corpore diuerſa ſunt membra, ita in vna Eccleſia diuerſi ſtatus, omnes ad decorem & vtilitatem Eccleſiæ. Et licet in Religioſis multa ſint hoc tempore, quæ reformatione indigēt ſicut & in cæteris ſtatibus, tamen nihilominus multùm illuminant Eccleſiam prædicationibus & doctrinis. Et nemo prudens in caliginoſo loco exiſtens, lucernam extinguit, non benè ſibi lucentem, ſed habentem ſuccum ſeu ſcoriam, curat aptare, quo melius poteſt. Nam melius eſt, quòd aliquantulum turbidè luceat, quam ſibi penitus eſſet extincta, & hoc volo incidenter non ſine cauſa dixiſſe.

1. Cor. 12.

Secundò volo notare, quod talia, qualia de Prælatis Eccleſiaſticis dicta ſunt, ego volo oſtendere de priuatis & principibus laicis eſſe ſcripta. Et primò occurrit Deut. decimo ſeptimo: *Cum electus fuerit Rex, non multiplicabit equos*, ſi ſic ad literam capiendum eſſet, debuiſſet

Deut. 17.

ire

ire Saul poſt aſinas, ſicut quando fuit aſſumptus in regem. & Dauid de poſt fætantes. Deinde illud Eccl. 32. *Rectorem te conſtituerunt, eſto vnus quaſi ex illis.* Et Prouerb. ſi. capi. *Noli dare vinum Regibus.* apud Hermogenem antiquum Philoſophum legitur. *Signum perfectionis eſt in rege abſtinẽtia à pecunia & poſſeſsionibus.* Et Ariſtoteles ad Alexandrum: *declina conatus beſtialium voluptatum, & deſiderium diuitiarum, verè iſtud eſt verecundia, iſtud in præſumptionem mergit.* Et idem 9. Ethic. *Verum eſt de ſtudioſo, & amicorum gratia multa agere & pati, & ſi oporteat mori, proiicit enim & pecunias & honores, & totaliter circa pugnabilia bona, procurans ſibi ipſi bonum virtutis.* Et Valerius libro quarto, capite tertio. *Magna cura præcipuoq; ſtudio referendum eſt, quantopere libidinis & auaritiæ furori ſimiles impetus ab illuſtrium virorum pectoribus conſilio & ratione ſemoti ſint.* quod ibi multis illuſtrium virorum exemplis confirmat. Et Tullius primo de officiis. *Capeſſentibus rem publicam nihilominus quàm Philoſophis, haud ſcio an magis etiam & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum.* Ecce quid dicit? quòd non minus, imo magis quàm Philoſophis adhibendus eſt contẽptus rerum temporalium capeſſentibus rempublicam. Et Seneca. *Nemo alius Deo dignus eſt, quàm qui opes contemnit.* Multa dicta Philoſophorum poſſent adduci, niſi timerem eſſe prolixus. Nemo tamen indignum reputet Philoſophos allegari, quoniam imitatione dignus beatus Baſilius vtile eſſe valdè dicit eorum commemorare ſentẽtias, quoniam dum apud eos magna & ardua præcepta legimus, Euangelica leuius ferimus, & facilius perpendimus, quod per multa exempla declarat, mihi autem vnum occurrit noſtro conforme propoſito. Seneca Epiſtola 50. ad Lucillum ad finem. *Satis diu cum Baiis litigauimus, nunquam ſatis cum vitiis, quæ oro perſequere ſine modo, ſine fine.* nam

Eccl. 32.
Prou. 31.
Ariſt. in Eth. ad Nicomachum l. 9. c. 8.
Valer. Maxi. l. 4. c. 3.
Cic de offi. l. 1 circa medium
Baſilius de legendis libris gentilium.
Seneca ep. 51.

illis quoq; nec finis eſt, nec modus, proiice quæcunq; cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis euellendum erat. Nonne iam leuius audiuimus à Chriſto illud Mat. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te,* cum audiuimus Philoſophum in exaggeratiõem vitiorum in tantum proſiluiſſe, vt dixerit cor etiam euellendum?

Mat. 18.

Iam veniamus ad noſtra, quæ ſunt maioris auctoritatis & dignitatis. Et primò occurrit illud Lucæ decimo quarto, vbi ſic legitur: *Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuerſus dixit ad illos. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus, & qui non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Et in eodem capitulo: *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod Beda dicit omnibus Chriſtianis eſſe dictum, dicens, *omniũ fidelium eſt renunciare omnibus quæ poſſidẽt,* vt ſupra allegatum eſt. & iterum Mat. 10. *qui nõ accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* hæc nõ ad Clericos tantum, ſed ad omnes generaliter dicta ſunt.

Sed addamus aliqua originalia dicta Sanctorum Doctorum, & primo volo capere de horto ipſius Magiſtri vt apud eum & ſuos minus dubia ſint. Aug. in lib. de opere Monachorum: *Si huius terrenæ Reipublicæ antiqui principes præclariſſimorum literatorum ſuorum eloquio prædicari ſolẽt, quod rem communem vniuerſi populi ſuæ ciuitatis, priuatis ſuis rebus ſic anteponebant, vt quidam eorum Africa domita triumphator, quid nubenti filiæ daret non haberet, niſi ex ſenatus conſulto de publico dotaretur; quo animo eſſe debet in rem ſuam publicam ciuis ciuitatis Ieruſalem?* Allegat etiam Auguſtinus in lib. de contemptu mundi. Et notate titulum libri, in ipſo libro Aug. ſic dicit: *Si mundi gloria vana non eſſet, ſi diuitiæ terrenæ vera bona eſſent,*

Aug. de opere Monachorum c. 25. to. 3.

Aug. in libro de contemptu mundi. c. 5.

non

non earum poſſeſſoribus imprecaretur Dominus, væ vobis diuitibus. & reliqua. tota illa auctoritas hoc facit. Et ad hoc propoſitum, de informandis qui veniunt ad baptiſmum, facit illa auctoritas Dionyſij, quam Magiſt. Petrus allegat: *Sed non eſt ſumme contrariis ſimul participandum, &c.* Et ſi attendamus interpretationẽ huius nominis, Chriſtianus, ſicut de nomine Clericus arguitur, & abrenunciationẽ, quæ fit ante baptiſmum diabolo & omnibus põpis eius, & quid ſignificẽt vnctiones, de quib. in c.1. de ſacra vnct. & cætera, quę fiunt in baptiſmo. Et veſtis candida, quæ tradit, de qua Rabanus: *poſt baptiſmum traditur Chriſtiano veſtis candida, quæ ſignificat innocentiam, & puritatem Chriſtianorum, quam poſt ablatas veteres maculas, ſtudio ſanctæ conuerſationis immaculatam conſeruare debet.* de conſ. diſt. 4. vbi multi textus ad hoc. Si ex his omnibus volumus argumentari, ſicut ex nomine Clerici, & cerimoniis ordinum, profectò grandia argumenta diſtrictionis Chriſtianæ Religionis accipiemus. Accedat finaliter quod Aug. ſcribit in libello de conflictu vitiorum, C. de auaritia, loquitur de bonis temporalibus, & dicit ſic: *iſta nec apud homines ſeculares ſine periculo vel offenſa procurãtur, quia quanto magis quiſq; habere cœperit, tanto amplius habere concupiſcit, fitq; vt modum in concupiſcendo non habeat, dum innumeris huius ſeculi curis deſeruire feſtinat. vt enim ait ſcriptura, Auarus pecunia nunquã implebitur. quæ nimirum, quam ſit deteſtanda, Paulus indicat, dicens, Et auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus. Quamque ſit noxia, idem exponit, dicens, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Quam ſit deteſtanda, ſapiens denunciat, dicens, Auaro nihil eſt ſceleſtius. quàm ſit noxia, Iacobus aperit dicens, Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis, quæ aduenerũt vobis, diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comme-*

Diony. Areo.

De conſ. diſt. 4 poſt baptiſm. c.91.

Rabanus. de inſtit. Cler. l.1.c.29.

Aug. de conflictu vitiorũ & virtutum. c.16.

1. Tim. 6.

Eccleſiaſt. 10.

Iacob. 5.

Digitized by Google

*ſta ſunt, aurum veſtrum & argentum veſtrum eruginauit. Et æ-
rugo eorum in teſtimonium erit vobis, & manducabit carnes ve-
ſtras, ſicut ignis. Sed nec Redemptor noſter præterire voluit cu-
piditatis malum, quam noxium ſit, ait enim, difficile qui pecunias*
Marc.10. *habent, regnum cælorum intrabunt. Et rurſum, facilius eſt ca-
melum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum
cælorum.* hæc Auguſtinus. Et poſt hæc ſequitur: *Si ſe-
cularibus viris eſt pernicioſa cupiditatis induſtria, quanto magis
illis periculoſior, qui habitu & conuerſatione iam ſeculares eſſe de-
ſierunt, qui totum quod viuunt Domino Deo deuouerunt. &c.* quę
Magiſter Petrus allegat, & de voto obligatis loquitur, vt
ſequentia demonſtrant. Sed & nonne generaliter diui-
tias ſpinas eſſe Chriſtus dixit, & ſuffocare verbum Dei?
Hier.in 13.c. Matth. Super quo Hieronymus eleganter adiunxit: *fallacia diui-
tiarum ſuffocat verbum. blandæ enim ſunt diuitiæ aliud agentes,
aliud pollicentes, lubrica eſt earum poſſeſſio, dum hic illucq́; circum
ferunt, & inſtabili gradu vel habentes deſerunt, vel non habentes
referciunt. vnde & Dominus diuites aſſerit difficile intrare in re-
gnum cælorum, ſuffocantibus diuitiis verbum Dei, & vigorem vir-
tutum emollientibus.* Multa alia poſſem ad hoc propoſitũ
ducere, quæ per ſacram ſcripturam ſanctoſq; Doctores,
ſcripta & dicta ſunt, quæ diuitias deteſtantur, & exagge-
rando materiam, duras videntur proferre ſententias. Sed
In excerptis è libris Senecæ. pag. Romanæ editionis 233. vtiq; in omnibus his non eſt intelligendum ipſas cenſere
abiiciendas eſſe diuitias. Sicut Seneca dixit poſt illud prę-
allegatum. *Item nemo alius dignus Deo eſt, niſi qui contemnit
diuitias.* Subiunxit: *quarum poſſeſſionem tibi non interdico,
ſed efficere volo, vt illas intrepidè poſſideas, quod vno conſequeris
modo, ſi illas tanquam exituras ſemper aſpexeris, ſi te ſine illis bea-
Pſal.61. tè victurum ſperaueris.* Perſuadeat tibi hoc idem, qui ma-
iori auctoritate eſt Dauid Propheta, *Diuitiæ ſi affluant, no-
lite cor apponere.* non dicit abiicite, ſed nolite cor appo-

nere,

nere. Vnde Hieronymus ad Saluinam: *Nec diuiti obſunt opes, ſi eis benè vtatur. Nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes & inopiam peccata non caueat.* Et Gregorius decimo moralium, capitulo vigeſimo octauo. *Sunt nonnulli quos cenſus & bona temporalia per timorem non eleuat, ſed per miſericordiæ opera exaltat. Et ſunt nonnulli, qui dum ſe terrenis opibus abundare conſpiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atq; æternam patriam non amant, quia hoc ſibi ſufficere putant, quod rebus temporalibus fulciuntur. Non enim eſt cenſus in crimine, ſed affectus.* Et Auguſtinus primo de ciuitate Dei, c. decimo. *Cum Apoſtolus dicat, Qui volunt diuites fieri. &c. profectò in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem, quam præcepit alibi, dicens, Præcipe diuitibus huius mundi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui nobis omnia præſtat ad fruendum abundè. Benè faciant diuites, ſint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum futurum, vt apprehendant veram vitam.* & Auguſtinus idem ſuper Pſalmo, *Quid gloriaris, &c. Ecce homo* dicit, prout ſupra latius allegatum eſt, *quod Apoſtoli cum audierunt, facilius eſt camelum, &c. & cum ipſi pauperes eſſent facultatibus, & in mundo maior ſit multitudo pauperum, quàm diuitum, & contriſtati dixerunt quis poterit ſaluari? quid attenderunt ad literam? non facultates, ſed cupiditates. Viderunt etiam ipſos pauperes, etſi non habentes pecuniam, habere tamen auaritiam. Et vt noueritis non pecuniam in diuite, ſed auaritiam condemnari.* & infra: *vt noueris, quia diuitiæ non puniuntur, habebat Abraham multum auri & argenti, pecorum, familiæ, diues erat, & in eius ſinum Lazarus pauper ſublatus eſt.* & infra: *denique quid in illis reprehenditur? non quia iſta habuerunt; nam & boni iſta habent: Sed quid? hoc intendite, ne paſſim diuites reprehendatis. & rurſus, ne de paupertate & egeſtate præſumatis. Si enim non eſt præſumendum de diuitiis, quanto magis non eſt præ-*

Hier. ad Saluinam. *Greg. 10. Moral. c. 28.* *Aug. de ciuit. Dei l. 1. c. 10.* *Aug. in Pſal. 51.* *Supra ad 6. & 11. auctor.*

Digitized by Google

ſumendum de paupertate, ſed de Deo viuo. In quo ergò iſta notantur? quia beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Ideo filii alieni. Hoc ergò in ſumma reprobatur, ponere beatitudinem in diuitiis, hoc reprobatur cupido ſeu auaritia. Nam & ſicut ſanctus Doctor dicit in ſumma contra gentiles, libro tertio, capitulo centeſimo trigeſimo tertio: *Paupertas de ſe non eſt bona, niſi in quantum liberat ab illis, propter quæ homo impeditur à profectu virtutum.*

S.Tho. contra gentiles l. 3. c. 133.

Concludo igitur ex allegatis omnibus non probari, quòd Eccleſiæ non liceat habere bona temporalia in cõmuni, imò hoc approbauit praxis Chriſti & Apoſtolorum. Et ipſe M. Petrus ad hoc allegat duas auctoritates Auguſtini. vna eſt de conflictu vitiorum, vbi dicit, *à Sanctis & Religioſis plura habenda ſunt vt melius ab ipſis, quàm à popularibus erogentur pauperibus Chriſti.* Et ego conſentio, ſed à Prælatis, non autem ſubiectis. Alia, *Si pauperes comparticipes ſumus.* Et hoc eſſe licitum, multis auctoritatibus inferius comprobabo. Sed nec etiam obſtat ad hoc, quod dixi, quòd Clerici, imò Epiſcopi poſſunt habere propriũ patrimonium, quia de hoc extat ſententia canonis Apoſtolorum 12. quæſtione 1. *ſint manifeſtè res propriæ Epiſcopi, & res dominicæ, vt poteſtatem habeat de propriis moriens Epiſcopus, ſi voluerit, & cui voluerit, relinquere.* hoc etiam ſatis indicat doctrina Apoſtolica. Nam cum tunc poſſent habere & filios, quos in omni caſtitate nutrire debebat Epiſcopus, ipſosq; iubeat Apoſtolus hoſpitales eſſe, ſatis coniecturatur, quòd in bonis ſuis Epiſcopus, & quilibet Clericus remanebat. Et hoc etiã patet ex illo Act. 21. *Et intrãtes domũ Philippi Euangeliſtæ, qui erat vnus de ſeptem, manſurus apud eum, huic erant quatuor filiæ virgines.* Et propterea ſtatuit Apoſtolorum Cõcilium inuentarium fieri ſeparatim, de bonis Eccleſiæ, & de bonis Epiſcopi, ne confunderentur per mutuam commixtio-

Aug. de conflictu vitiorum & virtutum.

21. q. 1. ſint manifeſta. ca. 21.

Act. 21.

mixtionem, ſed appareret quid eſſet propium Epiſcopi, quid Eccleſiæ. Et ſic apparet, quod ex tempore Apoſtolorum iam Eccleſia habebat bona, & nihilominus Epiſcopus cum bonis ſuis remanebat.

Nec obſtant allegatæ auctoritates Auguſtini, Hieronymi & aliorum, qui ex interpretatione nominis arguentes hoc videntur innuere. Nam primo de Auguſtino conſtat, quod ipſe dicit, ſe primò diſpoſuiſſe non velle habere clericum, niſi renunciaret omnibus, & eſſet ſine proprio, ſed poſtea mutaſſe ſentẽtiam, ſic dicit: *Certè ego ſum, qui ſtatueram nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere*, & infra: *Ecce in conſpectu Dei & veſtro muto conſilium, qui voluerint habere aliquid proprium, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt, non eis aufero clericatum* 12. q. 1. de Hieronymo etiã ipſe ſcribens ad Damaſum Papam 1. q. 2. ſic ait: *Clericos illos conuenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum aut propinquorum nulla ſuffragantur bona.* Ecce ergò quod Clerici poſſunt habere proprium. & ad hoc concordat c. ſequens, & eſt Proſperi: *Paſtor Eccleſiæ bis quibus ſua ſufficiunt, &c.* Nec propter hoc quod Clerici proprium habent, minus de ſorte Domini ſunt, nec dñm in partem ſeu hæreditatẽ habere deſinunt, quia non in illo, quod poſſident, beatitudinem ſuam ponunt, ſed in Deo; nec illud pro hæreditate habent ſed Deum, & ad eius obſequium illa bona cõuertunt; nec propterea, quia habent bona temporalia, non poſſunt dicere, *Dominus pars hæreditatis meæ*, quoniam & Dauid, quia illa primo dixit, ciuitates caſtra & regnum obtinebat.

1. q. 12. certè. c. 18. Aug. in Ser. 2. de communi vita Clericorum.

1. q. 2. Clericos c. 6.

Multa poſſem ad horum probationem deducere, ſed gratia breuitatis omitto, maximè, quoniam & hoc iã confitentur in ſchedula vltimo data, vbi dicunt, ꝙ vſus bonorum temporalium eſt ipſi Clero licitus, reſecata omni ſuperfluitate & abundantia vitioſa. Et hoc ego dico,

dico, quoniam non laudo, ſed reprobo ſuperfluitatem vitioſam, & confiteor, quòd Clerici de bonis Eccleſiæ non debent theſaurizare, ad ditandum pauperes conſanguineos, vel affines, ſed recepta ſufficientia pro neceſſariis perſonæ, domus, & familiæ, &c. hoſpitibus cum charitate, & decenter ſuſcipiendis, ſecundum conditionem & ſtatum perſonæ, reſiduum debent vel in vtilitatem *Eccleſiæ* vel pauperibus erogare, & ſi de bonis *Eccleſiæ* libidinosè viuant, lautè vel crapulosè, aut pro pompa, ſuperfluitatem vitioſam faciunt expenſarum, multipliciter delinquunt, quia rem illicitam faciunt, quod eſt commune etiam laicis, ſed in Clericis grauius. Et qui ad exemplum aliorum dati ſunt, malè agendo, ſicut Gregorius inquit, *tot mortibus digni ſunt, quot populo vitiorum exempla tranſmittunt*. Item, quia quod pauperum eſt, malè in illicitis expendendo, quaſi rapinam committunt, de quo coram Deo diſtrictam dabunt rationem. Sicque non eſt illicita poſſeſſio, ſed abuſus. vſus verò modeſtus laudabilis, in quo menſura certa præſcribi non poteſt, ſed conſideratis qualitatibus perſonarum, conditione patriæ & gentium natura administrationis, & aliis huiuſmodi generis familiarum, & modus expenſarum moderandus eſt. Nam oportet quod ſecundum naturam præſidentiæ vel officij pauciores vel plures miniſtros habere debeant. Et ſic ſæpè errat intuentium iudicium, reputantium aliquem *Prælatum* nimiam habere familiam. Et in veritate loquor, quod mihi hoc contigit, quod cum cuidam bono viro, mecum conferenti viſum eſt, quod quidam *Prælatus* excederet in familia, ego dixi, vultis vos, & ego calculemus, quis eſſet competens numerus? & fecimus rationem, & reperimus nihil eſſe ſuperfluum, & ipſe congratulatus fuit mihi, dicens, verè mihi valdè placet hoc ſic diſcuſſiſſe,

Gregorius. Superfluitas & pompa in omnibus à Clero vitãda.

quo-

quoniam in meipſo ſcandalizatus eram, & nūc cognoſco quòd nil ſuperfluum eſt. Faciles in his erramus, quia aliorum neceſſitates aut non benè ſcimus, aut non benè aduertimus, fateor autem quod plurimum cauere debent Prælati & Principes à pomposa & inutilium familiarum ſequela. Nam ex hoc eis creſcit paupertas, & multæ anguſtiæ, multaq; oriuntur grauamina ſubditorum. poteſt etiam eſſe vſus, non tantum laudabilis, ſed multum meritorius & fructuoſus, quoniam Clericus videlicet bona Eccleſiæ diligit, & vtiliter adminiſtrat, & in ſeipſo magna parcitate ſeruata, largas eleemoſynas facit, ſicut ego ſcio, & vidi aliquos per Dei gratiam, nolo comendare viuētes, ſed de mortuis infra plurima exempla ſubiungam. Ad prædicta bene facit 1. q. 2. c. *ſacerdos* quod Magiſter Petrus allegat, vbi textus, *Sacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolum ſine cupiditate, ſed cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda.* & eſt dictum Proſperi, cui concordat verbum Auguſtini 23. q. 7. c, *quemadmodum*, iuxta finem, *non dominandi cupiditate, ſed benè vtendi pietate poſſideant.*

Ab inutilib. expenſis Prælatorum & Principum oriuntur grauamina ſubditorum.

1. q. 2. ſacerdos. c. 9.

23. q. 7. quemadmodum. c. 4.

Nec; hæc ſollicitudo, quæ pro his fideliter adminiſtrandis habetur, ſecularis dicenda eſt, ſed Eccleſiaſtica. Proſper in vita contemplatiua: *Poſſeſſiones quas oblatas à populo ſuſcipiunt Sacerdotes, iam non ſunt res mundi credendæ, ſed Dei*; nec eſt reprobanda, ſed laudanda in Prælatis & his, quibus ex natura officii vel adminiſtrationis, cui præſident, competit. Nam vita Prælatorum Eccleſiæ non eſt ſimpliciter contemplatiua, ſed juxta eſt actiua & contemplatiua, exemplo Moyſi, qui nunc aſcendebat in montē adorandum, nunc deſcendebat ad populum gubernandum. Ideo ſacrorum Canonum cenſuit auctoritas, quòd is, qui aſſumendus eſt in Epiſcopum, debet eſſe in ſpiritualibus & temporalibus prouidus & circumſpectus. 39. diſt.

Proſper de vita contemp. l. 2. c. 16.

39. *diſt.* Petrus Diaconus.
Greg. l. 8. epi. 40.

in princ. & c. *Petrus Diaconus*. Et ſunt verba beati Gregorii: *Talis in regiminis debet arce conſiſtere, qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam extrinſeca ſubiectorum vtilitate & cautela ſciat eſſe ſolicitus.* Et Gloſſa ſuper illo verbo: *paſcite qui in vobis eſt gregem Domini. non ſolum verbo & exemplo, ſed & temporalium ſubſidio.* & credo illa gloſſa fuit excepta ex dictis Gregorii ex paſtorali ca. ſeptimo, vbi ſic ait: *nonnulli gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed ſic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur, qui cum curare temporalia funditus negligunt; ſubditorum neceſſitatibus minimè occurrunt. quorum nimirum prædicatio plerunque deſpicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria præſentis vitæ non tribuunt, nequaquã libenter audiuntur.* Et hoc latè proſequens inducit dictam auctoritatem Petri: *Et* dicit hanc paſtionem non tantum cordis, ſed corporis. poſtea tamen ſubiungit. non debet per hanc ſolicitudinem temporalium ſe ſic totum impendere, vt ſpiritualia derelinquat, dicens: *Solicitudo ergò quæ ſubiectis exterius impenditur, ſub certa neceſſe eſt menſura teneatur. vnde per Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput ſuum non radant, neque comam nutriant: ſed tondentes attondeant capita ſua. Sacerdotes namque iure vocati ſunt: qui vt ſacrum ducatum præbeant fidelibus, præſunt. Capilli verò in capite exteriores ſunt cogitationes in mente, qui dum ſuper cerebrum inſenſibiliter oriuntur, curas præſentis vitæ deſignant. Quia igitur cuncti qui præſunt habero quidẽ ſolicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes rectè caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vita ſubditorum, nec à ſe penitus amputent, nec rurſus ad creſcendum nimis relaxent. vbi & benè dicitur, tondentes tondeant capita ſua, vt videlicet curæ temporalis ſolicitudinis, & quantum neceſſe eſt videant; & tamen reſecentur citius, ne immoderatius excreſcant. dum igitur per adminiſtrationis exteriorum prouidenti-*

Gloſſ. 1. Pet. 5.
Greg. in paſto. l. 2. c. 7.

am,

am, corporum vita protegitur, & rurſum per modernam cordis intentionem non impeditur, Capilli in capite Sacerdotis, & ſeruantur vt cutem cooperiant, & reſecantur, ne oculos claudant. hæc Gregorius. Ex præmiſſis clarè liquet, Prælatos Eccleſiaſticos debere eſſe, non tantum contemplatiuos, ſed & actiuos in ſpiritualibus, & temporalibus prouidos & circumſpectos, & pro ſpiritualium intentione curam & ſolicitudinē temporalium non abiicere, ſed ad vtrunq; ſe aptè & decēter aptare. Et Prælatus ſic viuens non propter hoc dicendus eſt habere contrarias vitas, & contrarios effectus, vt proponens in rationibus, quas in fine ſubiungit, videtur innuere, quoniam omnia hæc ordinantur ad vnum finē, videlicet ad curam gregis ſibi commiſſi, vt patet ex præinſerta auctoritate Gregorii. Ad eandem ſententiam pertinet dictum Gregorii 6. moralium, c. 25. vbi ſic ait: *neque* Greg. 6. mora. *perfectus prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium* c. 25. & 26. *operanda negligit: vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit.* & hanc ſententiam ibi latè pſequitur, & infra: *Sæpè qui contemplari Deum quieti poterāt, occupationibus preſſi ceciderūt. Et ſæpè occupati dum benè humanis vſib9 viuerēt, gladio ſuæ quietis extincti ſunt. hinc namq; eſt, quod nōnulli inquieti ſpiritus, dū plus exquirūt cōtēplādo, quā capiūt, vſq; ad peruerſa dogmata erūpunt, & dum veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligūt, magiſtri errorū fiunt.* Nunc etiam audiamus Iſidorū, docentem nos non ſcandalizari, ſi aliqui Prælati temporaliū ſolicitudini totaliter dati ſunt, quoniam hoc à Dei ordinatione pcedit ad vtilitatem Eccleſiæ. Ita Iſidorus inquit de ſummo bono libro tertio, capitulo 39. *Prouidentia plerumque* Iſidorus. *diuini conſilii ordinantur præpoſiti mundana & exteriora ſectantes, vt temporalibus rebus totaliter ſe impendant, vt ſpirituales quietiorem vitam contemplationis exerceant; quia dura ſunt quietè viuere volentibus ſarcina curarum temporalium,*

 prou-

prouidet ſæpè Deus curis deditos ſecularibus, ad ſuſceptionem regiminis, vt dum hi exteriora ſine tædio procurent, ſpirituales viri rebus interioribus ſine impedimento rerum terrenarum deſeruiant. Dei ergò ordinem accuſent quo inſtituuntur, qui Epiſcopos condemnant, dum minus ſpiritualia, ſed magis terrena ſectantur. Ex diuini enim tabernaculi diſpoſitione ob iniurias mundi ferendas & turbines, quoſdam inſtituit Epiſcopos ſecularibus curis inſiſtentes, vt hi qui interius ſuperna deſiderant, nullo terreno obſiſtente negotio, liberius in hoc quod amant intendant. hæc Iſidorus. Malitia etenim temporum & audacia & proteruitas hominũ malignorum hoc exigit, vt *P*rælati non tantum ſine peccato, ſed etiam meritoriè has temporalium curas exerceant, pro fide, vel etiam rebus *E*cclefiæ defendendis, prout infra patebit auctoritatibus & exemplis beati Gregorij, & aliorum, & miraculo oſtenſo in altero Gregorio, de quo infra. Et ſic breuiter me expedio de omnibus originalibus dictis doctorum, ad quæ omnia clarè patet reſponſio ex prædictis, vt vnusquiſq; per ſe poterit applicare: nam ad ſingula ſigillatim reſpondere, nimis fuiſſet prolixum. Si autem Magiſter *P*etrus petet ad aliquod ſpeciale reſponſum, deſignabitur illud, de Deo propitio ſufficiens ſub reſponſio dabitur.

Cum autem in ſchedula vltimo data dicit: dominium autem ciuile ipſi Clero Chriſti non congruit, aut conuenit, ſed nec licet ipſi in perſona propria ciuiliter dominari. Si intendit quod Clericus in perſona propria non debet judicium ſanguinis exercere, fateor, poteſt tamen habere, & Clericus non religioſus, de proprio patrimonio, & in adminiſtratione pro Eccleſia ciuile dominium Caſtrorum, villarum, oppidorum, ciuitatum, in quibus tale iudicium per laicos officiales faciet exercere, prout ait Hugo de Sacramentis ſecunda parte, & eſt allegata

gata

gata per Magiſtrum Petrum, & rectè probat contra ipſum. Nam ibi ad literam ſic habetur. *Notandum tamen quod principes terreni in terrenis poſſeſsionibus quas in ſubiectis, vel ſine ſubiectis poſsident Eccleſia, aliquando concedunt ſolam vtilitatem, aliquando vtilitatem & poteſtatem; vtilitatem ſine poteſtate concedunt, quando fructum poſſeſsionis ad vſum Eccleſia transferri decernunt, ſed poteſtatem juſtitia exercenda in ipſa poſſeſsione ad eius ditionem tranſire non permittunt. Aliquando & vtilitatem & poteſtatem ſimul tribuunt. Vbi tamen aduertendum eſt, quod Eccleſia licet fructum terrenæ poſſeſsionis ad vſum recipiat, poteſtatem tamen exercendæ iuſtitiæ per Eccleſiaſticas perſonas, aut judicia ſecularia exercere non poteſt; poteſt tamen miniſtros habere laicas perſonas, per quas jura & judicia ad terrenam poteſtatem pertinentia, ſecundum tenorem legum, & debitum juris terreni exerceant.* Ecce quàm manifeſtè iſta auctoritas per Magiſtrũ Petrum allegata oſtendit, Eccleſiaſticas perſonas poſſe habere ciuile dominium, & dat modum jurisdictionis exercendæ. Principes enim Catholici & domini temporales pro Dei gloria, & ſuarum remedio animarum contulerunt Eccleſiis multa precioſa donaria, Caſtra, villas, oppida, & ciuitates, transferendo in Eccleſiã interdum ſolam vtilitatem fructuum, interdum poteſtatem & juriſdictionem, quod eſt ciuile dominium & in hoc completa fuit prophetia eximii prophetarum Dauid in Pſalmo *Exurgat Deus.* Quem quidem Pſalmum Nicolaus de Lyra literalis expoſitor, recitato prius ſenſu Iudæorum volentium illum intelligere de exitu Iſrael de Ægypto, cum dicit illum nimis inuolutum, & coaptari plenè non poſſe ex auctoritate Pauli ad Epheſios quarto, qui huiuſmodi Pſalmi verſum: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ, dona dedit hominibus,* applicat ad dona Spiritus ſancti miſſa in corpus Eccleſiæ, dicit verum Pſalmi ſenſum eſſe,

Hugo de ſancto Victore de Sacram. l. 2. part. 2. c. 7.

Pſa. 67.

Ephes. 4.

Pſal. 67. de Eccleſia Catholica Chriſtianorum, poſt Chriſti paſſionẽ, & ad hunc ſenſũ exponit totum Pſalmum. & ſuper verſ.
Nic. de Lyra. *ſpeciei domus diuidere ſpolia*, ita dixit Lyra, *quod Principes & potentes conuerſi ad fidem dederunt Eccleſiæ precioſa donaria, ex quibus ornata eſt Eccleſia, vt patet in pluribus hiſtoriis & legendis Sanctorum. Et hoc quod dicitur ſpeciei domus diuidere ſpolia, hoc eſt ꝙ dicitur, ad ſpeciem & decorẽ domus Dei, quæ eſt Eccleſia, pertinet diuidere ſpolia, hoc eſt, diuerſis Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis diuidere prædicta donaria. conſequenter oſtendit, qualiter talibus tẽporalibus vtendum ſit, cum dicitur, ſi dormiatis, &c. Ad cuius intelligentiam eſt ſciendum, quod* κλῆρος *gracè idem eſt, quod ſors, colũba autem hic accipitur pro Eccleſia, quæ colũba frequẽter nominatur in canticis: pennæ autem ſunt virtutes, eam ad cæleſtia eleuãtes: dicit igitur, ſi dormiatis, id eſt, quieſcatis inter medios cleros, id eſt, inter ſtatus Eccleſiæ, ſcil. militantis & triũphantis, quod fit, quando ſic vtũtur homines bonis præſentis vitæ, vt non amittant æterna, ſed magis acquirant diuitiæ enim ſicut impedimenta ſunt reprobis, ita probis ſunt adiumẽta virtutis*: hæc omnia Nico. de Lyra.

Cum enim ciuile dominium ſit res commerciabilis, vt eſt communis Doctorũ ſententia in l. *imperium*, & l. *more maiorum* ff. de iur. om. iudi. & ſæpè venduntur caſtra, villæ, oppida & Baroniæ, quid igitur prohibet, quod laicus habens tale ciuile dominium, titulo donationis legati, vel hæreditatis, vel alio legitimo titulo, in Eccleſiã transferre non poſſit? Dicit Magiſter Petrus, quod tali dominio rerum communitas repugnare videtur. Et ad hoc allegat dictum Armachani, & alia, ad quod fortè aliud quæſiuiſſem reſponſum, niſi hoc in promptu occurriſſet, tam clarum, celebre & famoſum, ꝙ Reſpublica Romanorum à ſenatu recta magnum habuit ciuile dominium, & multæ hodiè habent ciuitates ciuilia dominia, ergò non repugnat communitati habere ciuile do-

Digitized by Google

le dominium. Sed ex hoc clarè liquet, quòd nec illa ratio valet, *Prælatus Eccleſiæ non poteſt exercere in propria perſona temporalem juriſdictionem, ergo Eccleſia non poteſt illam habere.* Nam & ſenatores aut conſules Romæ non poterant exercere juriſdictionem in prouinciis, in perſona propria, ſed dabant præſides prouinciarum. Scio quod ciuitates Barchinonenſes habent villas & caſtra, nec tamen conſules ciuitatis poſſent ibi juriſdictionem exercere, ſed creatur ibi officialis, qui juriſdictionem exercet.

Iam nil reſtat ex dictis ex aduerſo, niſi finis ſchedulæ vltimo datæ, vbi ſic habetur: *inſuper circa prædictum punctum tenemus, quod ad tantum poteſt iniquitas regnare in Clero, quod in defectu ſpiritualis propoſiti liceret brachio ſeculari auferre bona temporalia à viris Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.* Quæ propoſitio eſt multum confuſè poſita, & abſq; aliqua declaratione vel probatione. Et ideò poſſet eadem facilitate contemni, qua ponitur, ſed nolo eam præterire, quin circa ipſam, Deo propitio, enucleem veritatem. Sed iſtud puto facilius & luculentius agere, cum, ſicut præmiſi in principio, Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum eſſe habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & ciuilia dominia firmiſſimis documentis monſtrabo. Ideo hęc præmittam. *A Clero habitualiter delinquente ſecundum Huſſitas, poſſunt auferri ſecularia bona.*

Ad quod probandum quadruplici medio vti intendo, vt ſicut in quatuor Euangeliſtarum teſtimoniis Euangelica doctrina fundatur, ſic in quatuor fundamentis veritas iſta firma conſiſtat. *Licitum eſſe Eccleſiæ & Eccleſiaſticis perſonis habere temporalia*

Et primò ſic: illud conſtat eſſe licitum, quod nulla eſt lege prohibitum, ita dicit Auguſtinus ad Pollentium 28. quæſtione prima *Iam nunc.* Sed hoc nulla lege prohibetur: igitur eſt licitum. Ratio eſt in forma. Maior eſt nota de ſe, & eſt Auguſtini, vt ſuprà, Minoris probatio non *1. ratio. 28. q. 1. Iam nunc. c. 8. Aug. ad Pollent. l. 1. de adult. coni. c. 13. & 14.*

Digitized by Google

non incumbit mihi, ſed aſſerenti contrarium, qui dicit hoc prohibitum, prohibitionem oſtendat. Nam ad ea, quæ allegata ſunt ſufficienter reſponſum eſt.

2. ratio. Secundò ſicut illud eſt licitum, imò & debitum, quod diuina ordinatione & beneplacito factum eſt, ſed dotatio & glorificatio Eccleſiæ in potentia & dominio temporali, diuina ordinatione & beneplacito, hoc tēpore, ſcil. à Silueſtro, & citra facta eſt, ſicut ipſe Deus ante promulgauerat p Prophetas. Igitur. Maior eſt nota, ad probandum Minorem affero tria teſtimonia Prophetarum. Primum eximii Prophetæ Dauid in Pſalmo, *Exurgat Deus*, qui Pſalmus pertinet ad glorificationem Eccleſiæ, poſt Chriſti paſſionem, vt probat Nicolaus de Lyra ex auctoritate Pauli, vt prædictū eſt, qui Propheta Dauid hoc ꝓphetauit, vbi dixit, *ſpeciei domus diuidere ſpolia*, id eſt, dōaria à Principibus & potentibus Eccleſiæ data, inter Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas diſtribuere. Inter alias magnas gratias & glorificationes Eccleſiæ hanc temporalium bonorum amplificationem futuram prænunciauit Propheta.

Eſa. 52. *Lyra in c. 52. Eſa.* *Rom. 10.* Secundum teſtimonium eſt *Eſaiæ 52. Conſurge, conſurge induere fortitudine tua Syon, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancta.* Nicolaus de Lyra primo ex auctoritate Pauli, qui allegat quod infra ſequitur, *quàm pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem?* dicit hoc caput loqui de Eccleſia poſt Chriſti paſſionem. Et dicit quòd in hoc capite remouetur tertium impedimentum liberationis factæ per Chriſtum, quantum ad incredulos, quod prouenit ex contemptu humilitatis Chriſti, oſtendendo, quòd humilitas Chriſti fuit diſpoſitio ad gloriam, ſecundum quod dicitur ad Philip. 2. *humiliauit ſemetipſum, &c.* *Philip. 2.* *propter quod exaltauit Deus illum, &c.* non ſolum poſt mor-

tem

tẽ fuit glorificatus, ſed etiam antè in operibus miraculoſis ad declarationem ſuæ deitatis, propter quod Chriſtus petens, *glorifica me Pater*. Ioannis 12. audiuit: *glorificaui, & iterum glorificabo*. glorificaui te miraculis, iterum te glorificabo per gloriam. Et ſic eſt in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia; quia poſt depreſſiones eius per Iudæos & tyrannos eleuata eſt in magna gloria, etiã temporaliter, & in ipſis depreſſiõibus ſpecialiter in receptione Spiritus ſancti, & miraculis, quæ fiebant per Apoſtolos, & alios Sanctos, & ſic circa primum Propheta alloquitur Eccleſiam primitiuam. *Conſurge, conſurge* ad opera virtutũ, *induere fortitudine* ad tolerandum conſtanter perſecutiones; ſed poſt perſecutiones ſecuta eſt pax & honor, ideò ſubditur: *induere veſtimentis gloria tua*. & hoc fuit impletum tempore Conſtantini, qui pacem Eccleſiæ per totum Romanum orbem dedit, & mirabiliter eam honorauit. Et infrà: *Sede Ieruſalem in ſede honoris*, quod tunc fuit impletum, quando Roma, quę erat caput mundi, facta eſt ſedes Summi Pontificis, ſede imperiali tranſlata ad Conſtantinopolim. Ecce quomodo Nicolaus de Lyra expoſitor generalis Bibliæ hanc prophetiam Iſaiæ declarat.

Tertium teſtimonium eſt Iſaiæ ſexageſimo, quod capitulum Nicolaus de Lyra oſtendit intelligendum eſſe de Eccleſia, dicens, quod ſicut in præcedenti capitulo deſcripta eſt ſalus Chriſti, ita in hoc deſcribitur magnitudo huius ſalutis. Primò ex parte materiæ recipientis, & ſubiungit, quòd primò ponitur proſperitas militantis Eccleſiæ, ad fidelium multiplicationem. Secundò ex Eccleſiarum ædificatione. Tertiò ex bonorum aſſecutione. Et ſic declarat & exponit totum capitulum, & ſuper verbo textus, *fortitudo gentium* dicit, id eſt, imperium *Eſa. 60.* *Lyra. ibidem.*

Digitized by Google

Romanum *venerit tibi*, quod impletum fuit tempore Conſtantini,& infra: *inundatio camelorum*,dicit ſic, *Conſtantinus Imperator & multi alii potentes exemplo eius animati, diuitias multas miſerunt ſuper talia animalia ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, & pauperum Chriſtianorum, & ædificationes Eccleſiarum*,& infra: *& ædificabunt*. hîc deſcribitur proſperitas Eccleſiæ in Eccleſiarũ ædificatione, *muros tuos*, id eſt, Eccleſias, & hoc patet impletũ à tempore Cõſtãtini. & infra: *In indignatiõe mea percuſſi te*, q̃a Eccleſia primitiua fuit multum afflicta à tyrannis, quod ſecundum iudicium humanum videbať procedere ex indignatione Dei, licet fuerit ad ꝓbationem. ſcriptura ſæpè habet talem modum loquendi. Et ſequitur, *in reconciliatione mea miſertus ſum tui*. dans tibi pacẽ, ampliationem,& honorem tempore Conſtantini. & ideo ſubditur, *& aperientur portæ tuæ iugiter*, quia Eccleſias prius clauſas præcepit aperiri, & per imperium ſuum nouas ædificari,& ſequitur in textu, *& venient ad te filii eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*, dicit Lyra, hîc deſcribitur proſperitas Eccleſiæ, quãtum ad conſecutionem honoris· & infra ſequitur in textu *ponam te in ſuperbiam ſeculorum*, id eſt, in gloriam & honorẽ, ita quòd ſuperbia nõ ſonat hîc in vitium, ſed honoris exceſſum,& ſequitur in textu, *& ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*, id eſt, ab eis accipies nutrimentum. ſicut videmus impletum in dotatione Eccleſiæ de bonis principum. & ſequitur in textu: *pro ære afferam aurum*, quia in primitiua Eccleſia fuerunt calices & alia vtenſilia Eccleſiæ de materia parum precioſa. poſtea facta ſunt de auro, argento, & de lapidibus precioſis. & ſic habemus tria teſtimonia Prophetarum, quibus apparet ſic à Deo fuiſſe ordinatum, & per Prophetas pronunciatum, & de iſta

tem-

Digitized by Google

temporali exaltatione Eccleſiæ facta per Conſtantinum in perſona B. Syluestri, in figura præceſſit in Ionatha ſummo Sacerdote, cui Alexander contulit coronam auream, & poteſtatem bibēdi in auro, & eſſe in purpura, primo Machab. 11. 1. Machab. 11.

Miniſtrauit mihi Dominus 4. teſtimonium ex Prophetis, vt in quadrato numero velut Euangelica ſtructura huius articuli probatio ſedeat, & eſt ex prophetia Dauid Pſalmo 103. Quem Pſalmum Auguſt. exponit de Eccleſia, vnde in verſu: *ſuper mōtes ſtabunt aquæ*, dicit, *ſic propterea dixit, quia Eccleſiam futuram in diluuio perſecutionum voluit intelligi, fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Eccleſiā Dei cooperuerunt aquæ perſequentium, & ita cooperuerunt, vt non apparerent nec ipſi magni, qui ſunt montes.* & infra. *fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor regum in manu Dei, deflexit quo voluit, iuſſit per eos pacem dari Chriſtianis, emicuit, & eminuit auctoritas Apoſtolica.* Et infra cum multa dixiſſet hoc propoſitum continuando, quæ omnia inſerere longum eſſet. Tandem ſuper verbo. *Cedri libani quas plantauit illic paſſeres nidificabunt.* Sic inquit Aug. *Etenim cedri libani, nobiles & diuites & excelſi huius ſeculi, quoniam cum timore audiunt, beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, attendunt res ſuas, villas ſuas, & omnes ſuperfluas copias, quibus videntur excelſi, & præbent illas ſeruis Dei, dant agros, dant hortos, ædificant Eccleſias, & Monaſteria, colligunt paſſeres nidificantes.* Sunt ergò quidam ſpirituales nidificantes in cedris libani, id eſt, ſerui Dei.

Pſal. 103.

Aug. in Pſal. 103.

Pſal. 40.

Tertiò illud debet licitum reputari quod à viris diuinarum literarum doctiſſimis, vitaq; & Religione ſanctiſſimis ꝓ licito habitum & factum eſt. ſed hoc eſt huiuſmodi, ergò, &c. hoc argumētū eſt in hac ꝓpria materia viri religioſiſſimi *Proſperi*, cuius ſcripta inter canonicas Tertia ratio.

Oo 2 ſcri-

diſt.15.ſancta Romana.c.3. 2.q.1.Expedit.c.13. Proſper de vita contemplatiua.l.2.c.9. diſt.37.qui de menſa.c.11. Danielis 1. 9.q.2.Lugdunenſis.c.10.

ſcripturas habentur, prout dicit Gregorius 15 *ſancta*. hoc argumentum eſt 12.q.1. *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri*, vbi recitato exemplo Paulini concludit, quo facto ſatis oſtendit, ſine impedimento perfectionis poſſe *E*ccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes, poſſideri. Ad probationem etiam aſſumptæ Maioris eſt textus Hieronymi 37. diſtinct. *qui de menſa*, vbi ex facto Sidrac, Miſac, & Abdenago; probat non eſſe licitum facere quod illi fecerunt. Ad idem tex. in c. *Lugdunenſis* 9. quæſtione 2. Ad probationem Minoris licet poſſem probare, quòd ante tempora Syluestri iam *E*ccleſia habuerat prædia & poſſeſſiones tempore Vrbani I. qui præſedit Anno Domini C C. X X I I I. Item temporibus Pontiani, Antheris, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Sixti, Dionyſij, Felicis, Marcelli, Euſebij, & Melchiadis, Romanorum Pontificum, qui præceſſerunt Syluestrum: & theſauros, ſicut Sixtus, quos Laurentius inſtante perſecutione, pauperibus erogauit, habuerunt, & ciuile dominium, ſicut mihi ſcriptum datum eſt, quòd *P*hilippus dominus *P*annoniæ dedit Laureacenſi Archiepiſcopo, qui tunc erat Metropolitanus, villas & prædia in Auſtria, quæ nunc tenet *P*atauienſis Eccleſia. de hoc Philippo ſcribit Gotfridus in *P*antheon:

Suſcipit imperium, populo plaudente, Philippus,
Iſte poſt Cæſar voluit cognoſcere Chriſtum,
Qui dedit Eccleſiis prædia multa ſuis.

Sed quia de ciuili dominio maius fit feſtum, de his qui præſederunt *E*ccleſiis, habentibus magna dominia ciuilia, eſt loquendum. *E*t primò de ſede Romana, incipiam à beato Sylueſtro, de cuius ſanctitate & doctrina victis Iudæorum ſatrapis, fidei Catholicæ exaltatio teſti-

moni-

Digitized by Google

monium præbet. Sub hoc Nicænum primum ſacrum & venerandum Concilium fuit, & poſt dotationem Eccleſiæ, ex quo ſatis auctorizatur factum Conſtantini, quoniam ſi illicitum fuiſſet, reprobraſſet hoc tam celebre Concilium. Sed & habeo teſtimonium beati Ambroſij, de obitu Theodoſii Imperatoris, dicentis, Conſtantinum magni meriti apud Deum, quia primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei & deuotionis principibus dereliquit. Et Iſidorus noſter Hiſpanus idem in ſuis Chronicis atteſtatur. Et Græci qui tunc erant Catholici ipſum Conſtantinum catalogo Sanctorum annumerant, & feſtum de eo cum ſolennitate agunt. 21. die Maij. Poſtea dicam de ſancto Marco, ſub quo fuit celebrata * ſancta Synodus Nicæna, & claruerunt eius tempore, & poſt, ſanctus Athanaſius, Euſebius, Nicolaus, & Hilarius, & Ioannes Chryſoſtomus. Item ſanctus Leo Papa, qui fuit XLIII. poſt ſanctum Petrum. Item Felix ſecundus, qui Martyrio coronatus eſt. Item Damaſus primus, ſub quo Synodus Conſtantinopolitana 150. Patrum, cui Hieronymus illā ſcripſit Epiſtolā, *quoniam vetus oriens inter ſe furore colliſus indeciſam Domini tunicam deſuper textam minutatim per fruſtra decerpit.* Etiam petens ab eo ſuæ fidei cōfeſſionem approbari. & alias multas Epiſtolas. Item * Cyriacus qui cum vndecim millibus virginibus in Colonia martyrio coronatus eſt. Item ſanctus Symmachus Papa, de cuius vita & miraculis Vincentius in hiſtoriali libro 23. cap. 1. & 2. Item ſanctus Ioannes Papa, de quo in eodem Vincentio eod lib. cap. trigeſimo tertio. Item ſanctus Agapitus, eod. lib. cap. 61. Item ſanctus Gregorius vnus de quatuor Doctoribus Eccleſiæ, cuius ſanctitas & doctrina nota eſt. Item ſanctus Martinus, de quo Vincētius eod. lib. 23. capitulo 84. Item ſanctus Stephanus Pa-

Ambr. de obitu Theodoſii Imperat.

* *error.*

* *Cyriacus ille nullus fuit.*

Hiſtoriali lib. 23. Vincent. c. 1. & 2.

Vinc. lib. hiſt. 21. c. 33.

Vinc. l. 23. c. 84.

Vinc.l.23 c. 167.

pa, de quo idem Vinc. eod. lib. c. 167. Item Honorius Papa miræ pietatis fuit, cuius tunica dæmoniacus quidam indutus fuit & liberatus eſt. Item ſanctus Souerinus Benignus amator Cleri & pauperum, & poſſeſſiones Eccleſiarum ampliauit. Item Ioannes quartus theſauris Eccleſiæ diſtractis multa millia hominum per Hiſtriam & Dalmaciam redemit. Item ſanctus Martinus Tudertinus, cuius feſtum celebratur craſtino ſancti Martini Turonenſis. Eugenius primus, hic omnibus benignus & amabilis, maximæq; ſanctitatis. Agatho dum quendam leproſum oſcularetur, mundatus eſt. Ioannes natione Græcus, hic martyrio coronatus eſt. Paulus mitiſſimus & miſericors, nocte cum paucis familiaribus ibat viſitando pauperes & infirmos, & eis miniſtrando. Leo quartus multæ patientiæ, multæque humilitatis, fecit mirabilia in vita ſua, cuius feſtum celebratur decimo ſeptimo Calendas Auguſti. Nicolaus poſt hunc vir fuit ſanctiſſimus, cui poſt Magnum Gregorium vix in ſede Romana ſimilis. Omnes prædicti fuerunt in ſede Romana poſt dotationem Eccleſiæ viri ſancti, approbatæ ſanctitatis, fuerunt & plures alii virtutibus & ſcientia clari, ſicut Innocentius tertius, qui tam reuerenter allegatur in tractatu de Miſſa & aliis operibus. Petrus de Tarantaſio, dictus Innocentius quintus, Doctor clariſſimus, & multi alii, quos nominare longum eſſet. Volui ſolùm prædictos exprimere, qui ſancti intitulantur, aliis multis omiſſis. Sed hoc vnum nolo omittere, quia ad propoſitum valdè facit, quod narrat Vincentius in hiſtoriali libro vigeſimo quinto, capite vigeſimo quinto, de Gregorio 6. qui magna ſtudia & labores impendit ad recuperandum temporalia bona Eccleſiæ à tyrannis occupata, & cum nec hortationibus, nec cenſuris poſſet hoc efficere, vi ar-

morum

Digitized by Google

morum hoc fecit, vnde Cardinales eum, virum ſanguinarium, dicentes: cum infirmitate decumberet, de qua deceſſit, dicebant eum non debere ſepeliri in *Ec*cleſia ſancti *P*etri, cum aliis Pontificibus, quod cum ipſe intellexit, vocauit Cardinales, & habito cum eis colloquio: Tandem dixit, *quoniam noſtra & veſtra rationes falli poſſunt, committamus omnia diuino examini, corpus meũ anteceſſorũ meorum more compoſitum ante ianuas Eccleſiæ ſiſtite, & firmentur ianuæ ſeris & repagulis, ſi Deus voluerit, vt ingrediar, applaudatis miraculo; ſi minus, de cadauere meo faciatis ſicut vobis placuerit:* ſic factũ eſt. Mox enim vt corpus eius anteportas Eccleſiæ ſeris obcluſas poſitum eſt, turbo ingens diuinitus emiſſus repagulorum obſtacula dirupit, & ipſas valuas vehementi impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit. Et hæc dicta ſunt de Romanis Pontificibus. Poſſem per alias mundi *E*ccleſias Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ colligere magnum numerum ſanctorum Epiſcoporum, qui præfuerunt *E*ccleſiis habentibus magnam temporalitatem & ciuilia dominia. Sed nolo pro præſenti, niſi de his circumuicinis & cognitis, & etiam non de omnibus loqui, incipiam ab Eccleſia Moguntina. Ecce ſanctus Bonifacius qui tantæ fuit auctoritatis, quod tempore ſuo dicebatur Apoſtolorum tempora rediiſſe, hic ſua prædicatione multas prouincias illuſtrauit. In eadem *E*ccleſia ſanctus Lullus confeſſor. Item Rabanus magnus Doctor quotidiè allegatur. Item in eadem Moguntina Eccleſia Bardo Archiepiſcopus, in eadem VVilligiſus. In Eccleſia Treuerenſi, quam Helena mater Conſtantini, quæ de Treuera fuit oriunda, plurimum dotauit reliquiis & bonis temporalibus, adiiciendo primæ dotationi, fuerunt 99. Archiepiſcopi vsque

Digitized by Google

Vide Petrum Merſæum in ſuo Epiſcoporũ catalogo, & Antoniũ Monchiacenũ de Miſſa.

ad dominum Ottonem vltimò defunctum, ex quibus 25. ſunt Sancti, vt habetur in Calendario Archiepiſcopi Baldvvini, quod in ipſa Eccleſia ſeruatur. In Eccleſia Colonienſi beatus Seuerinus, qui multis claruit, & claret miraculis, item ſanctus Remedius, item ſanctus Cunibertus, item ſanctus Haymo, Aglolfius martyr, item Euergiſilus martyr, item Heribertus, omnes iſti fuerunt ſancti Archiepiſcopi Colonienſes. In Eccleſia Leodienſi, quæ opulentiſſima in temporalibus eſt, ſanctus Maternus, ſanctus Hubertus, ſanctus Theodardus, ſanctus Seruatius, ſanctus Lambertus martyr, ſanctus Geregiſilus, Epiſcopi omnes. Item in Eccleſia Laureacenſi fuit ſanctus Maximianus, à ſancto Sixto conſecratus Epiſcopus circa annos Domini CC. XXIII. qui patrimonium dictæ Eccleſiæ contulit, quod nunc Anaſum dicitur, cum omnibus vicinis oppidis & judiciis ſecularibus, quæ manent vſq; ad præſens in Auſtria, & obtinet illa Patauienſis Eccleſia. Item ſanctus Adalbertus Eccleſiam Pragenſem magnificè dotatam feliciter rexit pluribus annis. Item ſanctus Procopius opulentiſſimum Monaſterium in Bohemia habuit, cuius poſſeſſiones inquietantes diuinam interdum vltionem in ſe experti ſunt. Item ſanctus Guolffgangus in Ratiſbona. Item ſanctus Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus prædia pro eadem Eccleſia hodiè nota comparauit. Item ſanctus Vdalricus Auguſtenſis Eccleſiam opulentam prædiis & ciuilibus dominiis rexit. Item ſanct⁹ Conradus Conſtantienſis Epiſcopus. Item ſanctus Virgilius Eccleſiam Saltzburgenſem dominiis dotauit. Fuit quoq; ſanctus Virgilius Epiſcopus Tridentinæ Eccleſiæ, ciuili dominio opulentæ. Prætermittendum non eſt de ſancto Staniſlao, Cracouienſi Epiſcopo, qui paſſus controuerſiam ſuper villa Eccleſiæ, à ſepulchro eum, qui ante per

Digitized by Google

te per triennium mortuus fuerat, reſuſcitatum, ad iudicium duxit in teſtem. Poſſem ſine, fallo, ſi benè quæſiuiſſem, etiam multo plures reperiſſe ſanctos Epiſcopos & Abbates qui præfuerunt Eccleſiis & monaſteriis habẽtibus temporalia & ciuilia dominia. Exhorrent vtiq; piæ aures audire in dubitationem deduci, an licitum ſit, quod à tanta Sanctorum multitudine per tanta curricula temporum pro licito habitum fuit, practicatum, & obſeruatum.

Quartò idem ſic probo. Illud indubiè licitum eſt, quod eſt auctoritate canonum Apoſtolorum & ſacrorum generalium Cõciliorum approbatum; Iſtud eſt huiuſmodi, igitur, &c. Maior eſt manifeſta, quoniam omnis fidei noſtræ, & Chriſtianæ diſciplinæ doctrina ab ipſis Apoſtolis & à ſacris generalibus Conciliis, & eorum auctoritate habetur. quod hæc, quæ legimus, ſunt Euangelia Chriſti vera, quod ſymbolum fidei factum fuerit ab Apoſtolis, vnde habemus niſi à ſacris Conciliis & approbatione Eccleſiæ? ipſa enim quantum ad fidem & mores pertinet pro neceſſitate ſalutis errare non poſſunt. Sicut Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius, & omnes Doctores confitentur & tenent. Imò Auguſtinus dicit: *Euangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ moueret.* Nunquam enim legitur ab aliquo Concilio ritè congregato aliquid, pertinens ad fidem vel mores ordinandos, erroneè determinatum fuiſſe, propter aſſiſtentiam ſpiritus ſancti regentis ipſa Concilia. ad probandum minorem habeo primò ex canonibus Apoſtolorum 12. q. 1. *Sint manifeſtè res propriæ, ſi tantum habeat proprias, & manifeſtè res dominicæ.* Ecce duplex patrimonium in poteſtate Epiſcopi, ꝓpriũ, & dominicũ. Item ea cau. & q. *præcipimus vt in poteſtate ſua res Eccleſiæ Epiſcopus habeat.* ſi enim animę hominum

Quarta ratio

Aug cont. Epiſt. Mãichæi, quam vocant fundamenti.

12. q. 1. ſint manifeſtæ. c. 21.

12. q. 1. præcipimus. c 24.

Digitized by Google

precioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam de pecuniis gerere. His addere libet decretum Pij Papæ, qui longè ante Siluestrum fuit; Anno ſcilicet Domini CLIII. vbi ſic legitur. *Prædia diuinis vſibus tradita, quidam humanis applicant vſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, vt ſibi inſeruiant. Quapropter ab omnibus illius vſurpationis cõtumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſecretorum cœleſtiũ dicata à quibusdam irruentibus vexentur. quod ſi quis præſumpſerit, vt ſacrilegus iudicetur.* veniat & auctoritas ſancti Vrbani, qui etiam longè præceſſit Siluestrum, cauſſamque & originem, quare & quando Eccleſia prædia & poſſeſſiones habere incepit, ediſſerit, dicens: *videntes autem ſummi Sacerdotes, & alij atq; Leuitæ & reliqui fideles plus vtilitates poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus, communem vitam ducentibus, quam ex precio ipſorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Ipſæ verò res in ditione ſingularum parochiarum, Epiſcoporum, qui locum tenent Apoſtolorum, erãt & ſunt vſq; ad huc, & futuris ſemper debẽt eſſe temporibus, quibus Epiſcopi & fideles diſpenſatores eorũ omnibus communi vita degere volentibus, miniſtrare cuncta neceſſaria debent, prout melius poterũt, vt nemo in eis egens inueniatur; ipſæ enim res fidelium oblationes appellãtur, quæ Domino à fidelibus offeruntur. memoratis ergò augmentationibus ac cultibus in tantum Eccleſiæ, quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante, creuerunt, & tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus in eis cõmunem vitam ducens, ſit indigens; Sed omnia neceſſaria ab Epiſcopo ſuiſq; percipiat, ideo ſi aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.* hæc Vrbanus. Finis autem iſte referr-

12.q.2. Prædia.c 5. Pius Papa ep. 2.

Vrbanus Papa ep. vnica, 12.q.1. vidẽtes autem.c. 16.

refertur ad c. *attendendum* infra allegatum. Et de illa dãnatione hîc loquuntur decreta vndecim Conciliorum. Primum, ſequendo ordinem voluminis decretorum in c. *Benè quidem*. 96. diſt. Secundum Martini Papæ, 12. q. 1. *manifeſta*. Tertium Antiocheni, ea cauſa, & q. *Epiſcopus*. Quartum Eugenii apud Romam, ea cauſa, & c. *nulli Epiſcoporum*. Quintum in octaua Synodo vniuerſali, ea cauſa, & q. *Apoſtolicos*. & c. *non licet*. Sextum in Concilio Leonis Papæ I V. ea cauſa. & q. 2. *monemus*. Septimum Vrbani Papæ ea cauſa, & q. *de laicis*. Octauum Innocentii III. de re. non alien. *cum laicis*. Nonum Concilii Lateranenſis de teſta. c. *cum in officiis*. Decimum Gregorii X. in generali Concilio Lugdunenſi, c. *hoc conſultiſſimo*. eod. tit. lib. 6. Vndecimum in Concilio generali Viennenſi. clem. prima eod. tit. In omnibus iſtis generalibus Conciliis pro cõſeruandis, regendis, & manu tenendis bonis temporalibus decreta ſunt facta. Quid tandem dicam vt materiæ Conciliorum generalium finem imponam? Primum illud Nicænum Concilium, in quo ſymbolum fidei conditum fuit, quod in miſſa cantatur, poſt dotationem Eccleſiæ factum eſt. Et deinde omnia alia Concilia, quorum decretis & ordinationibus regitur Eccleſia Catholica, & quidquid ordinatiõis, decoris, & normæ, & finaliter quidquid boni habemus in Chriſtiana Religione, totum pullulauit ab eo tempore, quo Eccleſia dotata fuit. Nam eo tempore antequam per doctrinam beatiſſimi Syluestri Conſtantinus ad fidem conuerſus fuiſſet, docendarum plebium facultas non erat, ſed in varios errores erat ſciſſa

1. diſt. 96. c. Bene quidem. c. 1. Symmachus in Synodo Romana.

2. 12. q. 1. Manifeſta. c. 20. ex Concilio Martini.

3. 12. q. 1. Epiſcopus. c. 23. ex Conci. Antiocheno.

4. 12. q. 1. Nulli Epiſcoporum. c. 27. ex Conc. Romano.

5. 12. q. 3. Apoſtolico, c. 13. ex Conc. 8. 6. 12. q. 2. monemus, c. 18. ex Conc. Leonis Papæ 4. 7. 12 q. 2. De laicis. c. 46 ex Conc. Vrbani Pa. Aluerniæ celebrato. 8 de rebus Eccleſiæ non alienandis. c. cum laicis. c. 12. ex Conc. generali ſub Innocentio 3. 9. de teſtamentis. c. cum in officiis, 7. ex Cõ. Later. ſub Alex. 3. 10. De rebus Eccleſiæ non alienandis. c. Hoc conſultiſſimo: ex Con. gen. Lug. ſub Greg. 10. lib. 6. 11. De rebus Eccl. non alien. clem. c. Monaſterium. ex Conc. Viennen.

Chriſtianitas, & omnia ferè confuſa & perdita erant, pro- vt Iſidorus dicit, vt ſupra allegatũ eſt, & ex hiſtoriographis vnicuiq; legenti palam eſt. Vtiq; ab inimico humãi generis hæc ſuggeſtio eſt, qui vellet Eccleſiam ad illum ſtatum deducere, vt liberè poſſet Chriſtianum populum laniare. Benefacit fabula de tractatu inter lupum & paſtorem. Dixit lupus paſtori, quare vis expendere panes tuos ad ſuſtinendum canes, qui nihil laborant, ſed tota die dormiunt? Et dixit paſtor, ad defenſionem ouium, ne tu deuores. Reſpõdit lupus, & ego hoc facio propter canes, quia moleſtum mihi eſt quòd illi non laborent, & tu eos paſcas. ideo cupio mihi de tuis ouibus paſtum. Sed non des illis ad comedendum, & ego non accipiam, laboremus omnes ad quærendum victum. dixit paſtor, placet mihi: paſtore non dante panem canibus, canes mortui fuerunt, tunc lupus liberè potuit inuadere gregem. Ita diabolus vellet hoc ſuggerere, vt depauperata Eccleſia non eſſent niſi Clerici pauci, miſeri, & ignorantes.

Superius etiam allegatis velim adducere decreta aliorum Conciliorum, quæ etſi generalia non fuerint, tamen ab Eccleſia generaliter recipiuntur, & jus commune faciunt, quia in corpore iuris ſunt clauſa. venire poterũt decretum Agathẽſis Concilij 12. q. 1. *Epiſcopi de rebus*. ea cauſa, & q. 2. *ſtatuimus*, & c. *ſi quis de Clericis*. & tribus. cap. ſequentibus. *b* Item ex Concilio Ilerdenſi, ea cauſa, & q. *hæc huius placiti*. *c* Item ex Concilio Toletano quarto ea cauſa, & q. *Etſi illi*. Item ex Concilio *d* Aurelianenſi, ea cauſa & q. *ſi quis de Clericis*, & c. ſequenti. *e* Item ex Synodo Ancyrana, ea cauſa, & q. *Si qua* de rebus. *g* Item ex Cõcilio Mediomatricis, ea cauſa, & q. *precariæ*. Item ex Con-

a 12. q. 1. *Epiſcopi. c. 19. ex Con. Agathẽſi. ex eodem. 12. q. 2. ſtatuimus. c. 23. & tribus ſequentibus.*

b *Ibidem ex Concilio Ilerdenſi. Hæc huius placiti. c. 38.* c *Ibidem. Etſi illi. c. 39.* d *Ibidem. ſi quis de Clericis. c. 4. & ſequenti.* e *ibidem ſi qua. ex Conc. Ancyrano. c. 42.* f *ibidem. precariæ. ex Conc. Mediom.*

Digitized by Google

cilio g Africano ea cauſa, & q. c. *non habenti*, & c. *placuit*. Item ex VIII. Concilio Toletano, ea cauſa & q. *h ſæpè fit*. Item ex Concilio Toletano XI. ea cauſa, q. 3. *i quicunq*. Item ex Concilio Hiſpalenſi, ea cauſa, q. 5. *k fixum*. Item ex Concilio Pariſienſi 23. q. 8. c. *l ſecundum canonicam auctoritatem*. Item ex Concilio Lugdunenſi de reb. Ecl. non alienandis. *m* c. 1. & 2. Item ex Concilio apud *n* Siluan. co. c. *nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ*. & ſic vltra il-

c. 44. g ibid. Non habenti. ex Conc. Africano. c. 50. h ibid. ſæpe fit. c. 72. ex Conc. Toletano. 6.

i ibidem q. 3. quicunq; c. 2. ex Conc. Tolet. VIII. k ibidem q. 5. Fixum. ex Conc. Hiſpal. l 23. q. 8. ſecundum Canonicam. c. 24. ex Conc. Pariſi. m ex Conc. Lugdun. ſupra de rebus Eccl. non aliena. n Nulli liceat. c. 5. ex Conc. apud Syluanen.

lorum vndecim generalium Conciliorum per me prius allegatorum, habemus auctoritates quatuordecim Conciliorum, quas ego ſic perfunctoriè quærendo collegi, vtiq; multò plures me crederem inuenire, ſi temporis opportunitate accuratius quæſiuiſſem. & ſic habeo pro me duos Canones Apoſtolorum, decreta Pij & Vrbani, qui præceſſerunt Silueſtrum, vndecim decreta generalium Conciliorum, & quatuordecim decreta aliorum Cōciliorum, quæ ab Eccleſia generaliter ſunt recepta.

In calce huius poſitionis recolligere volo breuiſſimè duodecim Doctores magnæ auctoritatis in lege Dei veraciſſimè ſe fundantes, qui hanc meam ſententiā confirmabunt. Primus ſit religioſiſſimus Proſper, qui, vt ſuprà allegatum eſt, dicit, *Expedit facultates Eccleſiæ poßideri, &c.* Secundus Gregorius Nazianzenus Magiſter beati Hieronymi, conquerens de perſecutoribus ſuis, dicebat. *Si hinc ab altari excludor aſtabo illi altari, de quo Dauid: Introibo ad altare Dei*, &c. & infra. *Nunquid de cœleſti illa Ieruſalem nos poterunt fugare? facultatibus defraudabunt? quibus? meis? facilius alas, quibus minimè indutus ſum, abſcindent. Si autem Eccleſiaſticis, hoc vtiq; eſt, pro quo eſt omnis pugna, pro*

Proſper. ſupra ratione 3.

Nazianzenus orat. 28. editionis Billianæ, non procul à fine.

Digitized by Google

quo omne certamen. Hæc ille. Habebat ergò Eccleſia facultates.

Ambro. li. 2. de offi. c. 28. & c. 30.

Nunc veniant quatuor principales Doctores Eccleſiæ. Primò Ambroſius, qui Eccleſiæ Mediolanenſis prædiis opulentæ præfuit, & dixit: *Aurum habet Eccleſia*, &c. vt de facultatibus Eccleſiæ in diuerſos pios vſus prudenter & ſagaciter adminiſtrandis, non effundendis oſtendit, in libro de officiis, vnde ſumpta ſunt capitula in decretis, octogeſima ſexta diſtinct. *non ſatis*, & 12. quæſtione 2. *Aurum Eccleſia habet.* Et in libello de obitu fratris, oſtendit ſe patrimonium habere indiuiſum cum fratre ſuo Satyro, quod & competens fuiſſe oſtendit, cum ait: *& certè non erat pauper opibus, ſed pauper ſpiritu.* Benè probant prædicta cap. *Conuenior*, vigeſimo tertio, quæſtione octaua.

diſt. 86. Non ſatis. c. 14. 12. q. 2. aurũ. habet. c. 20. Amb. de obitu fratris ſatyri. 23. q. 8. conuenior. c. 21.

Hiero. ad Damaſum. ſup. in reſpon. ad auctorita. Aug. & Hie.

Huic ſuccedat Hieronymus, qui in Epiſtola ad Damaſum Papam dicit: *Clericos illos conuenit ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, quibus propria vel parentum minimè ſuffragantur.* Iam ſupra allegatum eſt. Et ſic oſtendit facultates habere, & Clericos poſſe proprium poſſidere.

Aug. tract. 6 in Ioannem.

De Auguſtino autem tam à Magiſtro Petro, quàm à me plura dicta hoc probantia inducta ſunt, ſed etiam delectat me hoc vnum addere, ex homilia ſexta ſuper Ioannem, vbi multa ad hoc pertinentia, ſed partem breuem accipio, hæc videlicet verba: *Columba Eccleſia eſt, quid clamas? non deuorauimus villas, columba illas habet. Quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat. Nam noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini, & ſi vos non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus nouit.*

Claudat hunc quaternarium numerum ſanctiſſimus Gregorius Papa, qui Eccleſiæ Romanæ præfuit, ciuitates

&am-

Digitized by Google

& ampliſſima dominia obtinenti, cuius ampliſſimum patrimonium quam ſollicitè prudenterq; rexerit, in regiſtro eius inſertæ Epiſtolæ manifeſtant. Nunc Petrum ad regendum Siciliam miſit, nunc ſcribit vt à colonis cenſus non exigatur antequam potuerint fructus vendere. Nunc de præparandis nauibus & frumentis ad vrbem de inſula Siciliæ transferendis curam gerit, ne in vrbe tritici fiat cariſtia. Nunc etiam principi militiæ defendenti patrimonium Eccleſiæ à tyrannis, exhortatorias literas mittit. Et alia plura huiuſmodi ex ipſo colliguntur regiſtro, quæ diſſerere longum eſſet. Sed hæ ſollicitudines atq; curæ eum non impediebant, quominus prædicationi verbi inſtaret, prout homiliæ, quæ leguntur, oſtendunt, atque ſacrarum ſcripturarum expoſitionibus ſtudiis incumberet, moralium hoc probant volumina, & ſcripta ſuper Ezechielem: *Cum tamen penè*, inquit, *obſidio vrbi & barbaricus enſis ciuium tum ceruicibus immineret*; quod ex ipſius libri ſerie colligitur euidenter. *Gregorius. homilia vlti. in Ezech.*

Habemus ſex. Veniat nunc venerandæ memoriæ noſter Hiſpanus Iſidorus, cuius dictum ex tertio libro de ſummo bono iam ſuperius eſt inſertum, nec illum repeto, nec alium addo, breuitatis amator. *Iſidorus. ſup. in generali reſpon. ad dicta Patrum.*

Octauo loco ſuccedat ille deuotiſſimus crucis Chriſti contemplator Bonauentura ſuper quarto ſententiarum, diſtinctione 24. quæſtione prima, art. 4. vbi latè hanc materiam proſequitur. *Bonauent. 4. ſent. diſt. 24. q. 3.*

Nonus erit Doctor ſanctus in diuerſis locis, ſed ſignanter ſecunda ſecundæ queſtione centeſima & octogeſima quinta, articulo ſexto, & ſeptimo. Et in ſumma contra gentiles, libro tertio, capitulo cẽteſimo trigeſimo primo. *Thomas. 2.2.q.185.a. 6.& 7. cont. gent. l.3.c.131.*

De-

Digitized by Google

Lyra ſup. teſtimonio 2. Yſaiæ.

Decimò veniat Nicolaus de Lyra, quem ſuper expoſitione trium Prophetiarum ſuperius iam audiſtis, quã apertè declarat hanc ſublimationem Eccleſiæ in gloria & potentia temporali, tanquam ex diuina ordinatione procedentem, à Prophetis Dauid & Iſaia prænunciatam fuiſſe.

Gratianus. 23. q. 8. ſi in morte. §. ecce c. 20.

Vndecimum locum teneat venerabilis Gratianus, qui in §. *ecce* 23. q. 8. ſic inquit, *porro aliiſunt*, loquitur de Epiſcopis, *qui prædia, villas, caſtella, & ciuitates poßident, ex quibus Cæſari debent tributa, niſi imperiali benignitate immunitatem huiuſmodi promeruerint.*

Hugo de S. Victore ſuperius ab aduerſario citatus.

Claudat numerum duodenarium Hugo memorandus, quem ad hunc locum propterea reſeruaui, quia Magiſter Petrus illius dictum, non tamen mihi incognitum contulit, quo nil apertius dici poteſt, cùm dicat, Eccleſiam ciuilia dominia habere poſſe, iura, redditus, & vtilitates, juriſdictiones, tamen Prælatus non in perſona ꝑpria, ſed per ſeculares miniſtros faciet exercere. Poſſem & plures Doctores etiam allegare, ſed duodenarius numerus mihi placuit ſacro Apoſtolorum collegio conſecratus.

Cum igitur ex præmiſſis ſole clarius innoteſcat, clericos, qui ad hoc votũ ſe non aſtrinxerunt, licitè propria patrimonia poſſidere, & Eccleſiam poſſe habere bona mobilia, & immobilia, priuata dominia, & ciuilia, quomodo per ſeculare brachium, ſiue per laicos, à viris Eccleſiaſticis poſſunt auferri, etiamſi fuerint delinquentes? talis ſiquidem aſſertio praxi & doctrinæ Chriſti manifeſtè contradicit. Nunquid tempore Chriſti erant peſſimi Sacerdotes, vitiis & ſceleribus inuoluti, habitualiter delinquentes, vt domum Dei facerent ſpeluncam latronũ, & ex patre diabolo eos eſſe, & opera patris eorum facere

Chriſtus aſſereret. Poſſunt vix eſſe nequiores Sacerdotes, magis ſcelerati atq; ſacrilegi his qui in mortem vnigeniti Dei filii conſpirarunt, non tamen eis quamdiu eorum durauit Sacerdotium, aut emolumenta, aut honorē, aut obedientiam à populo ſubtrahi Chriſtus conſuluit, non vtiq;, imò eis præſtari & exhiberi mandauit. Vnde cum mundaſſet leproſum, ait illi, *vade, oſtende te Sacerdotibus, & offer munus*. Matth. 8. & Luc. 5. Et iterum decem leproſis ab eo mundatis, dixit, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*. Ecce honorem & emolumentum non auferri, ſed exhiberi præcepit. Denuo cum, ſicut dicit Chryſoſtomus, & recitat Thomas in gloſſa continua, Sacerdotum incorrigibilem conditionem oſtendiſſet in capite præcedenti; de ipſorum tamen obedientia generalem protulit ſententiam, dicens, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite, Matthæi 23. Vnde Martyr beatiſſimus Cyprianus ſic inquit, dicens, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus Rex & Iudex, & Deus noſter, vſq; ad paſſionis diem ſeruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cum leproſum mundaſſet, dixit illi: vade, & oſtende te Sacerdotibus, & offer donum: humilitate ea, qua nos quoq; humiles eſſe docuit, Sacerdotem adhuc appellabat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum.* Item idem Cyprianus cum de nequitia Epiſcoporum ſui temporis queſtus eſſet, dicens: *Epiſcopi plurimi, quos & hortamento oportet eſſe cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procurationes rerum ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubuenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſos fraudibus rapere, vſuris multiplicibus fœnus augere.* nihilominus talium contēptorem vocat hoſtē

Mat. 8. *Luc. 5.* *Chryſoſt.* *Cyp. ep. 65. edition. Pameliana.* *Cypr. de lapſis.*

Digitized by Google

altaris, ſacrificio Chriſti rebellem, perfidè perfidum, pro religione ſacrilegum, filium impium, fratrem inimicum, prout hæc ponit Auguſt. in de Baptiſmo contra Donat. Cæterum nonne tales Apoſtolica ferit ſententia, dicens: *quis es tu, qui ſeruum iudicas alienum? ſeruus domino ſuo ſtat aut cadit*, ad Rom. 14. Clerici ſerui Domini Dei ſunt, & ſeculares nil iuris aut poteſtatis in eos habent. Extant de hoc tam legum, quàm canonum ſanctiones in Pariſienſi Concilio, *nullus iudicum clericum, aut etiam iuniores Eccleſiæ, per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat*, & in multis aliis iuribus tam canonicis, quàm ciuilibus, quę cum ſint notiſſima, inſerere prætermitto, optimisq; rationibus pridem Magiſter Egidius hoc fundauit. ergò etiamſi facinoroſi ſint clerici, à laicis puniri non poſſunt. Qui enim in facinoroſum animaduertit, non habens in eum iuriſdictionem, grauiſſimè peccat, vnde Aug. in de ciu. Dei, & habetur 23. q. 8. *quicunq; percutit malos in eo quod mali ſunt, & habet cauſam interfectionis, miniſter Dei eſt. Qui verò ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum furem, ſacrilegum, adulterum, & periurũ, vel quẽlibet criminoſũ interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur, & tanto acrius, quanto non ſibi à Deo conceſſã poteſtatẽ abuſiuè vſurpare non timuit.* Nota hæc vltima verba: *grauem quidẽ Deo facit offenſam, & regalia & præeminẽtiam damnabiliter vſurpat, qui non habens ad hoc cõmiſſum ſibi à Deo officiũ, aliena peccata punire præſumit.* hoc ipſum eſſe contra legem Dei ex ſcriptura ſacra volo alio teſtimonio confirmare. Scriptum eſt Ezech. 33. Eccleſiaſticorũ Prælatorum officiũ ſub ſpeculatoris nomine, quia debent populis peccatorum pericula nunciare. Et ſequitur, *quod ſi nõ nunciauerit, & inde aliquis mortuus fuerit, dicit Dominus, ſanguinẽ eius de manu ſpeculatoris requiram*, & ſequitur: *non populus terræ, ſed ego.* Nota verba *non populus, ſed ego, &c.* Ideo Gregori

Aug. l. 4. cõtra Donat. c. 9 & alibi.

Rom. 14.

Con. Pariſ. vide 11. q. nullus iudicum. c. 2.

23. q. 8. quicunque percutit, c. 33.

Ezech. 33.

gorius 25. moral. c. 21. *quia rectores habent iudicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè iudicare vitam regentium. Neque enim fruſtrà per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum effudit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum ſignificans, quia per Magiſtros quidem iudicat vitam plebium, ſed per ſemetipſum facta examinat Magiſtrorum.* Nonnullis videtur in iſto Ioanne VVicleff, huius aſſertionis principe intueri alterum Symonem Beniamitam, qui cum deſiderium ſuæ cupiditatis in Ieruſalem non potuiſſet implere, per medium Appollonii apud Regem agere ſtuduit, vt templi theſaurum arriperet, prout ſcribitur 2. Machabæorum, ca. 3. ſic iſte, quia, vt dicitur, epiſcopatum Vigornienſem non obtinuit, & alia ſuç voluntatis deſideria non valuit adimplere, contra ſpolia & theſauros templi, principum & ſecularium hominũ ſtuduit animos incitare. Sed quid Heliodoro ad hãc exequendã nequitiã transmiſſo contigerit, vt opinor omnes noſtis, qualiter in templo proſtratus fuerit, grauiterq́; percuſſus, vt in ſella geſtatoria ductus ſit mutus, & de omni ſalute deſperatus. Cum hoc autem Heliodoro diuina clementia miſericorditer actum eſt, vt hîc corriperetur, ne in alio ſeculo damnationem haberet. non ſic cum omnibus agitur, ſed interdũ Deus permittit ſuas eis explere malitias, quo in æterna damnatione grauius puniantur. Cum enim res, quæ templo Dei offeruntur, moriantur mundo, prout lex Dei habet Leuit. vltimo, & efficiant ſancta ſanctorum, vt ibidẽ. quoniam domini Dei ſunt, cuius procuratores Eccleſiaſtici ſunt, vt ſupra dictũ eſt, propter culpas ꝓcuratorũ res Domini vſurpare, ratio nulla cõſentit, ſed cũ alienæ rei vſurpatio furtũ ſit, & cõtra præceptũ Dei in decalogo dicentis, *non furtum facies*: res Eccleſiæ vſurpare ſacrilegũ eſt. Aug. ſuper Ioan. ho. 41. *Ecce fur eſt Iudas, & ne contemnas*

Greg. in moral. lib. 25. c. 21.
Mat. 21.
2. Mac. 3. & 4.
Inuaſores bonorum Eccleſiaſticorum puniuntur.
Leu. 27.
Aug. tract. 50. in Ioan.

Digitized by Google

fur ſacrilegus, non qualiſcunq; fur; fur loculorum, ſed dominicorũ loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunq; furti & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de Republica, & nõ ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius iudicandus eſt fur ſacrileg⁹, qui auſus fuerit vndecunq; tollere, h.e. de Eccleſia tollere, qui aliquid de Eccleſia furat. Inde perdito cõparat. Vnde Pius Papa, qui fuit Anno D. 153. ſic inquit: *Prædia diuinis vſibus tradita quidam humanis applicant vſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, & ſibi appropriant. Quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, vt prædia vſibus cæleſtium ſecretorum dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. quod ſi quis præſumpſerit, vt ſacrilegus iudicetur.* Vnde Vrbanus Papa, qui ante Silueſtrum fuit, ſic ſuo decreto loquitur 17. q. 4. *Attendendum eſt nobis omnibus, ne prædia vſibus ſecretorum cæleſtium dedicata, à quibusdam irruentibus vexentur: quod ſi quis fecerit, poſt debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos jure promenda eſt, perpetua damnetur infamia.* Et hoc idem patet per multos canones, ea cauſa, & quæſtione. Item ex decreto Symmachi Papæ, 12. q. 2. *Indignè quidem ad altare Dei properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas audet inuadere, aut iniuſtè poſſidere, aut iniuſta & iniqua defenſione in eis perdurare.* & infra: *Valdè enim iniquum eſt, & ingens ſacrilegium, vt quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute animarum, aut requie ſuorum vnuſquisq; venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè ſeruare conuenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à principibus, & primis regiõum, in aliud transferri vel conuerti permittatur. propterea qui hæc non præuiderit, & aliter quàm ſcriptum eſt, prædia Eccleſiæ tradita petierit, vel acceperit aut poſſederit, niſi ſe citò correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, &c.* Sunt & alia capitula

Pius ep. 1. 17. q. 4. *ſicut* c. 12.

17. q. 4. *Attendendum.* c. 13.

12. q. 2. Indignè. c. 21.

pitula plura, quæ gratia breuitatis omitto.

Sed aduerſus hæc forſitan diabolica tentatio ſuggereret; hoc verum, cum Sacerdotes benè ipſis rebus Eccleſię vtebantur, ſecus, vbi ex ipſis rebus Eccleſiaſticis malè viuunt. quod iam ſuperius apertè confutatum eſt. Sed adhuc libet duo dicta beati Auguſtini aduerſus hanc tentationem diabolicam allegare, qui ſic in homilia inquit 14. q. 5. *Fortè aliquis hoc ſecum cogitat, & dicit, multi ſunt Chriſtiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero: inde enim illi nihil boni agunt. mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas dedero; ſed huiuſmodi cogitatio diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat pauperibus, quod abſtulerit, addit potius peccatum, quàm minuit.* Et idem Auguſtinus ea cauſa & quæſtione: *Neque enim ſi agris iniquè ac perperam inuaſis, ita quiſq; vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemoſynas faciat, ideo rapinam iuſtificat. neq; ſi alius ruri paterno vel iuſtè quæſito, auarus incumbat, ideo culpanda eſt iuris regula, qua poſſeſſor legitimus factus eſt, nec tyrannicæ factionis peruerſitas laudabilis erat, ſi regia clementia tyrannus ſubditos tractet, nec vituperabilis ordo regiæ poteſtatis, ſi rex crudelitate tyrannica ſæuiat. Aliud eſt namq; iniuſta poteſtate iuſtè velle vti, aliud eſt iuſta poteſtate iniuſte velle vti.* Propellenda eſt vtiq; talis aſſertio, quòd propter Clericorum vitia, licitum laicis ſit ad Chriſti patrimonium manus apponere. Et facile poſſet præbere aditum ad ſimile aſſerendum de regibus, principibus, & aliis dominis temporalibus. nec defuêre, qui hoc ſimili modo aſſerere iam præſumpſerint, quod eſſe fomitem ſcãdalorum, & ſeditionum & ſubuerſionis totius humanæ politiæ cunctis intellectu vigentibus palam eſt. Obſecro igitur quemlibet fidelem dicens verba Eccleſiaſtici vigeſimo octauo: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & ori*

Aug. l. 50. homiliarum, homil. 7.
14. q. 5. *Fortè.* c. 3.

Aug. de bono coniugij.
14. q. 5. c. 9. *Neq;.*
Non rapiendum vt eleemoſyna detur

Eccl. 28.

suo facito oſtium & ſeras auribus tuis.

Hoc vnum in fine actus huius notandum decreui, quod per omnes ætates mundi ſemper in populo Dei, niſi perſecutione diuinæ legis inſtante, Sacerdotes in magna reuerentia & honore fuerunt, & bonorum opulentia. Tempore ſiquidem legis naturæ primogeniti, qui & Sacerdotes erant, in honore & hæreditate prærogatiuam præ cæteris habebant fratribus. In lege Moſaica decimas, primitias, oblationes, ſacrificia, vota, & redẽptiones, & vltra hæc ciuitates & ſuburbana, vt ſuperius dictum eſt. In primitiua Eccleſia omnia ponebantur ad pedes Apoſtolorum, & ipſi diſtribuebãt omnibus. Venit demum perſecutio, & tunc conſonum rationi erat, vt potior pars perſecutionis eos contingeret, qui Chriſtianæ militiæ principes erant. Sed demum pace data Eccleſiæ, Chriſtiani Principes, fideleſq; populi Chriſti ſacerdotibus honorem & reuerentiam & temporalium opulẽtiam contulerunt. hæc pro communi vtilitate à Deo ſic ordinata ſunt, vt ſuperius eſt probatum.

Concludam igitur cum beato Leone 25. quæſtione prima. *Quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter ſunt inſtituta, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa. Sed manentibus terminis, quos cõſtituerũt Patres, nemo iniuſtè alienum vſurpet, ſed intra fines proprios atq; legitimos, prout quiſq; valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis.* Nemo deformationem morũ & rerũ turbinem aſcribat temporalibus Eccleſię bonis. Nam & vbi magna eſt paupertas, deformitas morũ, & turbatio nõ minor eſt, vt in aliq; bus partibus Apuliæ, & in Inſulis Sardiniæ & Corſicæ, vbi Clerus pauperrimus, ignarus & deformatiſſimus eſt. fuerunt quoq; cum multa opulẽtia viri ſanctiſſimi, moreſq; optimi, vt patet ex prædictis; ſed vtiq; omni

25. q. 1. Quæ ad perpetuam c. 3.
Leo ep. 51.

omnium malorum horum cauſa potiſſima eſt, perdita diſciplina, patres depulerunt virgas ad corrigendum filios, obliti conſilii Salomonis, Magiſtri non habent ferulas, nec Abbates in capitulo diſciplinas, Prælati dominique temporales non corripiunt niſi Burſas, de morum diſciplina in nullo ſtatu cura habetur, omnia licentiata ſunt, verecundia perdita, obedientia verò abiecta, laſciuia, libidines, & voluptates omnia poſſident, liberèque vagantur, dum pullulantia vitia falce correptionis minimè reſecantur. in tanta peſſimorum morum colluuione, & veteri perdita diſciplina, non mirum ſi ea, quæ ad bonum & malum deflecti valent, ſicut temporalia bona ſunt, retorquentur ad malum, cum etiam ea, quæ de ſua natura ſunt optima, ipſum dico Euchariſtiæ digniſſimum ſacramentum reprobis cedat in malum. Inſtauretur igitur morum diſciplina, mores reformentur, & tunc cognoſcemus apertè plurimum vtile fore populo Chriſtiano, Eccleſiam Dei bonis temporalibus abundare, quia eis à bonis non niſi benè & laudabiliter vti continget. Sunt namq; neceſſitates plures in populo Chriſtiano, quibus ſi, vt debitum eſt, de bonis Eccleſiæ ſubueniretur, non ſuperfluitatem noxiam, ſed fructuoſam eſſe bonorum opulentiam, in Eccleſia palàm eſſet. Quot Chriſtianorum centena inter infideles captiui tenentur, pro quorum redemptione vaſa ſacra conflaſſe & vendidiſſe beatus Ambroſius gloriatur, ac vt ſupra memoraui Ioannem Papam IV. diſtractis theſauris Eccleſiæ multos per Hyſtriam & Dalmatiam redemiſſe. Deſuntné puellæ thoro maturæ, quas parentes pauperes maritare non valent? In quibus ſicut beatum Nicolaum feciſſe legimus, eſſent poma aurea conferenda. Sunt & millia pauperum & infirmorum, ſunt & multa pau-

Prou. 13.

S. Amb. l. 2. offic. c. 28.

Sup. in 3. rati. de Pontificib. habētibus dominia ciuilia.

pauperũ iuuenũ habilia ingenia, ſi haberent vnde poſſent in literarũ ſtudio profectum facere. Poſſem & multa alia huiuſmodi memorare opera pietatis, quibus eſt de bonis Eccleſię ſuccurrendum, & ad hoc inſtituta eſſe. Sciamus nos quoq; Eccleſiaſtici, iuxta verba beatiſſimi Auguſtini, rerum Eccleſiaſticarum procurationem gerere, non dominium vſurpatione damnabili vendicare, de qua reddituri ſumus in diſtricto Dei iudicio rationem. Pauperũ procuratores ſumus, quos etſi hîc ſuppliciter poſtulantes, in futuro tamen ſeculo agnoſcemus duriſſimos exactores, ſi ea, quæ ipſis conferre teneamur, luxurioſè viuendo in pompis & laſciuiis expendamus. diſpenſatores ſerui ſumus, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: ſi dixerimus in corde noſtro, *moram facit Dominus*, & manducauerimus, & biberimus cum ebrioſis, id eſt, lautè viuendo, veniet Dominus die qua non ſperamus, & hora, qua ignoramus, & diuidet ſcilicet animam à corpore, partemq; noſtram ponet cum hypocritis, ibi erit fletus & ſtridor dentium, Matthęi vigeſimo quarto. Eripiat nos Deus abindè, & nos, ſi eripi volumus, emendemus. Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies ſalutis. Ad hoc ſumus in ſacro Concilio congregati, vt prauorum morum deformitatis, depoſita vetuſtate, induamus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. ad Epheſios quarto. Hæc ſunt Patres reuerendiſſimi, Patres præſtantiſſimi, quæ circa hunc articulum cenſui eſſe dicenda, quæ veſtro iudicio corrigenda ſubmitto. Vos verò incliti Bohemiæ oratores egregios deprecor animo benigno, & cum bona pace ſuſcipere, quoniam ad hoc ſumus, vt mutuæ collationis agitatione veritas elucеſcat, quam nobis omnibus cognoſcere & amplecti concedat ille, qui de ſe dixit:

Auguſtinus. *Mat. 24.* *Luc. 12.* *2. Cor. 6.* *Eph. 4.*

Ego

Digitized by Google

Ego ſum via, veritas, & vita, vt veritatem amplectentes, per ipſum qui via eſt, perueniamus ad vitam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Amen.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Amen. His quæ pro diuini imploratione auxilii, ſacratiſſimæque Domini noſtri Ieſu Chriſti matris Mariæ, & omnium Sanctorum intercesſionis ſuffragio, in prioris actus exordio præmiſſa fuerunt, nec non & proteſtationibus iis habitis pro expreſſis, & præfationis noſtræ medulla breuiter memorata, quæ videlicet hoc habet, vt ne ſermo Chriſti per malam intelligentiam fiat nobis in ruinam vt hæreticis antiquis & nouis, vt etiam Magiſter Petrus contigiſſe fatetur, non innitamur propriæ prudentiæ, ſenſum noſtrum, vt Hieronymus inquit, Patrum præferendo decretis, ſed ſuper intellectu ſcripturæ ſtemus ſententiæ ſanctæ matris Eccleſiæ, eius dico, quæ cognoſcibilis eſt, quæ ſicut fulgur, vt Chriſti verbis vtar, exit ab oriente, & paret vſq; in occidentem, & ſanctorum Doctorum ab ea approbatorum, de quorum ſanctitate & doctrina per vniuerſum orbem clariſſima fama coruſcat, & ne in moneta doctrinæ decipi nos contingat, non accipiamus eam niſi de publica officina, quam videlicet in ſancta Dei Eccleſia publicè legi, recipiq; conſpicimus. Oues Chriſti ſumus; gregatim paſcamur. Sæpè quidem à lupis deuoratur ouis, quæ à grege ſe ſegregans, quærit ſibi per deuia paſtum, Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, & domini, &c. Et rerum grauitas & temporis exigit breuitas, ne more auium garrularum vniuerſos ramuſculos ſalien-

NOTA. Sequens ſcriptum in altero m.ſ. libro non habetur, vnde quædã emendari non potuere.

Hier. in prologo c.3. ſup. in proœmio.

Mat. 24.

do circumuolitem, ſed velut picus auis fortiſſimi roſtri, huius populeæ arboris trunco inſiliam, & in fortitudine roſtri, quam mihi per ſuam clementiam altiſſimus donare dignabitur, qui ſuo dixit Prophetæ, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, &c.* Ezec. 3. c. perforato trunco, medullã excutiam, & ſic areſcet populea arbor iſta, quæ nunc leuium frondium numeroſitate vireſcens, fructu tamen ſterilis, vmbroſitate ſua ſegeti Chriſti poſſet detrimentum afferre. Meminiſtis Patres & viri optimi, me in priori actu ſic proceſſiſſe, vt primo loco auctoritatibus & rationibus, per Magiſtrum Petrum adductis, præbuerim congruum efficaxq; reſponſum, paucis exceptis auctoritatibus, quas non aliter prætermiſi, niſi quia iudicaui eas ad ſuum propoſitum parum facientes, aut nihil, ſicut & vos omnes iudicare non dubito, atq; ſi in veſtra leguntur præſentia, dicetis procul dubio, quod vulgariter dicitur, Quid ad *rubrum? Cum enim ad ea quæ fortiora videntur, non declinauerim reſpondere, vt quid tempus, de quo magna ſit ratio, inutiliter expendiſſem, aliud adhibendo reſponſum ad illas auctoritates? veruntamen etſi tempus permiſerit, etiam legam illas. Nunc autem ad ea feſtino, quæ potiora videntur.

Ezech. 3.

* for. rhombũ

Secundo loco quatuor irrefragabilibus mediis demonſtraui, Clericis non religioſis, vel voto aſtrictis, Eccleſiæ quoque, & Eccleſiaſticis viris licitum eſſe habere & poſſidere bona temporalia, mobilia, & immobilia, domos & prædia, villas, caſtra, & ciuitates, dotationemq; Eccleſiæ & dilatationem in gloria & potentia temporali à diuino beneplacito & ordinatione proceſſiſſe, Prophetarum oraculis prænunciatam eſſe, prout quatuor textus Prophetarum exponunt beatus Auguſtinus, & Nicolaus

Digitized by Google

de Lyra, ad literam loquentes de gloria & potentia temporali Eccleſiæ hac ætate, à tempore videlicet Conſtantini. Confirmaui prætereà poſitionem meam decretis 15. Conciliorum generalium 14. aliorumque, etſi generalia non fuerint, tamen ab Eccleſia generaliter ſunt recepta. Attuli teſtimonium 12. Doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundantiū. cōmemoraui præterea magnam copiā virorum approbatæ ſanctitatis, & qui fuerunt in lege Domini euidentiſſimi, puta Ambroſium, Gregorium, & ſimiles, qui hanc dotationem Eccleſiæ facto approbarūt, præſidendo Eccleſiis in temporalibus opulentis, & illa temporalia adminiſtrando. & potuiſſē etiā afferre multo plures. Item dico de Doctoribus & auctoritatib9 decretorū, de quibus omnibus qualiter Magiſter Petrus ſe expediuerit, omnes noſtis. Nec mirū reuera, quoniā ſup omnia fortia veritas fortis eſt, & veritas oīa vincit. Sed dilatat ſe in verborū foliis, quæ quā leuia ſint ad inſtar populearum frondium, procul dubio ingenia veſtra magna non latet. quæ etiam aliquantulum declarabuntur. Et cum conſtrictus à me pridem rationibus eſſet, conceſſit ciuile dominium in Clero non eſſe prohibitum materialiter, ſed formaliter, q̃ quàm ſit inane, captioſaq́; verba ad obumbrādum mentes hominum inutiliter ſine fructu, facile eſt videre, & hoc Deo ꝓpitio apertiſſimè declarabo, & quanquam ſua concluſio per me in priori actu fuerit penitus improbata, nō inſequēdo terminos ſophiſticationis ſuæ, ſed cōmunem modum loquendi & vſum conſuetū terminorum, quē vt ipſemet dicit in 2. charta primæ poſitionis, declinare præſumptuosè abſq; cauſa rationali, non videtur ſobrietatem ſapere, ſed culpabiliter proteruire, & vtiq; apud realiter & nō ſophiſticè diſputātes, ſecūdū communē modū loquēdi, termini accipiendi ſūt, & non decet

Digitized by Google

Seneca ep. 45. 48. 49. editionis Mureti. Auguſtinus.

guas ſignificationes verbis allegare. *Sicut* inquit Seneca deridendo Sophiſtas, epiſtola quadrageſima tertia ad Lucilium. & concordat epiſtola 46. & 47. Et Auguſtinus in ſecundo de doctrina Chriſtiana, & inde credo diuina directione, non meis meritis, ſed ſua gratia fuit, q; dum iam in loco eſſe, ſcriptis & dictatis per me hæc addidi verba: *Solent acuti homines quadam ſubtili ambiguitate, & verborum tegmine obumbrare poſitiones ſuas, vt poſſint eas ſubtili diſputatione, & verborum nodoſitate ſaluare, ſed dum ab his non ſic intelliguntur, errandi occaſionem multis prabent. Non curo qualitercunq; ipſe accipiat terminos, ego loquar planè eo modo, quo ſolent à cunctis intelligi, & communi modo loquendi.* hoc tunc dixi, quod quam verum fuerit, vos videtis, euadere viſus eſt per rimulam, reſtringens totam poſitionem ſuam ad ciuile dominium formaliter intellectum, pro quo & ipſemet dicit, & verum dicit in hoc, quod ego non darem duos halenſes, licet pro materiali darem multa centena florenorum, &c.

SED nunc volo inſequi terminos ſuos & eius poſitionem caſſam & vacuam demonſtrare, habet ſic concluſio ſua: *Secularis poſſeſſio, ſicut & ciuile dominium jure diuino & humano, Doctorum ſanctorum ſententiis, & ratione efficaci, tempore legis prohibetur Clero Chriſti.*

Primò loquitur de ſeculari poſſeſſione, quam ſpeciem poſſeſſionis, vt dixi & dico, in iure non inueniet; ſed ſi ſeculare idem eſt quod temporale, provt exponit gloſſa ſuper epiſtola ad Romanos decimo, omnis poſſeſſio bonorum huius vitæ ſecularis eſt & temporalis. An verò aliqua ſit æterna, indicate. Nolo tempus in his inutiliter conſumere, ſufficit mihi habere poſſeſſionem eo modo, quo jura loquuntur; quia per illa habeo commoda

Digitized by Google

da poſſeſſionis, quæ à iure data ſunt. Ipſe habeat ſuam ſecularem poſſeſſionem, & ſicut inquit Poëta: Si tradit peregrinis imaginibus artem ſubtilis ſubtile eſt ipſe ſolus adoret, imò & ſatîs mihi eſt habere dominium, quia proprietas trahit ad ſe poſſeſſionem juribus vulgaribus.

VEniamus igitur ad ciuile dominium, & dein 8. notabili huius poſitionis ſecundæ, quod dominium capit ſuum eſſe, & per conſequens ſpeciem & differentiam vel à ſubiecto, vel à fundamento, vel ab obiecto, & ſic ex quolibet horum trium capi poteſt diuiſio dominii in ſuas ſpecies & partes alias ſubiectiuas, vnde cum tres ſint maneries rationalium naturarum, patet quod communiter eſt dare tres modos dominii, vt aliud eſt naturale, aliud Euangelicum, & aliud humanum. hæc Magiſter Petrus. Videtis Patres & Domini, quòd in hac prima diuiſione, quę ſumitur à ſubiecto, non ponit ciuile dominium. procedamus vltra. ſic dicit iterum: *Secundum fundamentũ dominii variantur ſuæ ſpecies, ſpecialiter in homine: nam ſicut aliud eſt ius naturale, aliud ius Euangelicum, & aliud ius humanum. Conſequenter aliquod eſt dominium naturale, aliquod Euangelicum, vt eſt dominium charitatis ſiue vicarium, quando quis in nomine Chriſti accipit ab alio miniſterium. Et aliquod eſt dominium coactum, quod variatur ſecundum varietatem legum, & iurium ipſum fundamentum.* hæc Magiſter Petrus. Videtis quomodo hic accipit diuiſionem dominii ſecundum varietatem iurium, à quibus ipſa dominia ſuſcipiunt fundamentum, immò omnes juriſtæ faciunt, quod accipiendo jus ciuile ſtrictè modo pauciſſima dominia poſſet dici ciuilia. Nam fundamenta dominiorum ſunt plurimũ de jure gentium, & pauciſſimi modi acquirendi dominium ſunt de iure ciuili, prout hoc apud juriſtas eſt vulgatiſſi-

tiſſimi, & patet ex toto titulorum diſcurſu de acqu. re. do. Et inſti. de rer. diu. Sed accipiamus latiſſimè ius ciuile pro tota latitudine iuris humani, & ita videtur accipere Magiſter Petrus in tertio membro ſuæ diſtinctionis, & iſtud eſt dominium, per quod dicimus, hoc meum, hoc tuum, & hoc eſt inſtitutum occaſione peccati originalis, quia ſi permanſiſſet illa originalis juſtitia, nemo dixiſſet, hoc meum, hoc tuum, ſed corrupta originali iuſtitia, expediens valde fuit, diſtinguere rerum dominia, quia vt dicit lex, communio ſolet excitare diſcordias ff. de l. 2. l. *cum pater. §. dulciſſimis.* & alia lex. *naturale vitium eſt negligi, quod communiter poſſidetur.* C. quomodo & quando quarta pars, in volumine l. 2. cum aliis legibus concordantibus. Quod ſi omnia eſſent communia, quot guloſi eſſent in mundo, pigri & inertes, & quot diſſenſiones & iurgia? Et de hoc dominio datur illa deſcriptio, quod eſt dominium occaſione peccati humanitus inſtitutum, incommunicabile ſimul ex æquo multis dominis, ſed abdicabile ſeruata juſtitia, ita dixit Magiſter Petrus. Alii dicunt, ſeruata, vel non ſeruata charitate, quia *tum hoc dominium infundetur in charitate, etiam amiſſa charitate non perditur. Vide S. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 2. Sed in hac diuerſitate non inſiſto, quia credo, quod Magiſter Petrus idem fecit, niſi vellet tenere illum errorem, quem ab aliquibus audio teneri, quod quicunq; peccat mortaliter, perdit dominia bonorum ſuorum, & ſic Rex regnum, Princeps principatum, miles caſtrum, ciuis dominium, prædia, &c. quod Magiſt. Petrum ſentire non credo. Nunc omnes intelligite, quòd omne dominium, quod habent homines in bonis fortunæ, de quo in iudiciis agunt & contractibus, dominium ciuile eſt. hoc modo ciuile, cum cuilibet competat talis aſſignata deſcriptio.

for. cum hoc dominium nō funderur. Tho. 2. 2. q. 66. a. 2.

Nam

Nam omne tale fundamentum accipit à jure humano inſtituto occaſione peccati, & eſt optima conſequẽtia, à definitione ad definitum.

Cancellarius Pariſienſis in tractatu de *Eccleſia* vltima cõſideratione vltra medium, deſcribit dominium ſic: *Dominium eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias, vel vt alias, in ſui facultatem vel in vſum licitum, ſecundum iura vel leges rationabiliter inſtitutas.* *Gerſon de poteſt. Eccl. conſideratione 13 Dominium quid ſit?*

Probare iam volo breuiter concluſionem Magiſtri Petri eſſe falſam. Et arguo ſic: Ciuile dominiũ Clero Chriſti tempore legis gratiæ eſt licitum, ergo concluſio falſa. Conſequentia nota, quia concluſio ſua dicit, ꝙ eſt prohibitum. Antecedens meum dicit, quod eſt licitum. Licitũ & ꝓhibitum repugnant, quod eſt ꝓhibitum non eſt licitum. ita ipſe conceſſit 2. quinterno 2. poſitionis, charta 5. & eſt cunctis manifeſtum. Sed ad probandum antecedẽs allego Auguſtinum ſuper Io. homilia 6. iuxta finem, vbi contra Donatiſtas loquens, ſic ait: *modo deficientes vbiq, quid vobis proponunt? non inuenientes quid dicant? villas noſtras tulerunt, fundos noſtros tulerunt, proferunt teſtamenta hominum. Ecce Gaius eis donauit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus. cuius Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſia quid eſt Eccleſia? Eccleſiæ, dixi, cui præerat Fauſtinus. Sed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus; parti præerat. Colũba autem Eccleſia eſt. quid clamas? non deuorauimus villas, colũba illas habet, quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat. Nam noſtis fratres mei quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini. & ſi vos non noſcitis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus nouit, ipſe ſcit, quid ego de villis ſentiã, vel quid ipſe ſufferam. nouit gemitus meos, ſi mihi aliquid de columba impertiri dignatus eſt. Ecce ſũt villæ. Quo iure defẽdis villas? diuino an humano? reſpõdeãt. Diuinũ jus in ſcripturis habemus, humanũ jus in legib. regum. vnde quiſq; poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? nã iure diuino domi-*

Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, pauperes & diuites. Deus de vno limo fecit & pauperes & diuites, vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicis, hæc villa mea eſt, hæc domus mea, &c. hic ſeruus meus eſt, &c. iure ergò humano. hæc Auguſtinus. Ex quo dicto duo patent. Primò quod Eccleſia habet fundos & villas. Secundò quòd omne dominium horum bonorum, quæ dicuntur bona fortunæ, à iure humano eſt, *vnde quiſq; poſſidet, quod poſſidet? nonne iure humano?* Habet ergò Eccleſia dominium iure humano inſtitutum, &c. Ergò ciuile dominium. à definitione ad definitum.

Veniat alius textus, quem allegat Magiſter Petrus, dicit primo quinterno, charta quinta, quod loquitur de ciuili dominio. In declaratione enim definitionis ciuilis dominii, ſuper ſecunda particula ita dicit. *Ideò Auguſtinus diſtinguendo inter ciuile dominium, & dominium ſecundum differentiam commutabilitatis & incommutabilitatis, ex perfectione in eſſe diuino, ſubdita humano dominio vt ciuili. Quis, inquit auarus, &c.* Ipſe Magiſter Petrus poſuit partem, ego ponam aliam. Nam habetur in decretis 23. q. 7. ita Auguſtinus inquit: *Quod autem nobis obiiciunt, quod res eorum concupiſcamus, & auferamus, vtinam Catholici ſint, & non ſolum qui dicunt ſua, ſed etiam noſtra in pace & charitate nobiſcum poſſideant. vſq; adeo autem calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quam ſint inter ſe contraria quæ loquuntur. Ipſi certe dicunt, & inuidioſiſſimè ſibi conqueri videntur, quod eos in noſtra communione violento legum imperio coarctamus, hoc itaq; nullo modo faceremus, ſi eorum res poſſidere vellemus.* & ſequitur tunc particula, quam Magiſter Petrus allegat. *Quis auarus quærit compoſſeſſorem? quis dominandi cupiditate inflatus, vel faſtu dominationis elatus deſiderat habere conſortem?* & ſequitur: *Ipſos certè attendant, quondam ſuos, iam ſocios noſtros, & fraterna nobis dilectione*

23. q. 7. quod autem. c. 3. Aug. ep. 50. ad Bonifaciũ.

ſtione coniunctos, quemadmodum ſua tenent non ſolum quæ habebant, ſed etiam noſtra, quæ non habebant. Hæc Auguſtinus, ſi de ciuili dominio hic textus loquitur, prout & Magiſter Petrus ex ſua allegatione conſequentiatur ciuile dominium non eſſe prohibitum Clero Chriſti.

Nunc ſicut dixit Hiero. contra Luciferianũ diſputans, videam ſi omnes diſputationum riuulos poſſem vnico ſole Eccleſiæ ſiccare. Et allegauit quintum canonem Chalcedonenſis Concilii. Et ego profero canonem Apoſtolorum 12. q. 1. *ſint manifeſta res propria Epiſcopi, ſi tamen habeat proprias, & manifeſta dominica, vt poteſtatem habeat, de propriis rebus moriens Epiſcopus ſicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.* Ecce duplex patrimonium, vnum Eccleſiæ, aliud proprium. Ergò non ſolum Clerici, ſed etiam Epiſcopi poſſunt habere proprium. Vtiq; ſi prohibitũ eſſet Clero Chriſti, ſi Clerici exproprietarii eſſe *haberent neceſſariò, non feciſſent Apoſtoli tale decretum; Sed beato Hieronymo ad exſiccandum omnes diſputationum riuulos ſatis eſſe videbatur allegare vnum canonem Concilii Chalcedonẽſis; mihi autem cum iſto nouo homine non ſufficiunt canones Apoſtolorum, Pii & Vrbani ſanctorum antiquiſſimorum Pontificum decreta, vndecim Conciliorum generalium, & quatuordecim aliorum.

12. q. 1. ſint manifeſta. c. 21.

**for. deberent.*

Dicet forſan ipſe, quid te occupas recapitulando iſtas auctoritates? Iam dixi tibi in tertio notabili, quod per illam diſtinctionem de ciuili dominio materialiter, vel formaliter intellecto, concordari poſſunt iſta, & quod ego in materia propoſita, vbi fit mentio de Cleri dominio, proſequor intentum de dominio Cleri ciuili formaliter intellecto. Et iterum charta ſeptima, volens ſoluere rationes meas de Melchiſedech, qui fuit Rex & Sacerdos,

& de primogenitis in lege naturæ, cum non inueniat quo euadere poſſit, niſi per rimulam illam, dicit: *non videntur contradicere articulo à me propoſito*, charta octaua. intelligo de poſſeſſione ſeculari, & dominio ciuili formaliter intellecto. *Et* tandem ſecundo quinterno, charta 5. recitat concluſionem meam ſub his verbis. *Quod Eccleſiæ Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis licitum eſt habere & poßidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & ciuilia dominia.* Et dicit quod iſta concluſio articulo per ipſum poſito apud benè intelligentes non obuiat. Videte quomodo non obuiat: articulus eius dicit quòd ciuile dominium eſt prohibitum Clero; mea autem concluſio dicit, quod licitum eſt quoad ciuilia dominia. ſuus articulus dicit prohibitum, mea concluſio dicit licitum, & vtraq; de ciuili dominio. Sed dicit ipſe: *Propterea dico apud benè intelligentes, quia tua concluſio loquitur de materialiter intellecto, ſcil. quod habet obiectum dominabile, puta domos, prædia, villas, caſtra, & ciuitates, & ita loquuntur omnes probationes per te inducta, ego autem loquor de ciuili dominio formaliter intellecto.* & quid intelligat per hoc, quod dicit formaliter intellecto, declarat, dũ nititur reſpondere ad illud argumentum meum, vbi argui ex hoc quod ciuile dominium eſt res commerciabilis, & dicit ſic 2. quint. charta 4. *In quibus rebus aduerſarius innuit ciuile dominium eſſe rem commerciabilem, quod non nego, ſed ciuile dominium formaliter intellectum, de ſubiecto in ſubiectum migrare non poſſe videtur. Et vt ſuppono, dicens, dominus auditor pro illa habitudine præfecti ad ſubſeruiens non daret duas ballenſes, vbi pro dominio materialiter intellecto, ac palpabili, de quo ipſe præcipuè videtur loqui, aliquot florenorum centena dare minimè denegaret. Et vt puto, ſi diſtinctionem ciuilis dominii materialiter intellecti, & etiam formaliter, veraciter conciperet, contra articulum per me propoſitum non ita ardenter & laborioſè, quamuis, vt ſupponitur, cum de-*

tri-

trimento ſuæ animæ, laborares. Sed quia puncta tangit ſubtilem,&c. hæc Magiſter Petrus. In quibus verbis animam meam condemnat. ſed quid mirum, ſi hoc agit, qui de Doctoribus iuris Canonici loqui taliter non veretur, ſecũdo quinterno, charta quarta. *inter omnes cæcitates Doctorum Iuris Canonici, hæc eſt ſtultiſſima.* & iterum, *quicquid Doctores canonici ſomniauerint.* Si autem Magiſter Petrus tanti ſit, q́ eius intellectus præferri debeat Doctoribus Iuris Canonici, ad intelligendum canones, & omnes cæci ſint, & ipſe ſolus videat, vos iudicate, videbitisq́; etiam per lectionem textus, quando textus ille, de quo loquitur, non poteſt aliter intelligi, quàm omnes Doctores Canonum intelligunt. Et cum dicit me cum detrimento animę laborare. Nam cum ipſe nitatur *caliginem offundere ante oculos populorum,* vt Hieronymi verbis vtar. Ego laboro flatu diuinæ veritatis illam expellere. vidiſtis quanta eſtudit ad obtenebrandum oculos populorum, quæ videtur inducere, quod Clero non licet aliquid habere, ſed debent Clerici viuere more Apoſtolorum, in altiſſima paupertate, & tamen omnia illa reſtringit ad ciuile dominium formaliter intellectum, quod non eſt tranſmigrabile de ſubiecto in ſubiectum, pro quo dicit eſſe verum in hoc quod ego non darem tres hallenſes, nec quiſquam alius daret, quia fruſtra daret pro illo, quod ab alio in ipſum tranſire non poteſt. Videte quid parturiuit mons iſte, vel verius inflatura terrę, ſicut ille Poeta inquit: *Iam mons parturiit, & erit tandem mus filius.*

Videte quid ex omnibus iſtis intendat? Dominium ciuile formaliter intellectum, quod non valet tres hallenſes, hoc dicit eſſe prohibitum Clero Chriſti. Videretur vobis pulchrum negotium, quod ego quotidiè clamarem contra aliquem iudicem, dicens, *Iſte iudex non*

operatur iuſta, & cum concitaſſem populum contra eum, & expuliſſem eum ab officio, & aliquis mecum veniret, dicens, *quomodo nunc tu dixiſti, iſte iudex non operatur iuſta*, *ecce, iſtam & iſtam ſententias, quas ipſe tulit, iuſta ſunt, quia ſecundum iura promulgata*: reſponderem ego, *verum eſt, quod iuſta operatur materialiter, ſed non formaliter.* Et ita ego intelligam, & dixi verum, quia ſicut dicunt Doctores, multi operantur iuſta materialiter, & non formaliter, quia ille dicitur operari formaliter iuſta, qui operatur ex habitu virtutis iuſtitiæ, modò fortè ſunt pauci qui operentur ex habitu formato, vtinam ex diſpoſitione operarentur iuſta. Quæ autem ſit differentia inter diſpoſitionem & habitum, tritum eſt, quia habitus eſt radicata qualitas, de difficili mobilis à ſubiecto. Vnde ille qui operatur ex habitu, operatur valdè faciliter, imò vt dicit Philoſophus in 5. *E*thicorum, valde difficile eſt habens habitum iuſtitiæ ad iniuſtitiã habere declinarẽ. Videretur vobis etiam pulchrum, ſi ego irem ad plateam, vbi venderetur panis, & dicerem, *videte hos panes, populus qui eſt in hac ciuitate non comedet eos*, & poſtea in craſtinum diceretur mihi, *falſum dixiſti mihi, quia panes iam manducati ſunt*. *E*go reſponderem, *dixi quia ego intelligebam formaliter, non ſunt formaliter manducati, quia forma eſt mutata, quia non comederunt eos integros & rotundos*. Quę præſtigiationes ſunt iſtæ? quæ faſcinationes? quæ cura populis eſt de veſtris formalitatibus, & de veſtris habitudinibus? hoc autem curandum eſt, vt vnuſquiſq; in ea vocatione, qua vocatus eſt, maneat, juxta doctrinam Apoſtoli Chriſti. *E*t vt ſanctus Leo dicit, *manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres: ne quis alienum vſurpet, ſed infra fines proprios atque legitimos, prout quiſque valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis.*

Ariſt. 5. Eth.

1. Cor. 7.
Leo.

Oſten

Digitized by Google

Oſtenſum eſt per Dei gratiam de poſitione Magiſtri Petri, quam vacua ſit & inanis, ſed volo probare, quod omninò eſt falſa, & nolo relinquere ſibi illud formale, licet non valet tres hallenſes, vt dictum eſt. Et ponamus ſic: homo laicus habens dominium vel prædium, aut vt comprehendamus ciuile dominium, prout diſtinguitur contra priuatum, accipiendo diſtinctionem ex parte obiecti dominabilis, & ſic communiter accipitur à Iuriſtis, prout eſt poteſtas de publico cum poteſtate iuriſdicendi. Ponamus quod ſit Baro, Comes, vel Rex, & rebus ſuis, prædio, caſtro, vel regno non alienatis, efficitur Epiſcopus, tunc arguo ſic: Iſte eſt dominus iſtius regni, ergo habet ciuile dominium formaliter intellectum, accipiendo pro illa habitudine dominantis ad dominabile. Conſequentia patet ex natura terminorum correlatiuorum. Nam iſta eſt bona conſequentia, Iſte eſt pater iſtius, ergò habet illam habitudinē relatiuā, quæ eſt patris ad filiū. nō dico, iſte habet filiū, quia tunc poſſet materialiter intelligi, quia habet vnū ſeruum q̃ eſt filius alterius; ſed dico, iſte eſt pater illius, ergò inter iſtum & illū eſt habitudo relatiua, quę eſt patris ad filium. Sic Dominus eſt in prædicamento ad aliquid, quia dominium, vt Magiſter Petrus intelligit, formaliter, eſt habitudo dominantis ad dominabile. ergò hæc conſequentia eſt bona. iſte eſt dominus iſtius rei, ergo habet iſtam habitudinem dominantis ad iſtud dominabile. Non dico iſtud habet iſtud dominabile, quia benè poſſunt habere aliquod dominabile, vt cuſtos vſuarius vel conductor, qui non habet proprietatem, licet Magiſter Petrus contrarium dicat, quod an verum ſit, omnes juriſtæ ſciunt, ſi conductor dicitur proprietarius, ſed relinquamus hoc, non dico ergò iſte habet iſtam rem, ſed dico, iſte eſt dominus iſtius rei, ergò habet illam ha-

Digitized by Google

bitudinem dominantis ad dominabile. Iam ſatis declarata eſt conſequentia; ſed antecedens probatur per canonem Apoſtolorum præallegatum, vbi text. *poteſtatem habebat de propriis rebus moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit relinquere.* Item in Concilio Agathenſi de rebus propriis poteſt teſtari Epiſcopus.

Nunc poſt tres annos veniant duæ leges in teſtimonium. autent. *licentiam*. C. de Epiſcopis & Clericis. *licentiam habeat Epiſcopus quæcunq; ante Epiſcopatum probatus fuerit habuiſſe, & quæcunq; poſt Epiſcopatũ iure cognationis vſq; ad quartum gradum, ad eũ peruenerint, ad quos voluerit vltima voluntate transmittere.* Item in alia auctoritate ſtatim ſequẽti: *Presbyteros autẽ & diaconos & ſubdiaconos, & cantores, lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub poteſtatis pœna præcipimus ad ſimilitudinem caſtrenſiũ peculiorũ, & donare ſecundũ leges & teſtari, licet ſub parentũ ſint poteſtate.* Conſtat ergò quòd Epiſcopi & alii Clerici nõ ſunt exproprietarii, ſed licitè habent res proprias, de quibus poſſunt ꝓ ſua voluntate diſponere, donare, & in teſtamentis relinquere, & alios de ipſis dominos facere. hoc non facit, niſi Dñs ciuili dominio, ſicut ex deſcriptione ciuilis dominii, per ipſũ data, lucidũ eſt videre. Et ſic Antecedẽs eſt ꝓbatum, ꝙ ille Epiſcopus vel Clericus eſt Dñs illius rei, Ergo habet ciuile dominiũ formaliter intellectũ. Conſequẽtia ſuperius ꝓbata eſt; ſed fortè diceret ipſe nũc, Ego nõ nego Clericis dominiũ ſuorũ patrimoniorũ, quæ habẽt ex ſucceſſione paterna. Et ſi Rex Angliæ efficeretur Clericus in ſacris, vel Epiſcop⁹, remaneret rex, ſicut & nunc eſt. Sed de bonis Eccleſiæ loquor, in quibus dico, ꝙ Clerici non habent ciuile dominiũ formaliter intellectũ. O bone Deus, nec dixi ego, nec aliquis doctus in iure canonico, ꝙ Epiſcopi vel alii Clerici ſint domini rerum Eccleſiaſticarũ. Nõne apta ſunt verba canonũ 12. q. 1.

Res Eccleſiæ non quaſi propria, ſed vt cõmunes & Domino oblata cum ſummo timore nõ in alios quàm in præfatos vſus ſunt fideliter diſpenſanda. Numquid & ego in primo actu in ſolutione ad nonã auctoritatem noui teſtaméti, ita dixi, *vtiq; Deo ſeruit Prælatus, qui res eccleſiæ fideliter adminiſtrat, quorũ eſt procurator non Dominus*, ꝓut etiã M. Petrus allegat, de dona. c. *fraternitatẽ.* Et Aug. ad Bonifac. *ſi priuatum poßidemus quod nobis ſufficiat, nõ illa noſtra ſunt, ſed pauperũ, quorũ procurationẽ quodammodo gerimus, non proprietatem in nobis vſurpatione damnabili vindicamus.* non ergò habent Prælati dominiũ rei Eccleſię non ipſorũ ſunt dominia ꝓpriè loquendo, ſed ſunt miniſtratores. Dicũtur tamen propter ipſam adminiſtrationẽ dominii & dominari, quia ſunt adminiſtratores & diſpenſatores. Sicut & de Ioſeph dicit ſcriptura, quòd erat dominus vniuerſæ domus Pharaonis, Gen. 45. & in Pſalmo 104. *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeßionis ſuæ.* Habent ergò Clerici in bonis Eccleſiæ non dominiũ, ſed adminiſtrationẽ, vt iterum dixi, iuxta finem primi actus legatur. Ex quibus patet quid ſẽtiam de bonis Eccleſiæ, & quomodo cupiam ipſa fideliter adminiſtrari, ne in diſtricto Dei iudicio reperiantur culpabiles. nec eſt opus per Magiſtrum Petrum adduci Doctorum dicta ad hoc, quia & ego multa plura legi documenta ſanctorum, qualiter Prælati & alii Clerici debẽt bona Eccleſiæ diſpenſare. Sed dum iſta ſeminat, fortè aliud prætendit obumbrare, videlicet merita Prælatorũ Eccleſiæ, vndè caueat, ne incidat in illam ſententiam Ambroſii 3. de officiis. *Si quis non obediat Epiſcopo, ſeſe extollere & exaltare deſiderans, quærens etiã obũbrare merita Epiſcopi, ſimulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut miſericordiæ, is à vero deuius ſuperbit.*

12. q. 1. Res Eccleſiæ. c. 26.

De donationibus c. fraternitatum. l. 3. tit. 24. c. 2.

Aug. ep. 50. ad Bonifacium. 12 q. 1. c. 28.

Gen. 45.

Pſal. 104.

Ambro. de officiis. l. 2. c. 24.

Dixit denuo Magiſter Petrus in ſecunda die ſuæ replicationis ſic. *domini temporales poſſunt auferre bona tẽporalia*

ab Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus. Suadetur ſic. Reges veteris teſtamenti auferebant bona temporalia ad nutum diuinum ab Eccleſiaſticis delinquentibus. Igitur & reges noui teſtamenti poſſunt ſimiliter facere ad nutum diuinum habitualiter delinquentibus Sacerdotibus nouæ legis. Animaduertite ſupplico pulchram concluſionem domini proponentis, &c. & nō dicit *licitè* vel *de iure*, ſed ſolùm dicit, *poſſunt*, & ego dico, quòd non ſolùm à delinquentibus, ſed etiam à Sanctis, videlicet in Totila Rege Gothorum, Iuliano Apoſtata, de Regibus, & dominis tēporalibus, quæ ſunt in illa terra, quæ olim fuit Chriſtianorum, nunc eſt infidelium. Deinde dicit, *ſuadetur ſic*, non dicit probatur, quia vidit, quod non habet probationis efficaciam, ſed videamus vim ſuaſionis. *Reges veteris teſtamenti*, &c. quomodo benè probat concluſio ſua dicit ſimpliciter probatio habet ad nutum Dei, & ego dico, quòd diuino nutu non ſolum Reges à Clericis poſſunt bona auferre, ſed quilibet homo ab alio homine. patet, quia non facit furtum, qui Deo iubente miniſterium præbet. ita dicit Auguſtinus in libro quæſtionum exodi, & habetur 14. q. 5. *dixit Dominus*. Et hoc modo populus excuſatur à furto, quando Ægyptiorum bona aſportauit, eſſet bona iſta conſequentia, populus Iſrael petiit commodari ſibi à vicinis vaſa aurea, & argentea, & illa ſecum aſportauit: Ergò licitum eſt accommodata ſecum portare. Licitum fuit Samſoni ſeipſum interficere. Ergo licitum eſt ſeipſum interficere. Videam Auguſtinum de ciuitate Dei libro primo, capite 27. Norunt omnes qui ſacræ ſcripturæ aliqualem habent peritiam, quod ex his quæ ad nutum Dei fiunt, non accipitur argumentum. Vnde Beda ſuper actus Apoſtolorum, & habetur 26. q. 3. *Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas Propheta ſorte deprehenſus ſit, indifferenter ſortibus eſt credendum, cum prin-*

14. q. 5. *Dixit Dominus*. ca. 12.

Aug. de ciuit. Dei. l. 1. c. 21. 26. 27.

26. q. 2. *non ſtatim*. c. 2. *Hier. ſupra* 1. c. Ioann. &

Priuilegia ſingularum, vt Hieronymus ait, communem legem omninò facere non poſſunt. ibidem. Non exemplo c.4.

Sed non eſt prætereundum, quod licet Deus multoties puniat peccata non modo per legitimas poteſtates, ſed etiam per alienigenas gentes Dei iuſſu excitatas, ſententia eſt Ambroſii, & habetur 23. q. 5. *remittuntur.* ſicut ſæpè propter diuinæ maieſtatis offenſam ſubactus eſt populus Iudæorum, vt ex diſcurſu librorum Iudicum, Regum, *P*aralipo. & Macchabæorum, liquidum eſſe videtur: tamen non ſemper talia fiunt ſine peccato ab his, à quibus fiunt, vt patet de *S*enacherib & Antiocho, qui propter peccata populi Iſraelitici ipſum populum captiuarunt & afflixerunt, & ipſi à Deo grauiſſimè ſunt puniti. Nam de Senacherib ab Angelo exterminatore occiſi ſunt centum & octoginta quinq; de exercitu eius vna nocte, & ipſe fugit, & interfectus fuit à filiis ſuis. 4. Reg. 19. Antiochus verò cum Dei nutu multum afflixiſſet populum Iſrael propter ipſius populi peccata, tandemq; dira plaga percuſſus crudeli morte vitam ſuam finiuit, 2. Machabæorum 9. cap. legitur. Interdum enim Deus populum ſuum peccantem per malos homines punit, ſicut patet ex hiſtoriis prætactis. Et vt Auguſtinus dicit, de ciuitate Dei c. 9. *Interdum flagellantur boni cum malis, non quia ſimul agunt malam vitam, ſed quia ſimul amant temporalem vitã.* Et ſic ſolent Principes facere, qui de malis hominibus faciunt lictores, ita Deus de malis hominibus, & de diabolis facit miniſtros iuſtitiæ ſuæ. Sed tamen diaboli exequendo diuinam iuſtitiam, non merentur, neq; lictor qui cauſa cupiditatis implet miniſterium iuſtitiæ. vnde Auguſtinus in quæſtionibus *E*xod. 23. q. 5. *Cum miniſter iudicis occidit eum, quem iudex iuſſit occidi, profectò ſi id ſpontè facit, homicida eſt, etſi enim occidit quem ſcit à iudice debere occidi.* ad hoc

[Margin notes: 23.q.5. remittuntur. c.49. — Amb. l. 2. de Cain & Abel. c.4. — 4. Reg. 19. & 25. — 1. Mach. 3 — 2. Mach. 9. — Aug. de ciuit. Dei. li. 1. c. 9. — Auguſtinus.]

ergò quòd ex nutu Dei poſſit accipi argumentum ad id,
vbi ſup. c. 26. quod communi lege eſt illicitum, primò oportet, quòd vt verbis Augu. vtar lib. 1. de ciu. Dei c. 26. *Deum ſe id iubere, ſine vllis ambagibus intimet*, ne ſit fortè diabolica ſuggeſtio, quia angelus ſathanæ interdum ſe transfigurat in Angelum lucis. Secundò vt id exequatur ſolo affectu exequendi diuinam iuſtitiam, *abſit ab animo*, (vt Auguſtini verbis vtar
23. q. 1. quid culpatur. c. 4. contra Manichæos, & habetur 23. q. 1.) *quid culpatur nocendi*
Aug. l. 22. contra. Fauſt. Manichaeum. *cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacabilitas, feritas rebellandi, libido dominandi*, & ſi qua ſunt ſimilia; quæ corrumpunt animum, & protrahunt à puritate zeli iuſtitiæ ad cupiditatis affectum, vel alterius animi paſſionis, quod quam ſit difficile, cuncti penſate. Ideo difficile eſt etiam iuſta bella agere, nam etſi iuſtitia ſit, forſan non erit in animo, aut deficiet in modo. Ad probandum ſuum Antecedens allegauit, quòd Salomon dixit 3. Reg. 2. ad Abiathar Sa-
3. Reg. 2. cerdotem, qui adhæſit Adoniæ fratri Salomonis, vt Adonias eſſet Rex, *vir mortis es, ſed non interficiam te, ſed vade in Anathot, &c.* Item de Rege Nabuchodonoſor, qui habuit poteſtatem à Deo ducendi populum Iſrael cum Sacerdotibus & Leuitis in captiuitatem Babylonicam. Videte quam ſit propria hæc allegatio. Deinde ad idem
4. Reg. 12. allegat quarto regum duodecimo, quòd Ioas Rex Iuda deuotiſſimus ſecundum prudentiam Dei tulit omnia cõ-
4. Reg. 18. ſecrata de templo, miſitq; Azaheli Regi, vt recederet à Ie-
1. Reg. 21. ruſalem. Allegat vlterius 4. Reg. 18. de *Ezechia*, qui ſimiliter fecit. Item de Dauid qui comedit panes propoſitionis. Ad iſta omnia alia ſolutione opus non eſt, quam illa, quam ipſa ſecum afferunt, ipſemet allegat, quod iſta nutu Dei facta fuerunt, & ideo ex eis non accipitur argumentum, vt ſuperius dictum eſt. Sed præterire non vo-

lo

Digitized by Google

lo intactum, quòd aliam poteſtatem exercebant Reges in illo templo, & ſacerdotio carnali, & figuratiuo veteris legis, quàm Chriſtianis principibus liceat exercere in templo & Sacerdotio nouæ legis. Quia ſacerdotium Chriſti precellit ſacerdotium Aaronicum. in triplici excellentia plurimum eminẽt. primò quia illud ab Aaron, iſtud incepit à Chriſto, & ſic illud à ſeruo, iſtud à filio Dei. Secundò quia illius Sacrificia erant pecora, iſtius ipſe DEI filius eſt ſacrificium, & Deo Patri hoſtia. Tertiò quia illi Sacerdotes ligare non poterant vel abſoluere: Iſtis datæ ſunt claues regni cœlorum, & dictum eſt ab ipſa increata veritate: *Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; ſolueris, &c.* quis iam non videt his conſideratis, quanta ſit differentia inter Sacerdotes nouæ legis, & Sacerdotes veteris legis? & quam alta iſti illis præemineant excellentia dignitatis? quanquam patenter omne claudicet argumentum, quod de ſubiectione illorum, trahatur ad iſtos. Benè per Dei gratiam noſcunt Catholici Principes; quod in Clericos niſi quantum ab Eccleſia eis conceditur juriſdictionem non habent, 11. q. 1. *ſacerdotibus*. legatur totum ibi de Conſtantino. Sed ipſi Principes, Chriſti Sacerdotibus in ſpiritualibus ſunt ſubiecti. Vnde ille Valentinianus inclytus Imperator Mediolanenſis, *Eccleſiæ* dixiſſe legitur: *talem in Pontificali Sede conſtituere procurate, vti & nos à quibus hoc gubernatur imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, cum tanquam homines deliquerimus, ſuſcipiamus, neceſſariò velut medicamenta curantis.* Et quoniam, licet nõ fuerim præſens, exſtitit mihi relatũ, ꝙ pridem M. Egidius circa iſtam materiã multa pulchra diſſeruit: Hæc pro præſenti dixiſſe ſufficiant.

Differentia Sacerdotum noua & veteris legis.

Theod l. 4. c. 5. & 6.

Denuò Magiſter Petrus arguit de c. *ſi tributum.* 11. q. 1. Sunt verba beati Ambroſii. *Si tributum petit Imperator,*

11. q. 1. ſi tributũ c. 27. Amb. cõ. Auxentiũ. l. 5. ep. poſt ep. 32.

Digitized by Google

tor, poteſtatem habet agrorum tenendorum, tollat eos, ſi ſibi ita eſt. Imperatori non dono, ſed non nego vtiq. Si Magiſter Petrus fuiſſet tam bonus decretiſta; quod ſine præſumptionis nota poſſet dicere, quòd Doctores Canoniſtæ fuerũt cæci, & non intellexerunt Canonum textus. Si ipſe aduertiſſet ad gloſſam, credo quòd abſtinuiſſet ab illo argumento. Nam gloſſa ita dicit ſuper verbo, *poteſtatem de facto, non de iure. Nam ſiue auctoritate principis, ſiue alterius qui detinet res Eccleſiæ, ſacrilegus eſt.* Dicet ipſe nunc fortè in cogitatione ſua, quid ad me de gloſſa? quia ipſe pro nihilo habet omnes gloſſas & dicta Sanctorum, ſed non paruipendat quoniã gl. illa tantum probat, quòd dicitur per tex. in cap. *quiſquis.* 6. q. 2. & 16. q. 1. *in canonibus.* qui textus hoc apertiſſimè probat. dicit enim textus *in canonibus, &c.*

12. q. 2. quiſquis. c. 19. item ibid. quicunq; c. 4. 16. q. 1. in canonib. c. 57.

valde iniquum & ingens ſacrilegium eſt, quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel ſalute aut requie animarum ſuarum, vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maximè ſeruari conuenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & præcipuè à principibus & primis regionũ in aliud transferri vel conuerti. Generaliter verò qpicunq; res Eccleſiæ confiſcare aut impetere vel peruadere periculoſa ſua infeſtatione præſumpſerit, &c. Similiter & qui res Eccleſiæ iuſſu vel largitione principum, vel quorundam potentum, aut quadam inuaſione, aut tyrannica poteſtate retinuerint, & filiis vel hæredibus ſuis, vt à quibuſdam iam factum audiuimus, quaſi hæreditarias reliquerint; niſi citò res Dei, admoniti à Pontifice agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Potuiſſet etiam gloſſa illa allegare plures alias auctoritates, quæ hoc probant. glo. in dicto cap. *in canonibus.* allegat multas concordantias. *Præterea* ſcienti intentionem illius capituli, veritas gloſſ. ſatis eſt manifeſta.

Con-

Contendebat beatus Ambroſius cum miniſtris Imperatoris, qui Baſilicam tradi hæreticis iuſſu Imperatoris beatum vrgebant Ambroſium, vnde ipſe dicebat: *Si tributum petis Imperator, &c.* Et etiam poſtea. *Si patrimonium petat, inuadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? &c.* Communis habet locutio, quando quis cum petitore contendit dicere, *Vultis mihi tollere mea? benè poteſtis.* Non quòd intelligat licitè & de iure, ſed de facto. Et ita gloſſam illam communis modus loquendi veram eſſe oſtendit. *Amb. l. 5. epiſtolarum. epi. 33.*

Arguit de ca. *ex his*, 12. q. 1. quæ ſunt verba Gratiani & ideo non faciunt ius, ſed nolo declinare ipſum; verum namq; eſt, quòd Clericus habens Feudum à Rege in re feudali ſubeſt Regi ſecundum legem feudi. Et hoc non nego, ſed materia eſt ſpecialis, teneat terminos ſuos, nec extendatur vlterius. *12. q. 1. ex his c. 22.*

Arguit præterea de c. ſi q. fin. vbi text. *Patet Symoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus eſſe deputandos, & ſi commoniti non reſipuerint, ab exteris etiam poteſtatibus opprimendos.* Antequam ad ſolutionem veniam, notandum eſt, quod non eſt verum ſimpliciter, quòd omnis Symoniacus ſit hæreticus. Sed vt dicunt Doctores communiter, & Archidiaconus recitat in roſario in cap. *fertur.* 1. q. 1. Symon magus, à quo dicitur Symonia, fuit hæreticus, & eius diſcipuli dicti ſunt Symoniaci, & iſti erant veri hæretici. Et propterea dicit textus in dicto ca. *fertur Symoniaca hæreſis, quæ prima contra Dei Eccleſiam diabolica ſupplantatione ſubrepſit, &c.* Ita quicunq; crederet pertinaciter Spiritus ſancti gratiam poſſe emi pecunia, hæreticus eſſet. Illi verò qui hoc non credentes, ſed cupiditate permoti, ſtudent emere & vendere ſpiritualia, nō ſunt hæretici, quia hæreſis de ſua ratione formali habet,

Digitized by Google

habere errorem in intellectu, circa credibilia fidei, & pertinaciam in voluntate, & iſta deficiunt in talibus, quia nõ deficiunt errantes circa credibile, ſed affectu deprauato cupiditate, ſtudent emere vel vendere ſpiritualia. & ideò nõ ſunt hæretici, ſed grauiſſimè peccãt, & in grãdi periculo animæ ſuæ viuũt, nec fruct⁹ beneficiorũ ſymoniacè adeptorũ ſuos faciunt, ſed ad reſtitutionẽ teneat, nec ſaluari poſſunt, ſi nõ renũcīãt beneficiis ſymoniacè acquiſitis. Nunc ad ſolutionem illius argumẽti, & c. principes. 23. q. 5. dico, prout doctores comuniter dicunt in cap. *etſi Clerici*. de jud. in c. *vt fama*. de ſent. excom. diſt. 3. caſus ſunt ſpeciales in quibus laicis poteſtatibus à jure conceditur poteſtas in Clericos, & vt breuiter me expediam, ſecularis poteſtas in Clericum non degradatum & traditum non habet poteſtatem, niſi ab Eccleſia in ſubſidium inuocata. & ita loquuntur illa c. quare de illis ad alios caſus arguendum non eſt. Sed argumentum quod accipit ex c. *principes*, rogo advertatis quam formalem conſequentiam facit, *licet ſecularibus poteſtatibus facere coercionem Clericorum per aliquam ſpeciem terrentis diſciplinæ. Ablatio temporalium eſt ſpecies terrentis diſciplinæ: igitur, &c.* Aliquis homo currit. ergò iſte homo currit. Mihi licet aliquid facere in perſonam propter ipſum utilare, eſt aliquid facere: Igitur, &c.

23. q. 5. principes. c. 20. in c. etſi Clerici de iudiciis lib. 2. tit. 1. c. 4. in c. vt fama. de exco. lib. 5. t. 39. c. 35.

Poſt hoc arguit ſic: *Omne quod debet efficere poteſtatiuè finem aliquem per rationabilem commenſurationem mediorum ad ipſum: poteſt licitè vti poteſtatiuè ſubtractione exceſſus & additione defectus ipſorum mediorum ſecundum quod congruit propter ipſam commenſurationem faciendam; cum ergo ſeculares domini debeant poteſtatiuè efficere neceſſariam ſuſtentationem Cleri per rationalem commenſurationem temporalium, quæ tenentur cõferre Clero Chriſti, ſequitur quod poſſunt licitè vti poteſtatiuè ſubtractio-*

Digitized by Google

tractione & additione ipſorum temporaliũ,ſecundum quod congruit propter ipſam commenſurationẽ rationabiliter faciendam. ita dicit. nec Maiorem nec Minorẽ probat, ſed totum ſine fundamento reliquit, ſine fundamẽto cadat. Dico primò ꝙ argumentum deficit· quoniam bona Eccleſiarum nõ ſunt ſolum propter ſuſtentationem Cleri, ſed ipſa facta, reſiduum debet in pios vſus conuerti. vt in primo actu latiſſimè dixi. Præterea ſi li, *poteſtatiuè*, determinat actum cõmenſurationis, prout veriſimiliter facit, neganda eſt Minor, quia poteſtas talis commenſurandi, cum remotione ſuperfluorum, non eſt apud ſeculares poteſtates, & neſcio ſi ipſi concederent ſe teneri ad conferendum ſuſtentationẽ Clero, vnde populus teneretur, vnde Eccleſia non haberet, ſed grauè nimis éſſet eis. vnde benè prouidit diuina ꝓuidentia, ꝙ dedit Eccleſiæ vnde viuant Clerici, & etiam faciant eleemoſynas populo, & nõ habẽt grauare populũ.

Deinde arguit ſic: Clericis licet ſubtrahere ſacramẽta Eccleſiæ laicis delinquentibus: igitur laicis licet ſubtrahere temporalia poteſtatiuè à Clericis habitualiter delinquẽtibus. Iſta eſt vna pulchra conſequentia. neſcio ſi in Oxonia vel Cantabrigia fiunt tales conſequentiæ. benè ſcio quod non admitterentur. ſic ſequeretur à Simili: Regi licet denegare jurisdictionem ſuam ſubdito ſuo propter delictũ, quia, vt ſciunt Iuriſtæ, eſt vna ſpecies coercionis, & de lenioribus. ergò & ſubdito licet denegare obedientiã Regi propter delictum; habet tamen omnis diuini juris regula, quòd ſuperior in inferiorem habet jurisdictionis poteſtatem, & non è contra.

Deniq; arguit ſic: æque poteſtatiuè poteſt ſtipendians ſubtrahere ſuum ſtipendium ab indignis operariis, ſicut poteſt dignis ea conferre, cum ergò tẽporalia ſint ſtipendia laicorum, ſequitur, &c. videte quoniam benè

facit ar-

gumentum in forma, benè accipit medium, prædicatū in minori, ſub ſubiecto maioris, haberet dicere: Sed laici ſunt ſtipendiantes Clericos: & tunc minor eſt falſa. quia non ſunt ſtipendiantes. benè poſſet dicere, quod ſunt ſoluentes ea, de quibus ſtipendia Clericis præſtantur. Et ſic ſimiliter argui poſſet, quod liceret ruſticis, ſubtrahere ſtipendia, quę præſtantur militibus. Deinde arguit, quòd rectificatio faciliſſima Clericorum eſſet per ſubtractionem temporalium, & medicina debet dari per quam aptius ſanetur infirmus, &c. Iſta argumenta petũt fundamentum. Oportet primò probare, quod rectificatio Clericorum & medicinæ exhibitio pertineret ad laicos, & tunc eſſet bonum quærere, quomodo aptius fieri. aliâs fruſtrà conſulcat de mediis, ad quem non pertinet finis. Cum ergò probatum non ſit, quod laicis hoc pertineat, imò per me contrarium ſuperius eſt deductum, & ſic deficit argumentatio ſine fundamento conſtructa.

17.q.4.quicunq;.c.43. Vlterius arguit ex c. *quicunq;.* 17. q. fin. Vbi Auguſtinus recitat factum laudabile Aurelii *E*piſcopi, quod cum quidam non habens filios, omnia bona ſua, vſufructu retento, donaſſet *E*cclesiæ, poſtea habuit filios, Aurelius reſtituit ſibi bona. Quid ad propoſitum? vtiq; nihil: ſed vt Magiſter *P*etrus qui eſt magnus iuriſta, Doctores omnes canonum cæcos reputans, aliquid de iure addiſcat, debet ſcire, quòd cum quis non habens filios, donauit omnia bona ſua, filius naſcens poſtea habet ius ad reuocãdam donationem illam, per tit. de inoffi. dona. Sed an in totum, ſed ſolum in legitimam, eſt quæſtio inter Doctores: aliqui tenent quod in totum, aliqui quod tantum pro legitima, decebat autem ſanctum Epiſcopum partem benigniorem accipere, & qui illa eſſet in pios vſus erogaturus, voluit pietate paterna conſulere filiis eius, quem vnũ ſecũ ratũ ſecum vinculum charitatis. De-

demum facit quãdam ſuppoſitionem, quod Clerus enormiter peccaret, ſi vellet interficere reum, armis acceptis militaret, ſpoliaret gentes, ſtupraret virgines, tunc non eſſet remedium, &c. Eſſet remedium, & remedia quæ ſcientibus iura, & etiam vtentibus ratione, facile eſt reperire, ſed non illud, vſurpare Eccleſiæ bona, quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundare non debet. Et cum, vt dictum eſt, Prælati Eccleſiæ bonorum Eccleſiæ ſint procuratores, non domini; propter delictum procuratoris inuadere bona domini, non eſt iuſtum.

Arguit deinceps ſic: quidquid Clerus à brachio ſeculari debet exigere, quod adiuuet eum ad tuendum & defendendum bona Eccleſiæ, & etiam ad ſubminiſtrandum. Non autem debet exigere, quòd bona Eccleſiæ laici ſibi ſubripiant, & vſurpent. Et auctoritas quam allegat Actorum ſexto, quod dixerunt Apoſtoli: *Non eſt bonum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* videte quomodo bene facit pro ipſo, an potius faciat contra. Nunquid dixerunt Apoſtoli laicis? ſubripite iſta bona, quæ ad pedes noſtros offerũtur, quia eorum adminiſtratio impedit nos à prædicatione verbi Dei? An potius cõſtituerunt diaconos, qui illud exercere fecerunt? Ita Prælati Eccleſiarum Apoſtolos imitando, non dicunt laicis: ſubripite iſta bona, ſed conſtituunt officiarios & miniſtros, qui illud miniſterium impleant. Et ad idem tendit confirmatio, quæ ſubſequitur, & etiã argumentũ eius finale, & eadem ſolutione depelluntur, licet multa ibi ſermocinetur, quæ deberet primò ipſe facere, poſtea docere.

Denuo arguit ex illo, priuilegium *meretur amittere*, &c. Et dicit dotationem Eccleſiæ eſſe priuilegium. Ad hoc multa poſſent dici, tamen illud ſit brocordicum, &

multas habeat limitationes, ſed hoc ſufficit pro præſenti, quod quando priuilegium confertur in non ſubditum, poteſt per concedentem non reuocari. præterea dotatio Eccleſiæ non habet naturam priuilegii, ſed eſt ex donationibus vel vltimis voluntatibus, quæ in dominio alicuius tranſlata ſunt, per ſucceſſores illorum non reuocantur, quantũcunq; illi, qui tales res habent, eis abutantur: quare tale ius vel actio illis ſucceſſoribus nullo iure competit.

Arguit demum de correctione Euangelica, quæ quomodo faciat ad propoſitum, benè videtis. finis namq; illius, ſecundum Euangelium, eſt: *dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & publicanus.* Tandem facit vnum argumentum, hoc habens in effectu, quòd ſicut licitum ſit auferre gladium de manu phrenetici, ne ſe interficiat, ita licitum eſt auferre bona temporalia à Clerico, qui abutendo interficit animam ſuam. Iſta comparatio quàm ſit efficax, omnibus habentibus oculos eſt manifeſtum. vnicuiq; enim licitum eſt auferre gladium de manu phrenetici, ne ipſo abutatur. ergò vnicuiq; licitũ eſt auferre bona cuiuſq; ab eis abutentibus. Si hoc concederetur, quanta occaſio ſpoliandi alios præberetur, quantaq; ſeditionis & turbationis occaſio? Non ita conſulit Auguſtinus, ſed dicit *fortè aliquis cogitat, &c.* eſt in primo actu, & habetur 14. q. 5. & c. *neq; enim ſi agris.*

24. q. 5. neq; enim. c. 9. Aug. de bono coniugali. c. 14. Suprà in fine primi actus.

Poſt hæc ad rationes meas nititur reſpondere, & vt quantum illæ reſponſiones valeant, cunctis ſit notum, legam vtraſq; totus effectus ſolutionum eſt, quòd omnes auctoritates per me introductæ loquuntur de Clericis nõ delinquentibus habitualiter, ſed manifeſtum eſt, quòd non procedunt, quia auctoritates meæ loquuntur de nequiſſimis Sacerdotibus, & habitualiter delinquentibus, qui domum Dei fecerũt ſpeluncam latronum, & in mor-

Digitized by Google

rem Chriſti Dei filii conſpirarunt, & de Epiſcopis, qui cathedra relicta, plebe deſerta, aucupabant nundinas negotiationum, & vſuris inſeruiebant, vt ex earum lectione lucidum eſt videre.

Vltimatè ſic ſubiungit. Videtur quod Chriſtus ſubtractionem temporalium à Sacerdotibus prophetauit, & pro ſuo tempore huiuſmodi ſubtractio eſt implenda. dicitur Matt. 24. *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, id eſt, ipſum templum, ſecundum Lyram, quia per Romanos fuit deſtructum, nec reædificabitur amplius. hæc Lyra. Item Mat. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei.* ſuper quo Lyra i. e. regimen Eccleſiæ, alias regnum, *& dabitur genti facienti fructum eius*, id eſt, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus. hæc Lyra. Videte manifeſtam calumniam, ſcripturas, quę loquuntur apertè de Iudæis, dicit eſſe prophetias de Clero, & ad ſui confuſionem ipſemet offert expoſitionem Lyræ, licet ex textu Euangelii ſatis ſit clarum. dicit, *ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, id eſt, templum, quia per Romanos fuit deſtructum. Quales ſunt iſtæ probationes, tales ſunt omnes aliæ, quas adducit calumnioſè, ſophiſticè, extortè, & puræ cauillationes. Repeto igitur admonitionem illam ex verbis Sapientis Eccleſiaſtici 28. dicens cuilibet Chriſtiano: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito oſtium, & ſeras auribus tuis, &c.*

Matt. 24.

Matt. 21.

Et ſic eſt finis quarti articuli. DEO *gratias.*

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI
WILLIBALDI
EPISCOPI EICHSTADIANI
Liber
DE VITA
S. BONIFACII
MARTYRIS, GERMANORVM APOSTOLI, ARCHIEPISCOPI MOguntini.

NVNC PRIMVM EDITVS
Ex manuſcriptis codicibus Monaſterij Rebdorffenſis, prope Eichſtadium, & Magnifici & Cl. D. Alberti Hungeri Procancellarij Academiæ Ingolſtadienſis, &c.

Vu 3 DE

Digitized by Google

DE SANCTO VVILLIBALDO, EX TRITHEMIO de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

VILLIBALDVS primus Epiſcopus Eiſtetēſis, natione Scotus, frater S. VValpurgis Virginis Abbatiſſæ Heidenheimenſis, Monachus & diſcipulus S. Bonifacii Martyris, Ordinis S. Benedicti, vir doctus atq; ſanctiſſimus, ingenio & eloquio clarus. Scripſit ad ædificationem fidelium, petente S. Lullo Epiſcopo Moguntino, ſatis illuſtri ſermone, vitā S. Bonifacii Epiſcopi lib. 1. *Illuſtrem igitur ac verè, &c.* Neſcio ſi quid amplius edidit. Claruit ſub Pipino Patre Caroli Magni. Anno Dn. 760. Eadem Trithemius in Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ, niſi quod ibi VVillibaldus libros duos de vita S. Bonifacii ſcripſiſſe dicitur: quod erratis Typographi annumerandum videtur.

DE S. VVILLIBALDO EX CENTVRIATORIBVS, CENT. VIII.

cap. 10 col. 8?0.

SCripſit (VVillibaldus) non inelegãti ſanè ſtylo vitam Bonifacii, librum vnum: quem ante editionem Lullus & Megengandus, inſpexerunt & approbarunt. De vita VValpurgis librum vnum, & epiſtolas plures ad Monachos, & alia quædam. Hæc illi.

DE

DE S. BONIFACIO, EX TRITHEMIO IN CATALOGO DE ILLVſtribus viris Germaniæ.

BONIFACIVS, qui & VVinfridus, primus Eccleſiæ Moguntinenſis Archiepiſcopus, Monaehus Ordinis S. Benedicti, natione quidem Anglicus, ſed conuerſatione & dignitate Alemannus: vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & moribus integer atq; ſanctiſſimus: multos ſua erudita prædicatione ad fidem Chriſtianam conuertit, vt meritò Germanorum Doctor ſit habitus & Apoſtolus. Et ſcripſit nonnulla præclara opuſcula, de quibus ego vidi ſubiecta. Ad Gregorium Papam II. de fide ſanctæ Trinitatis lib. 1. Vitam S. Lebuini l. 1. Epiſtolarũ ad diuerſos l. 1. De geſtis variis Sanctorum l. 1. Et quædam alia. Tandem in Phriſia verbum Dei prædicans Martyrio coronatus eſt ſub Pipino Rege Francorum, Anno Dn. DCCLV. Indictione VIII. Epiſcopatus ſui Anno XXXVII. Nonis Iunii. Sepultus autem eſt in Monaſterio Fuldenſi, quod ipſe conſtruxit.

DE LVLLO, CVI S. VVILLIBALDVS LIBRVM DE VITA S. BONIFACII dedicat. Ex lib. 3. Ioannis Trithemii, de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti.

LVLLVS Monachus & diſcipulus ſancti Bonifacii Martyris, & poſt eum Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopus ſecundus, natione Anglicus, vir ſanctus, & Deo dilectus, præfuit Eccleſię Moguntinæ 32. annis. Hic fundauit Monaſterium Hirsfeldenſe, cui præfecit Abbatem ſanctũ atq; venerabilem Sturmum. Claruit Anno Dn. 775. cuius feſtum 17. Kalendas Nouemb. colitur. Hæc Trithemius. De eodem vide eundem Trithem. l. 4. de viris ill.

& Benedicti.c.78. De eodem Lullo multa Centuriatores Cent.8.c.10.inter cætera etiam hoc. *Aliquot eius Epiſtolas videre nobis contigit: vt ad Oſuitam, epiſt.1. Ad Leobgytham, Epi. 1. Ad Gregorium ep.1. Ad Denehardum & alios ep.1. Ad Cænam Epiſt.1. &c. Librorum Studioſus fuit: nam Bedæ libros ſibi poſtulat tranſmitti in Epiſtola ad Cænam, & VVilibaldum excitauit, vt vitam Bonifacii ſcriberet.* Hæc illi. Plura de Lullo vide in vita illius apud Surium Tom.5. die 16. Octob.

DE MEGINGOZO ALTERO EPISCOPO, CVI *S. VVilibaldus librum ſuum dedicat.*

HVnc quidam Mayngudum; alii Megingaugum; Centuriatores Cent. IIX.c.2. Megingolum nominant. Fuit Epiſcopus Herbipolenſis, Succeſſor S. Burchardi, de quo multa in vita eiuſdem Burchardi, apud Surium Tom. 5. die 14. Octob. præcipuè l.2. c.13. & l.3. c.1. vbi hæc de illo. *P*oſt beati Burchardi deceſſum, Megingaudus, vir, vt præmiſſum eſt, per oĩa laudabilis, *E*piſcopatũ VVirceburgenſem, catholicis & orthodoxis ſemper intendẽs inſtitutis, rexit 35. an. Hic igitur beatorũ Bonifacii, Burchardi, Lulli, cæterorũq́; quos huc de Anglia diuinꝰ amor adduxit, cõperegrinus & compatriota, nec nõ ꝓfeſſione Monachus, ſicut & illi, nullatenus mutãs vel inficiẽs rigorem ꝓpoſiti, ſemꝑ irreprehẽſibilis, verbis & exemplis mirificè pollẽs, gubernacula tenebat *P*õtificalis officii. Tandẽ iam ſenio imbecillior effectus, inſuper etiã fortaſſe ad incrementũ meritorum, ægrotare ſe vehemẽtius ſenſit: moxq́; reminiſcẽs exemplũ prædeceſſoris, & Magiſtri ſui, miſſis legatis tã ad principes regni, quàm ad *S*acerdotes Eccleſiarũ, conſenſu atq; cõſilio cunctorum, quendã de ſuis Clericis, nomine Bernuuelphum, ſibi in præſulatu ſubrogauit, cooperantibus ſibi in eadem ordinatione Lullo Metropolitano, & VVilibaldo *E*iſtetenſi Epiſcopo, coram vniuerſo ipſius *E*ccleſiæ Clero populoq́;.

PRO

PROLOGVS B. VVILLIBALDI EPISCOPI IN VITAM BEATI Archipræſulis & Martyris Bonifacij.

DOminis ſanctis & verè in Chriſto chariſſimis Lullo & Megingozo Coëpiſcopis, VVillibaldus licet indignus in domino Preſbyter.

Percepto piæ paternitatis veſtræ affectu, pariter & voto, non propriæ laudis literali ſcientia confidens, ſed debitum obedientiæ obſequium veſtræ impendens ſanctitati, libenter parui, arduumq;, quod ſuggeſſiſtis exiguis viribus opus inchoaui, ad perfectionis terminum finetenus deducens. Sed obſecro, vt ſi quidpiam aliter, quàm veſtra expetierit voluntas, prouenerit, infirmitatis meæ imbecillitatem, operiſque impoſiti ſublimitatem æquo animo ſuſtineatis. Quoniam maximum mecum reuerentiæ eſt indicium, cùm veſtræ ſublimitatis imperio obedientiæ operam nō dene-

Digitized by Google

denego. Quod ſi dignũ aliq̃d & noſtris temporib⁹ ꝓfuturum confecerim, diuino vtiq; munere ac pręcepti veſtri deſiderio conferendum eſt. Quoniam pia quandoque deſiderantis voluntas & manum imitatur emunctoris, & impreſſionis ſuæ violentia vel minimam quandam deſideratæ ſcientiæ dulcedinem parat, famelicumq; impertiendo reficit. Decreuit enim ſanctitas veſtra inſipientem ſapientibus & minus idoneum prudentibus coæquare ac præferre; & quod ſine noſtro videlicet conatu, prudenti ſermone reuelare potuiſtis, hoc mihi velut ignaro imponere. Sed deprecor vt quem præcepti veſtri torcular deprimit, precatus aſſiduæ orationis infundat, & mentẽ ignauiæ caligine obtuſam, voluntas ſpontaneæ dilectionis veſtræ, vel è ſomno ſuſcitet, vt ad ea, ad quæ cogentibus vobis inuitata eſt, tenacior viuaci ſermonum narratione reddatur. Compuliſtis enim me, vt ad normam eorum, quorum aut vitæ caſtimoniam, aut morum ſanctimoniam, ſancti procul dubio Patres, elegãte verborum ambage, chartis inſerendo tradiderunt, petentibus Religioſis ac Catholicis viris, quibus vel in Thuſciæ partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germanię aditibus, ac etiam in Britanniæ limitibus, ſancti Bonifacii Martyris fama, miraculorumq; coruſcatio perſtrepuit, ſicut diſcipulis eius ſecum diu commorantibus, vel vobis ipſis referentibus, comperirem, procemium, mediumque ac finem vitæ eius, quanta valeam indagatione, literis inſeram. Et quemadmodum primæ præuaricationis reſoluto chirographo, & veræ lucis radio illuceſcente, Egeſippus, qui ſub Anacleto Romam veniſſe fertur, quinq; Eccleſiaſticorum actuum libros, ob vtilitatem legentium, edidiſſe perhibetur; Euſebiusque Cæſarięſis nominatiſſimus hiſtoriographorum ſcriptor,

cum

cum Pamphilo martyre, & adiutore ſuo, ſuorum ſibiq; antecedentium temporum hiſtorias mira eloquii diſſertitudine texentes, infinita ſcripturę volumina ediderunt; nec non & Gregorius, qui erat vir beatæ memoriæ, literarum ſtudiis eruditiſſimus, glorioſo Apoſtolicæ ſedis culmine præſidens, beatorum ſcribens Confeſſorum vitam, dialecticum miro oſtendens moderamine morem, quatuorq; logica expreſſit ratiocinatione libris, qui huc uſq; Eccleſiarum inſerti bibliothecis, elucubratam poſteris ſcientiæ afferunt dignitatem; ita beati viri vitam præcelſaſq; eius virtutes & cultum pietatis atq; abſtinentiæ robur, præſentibus ac pòſt ſecuturis ſæculis iubetis demonſtrare. Sed quamuis ad demonſtrandam tantarum rerum rationem, exiguum me paruumq; fore authorem cognoſcam, tamen exigente beneuolentiæ veſtræ voluntate, hoc quod demandaſtis, vobis iubentibus, non propriæ præſumptionis inſolentia fretus, ſed aſſertione Catholicorum confiſus aggrediar opus: neque ex paruitatis meæ ſtylo propriæ laudis præconium requirens, ſed ex tantæ rei relatione profuturum legentibus præbens exemplum; dum his quisq; inſtruitur formulis, & ad meliora ꝓfectus ſui perfectione perducitur.

Explicit Prologus.

Digitized by Google

ORDITVR LIBER S. BONIFACII.

CAPVT I.

Qualiter in infantia Dei ſeruitium inchoauit.

ILluſtrem igitur ac verè beatã Bonifacii Summi Põtificis vitam moresq; eius, ſanctorum magnoperè imitatione ſacratos, licet opacitate pręediti ſcientiæ, exili tamen opuſculi huius ſtamine innectere, ac ſimplici hiſtoriæ tegmine, quemadmodũ religioſis viris referentibus comperimus, qui quotidiana eius colloquia, & religionis conuerſatione ſedulò prę- ſentati, ea quæ audierunt vel viderunt, in exemplum poſteris tradiderunt; congregata verborum varietate, texendo, nitimur enodare; & ab exordio vſq; ad finem, quanta poſſumus indagatione diuinæ contemplationis eius ſanctimoniam reuelare. Cum enim primæuo puerilis ætatis decore multa, vt ſolet, maternæ ſollicitudinis cura ablactatus atq; enutritus eſſet, magna nimirum delectatione, cæterorumq; poſtpoſito amore filiorum affectatus eſt à patre; Sed qui iam labentia cuncta animo ſubiecerat, & æterna magis quàm præſentia cogitare diſ- poſuerat, cum eſſet annorum circiter quatuor ſeu quinq; Dei

Dei ſe ſeruitio ſubiugare ſtuduit, multoq; mentis conamine de monaſteriali jugiter vita inſudare, & ad ea mentis quotidiè niſibus anhelare. Cum verò aliqui, ſicut illis regionibus moris eſt, Preſbyteri ſiue Clerici, populares vel laicos prædicandi cauſſa adiſſent, & ad villam domumq; præfati patrisfamilias veniſſent, mox quantum poſſibilitatis eius puſillanimitas in infantia ſua præualuit, cœperat cum eis de cœleſtibus loquendo tractare, & quid ſibi ſuæq; infirmitati in futurum proficeret, interrogare; dumque ita diu de cœleſtibus diuturna mentis meditatione cogitaret, ac totum ſe in futurum extenderet, & ad ſuperna erigeret, patri etiam demum, hæc quæ animo gerebat, reuelauit, & vt ſuæ conſuleret voluntati, rogauit. Quo compero obſtupefactus pater, magna cum increpationis inſtantia, minis, ne ſe dimitteret, prohibuit; partim etiam blandimentis ad ſæcularis negotii curam inſtigabat, vt temporaneo eum tranſitoriæ hæreditatis ſubiungeret lucro, & ſeſe quandoq; defuncto, ſuæ terrenæ facultatis cuſtodem, imò etiam hęredem relinqueret. verbis quidem quamplurimis, fraudulenta humanæ calliditatis vſus verſutia, tenerum à cœpti perfectione propoſiti animum declinare tentauit; magisq; hanc ſuæ tolerabiliorem eſſe infantiæ actiuam, quàm quòd vitam monaſterialis militiæ contemplatiuam, multiplici ſermonum adulatione promittit; vt vel ſic à propoſiti huius conamine eum cohiberet, & ad mundani luxus mollitiem incitaret. Sed vir iam Deo in pueritia plenus, quanto eſt à patre plus prohibitus, tanto mentis arrepta fortitudine cœleſtem acquirere ſibi theſaurum, & ſacris ſe coniungere literarum ſtudiis anxius anhelabat; fitq; mirum in modum, ſicuti ſemper diuina agere ſolet miſericordia, vt ſuo imbecillioris ætatis militi Deus & cœptæ rei ſolatium,

tium, & anxiæ voluntatis augmentum, obſiſtentisq; repentinam patris mutationem mentis prouidens, condonaret; ita vt vno eodemq; temporis ſucceſſu & feſtina patrem ægritudo ſubitaneò iam imminente mortis periculo ſurrepſerit, & pia quantocius pueri, magno temporis interuallo præpedita voluntas ſuccreuerit; dominoq; Deo adiuuante, ſuccreſcendo impleta eſt ac perfecta. Poſtquam enim miræ diſpenſationis Dei judicio carnalem ingens ſancti viri patrem arripuerat languor, depoſita mox priſtina mentis pertinacia, puerum, ꝓpinquorũ facta conuentione, ad monaſterium, quod Priſcorum nũcupatur vocabulo Adeſtancaſtre, ſpontaneus, à domino quidem correptus, direxit, & fideli viro VVolfhardo, qui & Abbas extitit illius monaſterii, per fideles ſuæ legationis nuncios redditum commẽdauit: quem puerilibus adhuc in annis conſtitutus, ſapienter ſuis aſtantibus amicis allocutus eſt; & quod multo videlicet tempore monaſteriali ſe regulæ ſubiicere deſideraſſet, rationabili ꝓlata petitione, ſicut à parentibus pridem edoctus erat, indicauit. Cui ꝓrinus pater monaſterii, inito fratrum conſilio, & eorum accepta, ſicut regularis vitæ ordo popoſcit, benedictione, conſenſum præbuit & effectum; ſicq; vir Dei carnali orbatus patre, ad optimum noſtræ redemptionis ſecutus eſt patrem, terreniſq; ſæculi renuncians lucris, mercimonium deinceps æternæ hæreditatis acquirere ſatagebat, vt iuxta veridicam veritatis vocem, patrem relinquendo ac matrem aut agrum, & alia quæ huius mundi ſunt, centuplum acciperet & vitam æternam poſſideret. Matt. 19.

CAP.

CAPVT II.

Qualiter Adoleſcentiæ incentiua primitus frangeret, & omnibus bonis inhæreret.

EXpleto igitur, licet ſummatim, primordiali expoſitionis noſtræ ordine, qui quali ſe initio ſtudioſæ conuerſationis ſanctimoniæ ſubdiderit, breuiter protulimus, vt fabricæ à nobis fundamento confecto, ſtructuræ paulatim ſublimitas ad ſumma altius erigeretur. Poſtquam igitur infantiæ ſeptem euoluuntur anni, puerilis adueniente decore ætatis; etiam mira in eo ſcientiæ præualuit fortitudo. Magna ſiquidem mentis & ineffabili grauitate, cœleſti inſpirante gratia, ſicut ſubſequentia huius operis documenta declarant, ditatus eſt; & multarum caſtimonia virtutum, iuxta oſtenſum ſanctorum exemplar, præcedentium & venerabilium inſtituta patrum ſubditus declaratus ac decoratus; adeo etiam diuino exarſit ingenio ac lectionis adprimè ſe ſubdidit exercitio, vt ſingulis quibusq; additis tẽporibus, momentis atq; horis annorũq; circulis, augerentur etiam in eo ſuperna adiumẽta diuinaq; donorum incrementa ꝑfectionis. Et quanto paſtoralis pædagogio magiſterii eſt ꝓuectus, tanto ad ꝓuectum æternæ beatitudinis (ſicut fideles confamiliaritates illius viri pro certo teſtati ſunt) eum quotidiana eius ſtudia iugi laudis literali meditatione die noctuque incitauere, contra infeſtas diabolicæ ſuggeſtionis perſecutiones, quæ tenerum ſæpe apud mortales iuuentutis florem, ceu nebuloſæ quadam cæcitatis caligine obtegere ſolent, mirabiliter protexere; ita vt etiã ꝓpter indeſinen-

ſinentem diuturnæ ſollicitudinis eius curam & ſempiternam ſanctarum legum examinationem, illecebroſa in eo adoleſcentiæ incentiua, & carnalium deſideriorum impetus primitus impingentes, domino Deo auxiliante, maxima ex parte ſedauere, magisq; ac magis ad communem prouehunt populorum doctrinam, quam non multo transacto temporis interuallo, ſecundum pontificale Eccleſiaſticæ definitionis decretum inchoauit, dilatauit ac perfecit. Quoniam caduca huius mundi contemnens ornamenta, monaſterialis vitæ normam in infantia ſua ritè ac regulariter ſub moderata præfati patris gubernatione, annos quamplurimos cuſtodiuit, donec pueritiæ faceſſante laſciuia, & pubertatis inchoante adoleſcentia, ardentior illum ingenioli ſui voluntas accendit, vt ad finitima quoq; monaſteria magiſteriali lectionis prouocatus penuria, cum conſenſu atq; conſilio conſeruorũ fidelium, patriſq; monaſterii peruenerit. Cumq; voto ſimul & intentione omnipotentis ſibi adeſſe inceſſanter magna precum perſeuerantia ſuffragium poſtularet, tãdem diuina cœlitus inſpirante gratia, ad monaſterium peruenit, quod vſque hodie dicitur * Nhutſtelle, & beatæ memoriæ VVynberehtis Abbatis, qui venerabiliter prædictum ſub regulari diſciplina regebat monaſterium, ſpiritali literarum diligentia prouocatus elegit magiſterium fratrumq; ſecum in Domino viuentium contubernia, ac ſic Seruorum Dei iunctus conſortio, deuotum Domino Deo ſeruitium & laborioſam vigiliarum inſtantiam, lectionisq; diuinæ operam, ingenti meditationis ſtudio exhibuit; ita vt maxima demum ſcripturarum editione tam Grammaticæ artis eloquentia, & metrorum medullata facundiæ modulatione, quàm etiam hiſtoriæ ſimplici expoſitione & ſpiritalis tripartita intelligentiæ interpretatio-

* Hunger. Nhucſcelle. legend. Nuiſcelle ex m. ſ. Othlono.

tatione imbutus, dictádiq; peritia laudabiliter fulſit, vt etiam aliis demum paternarum extitit pædagogus traditionum, & auctor Magiſterii ſubiectorum, qui & diſcipulus antea ſubiectorum eſſe non recuſauit. Quoniam ſacræ mos eſt conuerſationis, vt præferre ſe cæteris pertimeſcat, qui ſubiici aliis renuerit. quia & rectæ obedientiæ operam ſubiectis impendere non valebit, quam ſuperna prælatis diſpenſatione iuſtè non exhibebit. hanc enim ita omnibus in commune viuētibus, & maximè ſuo, ſub regulari videlicet diſciplina, Abbati, monachica ſubditus obedientia, præbebat, vt labore manuum quotidiano, & diſciplinali officiorum adminiſtratione inceſſanter, ſecundum præfinitam beati Patris Benedicti rectæ conſtitutionis formam inſiſteret, omnibusq; exemplum benè viuendi, in verbo, in conuerſatione, in fide & caſtitate ſe præbens, vt omnes de fructu eius perciperent, & omnium mercedis ęternæ perciperet portionem. Sed & humilitatis quoq; eius & charitatis excellentiam ſolus qui occultorum cognitor eſt Deus, intimæ inſpectionis eius conſideratione nouit, qua omnes ſibi commilitones ſolerti cura ſubiunxerat, vt ab eis timore pariter haberetur & amore. Et quem diuina dilectione haberent ſocium, mutuo Apoſtolicæ admonitionis honore præuenirent, vt patrem, tantaq; in eo affabilitatis erga fratres, & cœleſtis doctrinæ ſuccreuit magnitudo, vt rumore ſanctæ exhortationis eius crebreſcente fama, multis per monaſteria tam virorum, quàm etiam Virginum Chriſti apertiſſimè claruit, quorum quidem quamplurimi virili ſexus robore confortati, & lectionis inſtantia incitati, ad eum confluxere, & ſaluberrimum ſcientiæ fontem potantes, numeroſa ſcripturarum volumina legendo recenſuere. Quibus ergò ſexus infirmioris imbecillitatis inerat & aſ-

Digitized by Google

ſidua pergendi abnegabatur facultas, tantæ ſibi ſapientiæ virum, diuini inſtante ſpiritu amoris, præſentari fecerunt, paginarumq; ſeriem tranſcurrentes, cœleſti inſtanter ſcrutinio inhæſere, & ſacramẽtorum arcana myſteriorũque abdita iugiter meditantur. Quem ita ſuperna ſubſequauit gratia, vt iuxta egregii prædicatoris exemplar & gẽtium Doctoris vocem, formam habens ſanorum verborũ in fide & dilectione Ieſu Chriſti, ſollicitè curans ſeipſum probabilem exhibere Deo operarium, inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

2. Tim. 2.

CAPVT III.

Quòd doctrinæ verbum omnibus præberet, & & quòd hanc non ſuo ante tempus ætatis arbitrio arripuerat.

AD generalem ergò quotidianæ contemplationis eius formam & diuturnam parſimoniæ continentiam ſermo à nobis directus aliquantiſper deriuatur, vt per ſingulos quosq; aſcenſus ſublimia huius ſancti viri opera propenſius compendioſa verborum raritate exequamur, ſtudiumq; vitæ per omnia venerabilis S. Bonifacii ſubtilius indagando proſequamur, vt & æqua libraminis moderatione exemplar nobis æternitatis, & potens fiat Apoſtolicæ eruditionis norma, qui per ſanctorum exempla, arduam cœleſtis intelligentiæ ſemitam feliciter ſcãdens, ac præuium populis ducatum præbens, portam Domini Dei noſtri, quam iuſti intrabunt, ipſe ingreſſus aperuit, & ab infantia ſua vſq; ad decrepitam ætatis ſenectutem, prætcritorum non mediocriter patrum ſapientiam imitatus eſt; dum Prophetarum iugiter & Apoſtolorum verba

ba ſtylo ſanctitatis conſcripta, & glorioſam Martyrum paſſionem literarum apicibus inſertam, ſed & Euangelicam Domini Dei noſtri traditionem quotidie commendabat memoriæ, & ſecundum Apoſtolum ſiue manducaſſet, ſiue bibiſſet, ſiue aliud aliquid egiſſet, laudis ſemper præconium, & deuotæ faſtigium iubilationis tam mente, 1. Cor. 10.
quàm etiam ore perſoluebat Deo, iuxta illud Pſalmographi, Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. In tantũ enim ſcripturarũ exarſit deſiderio, vt omni ſe intentione earum imitatione & auditione ſæpius coniungeret. Et quæ ob doctrinam populorum conſcripta ſunt, ipſe quippe populis mira eloquii diſſertitudine & ſolertiſſima parabolarũ aſſertione, efficaciter prædicãdo retexuit: cui tale diſcretionis tẽperamẽtũ inerat, vt & vigore correptionis manſuetudo, & vigor prædicationis manſuetudine non deerat; ſed quem zelus accenderet vigoris, manſuetudo mitigabat amoris. Diuitibus ergò ac potentibus liberisque ac ſeruis æqualem ſanctæ exhortationis exhibuit diſciplinam, vt nec diuites adulando demulceret, nec ſeruos, vel liberos diſtri- Pſal. 33.
ctione prægrauaret: ſed iuxta Apoſtolum omnibus 1. Cor. 9.
omnia factus eſt, vt omnes lucrificaret. Qui & doctrinæ cœleſtis documentum non ſuo ante tempus arripuit arbitrio, nec obſtinationis ſuæ rapina vſurpatum acquiſiuit, ſed ſanctæ humilitatis profectu, triginta aut eo amplius annorum habens ætatem, magiſteriale & familiare ſubleuatus eſt electione, iuxta canonicæ cõſtitutionis regulam ſuſcepit, & ad ſacerdotalis officii gradum, diuerſis donorum ditatus muneribus, acceſſit; ita vt eleemoſynis quidem, miſericordiæq; operibus, quãtum ſub regulari monaſterialiq; præualuit diſtrictione, opere penitus ac voluntate deſeruiret, ſed & nocturna vigiliarum

 ſpa-

ſpatia omnibus horis præueniens, orationi ſe ſollicitius, laborioſa operatione, exercuit; cuius nec patientiam ira ſurripuit, nec longanimitatem furor commouit, nec libido continentiam expugnauit, nec abſtinentiam gaſtrimargia violauit: ſed ita omni ſe ieiunii frugalitate ſubiugauit, vt vinum & ſiceram non bibens, vtriusq; teſtamenti imitatus eſt Patres, vt cum egregio gentium diceret doctore: Caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubiicio, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.

1. Cor. 9.

CAPVT IV.

De eo, quod ab omnibus primatibus directus ſit ad Cent, *& quod poſtea ad Freſiam peruenit.*

* Cantuariam.

COllecta ergò ſparſim ſuperius ſublimitate ſancti huius viri virtutum, ſilentio quæ ſequuntur, minimè prætermittenda, æſtimamus, quæ & fideliū didicimus relatione virorum, & manifeſta equidem ſcripturæ patefactione exerere curamus, quanta ſuarum perſeuerantia virium & cœptis bonis inhæſerat, & ad alia quæq; feſtinè properando animum incitaret. Cumq; diutius mentem ſupra enumeratis virtutibus edomaret, & de die in diem ad altiora bonorum documenta ſub prædicto ſe presbyteratus gradu proueheret. Iam regnante in W eſt, Saxonum Rege, ſubitanea quædam incubuerat, noua quadam ſeditione exorta, neceſſitas; & ſtatim ſynodale à primatibus Eccleſiarum cum conſilio prædicti Regis ſeruorum Dei factum eſt Concilium, moxq; omnibus in vnum conuenientibus, ſaluberrima de hac recenti diſſenſione, conſilii quæſtio inter ſacerdotales Eccleſiaſtici ordinis,

dinis gradus ſapienter exoritur, & prudẽtiori inito conſultu, fideles in Domino legatos ad Archiepiſcopum Cantuariæ ciuitatis nomine Berechvvaldum deſtinandos deputarunt, ne eorum præſumptione aut temeritate aſſcriberetur, ſi quid ſine tanti Pontificis agerent conſilio. Cumq; omnis ſenatus & vniuerſus Clericorum ordo tam prouidenti peracta collatione conſentirent, confeſtim Rex cunctos Chriſti famulos allocutus eſt, & cui hui⁹ præfatæ legationis nuntium imponerẽt, ſciſcitaret. Tum repentè ſum̃us in Chriſto Archimãdrita, qui prædicto præerat monaſterio, nomine VVynberch & VVintra, qui monaſterio quod dicitur Diſſeſburg præſidebat, & Beervvald, qui diuina cœnobium gubernatione, quod antiquorum nuncupatur vocabulo, Gleſtingaburg regebat, nec non & alii multi huius ſancti propoſiti Patres, ſanctum hunc virum accitum adduxerunt ad Regem, cui & nuntium Rex & legationis notitiam impoſuit, & adhibitis ſecum ſociis direxit cum pace. Qui etiam nuntio ſibi impoſito iuxta mandatum ſeniorum proſpero itinere peruenit ad Cent, & Archiepiſcopo, ſummi Pontificatus infula prædito, ſapienter cuncta, quemadmodum edoctus erat à Rege, per ordinem reuelauit; & ſic ſpontaneo accepto reſponſo, poſt non multos dies reuerſus eſt ad patriam, præfatoq; Rege & prædictis ſeruis Dei ſecum aſſiſtentibus, à venerabili Archiepiſcopo ſpontaneum ſcientes detulit reſponſum, & magnum vniuerſis contulit gaudium. Ac ſic deinceps mira diſpenſationis Dei beneuolentia nomen eius diffamatum eſt, & celebre apud omnes tam ſeculares dignitates, quàm Eccleſiaſtici officii ordines habebatur; ita vt amodo iam in futurum proficiens, Synodali ſæpiſſimè eorum intererat inſtituto. Sed quia mens etiam Deo dicata fauoribus non attolli-

Digitized by Google

tur humanis, nec laudibus ſubleuatur, cœperat ad alia multa ſollicitudinis cura attentius properare, & parentũ affiniumq́; ſuorum conſortia deuitare, & peregrina magis quàm paternæ hæreditatis terrarum loca deſiderare. Sed cùm ſic longo temporis interuallo ſecum ſolertiſſimè deliberaret, vt patriam, parentesq́; desereret, tandem arrepto beatæ memoriæ & prædicti patris conſultu, cuncta animi ſui ſecreta, intra conſcientiam antea abſcondita, patenter aperuit, & magna precum inſtantia ad conſenſum ſuæ voluntatis ſancti viri animum prouocauit. Qui etiam magna primitus admiratione obſtupefactus, poſcenti ſanè ſupplicantiq́; deſideratum ad tempus contradixit iter, vt cœpti propoſiti ſedaret induſtriam. Sed ad extremum inualeſcente omnipotentis Dei prouidentia, conualuit ſermo potentis, & ſancti Abbatis, fratrumq́; ſuorum ſecũ ſub regulari diſciplina viuentium deuotione adoptatum inchoauerat iter, Dominoq́; Deo diſpenſante compleuerat, vt ei etiam humani ſumptus ſolatia libenter impenderent, & magna cordis commotione lacrimarum diutius infuſiones, orationumq́; ſupplicationes pro eo ad Deum funderent. Hic etiam dum ſpiritualibus confirmatus armatura, & ſæcularibus ſublimatus ſumptura, vtriuſq; vitæ ſtipendiis minimè careret, adhibitis ſecũ duobus aut trib⁹ fratribus, quorum ſpirituali corporaliq; indigebat ſuſtentaculo, profectus eſt, ac ſic immenſis peragratis terræ partibus, proſpero omnium fratrum comitatu, peruenit ad locum vbi erat forum rerum venalium, quod vſq; hodie antiquo Anglorum Saxonumq; vocabulo appellatur Lundenvvich, ab eodem vltro tranſacto poſtliminio, nautarum nauem nouus quidem epibata, conſentiente nauclero, ingreſſus eſt nauem, nauloq; impenſo, proſpero ventorum flatu peruenit ad Dorſter, ibiq; aliquandiu commorati,

debi-

debitum Domino Deo exoluit die noctuq; præconium. Sed quoniam graui ingruente paganorum impetu, hoſtilis exorta diſſenſio inter Carlum Principem, glorioſumq; Ducem Francorum, & * Ratvvodum Regem Freſonum, H. Raatbodũ. populos ex vtraq; parte perturbabat; maximaq; iam pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum prius in Freſia ſubiecta erant imperio, Ratvvodi incumbente perſecutione ac ſeruorum Dei facta expulſione, vaſtata erat ac deſtructa; idolorum quoq; cultura, exſtructis delubrorum fanis, lugubriter renouata. Tum vir Dei, perſpecta peruerſitatis nequitia, peruenit ad Trech, ibiq; aliquantis expectatis diebus aduenientem Regem Ratvvodum allocutus eſt, cùm, circumuallatis ac conſpectis terrarum partibus, vtrum ſibi in futurum prædicationis vſpiã pateſceret locus, perquireret; proponensq; animo, vt ſi quanam in parte huius populi Euangelium quàm aditus clareſceret, verbi quidẽ Dei ſemina miniſtraret, quod etiã multis tranſactis añorũ curriculis glorioſa martyrũ teſtificatio cõprobauit. Sed quia ſanctorũ ſingulare munus eſt ſanctitatis, vt dũ ad tẽpus ſuũ ſine ſpirituali virore germinis laborem minimè pollentẽ perſpiciunt, ad alia prorſus loca fœcunda laboris cum fructu migrant: quoniã incaſſum inhabitatur locus, ſi & fructus deeſt ſanctitatis. Sanctus enim vir dum ſterilẽ aliquandiu Freſonum terram inhabitaret, & æſtatis, autũniq; aliquantulum tempus prætcriret, iam arida cœleſtis rore fœcunditatis relinqueret arua, & ad natale ſui, ſecũ ſumptis conuiatoribus, ſolum migrauit, ac monaſterii ſui ſecreta petens, & iam ibidem ſecundi ſiquidem anni hyemem, tripudiantium fratrum amore ſuſceptus, hyemando tranſegerat, vt Apoſtolicam gentium Doctoris vocẽ imitaretur dicentis; Ibi enim conſtitui hyemare. Tit. 3.

CA-

CAPVT V.

Qualiter defuncto Abbate ſuo, cum fratribus aliquantum tempus commoratus eſt. & poſtea ad Romam cum commendatitiis Epiſcopi ſui literis peruenit.

TRanſcurſis iam ex parte ſancti viri virtutibus, ſubſequentia eius, quemadmodum rem rumigerulis referentibus, geſtam comperimus, patenter proferimus, vt apertior in perpetuum vitæ morumq; eius ad normam ſanctæ conuerſationis illius tendentibus pateat callis. Cumq; ingens peregrinationis exegiſſet diſcrimē, gurgitumq; maris euaſiſſet diſpendium, & fratrum ſuorum iterum reuerſus ſe ſocietati dediſſet, eorumq; contubernio dies deinde plurimos iniunxiſſet; graui demum mentis correptus eſt mœrore, & recenti oppreſſus animi mœſtitia, dum ſenilia iam Magiſtri membra infirmari conſpiceret, extremumq; aſtante Monachorum congregatione, obitus ſui diem, languoris conualeſcente immenſitate, vibrando, palpitandoq; imminere, & tandem depoſito corporis ergaſtulo, ſub triſti mœrentium aſpectu fratrum, vltimum efflare ſpiritum videret. Quia in Sanctorum frequenter cordibus compaſſionis ſpecialiter cōdolens refulget pietas, qua ad temqus ſedulò ſolent contriſtari; ſed Apoſtolico inhærentes præcepto, in Domino iugiter conſolantur. Iam blandè adorſus eſt fratres, & ſpiritualibus eos colloquiis, paternæ memor traditio-

1. Theſſ. 4. & 5.

nis hortatur, vt regularis iugiter conſtitutionis formam, & *Eccleſiaſticæ* definitionis normam in omnibus conſeruarent, & vt patris cuiuſlibet ſpirituali ſe ſubiungerent imperio, inſtruxit. *Tunc* omnes vnanimiter conſonis inſtabant vocibus, & ſanctum hunc virum, qui illo dicitur in tempore VVinfrith, cuncti precarentur, vt paſtorale ſuper eos Abbatis ſuſciperet magiſterium. Sed refutatis mox patriæ facultatibus, & primatu regiminis abiecto, ad prædeſtinata promptus ac paratus, ſolerti ſe cura excuſauit, omnemq; pro hæredum ſubſtantiam abnegando renuit. Cum verò hybernale iam tempus præteriret, & calor æſtatis candeſceret, priſtinaq; labentis anni temporatur intentio, & omni quippe ſollicitudine iter omiſſum iterando renouare ſtuduit. Tunc literis etiam commendatitiis à beatæ memoriæ Daniele, Dei plebis ſpeculatore, acceptis, ad limina Apoſtolorum Romam venire tentauit: quem tamen reſiſtentium aliquandiu fratrum orbata patris impediuit neceſſitas, charitasq; eiulantium ac compaſſio vtrobiq; dolentium, ad tempus obſiſtebat, ita vt magno quidem mentis angore premebatur, & in quam ſe verteret partem, ignorabat. metuebat enim ne grex magiſtro commiſſus iam ſine vigilanti paſtoris cuſtodia, eo decedente, luporum morſibus pateret, & vt peregrè proficiſcendi autumnale ſibi deficeret tempus formidabat. Cumq; omnipotens Deus ſolita non immemor pietatis ſuę clementia, ſeruum ſuum animi preſſura perturbatum, & anxio vellet dolore eripere, & iucundum gregi præuidere magiſtrum, iam præfati Antiſtitis erga fratres inteſtina facta eſt meditatio, & bonæ indolis virum nomine *Stephanum* huic præſidere fecit Eccleſiæ. & ſanctum hunc virum per longas peregrinationis vias ire volentem ad loca incolumem deſtinata dire-

xit. Qui protinus quidem valedicens fratribus, profectus eſt, locumq; per longa terrarum ſpatia, qui iam prædicto dicitur nomine Lundenvvich, voti compos adiit; celocis celeriter marginem ſcandens, cœpit ignotas maris tẽtare vias, tripudiantibusq; nautis, immenſa, Coro flante, carbaſa conſurgebant, & pleno vento proſperoq; curſu oſtia citius fluminis quod dicitur Cuent, omni iam expertes periculi naufragio, aſpiciunt, & ad aridam hoſpites terram veniunt. Sed & caſtrametati ſunt in Cuentavvich, donec ſuperueniẽs ſe collegûm multitudo congregaſſet; omnibusq; collectis, per ſingulos dies, iminente hyemis frigore, prouecti ſunt, multasq; Sanctorũ Eccleſias orando adierũt, vt tutius, opitulante altithrono, alpina montium juga tranſcenderẽt, Longabardorumq; erga illos humanitatẽ mitius ſentirẽt, militũq; malitioſã ſuperbiæ ferocitatem facilius euaderẽt. Cumq; Sanctorũ ſuffragante patrocinio, & Dño Deo diſpenſãte, omnis quippe cohors contubernaliũ comitatu huius ſancti viri inhærẽs limina B. Apoſtoli proſpere aggreſſus eſt, imẽnſas ſtatim Chriſto ꝑ ſoſpitate eorũ grates perſoluunt, atq; Eccleſiã S. Petri Principis Apoſtolorum magno cũ gaudio ingreſſi, abolitionem peccaminum poſtulantes, diuerſa quidẽ munera quam plurimi detulerunt. Trãſactis hic diebus non multis, ſanctus vir iſte venerabilẽ Sedis Apoſtolicæ Papã beatæ memoriæ Gregorium à primo ſecundum, & nouiſſimo priorem, affatus eſt, qui & vulgarica Romanorum lingua dicitur junior, omnemq; ſibi per ordinem itineris ſui atq; aduentus occaſionem manifeſtauit, & quali annexius deſiderio diutius deſudaſſet aperuit. Sanctus itaq; Papa repentè hilari vultu, arridentibusq; oculis intuitus in eum, inquiſiuit, an literas ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet, at ille etiam concitus exempto pallio, chartam ex

Digitized by Google

more inuolutam literasq; protulit, deditq; mirabili ſanctæ recordationis viro, qui ſtatim acceptis literis annuit ei, vt abiret. Apoſtolicus verò Papa perlectis literis, & recenſita commendatitiæ conſcriptionis charta, ſedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ diſputationis colloquium, donec proficiſcendi redeundiq; æſtiuum inſtaret tempus.

CAPVT VI.

De eius reditu ex Roma, mandato Papæ, & quid in Thyringia, Francia, & Freſia, prædicando effecerit: & de geſtis cum VVilibrordo Archiepiſcopo.

CVm verò Niſan menſis, qui eſt Aprilis, præteriret, & Iair, qui & Maius, iam portæ pateſcerent, tum etiam poſtulata atq; accepta Apoſtolicæ Sedis benedictione, & literis, à beatiſſimo Papa ad inſpiciendos immaniſſimos Germaniæ populos directus eſt, vt, an inculta cordium arua Euangelico arata vomere, prædicationis ſemen recipere voluiſſent, conſideraret; ac ſic extemplo collecta numeroſa reliquiarũ multitudine, reci peo ſuorum reditu ſeruorum, Italiæ fines adiit, optimumq; Longobardorum Regem Liodoprandum, pacificis ſalutatum muneribus, compellauit, & hõorificè ab eo ſuſcepit; laſſata ex itinere membra requieſcebant. Ac ſic remuneratus ardua ac plana agrorum peragrans ſpatia, prærupta alpium iuga tranſcendit, incognitas * Baioaricorũ, & cõfines Germaniæ terminos aggrediens, in Thuringiã, iuxta mãdatũ Apoſto-

H. Baiuariorum.

 poſto-

Digitized by Google

licæ ſedis, conſiderando progreſſus eſt, adinſtar videlicet prudentiſſimæ apis, quæ ſuctim camporum circumuolataturus, & numeroſam redolentium herbarum copiam pennigeris molliter perſtrepens alis circumuolat, carpentiq; roſtro pertentat melliflua, vbi nectaris lateat dulcedo, & ſuis eam, omni penitus mortiferi ſucci amaritudine contempta, aluceariis inuehit, & ſecundum quandam Apoſtolicæ ratiocinationis eloquii ſimilitudinem, omnia probat, & quod bonum eſt, tenet. Sanctus itaq; vir in Thuringia, iuxta inſitum ſibi mandatum Apoſtolici Pontificis, ſenatores, deniq; plebis totius populi principes, verbis ſpiritualibus affatus eſt, eosq; ad veram agnitionis viam & intelligentiæ lucem prouocauit, quam olim ante, maxima ſiquidem ex parte prauis ſeducti doctoribus perdiderunt. Sed & Sacerdotes ac Presbyteros, quorum alii religioſo Dei omnipotentis cultu incaluerunt, alii quidem fornicaria contaminati pollutione, caſtimoniæ continentiam, quam ſacris ſeruientes altaribus ſeruare debuerunt, amiſerant, ſermonibus Euangelicis, quantum potuit, à malitiæ prauitate ad canonicæ conſtitutionis rectitudinem correxit, admonuit, atq; inſtruxit. Et Franciam deinde, fratribus ſecum commeantibus ingreſſus eſt, ſtatimq; audita Ratbodi, Freſonum Regis morte, alueum quidem fluminis, magno gauiſus gaudio, nauigio aſcendit, optans, quod etiam Freſia recepiſſet verbum Dei; & ad incultas cœleſti prædicatione terras peruenit, iamq; atrocis ceſſante Regis Ratbodi perſecutione, doctrinæ cœleſtis ſemina miniſtrauit, & verbi Dei fame expulſa, famelicam paganicæ ſuperſtitionis multitudinem pabulo æternæ prædicationis refecit. Cumq; deſiderantis repentè mentem ſpontaneus operis ſequeretur effectus, & votiua prædeſtinatæ doctrinæ lux

1. Theſſ. 5.

Domi-

Domino Deo diſpenſante, clareſceret, Carliq; Ducis glorioſi ſuper Freſones roboratum eſſet imperium, iam buccina cœleſtis verbi increpuit, & prædicatorum, adueniente ſuperni roris fertilitate, vox intonuit Dei per VVilibrordum virum venerabilem, ac cooperatores eius propagatus eſt ſermo. Sed quia meſſem quidem multam, operarios ineſſe paucos cerneret, ſanctus hic Dei famulus cooperator etiam factus per tres inſtantes annos VVillibrordi Archiepiſcopi, multumq; in Chriſto laborans, non paruum Domino populum, deſtructis delubrorum fanis, & extructis Eccleſiarum oratoriis, præfato Pontifice opitulante, acquiſiuit. Cum verò ſummus hic ſenuerat Pontifex, & ætatis plurimis grauabatur annis, decreuit etiam ſuggerente diſcipulorum cœtu, vt ſolatium ſancti miniſterii ſuæ decrepitæ ſenectuti prouideret, & fidelē de parua congregatione virum eligeret, qui laude præeſſe potuiſſet populo. Accitoq; huic famulo Dei ſalutari cum inſtructione admonuit, vt Epiſcopalis quippe regiminis ſuſciperet gradum, ad regendum Dei populum ſibi ſubueniret. Qui etiam humiliter repente reſpuens, minimè ſeſe dignum eſſe Epiſcopatus gradu referebat; & ne ſibi tantæ dignitatis faſtigium adoleſcentiæ adhuc in annis conſtituto imponeretur, deprecatus eſt; & quomodo quinquageſimi anni, iuxta Canonicæ rectitudinis normā, necdum plene reciperet ætatem, teſtatus eſt, vt omni ſe penitus excuſationis tergiuerſatione ab huius gradus celſitudine declinaret. Prædictus itaq; tam ſancti præconij Pontifex placidis illum verbis increpauit, & diligenti cū cura ad huius propoſiti gradum inſtigauit, populiq; ſubiecti maximam magnopere paupertatem prædiceret. ſed cum neq; ſic correptus ad ſuſcipiendum huius celſitudinis gradum conſentiret, iamq; per longas tricationum

Digitized by Google

moras ſpiritualis inter eos orta eſt contentio, & conſonæ pulchræ diſcretionis facta diſſenſio. Hic verò grandi præuentus humilitate, tangi gradu contradixit honoris; ille autem piiſſimi appetitu lucri irretitus, ſalutem concupiuit animarum. Cumq; ſic diuerſa iam ſermocinationum verba inuicem protuliſſent, & ſanctus hic Dei ſeruus velut in ſpirituali quodã ſtudio poſitus, placidæ prorſus excuſationis exerens ſermonem ait: O ſummę ſanctitatis Pontifex, O ſpiritualis proreta agonis. Ego enim à B. ſanctæ recordationis Gregorio Papa Germanicis mandatũ gentibus detuli: Ego Apoſtolicæ Sedis legatione fungens ad occidentales Barbarorum regiones ſponte tuæ me gubernationis dominio iniunxi, & ꝓpriæ voluntatis arbitrio ignorante, ſublimatu dominorũ copulaui: Quorum vſq; in hodiernam diem ſponſionis voto conſtrictus ſum, ac ſeruituti ſubiectus. Quapropter ſine Apoſtolicæ Sedis cõſultu & authenticæ iuſſionis mandato tam præclaræ ſublimitatis ordinem ſuſcipere non audeo. ſed & alia quoq; rationabili petitionis ſupplicatione verba proferebat, dicens: Obſecro igitur, vt me propriæ ſponſionis vinctum catenis, ad has, ad quas primitus à Sede Apoſtolica miſſus ſum terras, deſtinando dirigas. Cui protinus vir Dei, audita tantæ profeſſionis cauſa, data ei benedictione, licentiam dedit abeundi, qui etiam ſtatim proficiſcẽs, peruenit ad locum, cui nomen inſcribitur Amanaburch, iuxta Apoſtolum enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus eſt. 1. Tim. 4.

CA

CAPVT VII.

Quomodo Saxonum & Heſſorum populos cōuertit, & de geſtis ſuis nuncium Romam miſit, eodemque mox ipſe euocatus, cum Papa collocutus eſt.

PER ſingulos enim à proœmio gradus virtutis, documenta, & laboris in Domino conſtantiam huius ſancti viri perſtrinximus, vt ſequētia ſubtilius bonorū eius exēpla cōglobatim ad memoriā reuocemus. Cumq; ingentē Domino populum in Freſonis acquireret, multiq; ab eo ſpirituali doctrina edocti, ad agnitionem veritatis, irradiantibus veræ lucis radiis peruenerant. Tūnc quippe Domino patrocinante alias Germaniæ prædicandi cauſa partes adiit, & ſupradictum locum, cui gemini præerant Germani, * Detic videlicet & Dierolf, Domino auxiliante obtinuit, eoſque à ſacrilega idolorum cenſura, qua ſub quodam Chriſtianitatis nomine malè abuſi ſunt, reuocauit. Ac plurimam populi turbam, rectæ patefacta intelligentiæ via, errorum depoſito horrore, à maliuola gentilitatis ſuperſtitione retraxit, & monaſterii, collecta ſeruorum Dei congregatione, cellam conſtruxit. Similiter & iuxta fines Saxonum, Heſſorum populum paganicis adhuc ritibus oberrantē, à dæmoniorum, Euangelica prædicando mandata, captiuitate liberauit, multiſq; millibus hominum, expurgata paganica vetuſtate, baptizatis. Idoneum quippe nuncium, ac fidelem ſuarum literarum portitorem nomine * Binnan Romæ direxit, patriq; venerabili Apoſto- (H. Deetſic vi. & Deorwulf.) (H. Bynnan.)

licæ

licæ ſedis Pontifici vniuerſa quæ circa illum Domino donante facta ſunt, muta quidem litera miniſtrante, per ordinem reuelauit: & vt magna ſiquidem multitudo hominum, diuino illuſtrante Spiritu, regenerationis perciperet ſacramentum, manifeſtauit. Sed & de rebus, quæ ad quotidianam *E*ccleſiæ Dei neceſſitatem populiq; prouentum pertinebant, plurima ob conſilium ſedis Apoſtolicæ interrogando conſcripſit. Cum enim aliquantos dies præfatus hic nuntius prædicto maneret loco, & iam reditus ſui tempus inſtaret, tum etiam à præfato ſedis Apoſtolicæ *P*ontifice mutuum legationis ſuæ reſponſum accepit, & ſtatim reuerſus chartam ſedis Apoſtolicæ cõſcriptionis iam non multo tempore tranſacto magiſtro attulit. Cumq; ſanctus vir allatas legiſſet literas carptim ſe inuitatum ad Romam intellexit, feſtinusq; ſummum obedientiæ gradum implere tentauit, clientumq; confeſtim ſtipatus caterua, & fratrum circumſeptus agmine, Francorum ac Burgundionum Italiæq; iam collibus alpium tranſcenſis, limitum fines militumq; terminos tranſmigrauit, & Romanæ vrbis mœnibus conſpectis, altithrono repente condignas gratiarum laudes rependit. *E*t ad beati Petri Eccleſiam mox perueniens diligenti ſe oratione muniuit. Cum verò laſſata pauliſper mẽbra quieuiſſet, iam beato Gregorio Sedis Apoſtolicæ Pontifici nuntiatum eſt, quod hic Dei famulus adueniret. Qui etiam bene ſuſceptus in xenodochiũ adductus eſt. Adueniente itaq; opportuno collocutionis eorum die, & ad baſilicam beati *P*etri Apoſtoli, aduentante glorioſo ſedis Apoſtolicæ *P*ontifice, confeſtim hic Dei famulus inuitatus eſt; & cum paucis ad inuicem ac pacificis ſe ſalutaſſet verbis, iam de ſymbolo & fidei *E*ccleſiaſticæ traditione Apoſtolicus illum Pontifex inquiſiuit. Cui mox hic vir

Dei

Dei humilliter reſpõdit, dicens: Domine Apoſtolice noui me imperitum; iam peregrinus veſtræ familiaritatis ſermone: ſed quæſo vt otioſum mihi tempus conſcribendæ fidei concedas, & muta tantum litera meam rationabiliter fidem adaperiat. qui etiã protinus conſentit, & vt feſtinè hanc ſcripturam deferret, imperauit. Cumque aliquanto temporis euoluto ſpatio, fidem S. Trinitatis vrbana eloquentiæ ſcientia cõſcriptam detuliſſet, reddiditque præfato Pontifici; expectauit nihilominus quippe dies adhuc aliquos, ſic ſaltim reinuitatus eſt, & Lateranum introductus humiliter pronovultu protinus poſtulata benedictione pedibus Apoſtolici Pontificis aduolutus eſt. Quiq; repentè eleuauit eum à terra, & chartam in qua integra & incorrupta patuit fidei veritas, huic Dei famulo reddidit, eumq; conſedere fecit, & ſalutari eum admonitionis doctrina inſtruxit, vt hanc ſine intermiſſione intemeratam fidei munitionem conſeruaret, & aliis inſtanter ſuarum pro poſſibilitate virium prædicaret. Multa quoq; alia de Religione ſanctitatis & fidei veritate ſciſcitando profert, ita vt omnem pænè diem pariter colloquendo alternatim ducerent, & ad extremum qualiter populi per deuia prius facinorum oberrantes, fidei documenta, ſua prædicatione, perciperent ſciſcitatus eſt. & cùm pro certo comperiſſet, quòd maximã quidem multitudinem plebis à ſacrilega dæmonum cultura, ad conſortium ſanctæ Eccleſiæ adſciſceret, intimauit quippe ei, quia Epiſcopatus ſibi imponere gradum voluiſſet, populisq; paſtorali prius ſollicitudine priuatis, & iuxta ſententiam Domini Dei noſtri, iacentibus ſicut oues, non hãbentes paſtorem, præferre. ſed quia contradicere huic tanto Pontifici Apoſtolicæ Sedi Prælato non auderet, conſentit etiam & obediuit. Sicq; Summus ſanctæ auto-

 ritatis

Digitized by Google

ritatis Pontifex diem conſtituit ordinationis, id eſt, pridie Calendarum decembrium. Cumq; ſanctus ſacræ ſolennitatis dies, & natalitius ſancti Andreæ, & præfinitæ ordinationis illuxiſſet, iam ſacer ſedis Apoſtolicæ Pontifex Epiſcopatus ſibi & nominis, quod eſt Bonifacius, impoſuit dignitatem, eiq; libellum, in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ conſtitutionis iura pontificalibus ſunt digeſta conuentibus commodauit, & vt ex hoc incôuulſa apud ſe pontificalis hæc diſciplina, & inſtitutionum ordo permaneret, populiq; ſubiecti his imbuantur exemplis imperauit. Sed & familiaritatem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ tam ſibi, quàm omnibus ſibi ſubiectis ex hoc in futurum condonauit, & Caroli Ducis glorioſi ſuis ſacratiſſimis literis regni munimine ac deuotione ſanctum hunc virum Epiſcopatus gradu pollentem ſubiugauit.

Capvt VIII.

Quomodo Roma diſcedens Carlum Francorum Ducem adiit, & quid in Heßis ac poſtea in Thyringia prædicando effecit, de tyrannis, & deprauata Religione in eadem prouincia. de nunciis iterum Romam mißis, & duobus ædificatis monaſteriolis.

IS autem dum per longos viarum anfractus ingentium populorum adiſſet confinia, iam quidem ad præfatum Francorum Principem venit, & venerabiliter ab eo ſuſceptus literas prædicti Romani Pontificis, ſediſq; Apoſtolicæ

licæ Carlo Duci detulit, eiuſque dominio ac patrocinio ſubiectus ad obſeſſas ante ea Heſſorum metas cum conſenſu Carli Ducis rediit. Cum verò Heſſorum iam multi Catholica fide ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritus gratia confirmati manus impoſitionem acceperunt, & alii quidem nondum animo confortati, intemeratæ fidei documenta integrè percipere renuerũt, alii etiam linguis & faucibus, clãculo, alii verò apertè ſacrificabant, alii verò aruſpicia & diuinationes, præſtigia atq; incantationes occultè, alii quidem manifeſtè exercebant: alii quippe auguria & auſpicia intendebãt, diuerſoſq; ſacrificandi ritus incoluerunt: alii etiam, quibus mens ſanior inerat, omni abiecta gẽtilitatis prophanatione, nihil horum cõmiſerũt. Quorum conſultu atq; conſilio arborem quandam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellatur Robur Iouis, in loco qui dicitur Gaeſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus, ſuccidere tentauit. Cumq; mentis conſtantia confortatus arborem ſuccidiſſet, magna quippe aderat copia paganorũ, qui & inimicũ Deoru ſuorũ * intraſſe diligentiſſimè deuotabant, ſed ad modicum quidẽ arbore præciſa, confeſtim immenſa roboris moles diuino deſuper flatu exagitata, palmitum confracto culmine corruit, & quaſi ſuperni nutus ſolatio in quatuor etiã partes diſrupta eſt, & quatuor ingentis magnitudinis æquali longitudine trunci abſq; fratrum labore aſtantium apparuerunt. Quo viſo prius deuotãtes pagani etiã verſa vice benedictionẽ Dño priſtina abiecta maledictione credentes reddiderunt. Tunc autem ſummæ ſanctitatis antiſtes, conſilio inito cum fratribus, ligneũ ex ſupradictæ arboris metallo oratoriũ conſtruxit, eãq; in honorẽ S. Petri Apoſtoli dedicauit, atq; vniuerſis quæ p̄diximus cõpletis, & ſuperno ſuffragante nutu ꝑactis, ad Thuringiã ꝓfectus, &

for. intra ſe

ſeniores plebis, populiq; principes affatus eſt, eoſq; relicta ignorantiæ cæcitate, ad acceptam dudum Religionẽ Chriſtianitatis iterando prouocauit. Quia faceſſante ſuorum Regum dominio, magna quidem eorum Comitum multitudo ſub *Theotbaldi & Hedenes periculoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici ducatus, & infeſtum vaſtationis potius, quàm deuotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præuenta morte, vel hoſtili ſiquidem eductione captiuata eſt, in tantumq; diuerſis conſtricta malis, vt cætera quæ manebat reſidua populi turba, Saxonum ſe ſubiecerat principatu. Quo ceſſante Religioſorum Ducum dominatu, ceſſauit etiam in eis Chriſtianitatis & Religionis intentio, & falſi ſeducentes populum introducti ſunt fratres: Qui ſub nomine Religionis maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectam, ex quibus eſt *Torthũne & Berechthere, Tanbercht & Hunred fornicatores, & adulteri, quos iuxta Apoſtolum iudicauit Deus. Qui validiſſimum aduerſus homines Dei excitauerunt conflictum. Sed veris verborũ oppoſitionibus confutati dignã recompenſationis ſortiti ſunt ſententiam. Cumq; renouatus per populum fidei illuxiſſet candor, & plebs ab ingenti erroris ereptus eſt laqueo, iam expulſis profani hoſtis amicis, & infeſtis populi ſupradictis ſeductoribus, meſſem quidem multam cum paucis admodum meſſoribus incoluit, & magnam primitus mundi huius penuriam ac frugalitatem ſuſtinuit, magniſq; tribulationum anguſtiis coarctatus, verbi Dei ſemina propagauit. Sed cum credentium paulatim polleſceret multitudo, prædicatorum quoq; multiplicatus eſſet catalogus, tunc etiam Eccleſiæ repentè inſtaurantur, & prædicatio eius doctrinæ multiformiter emanauit, monaſteriumq; congregata ſeruorũ Dei vnitate, de Monachorum ſumma ſanctitate, conſtru-

H. Theotbalch

H Torchtuuine, & Berchthere, Eanbercht & Hunretl.

Heb. 13.

ctum eſt in loco qui dicitur Ordorp. Qui propriis ſibi more Apoſtolico manibus victum, veſtitumq; inſtanter laborando acquiſierunt. ſicq; ſanctæ rumor prædicationis eius diffamatus eſt, in tantumq; inoleuit, vt per maximam iam Europę partem fama eius perſtreperet, & ex Britanniæ partibus ſeruorum Dei plurima ad eum tam lectorum quàm etiam ſcriptorum aliarumq; artium eruditorum virorum congregationis conuenerat multitudo. Quorum quippe quam plurimi regularum ſe eius inſtitutione ſubdiderunt, populumq; ab erratica gentilitatis profanatione plurimis in locis euocauere. Et alii quidem in prouincia * Heſſorum, alii etiam in Thuringia, diſperſi latè per populorum pagos ac vicos verbum Dei prædicabant. Cùmq; ingens vtriusq; populi multitudo fidei Sacramenta, multis millibus hominum baptizatis, perciperet, iam defuncto beatæ memoriæ Gregorio ſecundo Sedis Apoſtolicæ Papa, & glorioſo præfatæ Sedis Gregorio Iuniore Apoſtolici culminis Cathedram præſidente, denuo Romam nuntii eius venerunt, ſanctumq; Sedis Apoſtolicæ Pontificem allocuti ſunt, eiq; prioris amicitiæ fœdera, quę miſericorditer ab Anteceſſore ſuo, S. Bonifacio, eiusq; familiæ collata ſunt, manifeſtauerunt: ſed & deuotam eius in futurum humilitatis Apoſtolicæ Sedi ſubiectionem narrauerunt, & vt familiaritati ac communioni ſancti Pontificis atq; totius Sedis Apoſtolicæ ex hoc deuotè ſubiectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precarentur. Statim ergò S. Sedis Apoſtolicæ Papa pacificum profert reſponſum, & ſuam Sedisq; Apoſtolicæ familiaritatem & amicitiæ communionem tam ſancto Bonifacio, quàm etiam ſibi ſubiectis condonauit, ſumptoq; Archiepiſcopatus pallio cum muneribus diuerſisq; Sanctorum reliquiis le-

H. Heſorum, alii etiam in Thyringia

Digitized by Google

gatos honorificè remiſit ad patriam. Aduenientibus ergò nuntiis ac ſpontanea viri Apoſtolici referentibus reſponſa, iam gratulabundus Apoſtolicæ ſedis nimium confortatus deuotionis ſuffragio, opeq; diuinæ miſericordiæ inſpiratus, duas videlicet Eccleſias Domino fabricauit; vnam quippe in Fridеſlare, quam in honorem ſancti Petri Principis Apoſtolorum conſecrauit, & alteram in * Amanaburch; hanc etiam in honore ſancti Michaelis Archangeli dedicauit. Duo quoq; Monaſteriola duabus iniunxit Eccleſiis, hisq; non minimam ſeruientium Deo multitudinem ſurrogauit, ita vt vſque hodiè gloria & benedictio & gratiarum actio Domino Deo deuote confertur. Hisq; omnibus ritè confectis, Baioariorum, temporibus * Hutperti Ducis, terras adiit, prædicationisq; ſtudium apud eos diligentiſſimè exercuit, & multas conſiderando circuit Eccleſias. Tantoq; dominicæ fortitudinis zelo armatus eſt, vt quẽdam quidem ſchiſmaticum hæretica prauitate deceptũ nomine * Eremvvlsum, iuxta Canonum decreta damnauit, atq; abiecit, & populum à peruerſa ſectæ eius idololatria correxit, & ad fratres ſub ſuæ diœceſeos gubernatione conſtitutos rurſus migrauit, iuxta illud Apoſtoli: Cupiditatem habens veniendi ad fratres.

H. Hamanaburch. *H. Hucperti.* *H. Eremuulſum.* Rom. 15.

CA-

Capvt IX.

De tertia eius Romam itione, & quomodo in reditu ad Odilonem Baioariorum Ducem inuitatus diuertit, & quatuor in Baioariis Epiſcopatus erexit: ac in Francia ſub Charlomanno & Pipino Ducibus celebratis Synodis orthodoxam Religionem reſtaurauit.

IGitur huius viri aliquantiſper meritorum documenta excerpſimus, vt quanto ſe religionis regimine per cunctos ætatis ſuæ gradus indeſinenter rexerit, breui videlicet proferamus ſermone. Quoniam quidē diutinus ſanctorum vſus eſt, vt quotidie aliorum per exempla ad meliora ſe prouehant, & decreſcēte dierum calculo, creſcat in eis etiā intimi virtus amoris. Cumq; Eccleſiarum erat non minima in Haſſis & in Thuringia multitudo extructa, & ſingulis ſinguli ꝓuiderentur cuſtodes: Tum etiam tertiò propter familiarem ſancti Apoſtolici Pontificis, totiusq; Clericatus communionem, diſcipulorum comitāte cœtu, Romā venit, vt Apoſtolici videlicet patris ſalubri frueretur colloquio, & ſanctorū ſe, iam ætate prouectus, orationibus comēdaret. Aſt vbi poſt imēſā itineris vaſtitatē Domno Apoſtolico Gregorio Iuniore II. præſentaretur, benignè ſuſceptus eſt ab eo, tantaq; à cunctis tam Romanis, quā etiā aduenis veneratione habebatur, vt multi ad ſalutarem eius doctrinam confluerēt. Francorū enim & Baioariorū, nec non ex Britannia aduenientium Saxonum, aliarumq; prouinciarum ingēs ſedulo eius admo-

admonitione adhærebat multitudo. Cumq; non minimum anni ſpatium morabatur in his regionibus, & ſanctorum peragrando atq; viſitando circuiſſet reliquias, tunc quippe reſalutato venerando viro, ac Sedis Apoſtolicæ Pontifice, cum muneribus & reliquiis Sanctorum honorificè ditatus remeauit, Italiamq; perueniens, Ticene vrbis ingreſſus eſt mœnia, & apud honorandum Longobardorum Luitbrandum Regem, iam ſenio feſſis membris, requieſcebat. & recedens non ſolum inuitatus Ba-
R. Adilone ioariorum ab *Otilone Duce, ſed & ſpontaneus viſitauit incolas, manſitq; apud eos diebus multis, prædicans & euangelizans verbum Dei, veræq; fidei ac Religionis Sacramenta renouauit, & deſtructores Eccleſiarum populiq; peruerſores abigebat. Quorum alii pridem falſò ſe Epiſcopatus gradu prætulerunt, alii etiam presbyteratus ſe officio deputabant, alii hæc atq; alia immemorabilia fingentes, magnum populum ſeduxerunt. Sed quia ſanctus vir iam ab infantia Deo deditus, iniuriam Domini ſui non ferens, ſupradictum Ducem, cunctumq; vulgum ab iniuſta hæreticæ falſitatis ſecta, & fornicaria Sacerdotum deceptione coërcuit, & prouinciam Baioari-
R. Otile. orum, *Otilone Duce conſentiente, in quatuor diuiſit parochias, quatuorq; his præſidere fecit Epiſcopos. quos ordinatione ſcilicet facta in Epiſcopatus gradum ſubleuauit. quorum primus nomine Ioannes Eccleſiæ in oppido, quod dicitur Saltzburg, Epiſcopatus Cathedrã ſuſcepit. Secundus Erembercht, qui Friſingenſis Eccle-
H. Coibalch. ſiæ ſuperſpeculatoris tenuit principatum: Tertius *Gaibald, qui Eccleſiæ ciuitatis Reginæ paſtorale excubitoris ſubiit magiſterium. Quartus Viuilo, qui ſuper Patauienſem Eccleſiam ſacræ indagationis obtinuit dignitatem. Cumq; omnia confirmato Chriſtianitatis ordine

rite

rite agerent, & Canonum jura in Baioariis recuperata, iam ad proprias remeando rediit Eccleſias, populiq; ſibi commiſſi curam gerens, caulasq; gregum circumſpiciēs, & excubias plebis prouidens, oues à nefandis luporum morſibus eripuit. Cumq; Carli *Ducis* glorioſi temporale finitum eſſet, & regnum & filiorum eius Carlomanni & *Pipini* roboratum eſt imperium. Tunc quippe Domino opitulante ac ſuggerente ſancto Bonifacio Archiepiſcopo, religionis Chriſtianæ confirmatum eſt teſtamētum, & orthodoxorum *Patrum* ſynodalia ſunt in Francis correcta inſtituta, cunctaq; Canonum auctoritate emendata atq; expiata; & tam laicorum iniuſta concubinarum copula, partim exhortante ſancto viro, ſeparata eſt, quàm etiam Clericorum nefanda cum vxoribus cōiunctio ſeiuncta ac ſegregata. Tantusq; in ſupradictis Ducibus diuinæ charitatis, per doctrinam ſancti Bonifacii feruor exarſit, vt plebem quidem à peruerſa inolitæ conſuetudinis cenſura multum liberarent, qua proprio implicata arbitrio, & hæreticorum decepta ſuggeſtione, iura æternæ hæreditatis amiſerat. Adeo enim ſpiritualis in populo doctrinæ lucem hæreticorum ſuffocauerat ſecta, vt tenebroſa hæreticæ deceptionis caligo magnam ſiquidē plebis obtexerat partē, ex qbus quidē *Elberchtus & Clemens à via veritatis populum profana pecuniarum cupiditate ſeducti, iugi auerterunt ſtudio. Sed à S. Bonifacio Archiepiſcopo, conſentientibus Carlomanno & *Pipino* Ducibus glorioſis, ab Eccleſiæ vnitate expulſi, iuxta Apoſtolum traditi ſunt ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini. *1. Cor. 5.*

H. Eldeberchr

CAPVT X.

Qualiter per omnem ætatem ſuam prædicationis ſtudium exercuit, & quali hũc mundum fine dereliquit.

*quatenus.

CONuenientibus in vnum Epiſcopis, ac Preſbyteris, Diaconibusq́, ac Clericis, omniq́; gradu Eccleſiaſtico, quos inclitæ recordationis Carlomannus Dux ſub regni ſui imperio adſciſcere fecit* quater ſynodale factũ eſt concilium, in quo Bonifacius Archiepiſcopus Mogũtiæ ciuitati ipſo Carlomaño conſentiente ac donãte, põtificatu præſidẽs, Romanæ Eccleſiæ ſedisq́; Apoſtolicæ legatus, quatuor primitus principaliũ ſynodorũ numeroſa canonũ conſtituta, primũ miſſus à S. & venerabili ſedis Apoſtolicę Pontifice Gregorio juniore, à primo ſecũdo, & Gregorio à ſecũdo juniore, cũ primo tertio, viro honorabili, ob ſalutare doctrinæ cæleſtis augmentũ admonuit cõſeruare. & quẽadmodũ in Nicena Cõſtantino Auguſto orbis Monarchiã gubernante, Arriani euerſa eſt perfidia blaſphemiæ. Et 150. Patrum, Theodoſio ſeniore Conſtãtinopoli imperante, cõgregatio quendã Macedoniũ, Spiritum S. Deũ eſſe refutantẽ, condemnauit. Atq́; 200. Epiſcoporũ vnitas ſub Iuniore Theodoſio apud Epheſinam vrbẽ aduẽtata, Neſtoriũ geminas in Chriſto perſonas ꝓfitentẽ à Catholica iuſto anathemate ſegregauit Eccleſia; nec non & Chalcedonẽſis Synodi DCXXX. Sacerdotũ conuentio Eutychen Conſtantinopolitanæ vrbis Abbatem, & Dioſcorũ defenſorem eius, Catholicæ fidei rebellantes juxta præfinitam Patrũ ſententiam anathematizauit; ita equidem apud Franciam omnium funditus eradicata hæreticorum perfidia, & extirpata iniquorum coniura-

iuratione, legis diuinæ augerentur incrementa, & ſynodales generalium Conciliorum canones reciperentur, ſynodalisq; ſpiritualis conſilii Epiſcoporum congregatio iuxta præfinitam authenticæ cõſtitutionis diffinitionem pariter conuenirent. Quæ ob quotidianas bellorum ſuſpiciones, & infeſtã circumuallantiũ barbararum gentiũ ſeditioné, quam extraneorũ alieni Franciã populorũ ꝓdones atrociter demoliri conabantur, vel minimè facta eſt, vel etiã tanta erat obliuione tradita, vt omni penitus obliterata præſentium ſeculorum memoria, iam nulla eſſet ratione cognita. Cui mundus quotidiè in ſe naturaliter ſui detrimentum diminutionis, ſaltim etiam recuperatus, patitur, nõ renouatus ſiquidem per omnia ſuo euaneſcit diſpendio, & ad prædeſtinatum anhelando finem feſtinat. Quapropter ſi quæ in hac mortali huius peregrinationis vita ad communem in hoc mundo infirmãtium profectum ab ſpiritualibus medicinaliter ſunt cõperta authoribus, etiam ſi quandoq; humanis inſerta fuerint mentibus, magna ſunt in vnitionis fortitudine à Catholicis conſeruanda, & præfixa mentis imobilitate tenenda, ne vel obliuio humana obrepat, vel etiam mundanæ delectationis illecebroſa delectatio diabolo inſtigante præpediat. Quam ob cauſſam ſanctus hic Domini Antiſtes hac ſollertiſſimæ ſollicitudinis cura inſpiratus plebem à peſtifera tortuoſi ſerpentis perſuaſione eripere curauit, & Carlomannum Ducem ad congregandum ſupradictum Synodorum conuentum ſæpiſſimè incitauit, vt tam præſentibus, quàm poſteris ſpiritualis ſcientiæ ſapientia pateſceret, & auerſa animarum circumuentione cognitio Chriſtianitatis innoteſceret. Cumq; quoddã canonicæ rectitudinis ſpeculum omnibus ad exemplum gradibus benè viuendi opponeret, & euidens cunctis

veritatis veſtigium oriretur, iam ſibi ſuæq; infirmitati lõgæuo ætatis ſenio decrepitus ſalubre exhibuit conſilium & iuxta Eccleſiaſticæ diſpoſitionis normulam paſtorale populis præuidit magiſterium, vt ſiue viuente illo, ſiue moriente medicinali plebs paſtorum officio minimè careret, & duos bonæ induſtriæ viros ad ordinem Epiſcopatus promouit *VVillibaldum & Burchardum, eisq; in intimis Orientalium Francorum partibus & Baioariorũ terminis Eccleſias ſibi commiſſas impertiendo diſtribuit, & Willibaldo ſuæ gubernationis parochiam commendauit in loco, cuius vocabulum eſt EICHSTAT, Burchardo verò in loco, qui appellatur * VVirzaburg, dignitatis officium delegauit, & Eccleſias in confinibus Francorum & Saxonum atq; Sclauorum ſuo officio deputauit, & vsq; ad glorioſum exitus ſui diem inceſſanter arctam regni cœleſtis viam plebibus patefecit. Cum verò Pipinus, Domino donante, regale Frãchorum, felix ſupradicti Germani ſucceſſor, regnum ſuſcepit, & iam aliquãtulum ſedante populorum perturbatione, in Regem ſubleuatus eſt, cœpit anxius vota Domino deuota perſoluere, & ſynodalia confeſtim recuperare inſtituta, ac canonica à germano ſuo iuxta exhortationem S. Bonifacii Archiepiſcopi fideliter inchoata inſtaurare miniſteria, eũq; habitu ſimul & honore præferre, & ſuis in Domino parere præceptis. Sed ſanctus vir infirmitate corporis prægrauatus ſynodalia conciliorum conuenticula per omnia adire non poterat, iam conſultu atq; conſilio glorioſi Regis idoneum proponere miniſtrum ſupradicto gregi definiuit, & LVL ſuum ingenioſæ indolis diſcipulũ ad erudiendum tantæ plebis numeroſitatẽ conſtituit, & in Epiſcopatus gradum prouehit atq; ordinauit, eiq; hæreditatem, quam in Chriſto inſtanti implicauit labore, acqui-

H. VVilibaldũ

**H. VVirzaburch.*

Digitized by Google

quieſcerat, qui & fidelis in Domino comes peregrinationis eius erat, & teſtis vtrobiq; paſſionis & conſolationis. Dum autem ſeruum ſuum Dominus de huius mundi vellet tentatione eripere, & temporalis vitæ tribulationibus ſubleuare, tunc etiam Domino diſpenſante definitum eſt, vt ad Freſiam olim corpore, non quidem mente omiſſam ſeruis Dei ſecum migrantibus perueniret, vt vbi primitus prædicationis ſtudium ingrediens, præmiorum inchoauerat incrementa, etiam è ſæculo rediens ſumptus reciperet remunerationis. Sed miro quodam modo vaticinii præſagio ſequentem ſui obitus diem prædicto Epiſcopo prænuntiauit, & quali mundum fine demum relinqueret, inſinuauit, eiq; per ordinem de Eccleſiarum ſtructura, & populi doctrina propoſuit, dicens: Ego enim propoſitum pergendi iter complere cupio: Ego me à deſiderato proficiſcendi itinere reuocare non potero: iam enim inſtat reſolutionis meæ dies, & tempus obitus mei appropinquat. Iam enim depoſito corporis ergaſtulo æternæ retributionis reuertar ad brauium. Sed tu fili mi chariſſime ſtructuram in Thuringia à me cœptam Eccleſiarum ad perfectionis terminum deduc, tu populum ab erroris inuio inſtantiſſimè reuocatamq; ædificationẽ baſilicę iam inchoatæ ad Fuldam comple, ibidemq; meum multis annorum curriculis corpus inueteratum perduc. hisq; completis ſermonibus, adhuc ampliora huiuſmodi addidit verba, & ita inquiens ait: Fili tua cuncta prudentiſſimo prouide conſilio, quæ in hoc noſtro ſint vſui itinere copulanda. ſed & linteum, quo meum decrepitum inuoluatur corpus, in theca librorum meorum repone. Dum enim præfatus tantæ querelo ſitatis antiſtes ſuſpiria non ferens, ſed ſtatim ſe in lacrimas dediſſet, iam S. Bonifacius finito colloquio ad alia rediit, & diebus non

multis interpoſitis accepto ſe minimè retraxit itinere, ſed ſumptis ſecum conuiatoribus nauē aſcendit, ac per Rheni fluminis alueum penetrans, nocturna portuū nauigio exquiſiuit loca, donec aquoſa Freſonum arua ingrediens, trans ſtagnum, quod lingua eorum dicitur Elmere ſoſpes peruenit, infœcundaque diuino germine littora inſpiciendo circuit, dumq; periculoſum fluminum, mariſque & ingentium aquarum euaſit diſcrimen: in periculum iam ſine periculo incedit, gentemq; paganam Freſonū viſitaret, quæ interiacentibus aquis in multos agrorū diuiditur pagos, ita vt diuerſis appellati nominibus vnius tamen gentis proprietatem prætenderint. Sed quia longum eſt, vt per ordinem replicentur, eos tātum de nomine denudare ſtudemus, quæ ad narrationis noſtræ ſeriem veraciter proferuntur, vt & locus & lingua relatam à nobis beati viri ſanctimoniam æqualiter prodat, & quali hunc mundum fine deſereret, aperiet. Per omnem igitur Freſiam pergens verbum Domini, paganico repulſo ritu, & erroneo gentilitatis more deſtructo, inſtanter prędicabat, Eccleſiaſq; *minimè confracto delubrorū ingenti ſtudiò fabricauit, & multa iam millia hominum virorum & mulierum, ſed & paruulorum cum commilitone ſuo Chorepiſcopo Doban baptizauit, quem ad ſubueniendum ſuæ ſenilis ætatis debilitate Freſonis iniūcto ſibi Epiſcopio in vrbe, quæ vocatur TREHET, ſurrogauit, & Preſbyteris ac Diaconibus, quorum hæc ſunt nomina; VVintrung & VValtheri, ſimul & Helheri, ſacerdotali presbyteratus officio præditus, Hammit & VVaſa leuitanum obſequio deputatur VVacchar & Gundvvacchar, Illehere & Bathovvlf monaſteriali Monachorū ordine ſubleuatis, cum etiā in tantū vitæ æternæ ſemē cum S. Bonifacio latè per populū diuulgantes, Dn̄o Deo patrocinan-

* nomine.

te:

te diffamauerunt, vt quibus juxta Apoſtolicæ inſtitutionis normam cor erat vnum, & anima vna, vna eademq́; palma eſſet Martyrũ, & remuneratio triumphi. Poſtquã igitur fidei, vt prædiximus, per Freſiam illuxerat ſplẽdor, & felix ſanctitatis huius vitæ appropinquaret finis, iam quidem ſecus ripam fluminis, quod dicitur Bordne, quod eſt in confinibus eorum, qui ruſtica dicuntur lingua Oſtar & VVeſter, ad quæ ſuorum tantum ſtipatus clientum numero erexit tentoria; ſed quia feſtũ confirmationis Neophytorum diem, & nuper baptizatorũ ab Epiſcopo manus impoſitionis & confirmationis populo prædixerat, iam longè lateq; diſperſo ad propriã vnusquisq́; reuerſus eſt domum, vt ſecundum definitam S. Epiſcopi ſententiam vniuerſi prædeſtinato confirmationis eorũ die præſentarentur. Cum autem prędictus dies illuxiſſet, & auroræ lucis orto jam ſole prumperet, tunc etiam verſa vice ꝓ amicis inimici, & noui deniq; lictores pro nouitiis fidei cultoribus aduenerant, hoſtiumque ingens in caſtra vibrantibus armis haſtata & ſcutata irruerat multitudo. Tunc repentè ex aduerſo pueri è caſtris proſilientes vtrobiq; ſe armis impetunt, & ſanctos, contra intentatum, poſtmodum Martyres, furentis populi exercitum defendere geſtiunt. Sed vir Dei ſtatim audito tumultuantis turbæ impetu, accito ad ſe Clericorum Clero ſumptis Sanctorum reliquiis, quas ſecum indeſinenter habere cõſueuerat, è tentorio procedit, & confeſtim increpãdo pueris pugnę interdixit certamen, dicens, Ceſſate pueri à conflictu, pugnæq; deponite bellũ, quoniã teſtimonio ſcripturæ veraciter erudimur, & ne malũ ꝓ malo, ſed etiam bonum pro malis reddamus. iam enim diu optatus 1. Theſſ. 5. adeſt dies, & ſpontaneum reſolutionis noſtræ tempus immi-

imminet. Confortamini igitur in Domino, & permiſſionis ſuæ gratiam gratanter ſufferte, ſperate mecum, & liberabit animas veſtras. Sed & aſtantes tam Presbyteros, quàm etiam Diaconos, inferiorisq; ordinis viros Dei ſubditos ſeruitio pari admonens voce, ait: Viri fratres, forti eſtote animo, & ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam ſine fine manentem necare non poſſunt, ſed gaudete in Domino, & ſpei veſtræ anchorá in Deum figite, quæ extemplo perpetuæ reddet vobis remunerationis mercedem, & cœleſtis aulæ ſedem cum ſupernis Angelorum ciuibus condonat. Nolite vos vana, huius mundi delectatione ſubiicere, nolite caducis gentilium adulationibus delectare, ſed ſubitaneum hic conſtanter ſubite mortis articulum, vt regnare cum Chriſto, poſſitis in æuum. Cumq; tali doctrinæ hortamento diſcipulos ad coronam martyrii affabiliter incitabat, confeſtim furens ſuper eos paganorum tumultus cum gladiis cunctæq; militiæ armatura irruit, & felici Sanctorum cæde corpora cruētauit, ſtatimq; mortali iuſtorum mulctata carne tripudians gentilium turba ...., ſuæ damnationis prædam arripuit, caſtraq; depopulans manubias diripiendo impertiuit. Sed & Thecas, in quibus multa inerant librorum volumina, & reliquiarum capſas abſtulit * mag. ſed ita tam auri argentiq; copia credens ad naues, quibus quotidianus Clericorum ac puerorum victus, & aliquantulum adhuc reſiduum eiuſdem ſtipendii vinum, obſeratis vt erant vaſculorum clauſtris, aſportauit, ac repentè comperto adamato liquoris hauſtu, cœpit guloſam ventris ſatiare ingluuiem, & vino madidum inebriare ſtomachum, tandemq; acceptis prædę ſpoliis inito conſilio mirabili omnipotentis Dei diſpoſitione tractare, & qualiter non viſum quidem aurum vel argentum

tum

cum inter ſe inuicem diſpertiretur conſulere, cumq; pro-
lixius tentata perſonarum æſtimatione ſermocinaret, iã-
que iurgiorum diſceptatio exorta eſt, & tanta diſcordiæ
demum inimicitiæ inchoata, vt furore etiam inſaniæ in
...... turba in duas diuiſa eſt factiones, & ad extremum
arma, quibus ſancto .... martyres iugulaue-
runt in ſeipſos crudeliter pugnando verterunt. Tunc itaq;
maxima inſanientis turbæ parte proſtrata iam qui ſuper-
uixerant ad lucrum animarum vitæq; damno acquiſitum
iacentibus aduerſariis, qui ſibi ſuper deſiderato cupidi-
tatis theſauro obſiſtebant, gaudentes cucurrerunt, & cum
fractis librorum repoſitoriis etiam pro auro volumina, &
pro argento diuinæ ſcientiæ chartas repererunt, ſicq;
pretioſo auri argentiq; pretio priuati, Codices quos inue-
nerunt alios per campi planitiem diſperſerũt, alios ſiqui-
dem paludum arundineto inferentes, alios etiam in di-
uerſis quibusq; locis abſcondentes proiecerunt; ſed tam
omnipotentis Dei gratia, quàm etiam precibus S. Boni-
facii ſummi Pontificis atq; Martyris ...... intemerati
magnoperè .... lapſo temporis ſpatio reperti ſunt,
& ad domum in qua vſq; hodie animarum proſunt ſaluti
à ſingulis quibusq; inuentoribus remiſſi. Carnifices au-
tem ſuper æſtimatæ amiſſione pecuniæ contriſtati domũ
reuerſi maiorem domeſticarum rerum poſt trium indu-
tias dierum damnum, ſed & vitæ diſpendium mortis re-
cepta talione perceperunt: quia omnipotens mundi cõ-
ditor ac reformator vlciſci ſe noluit de inimicis, & fuſum
pro ſe Sanctorum ſanguinem conſuetæ miſericordiæ ze-
lo puniri, ac diu protelatam idolorũ cultoribus iram no-
uo recentis malitiæ furore permotus publicè oſtendere:
cumq; in prouiſa ſanctorum Martyrum temporalis inter-
emptio exin, per pagos ac vicos, omnemq; prouinciam

volitaret, repentè Chriſtiani, corporali comperta Martyrum morte, maximam congregantes expeditionem .... finium terminos prompti poſtmodum futuræ vltionis bellatores expetunt, & reuoluta ſupradicta dierum ſupputatiõe infideliũ ſoſpites, ſed indeuoti hoſpites aggrediuntur terram, ac paganos oĩs è diuerſo obuiantes ingenti ſtrage proſtrauerunt. Sed qui pagani primi populi Chriſtiani impetu obſiſtere non valebant, in fugam ſiquidem verſi magna etiã clade corruerunt, & terga vertentes vitam ſimul cum inteſtina eorum ſuppellectili, & hæredibus perdiderunt; ſicq; ſaltem Chriſtiani ſuperſtitioſorum tam vxoribus, quàm etiam filiis, nec non ſeruis & ancillis deprædatis ad propria redierunt, ſicq; modo mirabili, vt ſuperſtites gentilium accolæ præſentibus cõfracti malis æterna potius tormenta fidei fulgore illuminati deuitarunt, & præfati antiſtitis doctrinæ documentum, quod eo viuente renuerunt, etiam moriente, diuinæ increpationis moderamine perterriti, ſuſceperunt. Corpus verò B. Pontificis proſperis velis, ventorumq; flatibus trans fretum quod dicitur Aelmare; ſed & aliorum Martyrum poſt dies non multos perductum eſt ad ſupradictam vrbem, quæ dicitur TRECHT, ibiq; conditum ac ſepultum, donec à Maguntia religioſi & fideles in Dño fratres à Lullo Epiſcopo, ſucceſſore quidẽ huius S. Pontificis & Martyris Chriſti, directi nauigio ad perducendũ beati viri cadauer, ad Monaſterium, q̃ eo viuente cõſtruxerat, & ſecus ripam fluminis, quod dicitur Fulda, ſitum eſt, aduenerunt. Quorum vnus, qui & auctor itineris, comitatusq; aliorum extiterat, ſingularem ſanctimoniæ, ac priuatam caſtimoniæ continentiæq; gerebat vitam, nomine Hadda, cui priuatim præfatus præſul legationis huius nuntium, ſanctiq; corporis aductionẽ cum fratribus

ſecum

ſecum proficiſcentibus impoſuit, vt maior ſancto reuerētiæ viro deuotionis impenderetur honor, & plurimorum amplius teſtificatio in his, quæ auditu vel viſu perciperēt, præualeret: cumq; honorabiles tam ſanctæ conſocietatis fratres ad prædictam vrbem peruenerunt, tunc quippe aliquantula eis obuiam populi erat cōgregata collectio, eiusdēq; vrbis præfecti eis audientibus, quemadmodum à glorioſo Rege Pipino exiuit edictum, intonuit interdictū, & ne inde prædicti Pontificis corpus amoueretur indictū eſt. Sed quia omnipotentis magis, quàm hominū conualeſcit fortitudo, mirabile ſtatim ac memorabile cunctis aſtantibus, angelica magis quàm humana peractū cognitione, auditū eſt miraculū, ac Eccleſiæ, quæ Gloccum in ſignum admonitionis ſancti corporis humana non contingente manu cōmotum eſt, ita vt omnes repentino timoris pauore procul ſeu maximo tremore obſtupuerūt, & justi huius reddendū eſſe corporis proclamauerūt, ſicque ſtatim redditū eſt corpus, & à prædictis ſanctæ recordationis fratribus cū pſalmis hymniſq; honorificè ablatū, ac ſine remigantiū labore triceſima obitus ſui die perductū eſt ad ciuitatē ſupradictā Magontiam, miraq; Dei omnipotentis prouidentia factum eſt, vt vno eodemq; die, ſine ſtatuto prædefinitionis tempore quaſi ad ſtatutum prædeſtinationis diem tam legati ſanctum deferentes corpus, quàm etiam de longinquis longè lateq; regionibus multi virorū ac mulierū fidelium ad ſancti viri mortis obſequia conuenerant. Sed & ſupradictus Dñs Antiſtes tam venerandæ dignitatis ſucceſſor, qui regali illo in tempore præſens erat palatio, huius omnino ignarus cauſæ, aduentuq; ſancti corporis inſcius, ad ciuitatem, quam prædiximus, velut ſub .... momento

peruenit tantaq; omnibus altitudine aduenientibus, vel etiam eiusdem vrbis ciuibus & doloris incubuerat mœſtitia, & gaudii excubuerat lætitia, vt etiam tanti perfecta Pontificis temporanea corporis morte, & amicum carnaliter dolerent, & futurum ſibi ſuisq; in poſterum perpetualiter patronum * excederent. Quapropter geminis his cauſis exiſtentibus compuncti cordibus cum Presbyteris ac diaconibus omniq; gradu Eccleſiaſtico ad eum, quem viuens prædeſtinauerat locum, perduxerant, & nouo in Eccleſia confecto ſarcophago ex more ſepelientes poſuerunt, omnibusq; ritè peractis redierunt, & fidei robore confortati ad propria peruenerunt. Sed in loco vbi ſanctum poſuerunt corpus diuina deinceps beneficia redundabant, & ſancti viri precibus ij, qui ad eundem diuerſis infirmitatibus obſeſſi .... locum ſalubre tam corporum, quàm etiam mentium remedium conſequũtur; Ita vt alii iam toto corpore præmortui, pænéq; per omnia exanimes, vltimum tamen interim exhalantes ſpiritum, priſtina redditi ſunt ſanitate; alii verò luminibus cæcitate preſſis ſuum recipiunt viſum; alii quidẽ diaboli laqueis adſtricti etiam mentes accepti, & inſanientes animi poſtmodum detinent integritatem, & priſtina dediti ſalute, laudantes glorificant Dominum, qui ſuum dignatus eſt ſeruum tanto munere decoratum ditare & honorare, & præſentibus ac ſecuturis ſæculorum temporibus coruſca miraculorum patefactione oſtenſa quadrageſimo peregrinationis eius anno reuoluto glorificare, qui & Incarnationis Domini ſeptingenteſimus quinquageſimus quintus annus cum indictione octaua computatus. Sedit hic in Epiſcopatu annos 36. menſes 6. & dies 6. Et ſic ordine ſupraſcripto die Nonarum .... Martyrii triumpho remuneratus migrauit ad Dominum.

*for. excolerẽt.

Digitized by Google

num, cuius eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ENumeratis igitur beati viri geſtis, quibus in infantia & pueritia vel adoleſcentia & iuuentute, aut etiam in ſenectute floruerat ad ea, quæ poſt emenſam huius mundi metam, & felicem vitæ iſtius decurſum mirabiliter annuendam mortalibus beati viri vitæ ſanctitatem, Domino cooperante peracta ſunt, redeamus, & memorabile quoddam miraculum, populisq; imitabile ad memoriã reducimus, quod & à glorioſo Rege Pipino, ſicut ipſis ſibi referentibus, qui huic præſentes erant miraculo, compertum eſt, & ad nos vſq; per venerabilem virum Lull. Epiſcopum delatum eſt. Atq; ita ipſo nuntiante intimatum, quod in loco, vbi quondam pretioſus S. Martyris effuſus eſt ſanguis cum conſilio plebis, atq; ingentis partis populi Freſonum ſtructuram cuiuſdam tumuli propter immenſas Ledonis ac Malinæ irruptiones, quæ diuerſo inter ſe ordine maris æſtu Oceaniq; recurſu, ſed & aquarum diminutiones, infuſionesq; commouentur, ab imo in excelſum vſq; conſtrueretur, ſuper quem deniq; *Eccleſiam*, ſicut poſtea geſtum eſt, exſtruere cogitabant, ac ſeruorum Dei habitationem in loco eodẽ collocare. Sed cum præfatum colliculi opus iam ex integro ædificarent, & omne quippe ædificium ipſius ſtructuræ complerent, etiam ad ſe reuerti, quod incolæ habitatores loci ipſius de inſulſæ penuriæ lymphæ, quæ per omnem Freſiam maximam, tam hominibus, quàm etiam animantibus difficultatem gignit, inter ſe inuicem diſputarent. Tum demum vnus Domino miſerante, qui officium præfecturæ ſecũdum indictum glorioſi regni Pipini ſuper pagum locumq; illum gerebat, & princeps

 ope-

operis ipſius erat nomine Abba, ſumptis ſecum collegis, equum aſcendit, ac circumagrato calce, tumuloq; inſpecto, repentè cuiusdam caballus pueri ex improuiſo tantum pedibus terræ impreſſis, ruinæ penitus caſura tentabatur, anterioribusq; humo infixis, crutibus volutabatur, donec ii, qui agiliores ſolertioresq; extiterãt, deſcenſis ſuis præproperè caballis, æquum terræ inhærẽtem extraherent. Sed ſtupendum ſtatim, ac ſpectaculo dignum iis, qui aderant, oſtenſum erat miraculum, & limpidiſſimus extra conſuetudinem illius terræ fons miræ ſuauitatis guſtu indulcatus prorumpebat, & per incognitos penetrans meatus profluebat vt riuus iam maximus eſſe videretur. Quo obſtupefacti miraculo, exultantes atq; alacres domum reuerſi, ea quæ viderunt, plebibus diuulgauerunt.

In Hagiologio Georgii Vicelii habentur hæc verba in fine vitæ S. Bonifacii à S. VVilibaldo ſcriptæ.

Ego Wilibaldus Epiſc. &c. vitam & paſſionem Bonifacii conſcripſi, primum in ceratis tabulis, ad probationem Lulli & Megengaudi. Poſt eorum examen, in pergamenis reſcripſi. Atq; hoc in loco, qui dicitur ſancti Victoris extra muros Moguntiæ, vbi Lullus & Rabanus vacabant orationibus, &c.

FINIS.

NO-

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES IN LIBRVM VVILLIBALDI DE VITA S. Bonifacii.

NB.

Codicem Rebdorfenſem ſignamus litera, R. Alberti verò Hungeri, litera H.

IN *Prologo. fol. 341. v. 12. literali ſcientia*] H. literarum ſcientiæ.

f. 342. v. 1. quod ſi dignum] H. qui ſi d.

v. 9. noſtro vid. conatu] R. veſtro.

v. 14. obtuſam] R. obtunſam.

fol. 343. v. 7. dialecticum] Secuti ſumus hic Apographum Alberti Hungeri. Nam m. ſ. Rebdorfenſis ita habet: dialecticũ m. o. m. m. quatuor quæ logica expreſſit ratiocinatione libros, q̃ hucusq; Eccleſiarũ inſerta bibliothecis.

v. 18. inſolentia] R. inſolertia.

CAPVT I.

COdex Rebdorfenſis non habet numerum capitum, licet habeat titulos capitum. Nos ſequimur H.

f. 344. v. 15. poſteris tradiderunt.] H. poſteris tradentes.

f. 345. v. 7. puſillanimitas] R. puſillaninitas.

v. antepenult. anxius] R. annexius.

f. 346. v. 12. Adeſtancaſtre] Adoſcancaſtre.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

fol.347.v.9 Poſtquam igitur] Hic H. correctius, quem ſequimur. Nam R. ita legit: Poſtquam ætas & mira in eo ſcientia prævaluit fortitudo, infantiæque ſeptem, puerilis adueniente decore ætatis, euoluuntur anni, magna ſiquidem m. &c.

v. 21. ſuperna] H. ſuperni adiumenta protectoris, diuinaq; donorum incrementa.

v.23. pædagogio] R. pædagogo m. c. profectus.

f.348.v.17. Cumq; voto ſimul] H. Cumq; voto & ſimul & mente omnipotentis.

v. 21. Nhutſtelle] H. Nhucſcelle.

v. 25. contubernia] H. contubernium.

f.349.v.3. ſubiectorum] Hæc vox in R. abeſt.

ib.v.18. caritatis] R. Caſtitatis.

f.350.v.1. abnegabatur] R. abnegata.

CAPVT III.

fol. 350. v. 16. parſimonia] R. parſimoniam & continentiam.

ib. v.23. per ſanctorum] H. qui priſcorum.

ibi. v. 25. præuium] R. primum.

f.351. v.29. acceſſit] Hæc vox in H. abeſt.

f.352.v.6. vtriusq;] R. veterisq;.

CAPVT IV.

fol.352.v.12. ad Cent.] H. Canthuarienſem: rectè tamen R. Cent. nam patet ex Anglicis Scriptoribus, Cantuariam dictam eſſe Cent ſeu Kent. quod probatur ex ipſo m. ſ. H. vbi legitur paulo poſt: proſpero itinere peruenit ad Cent. R. peruenit ad Cantuariam.

ibid.v.14. collecta] H. Collata.

f.354.v.antep.nautarum nauiter] R. nouiter n. q. e. c. nauclerio aggreſſus.

f.355.v.11.peruenit ad Trech] R. peruenit ad Trech, ibique aliquantis diebus aduenientem Regem Ratvvodum allocutus eſt, & multis illarum allocutus eſt Turapotum Regem, circumuallatis ac conſpectis terrarum partibus, vtrum.

ib.v.20.ſed quia ſanctorum] H. ſed quia priſcorum.

CAPVT V.

abnegando renuit] H. retinuit.

f.358.v.7.oſtia citius fluminis] R. oſtia eius fluminis, quod dicitur Tuent.

ib.v.9.in Cuentavvich] R. Tuentavvich.

ib.v.18.conſiderinalium] H. contribulium.

ib.v.27.dictus [illegible]] H. minor.

ib.v.[illegible] [illegible]] H. & anxius deſiderio deſudaſſet, aperuit.

CAPVT VI.

Titulus huius capitis non eſt in R.

f.359.v.22.Italiæ fines adiit] R. Italiæ fines adiit, allocutus cum [illegible] Rege, [illegible] Longobardorũ Regem [illegible]andum pacificis ſ. m. c. & h. ab eo ſuſceptus laſſata exhibere membra requieſcebat.

f.360.v.[illegible]] H. ſuorum.

ib.v.17.religioſo Dei omnipotentis cultu incaluerunt] Hæc verba in R. aberrant.

ib.v.penult.repentem] vterq; codex habet repentem, fortè leg. repentè.

f.362.v.3.tangi] fortè leg. tanti gradum contradixit honoris.

Digitized by Google

CAPVT VII.

In R. titulus capitis 7. non erat.

f. 63. v. 12. doctrina edocti] H. educati.

ib. v. 16. Detic] H. Decttic vid. & Deoruulf. Othlonus in vita S. Bonifacii vocat Dietichum & Dierolphum.

ib. v. 29. Binnan] H. Bynnan. Othlonus: Binnam.

f. 364. v. 7. plurima ob conſilium] H. plura.

ib. v. 12. reuerſus chartam] R. vitioſè, aduerſus.

f. 365. v. 3. otioſum] R. otium.

ib. v. 10 Lateranum] R. Lateranem.

ib. v. 21. voluiſſet] H. inualuiſſet.

CAPVT VIII.

Titulus huius capitis non eſt in R. ſed; jubactim ita legit: ſubiugauit: Cumq; etiam diu per longos &c.

f. 367. v. 7. percipere renuerunt] H. vitioſè: percipere retinuerunt.

ib. v. 14. arborem quandam.] H. roborem quendam.

ib. v. 16. robur Iouis] H. roboriobis. R. Roburionis. Legēdum ſine dubio: Robur Iouis.

ib. v. 28. credentes reddiderunt] ardentes.

f. 368. v. 16. Tortbuine] H. Tiorchtvvine, Berchthere, *E*anbercht. & Hunrod. Othlo in vita S. Bonifacii Dorchvvinus, Bertherus, Eanberhertus, & Humodus.

f. 369. v. 1. Ordorp] R. conſtructum eſt, quæ dicitur Ordorp.

dioceſeon] R. dioceſeos gubernationis.

CAPVT IX.

Titulus huius capitis non eſt in R.

f. 371.

Digitized by Google

f.371.v.15. in Haßis & in Thuringia] H. in Laſſis & in Thyringia.

ib.v.22. juniore ſecundo] H. minore ſecundo.

f.372.v.28. ſuperſpeculatoris] R. ſuper ſpeculationis.

ib.v.30. Quartus Viuilo qui ſ. P. e. ſ. i. o. dignitatem] Hæc ex H. nam R. non habet iſta verba.

f.373.v.6. finitum eſſet r.] H. futurum e. r. & f. e. Charlomanni & Pipini r.

CAPVT X.

Huius capitis titulus non erat in H.

f.374.v.4. quatenus ſynodale] R. quater ſ.

f.376.v.23. inſtaurare myſteria] R. miniſteria. Quæ ſequuntur, illa in m. ſ. H. perierunt, quæ vtinam non periiſſent, optima fide exſcripta, ex quibus multa errata & lacunæ potuiſſent emendari.

FINIS.

Digitized by Google

OTHLONI
FULDENSIS
PRESBYTERI
ET
MONACHI

Libri duo
DE VITA
S. BONIFACII
MARTYRIS,
GERMANORUM APOSTOLI,
ARCHIEPISCOPI Moguntini.

NUNC PRIMUM INVENTO auctoris nomine, ſine compendio & ſtyli mutatione, ſed prout ab ipſo conſcripti ſunt, editi ex membranis manuſcriptis Monaſterij Rebdorffenſis, prope Eichſtadium.

Digitized by Google

Ad Lectorem

SVrius, qui plurimum de Antiquitate Eccleſiaſtica meritus eſt, habuit codicem, in quo hi duo libri de S. Bonifacio continebantur; ſed ſine auctoris nomine. Qui cur hactenus ſemper anonymus permanſerit, facilè cauſam ex ipſo auctoris Prologo colligimus: ipſe ſcilicet nomen ſuum premi anxiè voluit, vt illorũ hominum & temporum mos erat, qui in nominis & honoris contemptu partem ſanctitatis poſuere. Hæc enim ipſe:

Quis ſim, qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam ſcitis, nolite precor dare multis,
Ne perſona mei vilis faciat mea ſperni.

Sed beneficio diuino accidit, vt ſuperfuerit codex m. ſ. quem Monaſterium Rebdorfenſe ſuppeditauit, in quo eſt titulus & nomen auctoris, adeoq; noua auctoritas huic præclaro monumento conciliatur. Sur. tom. 3. die 5. Iun. edidit ſtylo mutato & contracto, exceptis Epiſtolis. Sed quia de Antiquitate benè mereri cupimus, ſumma fide, ne verbulum quidem mutando, damus. *P*orrò, quia in II. libro, præter *E*piſtolas, parum eſt, in *E*piſtolis autem Surius non mutauit ſtylum, ideo eas, quas Surius edidit, hîc non cudimus, ſed notamus varias lectiones. Alias tamen, quibus noſter m. ſ. codex auctior eſt, adiicimus. Primum verò librum integrum, prout in codice m. ſ. eſt, nullo verbo, quod velim, immutato ponimus. Tu candide lector, boni conſule, & poteris conferre cum his ea, quæ Baronius tom. 9. ex codice m. ſ. citat de Epiſtolis ſancti Bonifacii.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS VENERABILIS PRESBYTERI OTHLONI & † Monachi S. Cœnobij Bonifacij in vitam ipſius.

PEtitionibus veſtris, fratres Fuldenſes, prout ſcientiæ meæ permiſit paruitas, parere ſtudui: petiſtis enim vt S. Patris noſtri Bonifacii vitam præcipuo quidem elegantique, [illegible] S. VVillibaldi ſtylo antiquitus editam, ſed in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, vt difficile pateat, quo ratio tendat, hanc ego ſententia apertiori reſerarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot patribus peritis, tam inter vos, quàm circumquaque commorantibus, hucuſque relictis, mihi imperito, & liberalis ſcientiæ admodum ignaro, tam arduum opus iniungere, vel excogitaueritis, pro nihilo duxi. Deinde cum quidam ex vobis mihi referret, jam antea pro eodem opere laboratum fuiſſe apud ſanctum Leonem Papam, ita vt non-

nullos

nullos libros vnde plenius ad hoc inſtrueretur Abbas Egbertus, ſcriptoremque ei ſimul Romam transmiſiſſet, ipſosq; libros eo defuncto, & opere petito minimè expleto ibi remanſiſſe, tunc miſertus talium appoſui aliquid, animum volens ſcilicet implere petita, ſi vlla aſtipularetur ſcientia. Cumq; diu velle mihi adiaceret, perficere autẽ in me non inuenirẽ, dicebã vobis, quod vellem, quodq; nequirem. ſed vos, vt ſcitis, eadem crebrò repetiſtis, dicẽtes, ſi mihi tantummodo ſolida ineſſet volũtas, à Dño cætera præſtari. exhortatione eiuſmodi ſæpè incitatus, tãdem tentaui veſtros implere precatus, confidens in eo quàm maximè, qui dixit, Aperi os tuum, & ego adimplebo illud: qui & ſicut in paucis ſæpè victoriam præſtans, ſic etiam in imperitis peritiã tribuens, gratiæ ſuæ potẽtiam oſtendit. Hæc autem ideo præmiſi, ne quis me forſitan tantũ opus vltrò arripuiſſe per arrogantiã arbitratus diceret, magnæ præſumptionis eſſe cauſam, illa quæ à quolibet ſancto viro, vtcunq; fuerunt prolata, ab vllo deinceps quaſi emendatore in aliud transferri; quaſi non ipſa ſanctorum prophetarum, ſanctiſſimiq; Euangelii dicta multis obſcuritatibus inuoluta à nonnullis ſcriptoribus in aliam linguam, vel in apertiorem ſententiam fuerint tranſlata. His itaq; prælibatis contra detractores vniuerſos, quibus nihil eſt dulcius, quàm alios lacerare, aliis laqueos ponere in via, qua ipſi nolunt incedere, iam deinde lectori pandere cupio; quia id mihi maximè fuit ſtudii in opere iſto, vt ſententiam eandem verbis apertioribus proferrem, exceptis his, quæ ob ſui difficultatem & obſcuritatem inueſtigare penitus nequiui. Intantum autem faciliora ſequebar, vt ſicuti probari poteſt, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui ſpectaculum facti ſumus mundo, nodoſa & perplexa oratio?

Et

Habeant amatores ſapientiæ ſæcularis Tullium, nos imperiti & ignobiles, deſpecti & contemptibiles, ſequamur Christum, qui non Philoſophos, ſed piſcatores elegit diſcipulos. Inter hæc illud notum facio dilectioni veſtræ, quia cum in ipſo libro, quem me explanare petiſtis, inſpicerem plurima, tam miraculorum, quàm epiſtolarum inſignia non haberi, quæ in aliis libris inueni, molitus ſũ ex ipſis colligere, & in locis, quæ oportuna videbãtur, inſerere. fortaſſis enim ille venerandus vir, qui vitam S. Bonifacii inprimis ſcripſit, virtutes eius multas, epiſtolaſq; neſciens, prætermiſit. Sed mihi conſideranti literas omnes, quas de eo habetis, in nullis maior tanti præſulis authoritas, quam in epiſtolis ab ipſo vel ad ipſum directis videtur eſſe. Ibi namq; apertiſſimè inſpicitur, quanta veneratione primitus fuerit ſuſceptus à Pontifice Romano, qualiterq; eum ordinatum miſerit ad prædicandum cũctis Germaniæ populis, quanto etiam labore eandem Germaniam ad Chriſti fidem conuertit, & quòd non ſolum à paganis & hæreticis, ſed etiam à pſeudochriſtianis & prauis Sacerdotibus eam velut à luporum morſibus eripuerit; quantam gratiam à Francorum Principibus Karlomanno ſcilicet & Pipino, obtinuerit, qui poſtquã eum Eccleſiæ Mogonciacenſi præſulem decreuerat, eãdem, quæ prius Eccleſiæ alteri ſubdita erat, pro illius amore ſimul & honore, metropolim totius Germaniæ, Apoſtolico Pontifice conſentiente, effecerit, quot ſedes Epiſcopales ſtatuerit, quæ priuilegia quibuſdam Eccleſiis obtinuerit. Poſtremò & illud ibi ſpeculatur, quod etiam vobis modo peropus eſt, quomodo corporis ſui locum, Cœnobium videlicet veſtrum, poſſeſſionibus & decimis ſpecialibus ſublimauerit. Tanta igitur authoritas licet à modernis quibuſdam Sacerdotibus adnulletur, cõ-

S. Wilibaldum intelligit.

tinget tamen eis in teſtimonium damnationis, quod ſcientes terminos antiquos, & ſanctorum Patrum decreta non debere transgredi, ſummoperè transgrediuntur, obliti verborum illorum, quæ Dominus ad electos paſtores vel Doctores in Euangelio dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Neque enim hæc verba de præcedentium temporum rectoribus ſolummodo dicta ſunt, ſed etiam de illis, qui vsque ad conſummationem ſæculi Eccleſiam ſuam ſunt recturi, non deſtructuri. Nam de deſtructoribus & peruerſis paſtoribus Dominus alibi dicit, Væ vobis legisperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, & ipſi non intraſtis, nec alios intrare permiſiſtis. Et rurſum: Væ vobis Hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & grauiora legis præcepta reliquiſtis, hoc eſt, judicium, miſericordiam, & fidem. Hęc oportuit facere, & illa non omittere. Multa quoq; in Ezechiele Propheta huiuſmodi paſtoribus dicuntur. Sed ſi placet, interrogemus eoſdem paſtores, quomodo velint ſua roborare, ſi præcedentium Patrum ſtatuta judicauerint eſſe deſtruẽda; vel quomodo ædificium ſuperpoſitum ſtare poſſit, ſi fundamenta eis ſunt eiicienda. fundamenta namq; Eccleſiæ ſuæ primi Patres fuêre, ſicut ſcriptum eſt: fundamenta eius in montibus ſanctis. Quicunq; igitur lapidum ſuperpoſitorum fundamenta talia ſequi dedignatur, de ædificio cœleſti eliminatur. Ad hæc etiam dicamus quoddam argumentum, ꝙ omnibus conſtat notũ. Si quis itaq; ditionis ſuę ſyluam extirpandam ꝓ agri cultura aggrediatur, quantæcunq; longitudinis & latitudinis voluerit agros exinde ſibimet metitur, aliis verò nõ ea, ſed qua vult menſura partitur, habens poteſtatem vnicuiq;, prout vult diuidere. Cum ergò hoc ita eſſe ſciatur ab omnibus, cur

Luc. 10. — Luc. 11. — Matt. 23. — Pſal 86.

cur rogo ignoratur, quod primi principes Eccleſiarum Apoſtoli ſcilicet, omneſq́; qui eorum veſtigia ſequentes, vnicuique genti ſacram fidem primitus tradiderunt, extirpatis errorum variorum ſyluis, in quibusdam populis ac prouinciis poteſtatem habuerunt poſſeſſiones vel decimas, quæ ſibi contingebant, illi & illi *E*ccleſiæ donare; quandoquidem juxta ſanctorum Canonum decreta decimas in quatuor portiones diuidentes, vnam ſibi, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam reſtaurandis *E*ccleſiis tradiderunt? Nunquid auaritiæ ſuæ tantummodo conſulentes in diſtributione decimarum obliti ſunt pauperum, reſtaurationiſq́; Eccleſiarum, ſicut modo, proh dolor, cernimus agi? Canones enim ſancti, ex quorum authoritate exiguntur decimæ, non ſolum decimas dari, ſed etiam inter varios jubent diſtribui; vt in vrbibus quibuſlibet, & vicis, xenodochia habeantur, vt pauperes & peregrini alantur. *S*ed tam ſanctum, tam neceſſarium præceptum in plurimis locis non ſolum minimè curatur, ſed etiam pænè ignoratur. Nam ſolummodo illud legitur, quòd *E*piſcopis decimæ ſint tribuendæ: quid verè exinde agendum ſit, vel ſi quidquam aliud curandum ſit circa Monaſteria, tam à Clericis, miſerabile dictu, quàm à Laicis deſtructa, * circaq́; judicia Chriſtianæ religionis ſubuerſa, obliuioni ſeu ignorantiæ commendatur. Vnde vereor ne de præſentis tēporis rectorib. auaritia inexplebili corruptis Pſalmiſta ꝓphetizans, dixerit: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. cum .n. nihil dicendū ſit corruptū, niſi ꝙ prius fuit integrū; rectores vel paſtores, quiq; in hoc ꝗdē dici poſſūt fuiſſe integri, qꝛ à Deo ſapiētia omnimoda ad judicium verum faciendū erant inſtructi; ideo autem

citraq;.

Pſal. 13.

corrupti, quia non ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſed juxta lucri obtinendi quantitatem judicant. Atq; vtinã ipſi paſtores tantummodo dedignarentur pauperibus decimas diuidere, & non alios quosdam, Monachos dico, apud quos aliqua adhuc huiuſmodi cura exercetur, prohiberent; moliti antiquæ traditionis decimas ab eorũ jure auferre. Cur igitur S. Bonifacius, cui Deus tantam in omni Germania poteſtatem contulit, vt quouis vellet Eccleſias, cœnobiaq; fundaret, ſedes Epiſcopales ſtatueret, parochiasq; earum diuideret, non cuilibet loco, quem ſibi ſpecialiter elegit, poſſeſſiones & decimas aliquas donare potuit? Nonne per eandem auctoritatem, qua moderni Pontifices militibus, aliisq; ſæcularibus hominibus decimas dare ſolent, Sanctus Bonifacius Monachis vel pauperibus erogare easdem potuit? ſi reliqua eius ſtatuta videntur ſancta, ſi omnia quæ Canonicis diſtribuit, ſunt laudanda, cur quæſo hoc ſolum quod Monachis & pauperibus dedit, decernitur iniuſtum? Heu, heu, quod is, cui plurima diuitibus dare licuit, licentiam dicitur non habere pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obſtupeſcite cæli, orbis quoq; terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo doleant, quia mundus iam in maligno poſitus eſt adeò, vt eis viuere inuideat, illos extinguere ſtudeat, qui ad hoc ſpecialiter electi, & ſegregati ſunt de mundo, vt maiori ſtudio intercederent pro ipſo. Sed huius querimoniæ interiectio jam finiatur, vt ad id, vnde receſſimus, ſtylus reuertatur. Dixi namq; prius, quod iterum dico, quia inter omnes literas, quas de S. Bonifacio habetis, Epiſtolæ illius mihi præcipuæ viderentur. Vnde quaſcunq; huic operi neceſſarias inuenire potui, in vnum colligere ſtudui, ſperans aliquem æmulum, & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde poſſe ædificari.

Proin-

Digitized by Google

Proinde & vos fratres Fuldenſes vnicè peto atq; admoneo, vt easdem *E*piſtolas intentione ſumma legatis, Deo ſupplicantes, vt per eius preces, à quo vel per quem ſcriptæ ſunt, quiq; vt in eis legitur, ſanctam Eccleſiam in Germania poſitam, maximo labore à prauis Sacerdotibus quondam eripuit, nunc etiam à ſimilium poteſtate vos locumq; veſtrum defendere dignetur. Duos autem libellos, adiuuante Domino, tam de vita ſancti viri, quàm de epiſtolis ſupradictis ſcribere geſtio; in priori quidem referens quis fuerit, quidq; ante acceptam Mogonciacēſis *E*ccleſiæ ſedem in ſancta Eccleſia laborauerit: in altero verò, quæ poſtea vſq; ad finem vitæ ſuæ glorioſum egerit.

Quis ſim qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam ſcitis, nolite precor dare multis,
Ne perſona mei vilis faciat mea ſperni.
Sit magis hoc ſtudium vobis depoſcere Chriſtum
Vt ſibimet placita maneant præſentia ſcripta.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER
DE VITA ET VIRTVTIBVS S. Bonifacij Archiepiſcopi & Martyris.

CVM gens Anglorum ſacræ fidei iugo per S. Gregorii Papæ Apoſtolatum ſubdita, eius ſuffragantibus meritis, in ſanctorum virorum procreatione præ multis nationibus ſplendere cœpiſſet, multaq; lumina ſanctæ Eccleſiæ, quibus variæ cordium obcæcationes illuſtrarentur, protuliſſet, inter huius mundi lumina ſanctum quoq; Bonifacium velut luciferum quêdam, cęteris ſideribus clariorem, huic mundo edere meruit. Qui nimirum magna parentum ſollicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum, per incrementa temporum, amator eſt factus. Nam cum adhuc paruulus eſſet, ſi quem fortè Clericum vel laicum verbi diuini notitiam deferentem audire contigiſſet, mox quantum ætatis ſuę teneritudo præualuit, quid ſibi ſuæque qualitati exinde profectuoſum foret, tractare cœpit. Cumq; ita meditatione diuturna ſeſe ad ſuperna erigeret, patri etiam ea, quæ animo gerebat, reuelauit, & vt ſuæ conſuleret volun-

luntati, rogauit. Audiēs hæc autē pater eius, primū obſtupuit, deinde eum increpans, nunc minis, nunc verò blandimentis ad ſæcularis vitæ curam impellere ſtuduit. Ad hæc etiam, vt eius animum adhuc tenerum à concepti perfectione propoſiti facilius declinaret, promiſit ſe poſt vitę ſuæ tempora, eum & prædiorum, & omnium rerum ſuarum hæredem facturum. Præterea proteſtatus eſt lubricæ ætati, humanæq; fragilitati tolerabiliorem eſſe actiuam vitam, quàm contemplatiuam, meliusq; eſſe inter mediocres vel extremos regni cœleſtis ciues quemlibet ſtudiis facilioribus contubernium quęrere, quàm per maxima, & pænè impoſſibilia perfectionis certamina incipere, deinde verò, dum ea nequit percurrere, in via deficere. Sed puer ſanctus virtute diuina iam plenus, quāto magis eum pater reuocare ad ſæcularia ſtudebat, tanto conſtantius in inceptis perdurare, & ad ſacrarum literarum notitiam pertingere anhelabat. Vnde miro diſpenſationis judicio factum eſt, vt pater, qui ſolus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, priſtinā mentis pertinaciam deponeret, puerumq; per legatos idoneos ad Monaſterium, quod priſco nuncupatur vocabulo *Adeſcancaſtre dirigeret, commendās eum VVolfhardo, venerabili eiusdē Monaſterii Abbati, à quo ꝓtinus ſicut monaſticus ordo poſcebat, benignè ſuſcept⁹, fratribus cōmendatus, vniuerſa religionis munia, quæ huiuſmodi ætas ꝑmiſit, benè cœpit, meliusq; de die in diē cōpleuit. Poſtquā verò pueritiæ años trāſcendit, in tātum ſe venerabiliū inſtitutis Patrū, & ſacræ lectionis ſubdidit exercitio, vt q̄buslibet momentis augerētur in eo multarū inſignia virtutū, impleretur q; in illo, q̄ Pſalmiſta de quorundā ꝑfectu teſtatur dicēs: Ibunt de virtute in virtutem. Deniq;

* Sur. Adeſcancaſter.

Pſal. 83.

Deniq; cum inceſſabili ſacrarum ſcripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ diſciplinam ſub præfati Abbatis gubernatione, per annos plures cuſtodiret, ibiq; tam pro deſiderii ſui quantitate, quàm Doctorum penuria, in lectione diuina ſatiari nequiret, cum conſenſu Abbatis, fratrumq; ſuorum, ad Monaſterium, quod

Sur. Nutſcelle vſq; hodie dicitur Nuiſcelle, peruenit, & beatæ memoriæ VVinberti Abbatis, qui venerabiliter eidem Monaſterio tunc præfuit, Magiſterium elegit. Vbi tandem tam Grammaticæ artis, metricæq; ſubtilitatis, quàm ſpiritualis intelligentiæ deſiderata eruditione potitus, adeo in hac pollere cœpit, vt eius ſcientiæ fama vndiq; diuulgata, ad ipſum etiam alij cauſa diſcendi confluerent. Veruntamen ex tantæ ſcientiæ dono ſeſe nullatenus extollebat, nullum minoris ingenii ſpernebat, ſed quanto maiori vel literatoriæ intelligentiæ, vel aliarum virtutum excellentia à Deo præ cæteris promouebatur, tanto humilior, tanto deuotior ad eius compaſſionis & ſubiectionis ſtudium ſentiebatur, recolens jugiter illud Sapi-

Eccl. 3. entis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus.

Cum ergo eo, quo diximus, niſu, & ipſe alios humilitate ac ſubiectione præueniret, & illum alii ſapientiæ eius rumore incitati, vel ipſius ſaluberrima doctrina inſtructi, mutuo honore præuenirent, vt patrem, vniuerſis in eius laudem conclamantibus, atq; ad ſingulos Eccleſiaſtici ordinis gradus eum promouentibus, tandem ad ſacerdotalis officii dignitatem XXX. aut eo amplius annos habens eligitur. Suſcepta verò Sacerdotii dignitate, qualem ſe exhibuerit, in vtriusq; hominis contritione, vt ſacramenti cœleſtis dignus fieret participatione, melius colligitur ex operum ſuorum teſtimonio, quàm vllo verborum judicio. Eodem verò tempore regnante

in

Digitized by Google

in Weſt-Saxonum Rege, noua quædam ſeditio in partibus illis exorta eſt, pro qua compeſcenda ſtatim prædicti Regis præcepto, primatumq; ſuorum conſilio ſynodale ſeruorum Dei ſtatuitur Concilium. Quo dum omnes conuenirent, & diſſenſionis exortæ cauſam diffinirent, ſapientibus quibusdam placuit, vt vniuerſa ibi diffinita ad Archiepiſcopi venerabilis Cantuariæ ciuitatis, qui dictus eſt Berthvvaldus, notitiam deferrent. Cui Rex vnà cum omnium Clericorum atq; Laicorum multitudine conſentiens, ſciſcitatus eſt, quis potiſſimum huius legationis delator eſſe potuiſſet. Tunc præcipuus inter eos Archimandrita VVinberth, cuius ſuperius mentionem fecimus, & VVintra, qui Monaſterio * VVeſſesburch dicto præſidebat, & Beorvvart, qui cœnobium, quod Gleſtingaburch nuncupatur, regebat, nec non & alii multi venerabiles viri ſanctum Bonifacium accitum adduxerunt ad Regem, dicentes, eum legationi tantæ idoneum. Moxq; commiſſa à Rege legationis eiusdem cauſa, adhibitisq; ſecum ſociis, profectus eſt ad Cent, & Archiepiſcopo prænominato ſapienter, quemadmodû edoctus erat, omnia per ordinem intimauit, & poſt non multos dies reuerſus, præfato Regi, ac prædictis ſeruis Dei ex legationis commiſſæ reſponſo ſtrenuè peracto, magnum vniuerſis contulit gaudium. Qua de re nomen eius tam apud ſeculares, quam apud Eccleſiaſtici ordinis viros celebre habebatur, adeò vt poſtmodum in eorum ſynodali ſæpiſſimè peteretur intereſſe conuentu. Sed quia mens eius Deo jam dedita, & ab omni humano fauore fuerat ſequeſtrata, cœpit omni modo tractare, qualiter parentum affiniumq; ſuorum conſortia relinquere, & ad aliqua procul poſita loca pro Chriſti nomine poſſet transmigrare. Cumq; hæc ſecum diutiſſimè tra-

Sur. Beretvvaldû, vel Brichtvvaldum.

Sur. Tieſſesburg.

ctaret ſolertiſſimeq; deliberaret, tandem ad prædicti Abbatis notitiam detulit, & cum ad voluntatis ſuæ conſenſum magna precum inſtantia declinare ſtuduit. Qui licet talia admirans diu poſcenti obſtiterit, licentiamq; huiuſmodi negauerit, poſtremo tamen, prouidentia diuina prædeſtinante, conualuit ſermo petentis, & tantam Abbatis, fratrumq; ſuorum deuotionem ſimul & curam adoptato itineri habere meruit, vt ei neceſſaria quæq; pro viatico impenderent, variasq; ſupplicationes cum lacrimis prolatas pro eo agerent, poſtulantes, vt Angelus Domini bonus comes eius vbiq; eſſet, eumq; ad proſpera cuncta dirigeret. Ad hæc etiam duos fratres, quorum corporali, ſpiritualiq; iuuamine ſuſtentaretur, ſecum abire permiſerunt. Sicq; vtriusq; hominis ſupplemento ſuffultus, proſpero curſu profectus eſt, peruenitq; ad locum, qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur Lundenuuic, ac non multo tranſacto poſtliminio, tranſiit ad Dorſtet, ibiq; aliquandiu commoratus, debitas Deo perſoluit die noctuq; laudes. Sed quoniam per idem tempus hoſtilis diſſenſio exorta inter Karolum Principem glorioſumque Ducem Francorum & Ratbodum Regem Freſonum, populos ex vtraq; parte perturbabat, maximaque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum prius in Freſia ſubiectæ erant imperio, Ratbodi perſecutione incumbente, idolorum culturæ lugubriter reddebatur: Ideoq; vir Dei, perſpecta tantæ peruerſitatis mole, ex illis partibus diſceſſit, & peruenit ad Trecht, ibiq; etiam commoratis aliquantis diebus, aduenientem Regem Ratbodum allocutus eſt, obſecrans, vt à tanta prauitate, quieſceret. Poſt hæc verò peragratis illius terræ partibus ſollicitè explorauit, ſi alicubi in ea prouincia prædicationis pateret locus: cumq; diu-

turna

Digitized by Google

turna inquiſitione intelligeret, ſe fruſtra ibidem prædicando laboraturum, arida ſpirituali fertilitate arua reliquit, & ad natale ſolum transmigrauit. Interea accidit, vt Monaſterii ſui pater, depoſito carnis ergaſtulo, vitam præſentem finiret. Cuius obitu fratres nimium contriſtati, ſed à beato viro ſpiritualibus colloquiis lætificati, & vt regularis vitæ normam conſeruantes, patrem quẽlibet ſpiritualem eligerent, omnimodo inſtructi, omnes ipſum ſanctum, qui eo tempore VVinfrid dicebatur, vnicè precabantur, vt paſtoralem ſuper eos ſuſcipere curam dignaretur. At ille altiora quæq; in animo gerens, non eorum preces vllo ſuperbiæ faſtu deſpexit, ſed quæ intentio ſua eſſet, humiliter pandens, quod ſcilicet deſpectis cunctis patriæ facultatibus atq; honoribus, pro Chriſti amore, proq; aliorum ſalute peregrinari vellet, cum omnium charitate & licentia fratrum vota ſua obtinuit. Et vt eiſdem votis maior authoritas eueniret, adiit etiam ipſius loci Epiſcopum venerandum, nomine Danielem, petẽs, quatenus eius benedictione, & literis commendatitiis ad Romam profecturus vti mereretur. Quam petitionem Epiſcopus idem, nutu diuino inſtinctus, benignè ſuſcepit, efficaciter compleuit. Nam paſtoris prouidi intentionẽ gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum orbatæ congregationi præeſſe fecit: & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca deſiderata cum literis dimiſit. Tali igitur benedictione ſuſcepta protinus valedicens fratribus, proficiſcitur per longa terrarũ ſpatia, perq; ignotas maris vias, donec collecta vndique nõ modica multitudo ſeruorũ Dei, eodẽ Spiritu feruentium, ad eum conueniret. Hi ergò omnes vnanimiter per ſingulos dies multas Sanctorum Eccleſias adierũt, obſecrãtes, vt opitulante Deo tutius alpiũ iuga trãſcẽderẽt,

Longobardorumq; ferocitatem erga ſe leniorem ſentire mererentur. Cumq; vniuerſa ferociſſimæ gentis diſcrimina illæſi pertranſirent, atq; limina beati Petri Apoſtoli proſperè adirent, ſtatim debitas Chriſto grates perſoluunt, ibiq; abolitionem peccaminum, atq; itineris ſui fœlicem exitum deprecantes, ſperata ſuffragia inuenerũt. Nam poſtquam ſanctus vir venerabilem ſedis Apoſtolicæ præſulem, nomine Gregorium; qui eiusdem nominis ſecundus tunc habebatur, allocutus, ei aduentus ſui cauſam manifeſtauit, & quali deſiderio diutius deſudaſſet, aperuit. Mox idem præſul hilari vultu intuitus in eum, inquiſiuit, an literas ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet. At ille concitus chartam ex more inuolutam proferens, dedit Apoſtolico. Apoſtolicus verò acceptis lectisq; literis, & comperto ſancti viri deſiderio, ſedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reuerenterq; eum ibi commorantem retinens, pro qualibusque Sanctorum reliquiis poſtulabat, illi tradidit. Ad hæc etiam illi committens in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi tradidit Epiſtolam, cuius exemplar tale inuenitur:

Gregorius ſeruus ſeruorum DEI *Bonifacio religioſo Preſbytero.*

EXigit manifeſtata nobis religioſi propoſiti tui piè in Chriſto flagrantis intentio, & approbata ſinceriſſima fidei tua prolata relatio: vt ad diſpenſationem verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comminiſtro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia ſacras lite-

literas didiciſſe, profectusq; indolem ad augmentum crediti cœlitus talenti proſpectu diuini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cœleſtis oraculi in labore ſalutiferæ prædicationis, ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei inſtanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ, & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmiſſi conatus pium affectum vsq; ad Apoſtolicæ ſedis modeſta prouiſione perduxiſti conſultum, vt membrum ex membro proprii corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisq; arbitrio humiliter te ſubmittens, & eius directioni iuſto tramite properans * ſolidati compaginis plenitudo exiſtas. Ideo (Sur. ſoliditati.) in nomine indiuiſibilis Trinitatis, per inconcuſſam auctoritatem beati Petri Apoſtolorum Principis, cuius doctrinæ Magiſterio fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ Religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne ſalutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quaſcunq; gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente, potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per ſpiritum virtutis & dilectionis ac ſobrietatis prædicationem vtriusq; teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam deniq; ſacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere ſtudeas ex formula officiorum ſanctæ noſtræ ſedis Apoſtolicæ, inſtitutionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis vt volueris intimare curabis. Bene vale. Data Id. Maij imperante Domino piiſſimo Auguſto * Leone à Deo coronato. Anno III. Imperii eius indictione II.

Sur. Leone II Alii vocant tertium.

His literis acceptis à venerabili Papa profectus eſt inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, à quo honorificè ſuſceptus aliquandiu cum eo eſt hoſpitatus. Profectus verò exinde, ardua & prærupta alpium juga tranſcendit, incognitosq; *Bagoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans, in Turingiam deuenit, conſiderans & explorãs in omnibus inſtar prudentiſſimæ apis, vbi poſtmodũ nectaream ſanctæ fidei dulcedinem colligere poſſet. Cũq; per aliquot dies in Turingia cõmoraretur, interim omnes illius ꝓuinciæ principes verbis ſpiritualib⁹ alloquens, ad ſacræ fidei agnitionem, totiusq; religionis tramitem reuocauit. Sed & Sacerdotes, quos ſceleribus variis deditos comperit, ſermonibus Euangelicis admonens, ad inſtitutionis Canonicæ normam correxit. Interea verò audita Ratbodi Freſonum Regis morte, qui perſecutionem magnam per idem tẽpus in Chriſtianos exercuit, magno repletus gaudio in Freſiam nauigando deuenit, ibiq; verbi diuini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. Sub eodem quoque tempore per venerabilẽ VVillibrordum Traiectẽſis Eccleſiæ præſulem buccina cœleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit. Cuius ſtudio ſanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in deſtruendis fanis, quàm in conſtruendis Eccleſiis, omnibusque negotiis diuinis. Vnde factum eſt, vt quia prædictus Pontifex ætate jam decrepita grauatus, ſuggerentibus diſcipulis, ſolatium ſuæ ſenectuti prouidere cupiebat, hunc Dei famulum ad Epiſcopalis regiminis ſuſcipiendum gradum, regendumq; ſibi commiſſum populum vnicè obſecraret. Sed ille talia humiliter reſpuens, minimè ſe dignum eſſe Epiſcopali gradû referebat; & ne ſibi in annis adoleſcentiæ

*Sur. Baioariorum.

adhuc

adhuc conſtituto tantæ dignitatis faſtigium imponeret, precibus omnibus inſtabat; atteſtans etiam, quia, juxta canonicæ inſtitutionis præcepta, necdum quinquageſimi anni ætatem, qui huius gradus culmini conueniret, pleniter reciperet. Prædicto verò Pontifice blandis illũ verbis increpante, & ad ſuſcipiendum Epiſcopatus ordinem inſtigante, diuerſisq; pro hac ſpirituali contentione verbis inuicem prolatis, hic ſanctus vir in tanto agone poſitus, placidum tandem excuſationis ſermonem protulit, dicens: Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, ſancte Præſul, ſuſcipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam, ob euangelizandi cauſſam directus ſum, ipſiusq; legationis gratia in has barbaras nationes aduenient, ſponte me tuæ gubernationis imperio ſubieci. Tantum ergò mandatum præterire, & aliud quodlibet negotiũ ſubire nullatenus p̃ſumo. Vnde Pater venerande, obſecro, vt in illas Regiones, ad quas à præſule Apoſtolico miſſus ſum, cum tua gratia ſimul & licentia tranſire merear. Hæc audiens ſanctus VVillibrordus, data benedictione, permiſit eum abire. Ille verò exinde proficiſcens, peruenit ad locum, cui nomen eſt Amanaburg, Deum vbiq; habens conuiatorem; cuius etiam virtute atq; protectione ſuffultus, quocunque perrexit, vbiq; ſacræ doctrinæ notitiam dilatauit. Cumq; ingentem populum Domino in Freſia prædicando acquireret, multique ab eius ſpirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis peruenirent, adeò, vt ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, Dietih videlicet & Dierolf, Domino Deo auxiliante obtinens, collecta non pauca fratrũ congregatione, monaſteriũ cõſtrueret. Tũc etiã alias Germaniæ partes p̃dicandi cauſa adiit,

Sur. Dietichus & Dierolphus.

adiit, Heſſones videlicet in Saxonum confinio poſitos. Quos cum ſimiliter à paganicæ ſuperſtitionis cultu magna ex parte conuerteret, multaq; millia hominum baptiſmatis ſacramento abluiſſet, miſit quendam ex ſuis fidelem nomine Binnam ad Romam cum literis, denuntians venerando præſuli Apoſtolico vniuerſa, quæ circa illum diuina pietas egerit, quantaq; multitudo hominum ſancti Spiritus gratia illuſtrata, regenerationis lauacrum ab eo ſuſceperit. *S*ed & de rebus variis, quæ ad quotidianam regulæ Eccleſiaſticæ neceſſitatem, populique nouiter conuerſi curam pertinebant, prudenti interrogatione conſcripſit. *P*rædictus verò legatus cuncta ſibi commiſſa fideliter complens, Apoſtolico præſuli miſſas detulit literas, aliasq; ab illo ſuper vniuerſis quæſtionibus propoſitis, continentes reſponſa Magiſtro ſuo deferens quantocius rediit. Cum autem ſanctus vir delatas legiſſet literas, ſeq; inter cætera inuitatum ad Romam intellexiſſet, mox ſummum obedientiæ gradum contendens, clientum, fratrumque circumſeptus agmine Italiæ fines adiit. At Romanæ vrbis mœnibus inſpectis, omnipotenti Deo condignas gratiarum laudes retulit, ſeſeq; beatorum Apoſtolorum patrocinio commendauit. Deinde comperto ſancti viri aduentu, ſtatim venerabilis *P*apa Gregorius illum ad ſe inuitauit, & verbis familiaribus ſalutatũ honorifico xenodochio deputauit. Adueniente verò oportuno collocutionis eorum die, ad Eccleſiam beati *P*etri Apoſtoli hic Dei famulus inuitabatur. Vbi cum ſe mutuis ac pacificis ſatiaſſet colloquiis, præſul Apoſtolicus illum de ſymbolo, fideiq; Catholicæ traditione inquiſiuit. Ad hæc vir Dei reſpõdit, dicens: Quia Domne Apoſtolicæ inquiſitioni tantæ in communi ſermone idoneus non ſum reſpõdere, quæ-

Digitized by Google

ſo, vt fidei, quam à me exigis, conſcribendæ tempus mihi concedas, ſicq; mutis tantum literis denudatam agnoſcere valeas. Quam petitionem cum Papa benignè ſuſciperet atq; concederet, paruo dehinc tempore tranſacto, vir Domini ſanctæ atq; Catholicæ fidei ſententiam omni conuenientia & eloquentia prolatam literis præfato Principi obtulit. At ille lectis eisdem literis, eum juxta ſe ſedere fecit, & vt huiuſmodi fidem conſtanter retineret, diligenter edoceret, admonuit. Multa quoq; de religione ſpiritalis vitæ cum illo conferens, ita vt interdum integrum pænè diem colloquendo ducerent. Ad extremum, quod populi per deuia idololatriæ, vel facinorum prius oberrantes, fidei documenta prædicatione perciperent, ſciſcitatus eſt. Cumq; Apoſtolico de his omnibus ſatisfeciſſet reſpondendo, tunc ille intimauit ſancto viro, quia Epiſcopatus gradum ſibi imponere voluiſſet, vt eo conſtantius errantes quoſlibet corrigere, & ad viam veritatis conuertere poſſet, quò maiori authoritate Apoſtolicæ dignitatis fulciretur, eſſetq; cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus clareſceret, quia ad hoc à præſule ordinatus eſſet Apoſtolico. Quæ omnia vir Dei ſagaciter perpendens, ſimulque cauens quod ſcriptum eſt: Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo, benedictionis tantæ gratiam non recuſauit. Pſal. 108.

Adueniente ergò ordinationis eius die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc eſt, in natali ſancti Andreæ Apoſtoli, impoſuit ei venerabilis Papa & Epiſcopatus ordinem, & alterius nominis, quod eſt Bonifacius, dignitatem, nam antea VVinfrid dicebatur. Deinde vt eum ad obedientiam ſibi, ſucceſſoribusq; ſuis exhibendam, nec non ad omnem ſacræ fidei traditionem

Digitized by Google

obſeruandam arctius conſtringeret, exegit & accepit ab eo juramentum, quod ſcilicet in antiquis exemplaribus inuenitur ita ſcriptum.

In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante domino Leone Magno Imperatore, anno VII. poſt conſulatum eius, ſed & Conſtantini Magni Imperatoris eius filii anno IIII. Indictione VI. promitto ego Bonifacius Dei gratia *E*piſcopus, tibi beate *P*etre Apoſtolorum princeps, Vicarioq; tuo beato Gregorio *P*apæ, & ſucceſſoribus eius, per *P*atrem, & filium, & Spiritum ſanctum, trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimũ corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe, ſine dubio comprobatur. nullo modo me contra vnitatem communis & vniuerſalis *E*ccleſiæ, ſuadente quopiam, conſentire, ſed, vt dixi, fidem & puritatem meam atq; concurſum, tibi & vtilitatibus tuæ Eccleſiæ, cui à Domino Deo poteſtas ligandi ſoluendiq; data eſt, & prædicto Vicario tuo atq; ſucceſſoribus eius per omnia exhibere. *S*ed & ſi cognouero Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum Patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem; ſed magis, ſi ualuero prohibere, prohibeam; ſi minus * nec fideliter ſtatim domno meo Apoſtolico renuntiabo. Quod ſi, quod abſit, contra huius poſſeſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione, tentauero, reus inueniar in æterno judicio, vltionem Ananiæ, & *S*aphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumſerit. * Hoc autem indiculum *S*acramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens

Matt. 16.

Hæc vox, nec, abeſt ap. Sur.

Act. 5.

Sur. Hanc autem indiculũ

nens ſupra ſacratiſſimum corpus ſancti Petri, ita vt præſcriptum, Deo teſte & judice, feci ſacramentum, quod & conſeruare promitto.

Poſtquam ergò huiuſmodi promiſſionem jurando coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipſe eum in omnibus adiuuare, præferre, & venerari ſtuduit. Nam libellum, in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ Inſtitutionis jura, pontificalibus digeſta conuentibus, habebantur, ei donauit; præcipiens, vt tam Clerus, quàm cæteri populi, ſuo regimini ſubiiciendi, inſtitutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem ſedis Apoſtolicæ ſibi omnibusq; ſibi ſubiectis perenniter reſeruandam priuilegio confirmauit, ſicque eum literis tranſmiſſis non ſolum Karolo Duci glorioſo, qui per idem tempus Francorum regnum gubernabat, ſed etiam vniuerſis Eccleſiaſticis viris, Principibusque in Germania conſtitutis, muniendum commendauit. literarum autem tunc miſſarum exemplaria, quia locus præſens exigit, vt inſerantur, hic jam inſerere cupimus, primum quidem, quæ ad Karolum Ducem, deinde verò, quæ ad cæteros Principes directæ ſunt, ponentes.

* *Domno glorioſo Filio Karolo Duci Gregorius Papa.*

Sur. Domino.

COmperientes te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere, in multis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo dilectæ tuę dignitati, præſentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Epiſcopum conſecratum atque inſtitutionibus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, cui Deo auctore

Digitized by Google

præſidemus Eccleſiæ generali ſollicitudine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniç gentis, ac diuerſis in Orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obſcuritatibus prępeditis, neceſſariò deſtinare. Pro quibus eum glorioſæ beneuolẽtiæ tuæ omnimodo commendamus, vt in omnibus neceſſitatibus adiuuetis, & contra quoslibet aduerſarios, quibus in Domino præualetis, inſtantiſſimè defendatis; certiſſimè retinentes, vos exhibere Deo, quæcunq; huic promptiſſimo impenderitis fauore: qui ſanctis Apoſtolis ſuis, ad lucem gentium deſtinatis, Ioan. 13. ſuſcipientibus eos ſe ſuſcipiendum prædixit; quorum inſtitutionibus per nos informatus præmiſſus Antiſtes in ſorte prædicationis procedit.

*Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei vniuerſis reuerẽtiſſimis & ſanctiſſimis Fratribus, Coëpiſcopis, religioſis, Preſbyteris ſeu Diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis * caſtellis, Comitibus etiam, vel cunctis Christianis* DEVM *timentibus.*

Sur. caſtaldis.

SOllicitudinem nimiam gerẽtes pro ſpeculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga orientali Reni fluminis, antiquo hoſte ſuadente, errare quaſi ſub religione Chriſtiana idolorum culturæ eos ſeruire cgnouimus; aliquos verò, qui nec dum cognitionem Dei habentes, nec baptiſmatis ſacra vnda ſunt loti, ſed comparatione brutorum animali-

maliũ pagani, factorẽ non recognoſcunt, neceſſario pro vtrorumq; illuminatione ad prædicandum rectę fidei verbum, harum literarum portitorem Bonifacium, reuerentiſſimum Fratrem noſtrum Epiſcopum, ad eaſdẽ partes dirigere ſtuduimus, vt & illis prædicando verbum ſalutis vitam prouideat ſempiternam, & ſi quos fortè, vel vbicunq; à rectæ tramite fidei deuiaſſe cognouerit, aut aſtutia diabolica ſuaſos erroneos repperit, corrigat, atq; ſui educatione ad portum reſtituat ſalutis, eoſq; ex Apoſtolicæ ſedis huius doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere inſtituat. Cui, hortamur ob amòre Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorùm eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatium exhibeatis, eumq; in nomine Ieſu Chriſti recipiatis, vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis: Qui vos recipit, me recipit. Prouidentes inſu- Ioan. 13.
per neceſſaria itineris eius, comiteſq; tribuentes, cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit, largientes, vt vno labore & ſocia voluntate, opus ſibi creditum pietatis, & negotium ſalutis, annuente Deo, perficiatur, atq; præmium laboris percipere mereamini, * deq; conuerſatio- Sur. conuerſione.
ne æternam merces vobis aſcribatur in cœlis. Si quis itaq; huic Dei famulo, ad illuminationem gentium ab hac Apoſtolica atq; Catholica Dei Eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit, exorantibus Apoſtolorum Principibus, conſortium mereatur ſanctorum Martyrum Chriſti Ieſu. Si quis verò, quod non optamus, aduerſari eius labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit miniſterio ſibi credito, ſucceſſorumq; eius in eundẽ laborem intrantium, ex ſententia diuina anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi ſubiaceat. Data Kal. Decemb. Imperante domno piiſſimo Auguſto Le-

one, Imperii eius anno VII. Sed & Conſtantini Imperatoris eius filii anno IV. Indictione VI.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Clero & Plebi, dilectiſsimis filiis in Domino ſalutem.

PRobabilibus deſideriis nihil tarditatis præſtantes, fratrem jam & Coepiſcopũ noſtrum Bonifacium vobis ordinauimus Sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque * in literarum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut * expenitentiæ vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatum que ad ſacros ordines permittat accedere. Sed & ſi quos huiuſmodi repperit, non audeat promouere, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Miniſteria atq; * ordinatum Eccleſiæ, vel quidquid illud eſt, in patrimonio eiusdem non minuere ſtudeat, ſed augere. De reditu verò Eccleſiæ vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum vnam ſibi retineat, alteram Clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam, de quibus diuino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes verò Preſbyterorum ſeu Diaconorũ non niſi quarti, ſeptimi & decimi menſis jejuniis, ſed & in ingreſſu quadrageſimali, atque medio veſpere Sabbato ſacro nouerit celebrandas. Sancti autem Baptiſmi Sacramentum non niſi in paſchali feſtiuitate & Pentecoſte nouerit eſſe præbendum: Exceptis his, quibus

Sur. illiteratũ,

Sur. ex pœnitente.

Sur. ornatum.

more

mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire. Huic ergò ſedis noſtræ præcepta ſeruanti deuotis animis obſequi vos oportet, vt irreprehenſibile, placidumq; fiat corpus Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi filii.

Has quidem duas ſupra ſcriptas Epiſtolas communiter omnibus principibus in Germania conſtitutis, duas verò ſequentes ſpecialiter Turingis Principibus miſit prædictus Papa.

*Viris magnificis * Aſolfo, Godolao, VVilario, Cunthario, Albordo, & omnibus Deo dilectis Turingis fidelibus Chriſtianis Gregorius Papa.*

* Sur. Aſolpho, Godolao, Wiſario, Gunthario, Alboldo.

INſinuatam vobis magnificæ fidei conſtantiam agnoſcentes, quòd paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena reſponderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenus violare, repleti nimia exultatione grates debitas perſoluimus DEO noſtro, & redemptori, bonorum omnium largitori, cuius gratia comitante, vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veræ propoſitum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ religioſis mentibus adhærere, & prout opus popoſcerit, ſacræ Religionis à memorata ſancta ſede Apoſtolica, ſpirituali omnium fidelium matre, ſolatium quærere, ſicut decet filios cohæredes regni. Miniſterio quoque præſentis fratris chariſſimi Bonifacii,

cii, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte prædicationis deſtinauimus, Apoſtolicis inſtitutionibus informatum ad inſtruendam fidem veſtram in omnibus volumus & hortamur obedientes ei conſentire ad cóplementum in Domino veſtræ ſaluationis.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei vniuerſo populo Turingorum.

DOminus Ieſus Chriſtus filius Dei, verus Deus, qui de cœlo deſcendit, homo factus eſt, pro nobis pati, & crucifigi dignatus eſt, & ſepultus tertia die reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlum, diſcipulis etiam ſuis ſanctis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & Spiritus ſancti; ipſe in ſe credentibus vitam æternam promiſit. Cupientes ergò vos in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis nullus eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed gloria ſempiterna, ideo fratrem noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidem Chriſti docere, & ab errore ad viam ſalutis deducere, vt ſalutem habeatis, & vitam ſempiternam. Sed vos ei in omnibus obedite, & ſicut patrem veſtrum illum honorate, & ad eius doctrinam corda veſtra inclinate, quia illũ non pro lucro aliquo temporali acquirendo direximus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligite ergo Deum, & in nomine eius baptiſmum ſuſcipite, quia Dominus Deus noſter, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit, præparauit Deus diligentibus ſe. Iam recedite à malis operibus, & agite bene: non adoretis idola, nec immoletis

Mat. 28. Eſa 64. 1. Cor. 2.

car-

carnes; quia Deus non recipit iſta; ſed in omnibus, ſecũdum quod frater noſter Bonifacius docuerit, obſeruate, & agite, & ſalui eritis vos & filii veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter habitare, & Eccleſias, vbi debeatis orare, vt Deus vobis indulgeat peccata veſtra, & donet vobis vitam perpetuam.

Gregorius Papa vniuerſo populo prouinciæ Altſaxonum.

SApientibus & inſipientibus debitor ſum, fratres chariſſimi, ideoq; volens vos ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis & pro his, qui verbum exhortationis fidei Ieſu Chriſti Domini noſtri ſuſceperunt, & qui adhuc ſuſcepturi ſunt, vt conſolentur corda veſtra inſtructa in charitate, & in omni plenitudine ſapientiæ, annuntio vobis, quoniam propè eſt regnum Dei, vt nemo vos amplius decipiat, in ſublimitate verborum, aut in quocumq; metallo ſalutem veſtram quæratis, adorantes idola manu facta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunq; materia facta, quæ falſidica nomina à paganis antiquitus quaſi Dii facti ſunt, in quibus dæmones habitare noſcũtur. quoniam omnes Dii gentium, vt ait ſcriptura, dæmonia ſunt, Deus autem noſter cælos fecit. Quicunque Pſal. 95. autem in vobis ſuſceperit Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, in ipſo ambulent radicati, & ſuperædificati, & confirmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte ne quis vos amplius decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam. Aſtutiores enim ſunt filii tenebrarum, quàm filii lucis. Diſcedite ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum noſtrum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: & vultus Coloſſ. 2. Luc. 16.

Hhh veſtri

Digitized by Google

veſtri non erubeſcent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piſcium, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Expoliate vos veterem hominẽ, & induite Chriſtum nouum, deponentes iram, indignationẽ, malitiam, blaſphemiam, turpem quoq; ſermonem nolite de ore veſtro proferre. Iam enim adueſperaſcit dies ſæculi, & appropinquat tempus tenebrarum. Ideoq; nolite eſſe otioſi, ſed potius operamini opus bonum, vt Chriſtus habitet in vobis, & quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. I. Chriſti, gratias agentes Deo Patri per ipſum: reſpuentes gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi inſtantes, ad ipſum Dominum cor erigite: quoniam magnus eſt Dominus Deus noſter, & laudabilis nimis, & terribilis ſuper omnes Deos: qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc etiam commoneo fratres, vt quicunq; ex vobis voluerit ad Chriſtum conuerti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis, ſculptilia adorare. Miniſtrũ quoq; & Conſeruũ in Domino, quẽ miſi ad vos, Bonifaciũ fratrẽ ac Coepiſcopum meũ ad hoc ipſum vt cognoſcat, quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo, in Ieſu Chriſto Domino noſtro ſuſcipite, vt à diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari.

Col. 3.

Pſal. 95.
1. Tim. 2.

Tantarum itaq; literarum authoritate ſuſfultus ſanctus Præſul Bonifacius proficiſcitur in Germaniam, veniensq; ad præfatum Principem Karolum, literas ei Romani Pontificis detulit, ſeſeq; illius dominio atq; patrocinio ſubiiciens, cum conſenſu eius in Heſſorum metas, quib9 & antea prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergò aduenies repperit plures ex eis, relicta Chriſtianæ religionis cultura, variis erroribus implicatos. Alii namq; lignis & fontibus

bus clam vel apertè ſacrificabant, alii verò auruſpicia, & diuinationes, præſtigia & incantationes exercebant. Quidam autem alia nefanda quædam ſacrilegia intendebant, pauci verò in via veritatis, quam ſemel acceperant, perſtiterunt. Quorum etiam conſilio arborem quandam miræ magnitudinis, quę priſco paganorũ vocabulo appellabatur arbor Iouis, in loco, qui dicitur Geſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus ſuccidere tentauit. Ad eiuſmodi autem arboris inciſionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in ſanctum virum, velut inimicum Deorum ſuorum, inter ipſa inciſionis opera irruere & interficere. Sed dum arbor eadem paululum incideretur, mox quaſi nutu diuino agitata, in quatuor partes diſrupta eſt. Quo viſo pagani, qui illuc mente peruerſa conuenerant, abiicientes omnem malitiam, benedicentesq; Deo crediderunt. Tunc ſanctus Præſul conſilio inito cum Fratribus, ex illa ingentis arboris mole Oratorium conſtruxit, hocq; in honorem ſancti Petri Apoſtoli dedicauit.

His itaq; peractis, ad Turingiam quoq; profectus eſt, illiusq; populi Principes magna ex parte à Chriſtiana Religione deficientes, corrigere ſtuduit. Poſtquam enim religioſorum Ducum dominatio in eis ceſſauit, ceſſare etiam Chriſtianæ Religionis intentio cœpit, falſiq; quidam Chriſtiani, quorum nomina ſunt * Drothvvin & Bertheri, Canbereth & Hunred, inter eos hoſpitantes, maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectã. Qui ſcilicet fornicatores & adulteri cum validiſſimum aduerſus hominem Dei excitarent conflictum, veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam recompenſationis ſortiti ſunt ſententiam. Nam excommunicati & expulſi ſunt de Eccleſia.

Sur. Dorthvvinus, Bertherus Eanberbertus & Humedus.

Cum autem prædicationis eius fama vndiq; emanaret, credentiumq; multitudo excreuiſſet, Eccleſiæ inſtaurantur, Monaſteria ędificantur. Tunc etiam congregata ſeruorum Dei multitudine, conſtructum eſt Monaſterium in loco, qui dicitur Ordorf, ſub honore ſancti Michaelis Archangeli. Qui ſcilicet omnes Apoſtolico more viuentes, labore proprio victum veſtitumq; acquiſierunt. Cur autem in honore ſancti Michaelis conſtructum fuerit idem Monaſterium, breuiter dicendum. Nam cum S. Bonifacius prædicando & baptizando in Turingia tranſiret, & prope flumen, cui nomen eſt Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cœlo ſeſe protendens locum, vbi manebat Epiſcopus, circumfulſit. In qua etiam luce S. Michael Archangelus adueniens, Epiſcopo apparuit, eumq; alloquẽs, in Domino confortauit. Mane itaq; facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Miſſarum ſolemnia celebrauit. Deinde in eodem loco prandium ſibi parari pręcipiens, ſed à Miniſtro ſuo audiens, cibum, quo veſci poſſet, ſe non habere, reſpondit, Nonne qui multitudinem populi in deſerto XL. annis manna de cœlo miſſo, potuit paſcere, mihi indigno ſeruo ſuo non prævalet ad vnius diei refectionem eſcam impendere? Hæc cum dixiſſet, vt menſa ſibi apponeretur, præcepit. Interea quædam auis aduolans, piſcem talem, qui ad vnius diei refectionem ſufficeret, attulit, & ante menſam proiecit. Quo viſo, ſanctus Præſul Deo gratias retulit, piſcemq; allatum citò præparari juſſit. Illo verò præparato & comeſo, reliquias in flumen proiici præcepit. Exinde ceptum carpens iter, & Turingiam peragrans diligenter inueſtigauit, cuius ille locus eſſet, vbi viſio tanta ſibi apparuit. Compertoq;, quod Hugo, qui dicebatur ſenior, illius lo-

Digitized by Google

ci poſſeſſor eſſet, petiit ab eo, vt ſibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Turingorum, hæreditatem ſuam tradidit venerando Præſuli. Deinde verò Albolt, aliique plures contigua prædicto loco prędia tradiderunt. His igitur adeptis, S. Bonifacius rediens, in eodem loco fruteta extirpare, terramq; incolere juſſit, & jacto fundamento, Eccleſiam conſtrui fecit. Hæc autem in libro quodam antiquo ſcripta reperiens, ideo inſerere decreui, vt agnita cauſa, vnde Monaſteriū prædictum extructum fuerit, & ipſe locus, & fundator eius angelica viſitatione digni, ſub veneratione maiori habeantur.

Prædicans ergò & baptizans S. Præſul Bonifacius in Turingorum & Heſſorum regionibus, perſpexit meſſem quidem eſſe multam ibi, ſed operarios paucos, ad copioſam multitudinem credentium inſtruendam. Vnde in prouinciam, patriamq; ſuam mittens, exinde tàm fæminas, quàm viros religioſos, ſcientiaq; varia imbutos, plures venire fecit, ſuiq; laboris onus inter eos diuiſit. Inter quos erant præcipui quidem viri, Burchardus & Lullus, Willibalt, & VVunnibalt frater eius, VVitta & Gregorius; fæminæ verò religioſæ, matertera ſcilicet ſancti Lulli, nomine *Chunihilt, & filia eius *Berathgit, Chunidrut, & Tecla, Lioba & VValtpurgis, ſoror VVillibaldi & VVunibaldi, ſed Chunihilt, & filia eius Berathgit valde eruditæ in liberali ſcientia, in Turingorum regione conſtituebantur Magiſtræ, Chunitrud in * Bagoariam deſtinata eſt, vt verbi diuini ſemina ibidem ſpargeret, Tecla verò juxta fluuiū * Moin, in locis * Kihhingen & Ochſnofrutt nuncupatis, collocauit. Liobam quoque ad * Biſcofeſheim, vt illic multitudini Virginū congregatæ præeſſet, conſtituit.

*Sur. vocat Cunigildem.
†Sur. Bergitem,
Su. Baioariam
†Sur. Moganum.
†Sur. Kiſſingæ & Ochnofurti.
†Sur. Biſchofeshemium,

Digitized by Google

Cumq; millia hominum tam per ſe, quàm per ſuos prouinciales ad fidem ſacram perducta, baptiſmatis vnda diluiſſet, jam defuncto beatæ memoriæ Gregorio ſecundo, ſedis Apoſtolicæ præſule, & tertio Gregorio eandem ſedem obtinente, iterum beatus Bonifacius Romam legatos miſit, qui apud Præſulem prædictum prioris amicitiæ fœdera renouantes, omnem familiaritatis gratiam, quam ab anteceſſore ſuo habuiſſet, expeteret, omnemq; ſubiectionem, Apoſtolicæ ſedi debitam, à ſe promitteret, conuerſionem quoq; plurimorum in Germania habitantium intimarent. Poſtquam verò legati ſupradicti Romã venientes, venerabili Papæ talia denuntiabant, ſtatim Deo gratias retulit. Deinde non ſolum omnia familiaritatis & amicitiæ jura à S. Bonifacio poſtulata promiſit, ſed etiam ea, quæ minimè petiit. Idem Archiepiſcopatus palliũ direxit. epiſtolam quoq; continentem diuerſa, pro quibus interrogatus fuerat, Præſuli ſancto remiſit. Cuius exemplar ſubſequenter inſeretur.

Reuerentiſſimo & ſanctiſſimo Fratri Bonifacio Coepiſcopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaq; in vmbra mortis morantibus gentibus, in errore conſtitutis, ab hac Apoſtolica ſede directo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

Epiſt. Gregorii III.

MAgna nos habuit gratulatio, lectis ſanctiſſimę fraternitatis tuæ literis, cum eis relecta ſerie fuiſſet repertum, Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia plurimos te à genti-

tilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia inſtitutiõe diuina docemur in parabolis, cui quinq; talenta credita fuerant, alia quinq; lucratum fuiſſe, in talis commercii lucro cum tota plaudimus Eccleſia. Hinc jure tibi ſacri palatij direximus munus, quod B. Petri Apoſtoli authoritate ſuſcipiens, induaris, atq; inter Archiepiſcopos vnus, Deo authore, præcipimus, vt cenſearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſce. Itaq; dum Miſſarum ſolennia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia verò turbas Domini gratia in eiſdem partibus ad rectam fidem aſſeruiſti conuerſas, ideoq; nequire te occurrere omnibus, quę ſalutis ſunt, impendere aut intimare, cum jam longè lateque gratiâ Christi, eius fides * in illis partibus propagaretur, præcipimus, vt juxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis debeas ordinare *E*piſcopos; pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus. *P*reſbyterum namq;, quem præterito aſſeruiſti anno ad nos veniſſe, in noſtroq; judicio fuiſſe à ſuis nefariis abſolutum actionibus, credas; neque nobis confeſſionem aliquam fecit, nec à nobis, vt ſuos expleat libitus, abſolutus eſt. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ ſedis vigore, vt juxta ſanctorum Canonum cenſuram corrigas, & emendes, præcipimus; vel ſi quos forſan tales inueneris. Ille enim ueniens, *P*reſbyter ſum, ait, & commendatitias ad filium noſtrum Karolum literas expetiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam. quem vitari, ſi praue conuerſatur, cum reliquis, volumus, eoſdemque, quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti; ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine

Mat. 25.

Sic in illis propagetur.

ſanctæ

Digitized by Google

ſanctæ Trinitatis, mandamus. Inter cætera agreſtem caballum aliquantos comedere adiunxiſti, pleroſq; , & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, ſanctiſſime frater, ſinas, ſed quibus potueris, Chriſto iuuante, modis, per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum enim eſt, atq; execrabile. Pro obeuntibus quoq; conſuluiſti, ſi liceat oblationes offerri. Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſq; pro ſuis mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atq; Presbyter eorum faciat memoriam: & quamuis omnes peccatis ſubiaceamus, cõgruit tamen, vt Sacerdos non niſi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat. Non enim pro impiis, quamuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit. Eos etiam, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui à Presbytero Ioui mactante, & immolatitias carnes veſcente, baptizati ſunt, vt baptizentur præcipimus. Progeniem ſuam vnumquemq; vſq; ad ſeptimam generationẽ obſeruare decernimus: & ſi valueris, deuitandum doce, ne, cui vxor obierit,* & amplius quàm duabus debeat copulari. De his verò dicimus, qui patrem, vel matrem, vel fratrẽ, aut ſororem, occiderint, vt toto vitæ ſuæ tempore corpus dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico: abſtineant etiam à carnis commeſſatione, & potu vini, donec aduixerint. Ieiunent ſecunda, quarta, & ſexta feria, vt ſic deflentes poſſint diluere commiſſum ſcelus. Hoc quoq; inter alia crimina agi in partibus illis dixiſti, quòd quidam ex fidelibus ad immolandum paganis ſua venundent mancipia, quod vt magnopere corrigere debeas, frater, commonemus, nec ſinas fieri vltra. Scelus enim eſt, & impietas. Eis ergò, qui hoc perpetrauerunt, ſimilem homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Epiſcopum conſecraueris, duo vel tres conueniant tecum Epi-

Sur. non habet particulã &.

Epiſcopi, vt Deo ſit gratum, quod geritur, & eis conuenientibus, ipſisq; præſentibus conſecres. Hæc te, chariſſime frater, diligenter obſeruare volumus, & ſtudio pietatis cœptum negotium ſalutis exequi, vt de lucro apportato valeas à Domino Deo noſtro mercedem percipere in æterna beatitudine. Priuilegium verò, juxta quod petiſti facientes, his junctum direximus; optantes te Domini Dei noſtri præſidio de conuerſione errantiũ pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime Frater.

Redeuntes ergò nuntii, & gratioſa Præſulis Apoſtolici dona, ſcriptaq; reportantes, lætiſſimum efficiunt ſanctum Bonifacium. Vnde & debitas Deo laudes, gratiasq; agens, duas mox Eccleſias Domino conſtruxit, vnam quidem in * Frideſlar, quam in honore Principis Apoſtolorum, S. Petri conſecrauit, alteram verò in *Hamanaburch, quam in honore S. Michaelis Archangeli dedicauit. Duo quoq; Monaſteriola duabus ſubiunxit Eccleſiis, hisque non minimam Deo ſeruientium concionem ſubrogauit, vbi hucusq; laudis & ſeruitutis diuinæ officia peraguntur.

al. Fritislar.

Sur. Amanaburg.

Quæ poſtquam geſta ſunt, S. Bonifacius * Bagoariorum terras, quibus per idem tempus Hugbertus Dux præerat, adiit, prædicationisq; ſtudium apud eos diligentiſſimè exercens, tanto diuinæ æmulationis zelo armatus eſt, vt quendam ſchiſmaticum, hæretica prauitate plenum, nomine Ermvvolfum, juxta Canonum decreta, damnaſſet, atq; ab Eccleſia expuliſſet. His peractis, rurſum ad eos, qui ſub ſuæ gubernationis diœceſi commorabantur, remeauit, circuiens vbiq; & inſtaurans, quæ cura popoſcit Eccleſiarum. Eo etiam tempore Romam ire decreuit, tam pro hoc, vt Apoſtolici patris, cu-

Sur. Baioariorum.

 ius

ius faciem nec dum agnouerat, ſalubri frueretur agnitione ſimul & colloquio, quàm vt ſe ſanctorum Apoſtolorum, aliorum ſanctorum, in vrbe Romana quieſcentium, orationibus commendaret. Profectus ergò illuc, multa comitante turba Francorum & Bagoariorum, nec non ex Britannia conuenientium, præſentatusq; Apoſtolico, benignè ſuſceptus eſt ab eo, tantaq; à cũctis Romanis veneratione habebatur, vt multi ad ſalutarẽ eius doctrinam confluerent, illumq; diu ſecum retinerẽt. Poſthæc verò, cum remeare decerneret, muneribus, & reliquiis Sanctorũ, pro quibuſcunq; petiit, datis, honorificè ditatus eſt à Præſule Apoſtolico. Adhæc etiam ei epiſtolas quaſdam Epiſcopis, Abbatibus, atq; Principibus cunctis in Germania conſtitutis transmittendas dedit. Quarum exemplaria ſubſequenter hic inſerentur.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum DEI *dilectiſsimis nobis omnibus Epiſcopis, venerabilibus Preſbyteris, religioſis Abbatibus omnium prouinciarum.*

DOmino cooperante, & ſermonem* confirmante, ſanctiſſimus vir Bonifacius, frater ac Coepiſcopus noſter à deceſſore noſtro ſanctæ recordationis, præſule Gregorio, in Germaniæ partes miſſus prædicare verbum Dei, poſt multum temporis, orationis cauſa, liminibus ſacris beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli præſentandus aduenit. Qui perfecta oratione, ad acceptum laborem, Angelo Domini præueniente, à nobis eſt abſolutus: cui noſtra omnium dilectio, ſeu reuerentia, & religioſitas, propter

*Sur. confirmãte, præſens ſanctiſſimus.

pter Chriſti amorem, juuamina impendere dignetur: dũ & agnoſcitis, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus promiſit, dicens: Qui ſuſcipit Prophetam in nomine Prophetę, mercedem Prophetæ accipiet; & qui ſuſcipit juſtũ in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et ſi forſan quis ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro in miniſterio exhortationis ſanctæ Catholicæq; fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis, chariſſimi, ſed magis cõcurſum præbete, & ex veſtro ouili adiutores ei tribuite, q. poſſint per Dei gratiam ſufficienter gentibus miniſtrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo noſtro animas lucrifaciant: & vt veſtra communitas boni operis portionem ſortiatur, atq; illi mereantur dominicam vocem audire: Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.

Mat. 10.

Matt. 19.

*Gregorius Papa vniuerſis optimatibus, & populo prouinciarum Germaniæ, Turingis & Heſſis, Bortharis, Niſtreſis, VVedreuis, & Lognais, * Suduoſis & Grabfeldis, vel omnibus in orientali plaga conſtitutis.*

Sur. Suduodis & Graueldis.

QVoniam deceſſor noſter ſanctæ recordationis Gregorius Præſul, nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebẽ perfectã, præſentiũ portitorẽ literarum Bonifacium, reuerentiſſimum fratrem noſtrum, ac Coepiſcopum, ordinans, ad vos vſq; deſtinauit, eumq; regulam & normam Apoſtolicæ & Catholicæ * fidei Romanæ, cui, auctore Deo, deſeruimus, Eccleſiæ, edocẽs, direxit: & poſt tẽporũ ſpatia orationis cauſa ad limina B. Apoſtolorũ ſeſe

Sur. fidei edocens direxit.

præſentauit, & quæ ad ſalutem animarum pertinent, à nobis expoſcit imbui: nos, Deo fauente, vt docet ſacra ſcriptura, eum educantes ad vos, chariſſimi, remeandũ abſoluimus; hortantes vos in Domino, vt dignè ſuſcipiatis ab eo verbum exhortationis, & Epiſcopos vel *Presbyteros*, quos ipſe ordinauit per Apoſtolicam ſibi datam authoritatem, in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. *Et* ſi quos forſan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite, ſeu canonica doctrina, eosq́; prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur: & quod eis impoſitum fuerit, obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, ſibimetipſi damnationem acquirit. Vos autem chariſſimi, qui in nomine Chriſti baptizáti eſtis, Chriſtum induiſtis, abſtinete ab omni cultu paganorum, non tantum voſmetipſos corrigentes, ſed & ſubditos veſtros. Diuinos, vel ſortilegos, vel ſacrificia mortuorum, ſeu lucorum, vel fontium auguria, vel phylacteria, & incantatores, & maleficos, & obſeruationes varias, quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omnino reſpuentes, atq́; abiicientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini, ipſum timete, adorate, & honorificate, ſanctorum memoriis communicantes, vt ait Apoſtolus. *S*i enim fides veſtra, juxta Domini noſtri dicta, fuerit ſicut granum ſinapis,* diceretis monti huic, Tollere, & mittere in mare: & transfertur. Ipſe enim Dominus & *S*aluator noſter in ſuo ſacro eloquio docet, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. *E*t iterum: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Item alibi promittit, dicens: Quodcunq́; petieritis *P*atrem in nomine meo, fiet vobis. *Et* iterum: Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate,

Gal.5.

Gal.6.

Luc.17.
†Sur. diceretis monti huic, Transfer, & transferetur.

Mat.22.
Luc 12.

Ioan.14.
Mat.7.

ſate,

late, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. & vos chariſſimi facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſidereas adipiſci mereamini manſiones. *Bene valete. Hæc duo verba, Bene valete, abſunt in S.

*Dilectiſſimis nobis Epiſcopis in prouincia *Bagoaria & Alemannia conſtitutis, VVigoni, Luidoni, Rudolto, & Viuilo ſeu *Adde, Gregorius Papa.*

Sur, Baioaria. Sur, Adda,

CAtholica & ſanctorum Patrum authoritas jubet, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, ſynodalia debeant celebrari, vt cauſarum canonicarum examinatio prouenire poſſit, atq; vt neceſſitas vniuſcuiuſq; popoſcerit, pia educatio agatur. Vnde ſecundum Apoſtoli doctrinam admoneo & adhortor vos, chariſſimi, per miſericordiam Dei, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Oportunum namq; eſt vos noſſe fratrem, ac Coepiſcopum noſtrum, præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere, & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide Catholica, ſecundum morem & normam ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui, miſericordia Dei præueniĕte, præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica auctoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis, & gentilitatis ritum, & doctrinam, vel venientium Brittonum, vel falſorum Sacerdotum, & hæreticorum, aut vn- Ephes. 4.

Digitized by Google

decunq; ſint, renuentes, ac prohibentes, abiiciatis: & vt populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis,& à ſacrificiis mortuorum omninò abſtineatis, & juxta quod fueritis à prædicto noſtro Conſacerdote edocti, ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinã tenentes, Domino Deo *Salutari noſtro placeatis, & in quo vobis loco ad celebranda conſilia conuenire mandauerit, ſiue juxta Danubium, ſiue in ciuitate Auguſta, vel vbicunque indicauerit, pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini: quatenus cognoſcamus per eius mandatum de veſtro cõuentu, vt in die aduentus Chriſti Ieſu cum fructu boni operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini, dicẽtes: Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis, Domine, non perdidimus ex eis quenquam. vt & vos dominicam vocem audire mereamini, dicentẽ: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ, q vobis paratum eſt ab origine mundi.

Iur. Salutori. *Ioan. 18.* *Matt. 25.*

Acceptis ergò talibus epiſtolis S. Bonifacius à Roma diſceſſit, Italiamq; perueniens, Ticinæ vrbis ingreſſus eſt mœnia, & apud Luitprandum Longobardorum Regem aliquandiu commorabatur. Inde verò digrediens terras *Bagoariorum ab Otilone Duce inuitatus viſitauit, mãſitq; apud eos diebus multis verbum Dei prædicans, veræq; fidei ſacramenta illic renouans. Inter quæ etiam deſtructores quoſdam Eccleſiarũ, populiq; ſeductores abigebat, quorum alii falſo ſe Epiſcopatus gradu prætulerũt, alii verò Preſbyteratus officio ſe deputarunt, alii etiam innumera peruerſitatis figmenta ſequentes, magna ex parte populum ſeduxerunt. Sed ſanctus Præſul cum tantam ſacerdotum fallaciam, atq; malitiam aliter non poſſe prohiberi, conſpiceret, prouinciam Bagoariæ, Otilone Duce conſentiente, in quatuor diuiſit parochias, treſq; magnarũ virtutũ viros eis præfecit, quos ordinatione facta in Epiſco-

Iur. Baioariorum ab Vtilone.

piſco-

piſcopalem gradum ſublimauit. Quorum primus nomine Iohannes, in oppido, quod dicitur Saltzpurg, cathedrã Epiſcopalem ſuſcepit. Secundus * Erinbertus, in Friſingenſi Eccleſia regimen pontificale ſubiit. Tertius Govvibolt, in Ratiſponenſi ciuitate, quæ metropolis * Bagoariç eſt, Pontifex conſtituitur. * Viualus quoq; à Præſule Apoſtolico jam ordinatus, Patauienſi Eccleſiæ Prælatus eſt; ſed eius parochia, quæ quarta erat, à S. Bonifacio, ſicut cæteræ, diuidebatur. His ergò Pontificibus conſtitutis, & quæcunq; tunc corrigenda erant in Bagoaria correctis ad proprias rediit Eccleſias. Poſt non multum verò temporis omnia, quæ tunc in Bagoaria corrigendo geſſit, literis transmiſſis, Præſuli Apoſtolico denunciauit. At ille geſta eius laudans, remiſit huiuſmodi ſcripta.

Sur. Erinbertus. Sur. vbiq; vocat Baioariam. Sur. Viuilus.

Reuerentiſsimo & ſanctiſsimo Fratri Bonifacio Coepiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

DOctoris gentium egregii & beati Pauli Apoſtoli vox eſt, dicentis: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agnoſcentes itaq; in ſyllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberauit, & ad centum millia animas in ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ tuo conamine & Karoli Principis Francorum aggregare dignatus eſt. Sed & in Bagoariorum prouincia, quæ à te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cœlum manib⁹ gratias Rom. 8.

Digitized by Google

retulimus: quia januam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis ad cognoſcendam viam ſalutis aperuit, & miſit Angelum ſuum, qui præparauit viam tuam ante te. Igitur quia indicaſti, te perrexiſſe ad gentem *Bagoariorum, & inueniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viuentes, dum Epiſcopos non habebãt in prouincia niſi vnum, nomine Viuilum, quem nos paulo ante ordinauimus, & quia cum aſſenſu Otilonis Ducis eorundem *Bagoariorum, ſeu optimatum prouinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes illam diuiſiſti, id eſt, in quatuor parochias, vt vnusquisque ſuam habeat parochiam: benè & ſatis prudenter peregiſti, frater, quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcepimus, ita egiſti: Itaq; non deſinas, frater reuerentiſſime, docere eos ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanæ ſedis traditionem, vt illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia peruenire. Presbyteros verò, quos ibidem reperies, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus ſint ordinati, & dubium eſt, eos fuiſſe Epiſcopos, qui eos ordinauerunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omniq; lege ſancta educati, ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungãtur. Illi verò, qui baptizati ſunt per diuerſitatem, & declinationem linguarum gentilitatis, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Viuilus Epiſcopus à nobis eſt ordinatus. Hic ſi aliquid excedit contra canonicam regulam, doce & corrige eum juxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. De Concilio verò, vt juxta ripam Danubii debeas

*Baioariorum.

*Baioariorum.

beas celebrare, noſtra vice præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica authoritate, te ibidem præſentari, & in quãtum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, vt religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, frater, pro incepti laboris vtilitate in vno morari loco, ſed confirmatis cordibus fratrum, & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus, vbi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis, prædicare non deſinas, & vbi locum inueneris, ſecundum canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & Apoſtolicam atq; canonicam traditionem eos tenere, edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera carpere aſpera & diuerſa, vt chriſtiana fides longè lateq; tuo conamine extendatur. Scriptum namq; eſt: arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Operare itaq;, frater, opus bonum, quod cœpiſti, vt in die Chriſti Ieſu merearis dicere: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquã. Et iterum: Domine quinq; talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinq; ſuperlucratus ſum, vt ſubſequenter audire merearis vocem Domini, dicentis: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: Intra in gaudium Domini tui. Deus te incolumem cuſtodiat, Reuerentiſſime Frater. Data IV. Kal. Nouembris, Imperante piiſſimo Auguſto Leone, Imperii eius anno XXIII. ſed & Conſtantini Imperatoris eius filii Anno XX. Indictione VIII.

Mat. 7.

Ioan. 18.

Matt. 25.

Per idem tempus Karolo Duce glorioſo temporalis vitæ curſum conſummante, filii eius Karolomannus

 & Pi-

& Pipinus in patris ſucceſſerunt imperium. Sed quia ad nutum Karlomañi, qui maioris ætatis erat, omnia partim regni jura diſponebantur, hunc S. Bonifacius adiens, præſulisq; Apoſtolici ſcripta deferens, omnino popoſcit, vt Chriſtianæ religionis culturam, quam pater eius * in promptiſſimo animo cœpit & excoluit, ipſe quoq; pro Dei amore, ſuiq; regni ſtabilitate, nec non pro communi omniũ ſibi ſubiectorum ſalute eodem animo excoleret. His ille precibus, quaſi diuino afflatu compunctus, omnes ſub imperio ſuo degentes, laicosq; ſimul & Clericos, à religione Chriſtiana deuiantes, tam regali, quàm canonica authoritate ad viam juſtitiæ reuocare ſtuduit. Præcipiebat enim, vt, conuentu ſynodali habito, ibi omnia juxta canonum decreta corrigerentur, cuius nimirum conuentus ſynodalis ſtatuta, quia non ſolum ſæcularibus, ſed Eccleſiaſticis etiã rectorib⁹ ędificationẽ magnã cõferre poſſe videntur, prout in antiquis exẽplaribus ſcripta inuenimus, hic ponere volumus. ſic enim ſcripta inueniuntur.

Ita corrig. in, ſ. impromptiſſimo.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ego Karlomãnus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecũdo, XI. Kal. Maii, cum conſilio ſeruorum Dei & optimatũ meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cũ Preſbyteris, ad conciliũ & ſynodũ pro timore Chriſti cõgregaui, id eſt, Bonifaciũ Archiepiſcopũ, Burchardũ & Reginfridum, VVitanum, & * VVillibaldũ, Dadanum, & Addanum, cum Preſbyteris eorũ, vt mihi conſiliũ dediſſent, quomodo lex Dei & Chriſtiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorũ Principũ diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ peruenire poſſit, qui per falſos ſacerdotes hucusq; deceptus eſt. Itaq; per conſilium Sacerdotum religioſorum & optimatũ meorũ, ordinauim⁹

Sur. VVillibaldum D. & Adanum.

per-

per ciuitates Epiſcopos,& conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifaciũ, qui eſt miſſus S. Petri. Statuimus quoq; per annos ſingulos ſynodũ congregari, vt nobis pſentibus canonum decreta,& Eccleſiæ jura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur, fraudatas pecunias Eccleſiarũ Eccleſiis reſtituimus, falſos Presbyteros, & adulteros, vel fornicatores, diaconos,& Clericos de pecuniis Eccleſiarũ abſtulimus & degradauimus,& ad pœnitentiã coegimus. Seruos Dei per omnia omnibus armaturã portare, vel pugnare, aut in exercitũ vel hoſtem pergere prohibuimus omnino; niſi illos tantum, qui propter diuinũ myſterium myſſarũ ſcilicet ſolennia adimplenda, & ſanctorum patrocinia, ad hoc electi ſunt, id eſt, vnum vel duos Epiſcopos cum Capellanis, Presbyteris princeps ſecũ habeat, & vnusquisq; Præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam poſſit. nec nõ & illas venationes, & ſyluaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus,& vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoq; vt juxta ſacrorum canones vnusquisq; Presbyter, in parochia habitans, ſubiectus ſit illi Epiſcopo, in cuius parochia habitat,& ſemp in quadrageſima rationẽ & ordinẽ miſſarũ ipſo Epiſcopo reddat & oſtẽdat; & quãdocũq; jure cãonico epiſcop9 circueat ad confirmãdos populos, ſemp Presbyter paratus ſit ad ſuſcipiendũ Epiſcopũ cum collectione & adiutorio populi, qui ibi cõfirmari debet:& in cœna Dñi nouum chriſma accipiat ab Epiſcopo;& vt Epiſcopus teſtis ſit caſtitatis,& vitæ,& fidei,& doctrinæ illius. Statuimus vt ſecundũ canonicã cautelã omnes vndecũq; veniẽtes Epiſcopos ignotos, vel presbyteros, ante pbationẽ ſynodalẽ in Eccleſiaſticũ miniſteriũ nõ admittãt. Decreuimus vt ſecundum canones vnusquisq; Epiſcopus in ſua

 paro-

Sur. vitioſè: grauiore.

parochia ſollicitudinem gerat, adiuuante * Grauione, qui defenſor *E*ccleſiæ eius eſt, vt populus Dei paganias non faciat, ſed omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat, ſiue ſacrificia mortuorũ, ſeu ſortilegos, vel diuinos, ſiue phylacteria, & auguria, ſiue incantationes, vel hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum Martyrum, vel confeſſorum, Deum & *S*anctos ſuos ad iracundiam prouocantes. *S*tatuimus ſimiliter vt poſt hanc ſynodum, quæ fuit XI. Kal. Maii, quiſquis ſeruorum Dei vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordinatus *P*resbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus. Si autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerẽ miſſus, vnum annum ibi pœnitentiam agat. *S*imiliter & *N*onnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis eius. Decreuimus quoq; vt *P*resbyteri vel diaconi non ſagis, laicorum more, ſed caſulis vtantur, ritu ſeruorum Dei, & nullus in domo ſua mulieres habitare permittat; & vt Monachi & ancillæ Dei monaſteriales, juxta regulam S. Benedicti viuere ſtudeant. *S*tatuimus quoq; cum conſilio ſeruorum Dei, & populi Chriſtiani propter imminentia bella & perſecutiones multarum gentium, qui in circuitu noſtro ſunt, vt ſub precario cenſu aliquam partẽ *E*ccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus noſtri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, vt annis ſingulis de vnaquaq; caſata ſolidus, id eſt XII. denarii ad *E*ccleſiã vel Monaſterium reddantur, eo modo, vt ſi moriatur ille, cui pecunia commendata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit. Et iterum ſi neceſſitas cogat, vt prin-

ceps

ceps jubeat, precarium renouetur, & reſcribatur nouum, & omninò reſeruetur, vt Eccleſiæ vel Monaſteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia * imprecario præſtita eſt, ſed ſi paupertas cogat Eccleſię domui Dei integra reddatur poſſeſſio. Similiter præcipimus, vt juxta decreta Canonum, adulteria & inceſta matrimonia prohibeantur, & emendentur Epiſcoporũ judicio, & vt mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.

* ſ. in precario

Tantæ ergò religionis ſtatuta à principibus neophytis tunc facta, ſi comparentur legibus his, quæ modo à quibusdam rectoribus noſtris à pueritia vsq; in ſenectam in omni diſciplina Chriſtiana inſtructis proferantur, facile poteſt agnoſci, quantum perfectiores fuerint illi neophyti iſtis patribus doctiſſimis, qui non ſolùm apud Reges & Principes pro locorum ſanctorum vtilitate intercedere negligunt, ſed etiam ipſi loca ſancta ſibi cõmiſſa omnino deſtruunt. O mores praui cunctis omninò dolendi! ô miſeranda nimis morum mutatio talis! cum pueri ſenibus, cæci videntibus, imperiti peritis, laici clericis religioſiores inueniantur. Quondam namq; in prouinciis multis, vbi ſanctæ Eccleſiæ vinea nouiter plantata, necdum vel notitia fructuũ ſpiritualium ad omnes peruenit, à plurimis ſæcularibus viris dicebatur. Qui pro fragilitate noſtra à conſuetis mundi deliciis penitus nos continere nequimus, ſaltem vel alios continentes ad ſeruitium Dei congregantes, illos noſtris corporalibus ſubſidiis paſcamus, vt & orationibus ſuis, aliisq; ſpiritualibus ſubſidiis nos paſcant, ne pereamus. Nunc autem cum omnium virtutum ſcientia, & experientia aliqua, & in libris prolata pænè ad omnium notitiã peruenit, nulluſq; Chriſtianorum dicere poteſt, Quia nemo nos cõ- Mat. 20.

 duxit,

Digitized by Google

duxit,tam Clerici,quàm Laici plurimi dicere ſolēt, Quid proſunt tot cœnobia,vel tanta Monachorumm agmina? Multò enim melius eſſet,vt prædia, quibus idem Monachi inutiliter ſaginantur, ſeruitio noſtro præſtarentur. Hæc quidem multi verbis,ſed multo plures operum ſuorum atteſtatione ita eſſe fatentur, quaſi malitia, & irreligioſitas eorum minus à Domino puniatur, ſi nullus Monachus,vel Religioſus in hoc ſæculo inueniatur. At Karlomanno præfato longè alia mens erat, qui licet ante S. Bonifacii prædicationem de religione Chriſtiana parum quid nouerit,eo tamen admonente & exhortante, citius in timore & amore Dei ita perfectus eſſe cœpit,vt humana ſimul & diuina prudenter diſponeret. nihilq; ſæcularia jura ſine diuini adminiſtratione ſeruitii, ad quod cœnobialis,monaſticaq; deputatur congregatio, proficere ſciret. Similiter & Karolus Magnus filius ſcilicet fratris ſui Pipini ſupradicti, qui à Roma vsq; in Freſiam,ab Vngaria vsq; in Britanniam,omnia regna ſuo ſubegit imperio,cum contra eadem decertaret,non aliter victoriam ſe adipiſci credidit,niſi interim omnia cœnobia,in eisdem regnis jam conſtructa, ſupplemento aliquo adiuuaret. Si quis in his dubitet,legat inprimis ſua geſta,deinde circueat monaſteria,quæ ſub tempore ſuo fundata habuit Italia,vel Gallia, ſiue Germania, & inueniet ea aliqua Karoli largitate ſublimata, quædam quidem priuilegio libertatis, quædam verò prædiorum donis, niſi fortè ex ſubſequentibus Regibus ſeu Epiſcopis ſint oblata. Multi namq; Reges eiusdem Karoli ſucceſſores, licet in præclaris moribus ac ſtudiis pluribus eſtulſerint, in hoc tamen nimis deliquerunt,quod monaſteria nonnulla, vel ipſi tam immenſa obſequii ſui exactione, quàm prædiorum oblatione, deſtruxerunt, vel Epiſcopis ſeu etiam laicis

eis quibusdam, nihil minus, quàm monaſticam religionẽ curantibus, deſtruenda tradiderunt. At Karolus noſter non ſolum hæc minimè feciſſe fertur, ſed etiam hęc contra quædam ad Epiſcopatum pertinentia prædiis duplicibus redditis, cum conſilio communi, ab Epiſcopali ditione abſoluit, libertateq́; regali ſublimauit. prænoſcens, vt reor, prophetię ſpiritu, quod & nos cernimus, & anteriores noſtri jam diu impletum viderunt, loca ſancta, quæ neceſſariis omnibus ſufficienter erant redimita à ſuis inſtitutoribus, tradita verò Epiſcopis, & in penuriam maximam & in deſtructionem totius diſciplinæ regularis ventura fore. Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia cœnobia, Epiſcopis ſubiecta, deſtructa ſciam, ſed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum, & miſerãdum videtur, quo minus ab ignorantibus legis diuinæ præcepta, ſed à doctiſſimis agitur, qui commiſſa ſibi deſtruentes cœnobia, non ſolum ipſi peccant, ſed etiam laicos peccare faciunt in eadem deſtructione. Quis enim laicorum nõ putat ſibi jam licere, quidquid Clericos cernit facere? Vnde in his omnibus Karolum proponere poſſumus ad exemplum. Sicut enim inter Reges ſucceſſores videlicet ſuos non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi, ita nullus eorũ poſt eum tãta gloria, tantaq́; potentia potitus eſt in hoc ſæculo; meritoq́; de illo dicitur: Non recedet memoria illius, & nomẽ eius requiretur à generatione in generationẽ. Eccl. 39 Quia ergò occaſio talis ſe ꝑbuit, vt commemorantes quãta religio ſub antiquis Principibus, quantave fuerit deſtructio religionis eiuſdem ſub modernis, per huiuſmodi appoſita, quibus quid ſit melius, declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora. Nemo precor hæc indigna lectu & auditu decernat, ſed potius attendens, ſi in tanta deſtructione rerum

exiſtat, pœnitere & emendare ſtudeat, dum veniæ tempus Domino præſtante tenemus, ne fortè occupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus. Sed de his ſatis dictum. Reuertamur iam ad incepti ſermonis exordium.

Cum ergò Karlomanni præcepto, ſanctiq; Bonifacii conſilio ſynodalis conuentus haberetur, multi ibi nō ſolum Clerici quilibet hæretica prauitate decepti, ab Eccleſiæ communione expellebantur, ſed etiam Epiſcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius, qui tunc in Germania excreuerat, maximi fuerant authores, duo hæretici, quorum vnus Clemens, alter verò * Eldebertus dicebatur. De quibus poſt modum cum Epiſtolas ad Zachariam Papam miſſas proferre cœperimus, dicetur cōgruentius. In his enim omnis mortifera eorum hæreſis replicatur. Quidam enim Epiſcopus, nomine *Gevvilieb, Mogōtiæ ciuitati Prælatus, tunc deponebatur. Cur autem depoſitus fuerit, hic ſubſequenter enarrabo. In illis namque temporibus Saxones deuaſtabant Turingiam regionem. Quamobrem populi eiusdem regionis confugientes ad ſupradictum Principem Karlomannum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitum miſit, in quo ſimul Geroldus Mogontiacenſis tunc Epiſcopus, pater ſcilicet præfati Gevviliebis juſſus tranſiuit. Cumq; congreſſio facta fuiſſet bellantium, & inuicem ſemet ferientium, Geroldus Epiſcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius eius Gevvilieb, adhuc laicus in palatio conſtitutus, pro ſedando patris dolore, clericatus officio promouebatur, & ad regendam Eccleſiam Mogontiacenſem poſt obitum patris ſubrogabatur. Poſt non multum verò tem-

Sur. Aldebertus.

Sur. Geruilius. al. Gevvilieb.

Digitized by Google

tẽporis interim Karlomannus exercitu congregato cō-
tra Saxones perrexit, ſecumq́; eundem Gevvilieben du-
xit. Conſidētibus autem vtriusq; populi exercitibus * cis for. eis
citraq́; ripam fluminis W iſaraha, præcepit Gevvilieb pū-
erum ſuum inter hoſtes pergere, illicq́; nomen eius, qui
patrem ſuum occiderat, diligenter inquirere. Cumq; pu-
ero juſſa complenti reſponderetur à quodam, proximè
illum adeſſe, quē quæreret, Venire rogate, inquit, eū huc
quātocyus, quia ſecum ſermocinari ſenior appetit meus.
Quo veniente, & vtrinq; alterius aduentu denunciato,
mox præparatis equis ab vtroq; itur, & in medio amne oc-
currentibus atq; colloquentibus, ait Gevvilieb Epiſco-
pus, Accipe jam ferrum, quo patrem vindico carum.
Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum, qui ſtatim
corruens ex equo, in flumine exhalauit ſpiritum. Cumq;
ſui talia agnoſcerent, ab omnibus clamabatur, vtrinque
conſertis cuneis summopere dimicabatur, ſuperatisque
Saxonibus, Karlomannus cum ſuis ad propria remeauit,
nemine id quod factum eſt à Gevvliebe, in homicidii
crimen imputante. Vnde & reuerſus ſolito Epiſcopales
ſibi vendicauit vſus. At ſanctus Præſul Bonifacius inter
cætera correctionis colloquia, hæc pariter in conuentu
ſynodali protulit, atteſtans nullum homicidii reatu pollu-
tum debere Epiſcopali ſacerdotio fungi. Ad hæc etiam
ei obiecit, propriis oculis ſe perſpexiſſe, illum cum aui-
bus, canibusq; jocantem, quod Epiſcopo nullatenus lice-
ret. Audiens autem hæc Gevvilieb, ſentiensque ſe nullo
modo contra ſtimulum vel ſæcularis potentiæ, ſeu aucto-
ritatis canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes
coràm poſitos deferebatur, calcitrare poſſe, judicio con-
ſenſit communi, depoſitusq; eſt ab ordine Epiſcopali.
Quo depoſito ſtatim S. Bonifacius à ſupradictis *Princi-*

pibus, Karlomanno videlicet & Pipino, fratre eius, Eccleſiæ Mogonciacenſi præficitur. & vt eius dignitas eminentior foret, decreuerunt iidem Principes, Eccleſiam Mogonciacenſem, quæ prius alteri ſubiecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere, moxq; legatione facta, illud à Præſule Apoſtolico impetrauere. Tali ergò authoritate ſuffultus S. Bonifacius cœpit vndiq; quaſi nouus Archimandrita, quæ diuina ſunt plantare, diabolica verò extirpare, cœnobia, Eccleſiasq; ædificare, paſtores cautiſſimos Eccleſiis eiſdem præponere. Nam præter multos, quos antea conſtituit, Epiſcopos, in quibus erant venerabiles viri VVillibaldus & Burchardus, quorum priorem in loco Eichſtat nuncupato Epiſcopum, alium verò in vrbe, quæ VVirzburg dicitur, Epiſcopum conſtituit. tunc verò Gregorium Atterieth Epiſcopali ordine conſecratum direxit. Lullum etiam in Mogontia ipſe adhuc viuens ſibi ſubrogauit Epiſcopum. Multa quidem & alia tunc ab eo geſta ſunt in Germania, quæ in Epiſtolis tantummodo inueniuntur ſcripta. Vnde libet inſerere Epiſtolas eaſdem, vel ab eo ad Zachariam Papam, qui per idem tempus ſedem Apoſtolicam gubernabat, vel ab eodem Zacharia ad illum, ſeu pro illo ad quoſlibet Germaniæ Principes tranſmiſſas, quas vndecũq; colligere poſſum⁹. Nã illas, quas ad gẽtis ſuæ populos, i.e. Anglos tranſmiſit, ꝑtermittere volumus, ne legẽtibus aliq; tædiũ cõferre videamur, maximè cũ nobis noſtra ſufficiãt. Noſtra autẽ dico, quę ꝑ patribus noſtris, Germanis ſcil. ſaluandis ſcripſit, vel ab vllo ſcripta recepit. In quibus nimirũ Epiſtolis maximè poteſt agnoſci, quantam curam & diſciplinam, quantam paternitatem & pietatem habuerit circa omnes Eccleſiæ ſuæ filios, quos ipſe per Euangelium genuit, quodq;, iuxta Apoſto-

lum, omnibus omnia factus ſit, vt omnes lucrifaceret. Vnde confidenter dico, quia quicunq; filiorum eius, Germanorum videlicet, agnito tanti Patris labore, vel ex ſcriptis, vel vulgaribus dictis, non eum, quantacunq; præualet, veneratione amplectitur, in honore, quem parentibus exhibere iubemur, negligens inuenitur. Quod ſi negligentia peccatum eſt, & peccatum omne punitur, negligentia ergò ſimul punienda creditur. Ad hæc etiam ſi, juxta Apoſtolum, patres carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur, nonne multò magis obtemperabimus patri ſpirituum? Pater namq; ſpiritalis non ſolũ Deus omnipotens dicitur, ſed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis ad agnitionem veritatis inſtruimur, ad ſtabilitatem religionis incitamur, ſicut & Abraham ob fidei, obedientiæq; ſuæ meritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus eſt Chriſto credentium. Haud aliter S. Præſul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum dici poteſt, pro eo, quod illos verbo ſanctæ prædicationis primitus Chriſto genuit, exemplis confirmauit, poſtremo animam quoq; ſuam pro ipſis poſuit, qua charitate nemo maiorem valet exhibere. Quæ cùm ſit bonorum omnium origo & finis, nos quoq; in hoc terminum ponamus libelli præſentis, quatenus ad tempus ceſſante labore legendi lector & auditor vires poſſit reparare.

1. Cor. 9.

Heb. 12.

Gen. 17.
Rom. 4.

Ioann. 15.

Finis libri primi.

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE VIRTVTIBVS S. BONIFACIJ ARCHIEPISCOPI & MARTYRIS.

IN priori quidem libello, prout ingenioli noſtri paruitas permiſit, vtq; ſcriptorum antiquorum teſtificatio edocuit, de conuerſatione, & peregrinatione, nec non prædicatione ſancti *Patris* noſtri Bonifacii diximus; jam libet, vt, donante Deo, poſſum, in hoc libello ſequenti pandere, quantum poſt acceptum Mogonciacenſis Eccleſiæ præſulatum, pro ſancta Eccleſia laborauerit, contra hæreticos, vel falſos Chriſtianos certando, qualique exitu felicem paſſionis ſuæ palmam cōpleuerit. Sed illud ſuperius cum *E*piſtolis tantummodo explanandum eſt; quia in his ſufficienter, & euidenter ſcriptum inuenitur. nec decet, vt prætermittentes ea, quæ ſatis prudenti aperta ratione prolata ſunt, alia quaſi meliora componamus; cum huius vitium nec in ipſis ſæcula-

cula-

cularibus literis, nedum in ſacris agi conueniat. His ergò prælibatis, nunc ad ipſas, quas promiſimus epiſtolas ſcribendas tranſeamus, ponentes inprimis illam, quã & primo ad Zachariam Papam direxit epiſtolam. Quæ licet ante ſynodũ ſubſcriptã directa fuerit, tamen quia ad ſequentium Epiſtolarum relationem ex parte reſpicit, & ſub vnius Præſulis tempore hæc, omneſq́, quæ ſubſequentur, ſcriptæ ſunt; nos quoq́ ſimul ſcribere decreuimus.

Ad Lectorem.

NB.

PRimum librum Othloni integrum ex m. ſ. dedimus: Secundus verò, quia parum præter Epiſtolas continet; Epiſtolas autem Surius integras habet, vbi non mutauit, nec contraxit ſtylum; vti alibi fecit; ideo Epiſtolas illas, quas habet Surius, hic non ponimus, ſed tantum varias lectiones ex m. ſ. notamus. Sed quia noſter m. ſ. codex Othloni, copioſior eſt, pluresq́ continet Epiſtolas, quàm is, quo vſus eſt Surius, eas nos fideliter hic dabimus, vnà cum contextu Othloni ex m. ſ. quem Surius mutauit. Quod, quàm optant omnes antiquitatis amantes, Surius neque hic, neq́ alibi feciſſet!

VARIÆ LECTIONES IN EPIſtol. I. Bonifacij ad Zachariam.

Sur. tom. 3. fol. 486. verſu 30. maiorem lætitiam] m. ſ. maiorē lætitiam & maius gaudium nobis non a.

ib. v. 41. aliquantulum perculſis] m. ſ. aliquantulumq; percuſſis.

ib. 46. Buriburg] m. ſ. Buraburg, tertiam in loco, qui *Er*pesfurt, qui fuit olim vrbs paganorum ruſticorum.

f. 487. v. 3. diſſipata fuit] m. ſ. & Baron. ann. 741. 24. diſſipata fuit.

ib. v. 9. cum canonicis] etiam m. ſ. hic iiſdem verbis. Baro. putat legendum: cum canonibus.

v. 20. præceptum conſcriptum] m. ſ. præceptum & conſcriptum.

v. 27. præterea quærere] m. ſ. Præterea de vna re & conſilium quærere, & licentiam petere neceſſe habeo, pro eo quod v. m.

v. 41. matrim. acciperet] m. ſ. acceperit v. a. ſq. & i. f. v. c. l. & l. ſ. v. d. ab eo. & iſta viro qui nunc e. a. d. a. ſ. l. d. in t. g. propinqua illius e. d. Baronius: & iſte vir, qui nunc eam accipere deſiderat, affirmat ſibi licentiam datam, & in tertia g. propinquà eſſe dignoſcitur.

v. pen. aliquid fieri] m. ſ. aliquid facere viderint ex h. p. q. a p. licitum & conceſſum à Sacerdotibus eſſe putant.

f. 488. v. 1. annis præteritis] m. annis ſingulis.

ib. v. 3. & cantiones] m. ſ. & incantationes.

v. 9. Apoſtolus] m. ſ. Apoſtolus increpans.

f. 488. v. 30. prole fœcunda] m. ſ. fecunda.

In

Digitized by Google

In Epiſt. II. Zachariæ ad Bonifa-cium.

Sur. f. 488. v. antepen. VVirtzburg] m. ſ. VVirziburg & a. in o. q. n. Buraburg, tertiam in loco q. d. *Erpesfurt*.

f. 489. v. 19. obuolutos] m. ſ. adobuolutos.

ib. v. 21. purum clericum] m. ſ. phenum (Baron. purum.

f. 490. v. 49. Conſtantino, anno] m. ſ. conuenit cum Sur. Vide var. lect. apud Baron. an. 742. 14.

Var. lect. in Rom. ſynod.

f. 491. v. 12. Romana ſynodus ſub Zacharia Pontifice] Hæc verba abſunt in m. ſ.

ib. v. 34. anno 26.] m. ſ. anno ſexto.

ib. v. antepen. Aldebertus] m. ſ. *E*ldebertus.

fol. 492. v. 50. Zacharias Papa] m. ſ. Zacharias ſanctus Papa.

f. 493. v. 3. ſanctus] m. ſ. Zacharias ſanctus Papa.

ib. v. 5. exponit Aldebertus] vox, Aldebertus abeſt in m. ſ.

f. 494. v. 9. in nomine meo dabis vobis] m. ſ. dedi vobis.

ib. v. 25. in ſcrinio noſtro] m. ſ. in ſancto noſtro ſcrinio.

f. 495. v. 10. Iordannes] m. ſ. Iōhs.

In Epiſt. IV. Zach.

ib. v. 22. Ramberto] Lamberto.

ib. v. 23. Heliſeo] Heliſeo Nomanenſi.

ib. v. 24. Folerico] Folcrico.

In Epiſt. V. Zach.

fol. 496. v. 20. ſchiſmaticos] m. ſ. & falſos, & ſchiſmaticos.

In

Digitized by Google

In Epiſt. VI. Zach. ad Boniſ.

*f.*498.*v.*15. *Geuuiliobo*] m.ſ. Gevvilibo.

In Epiſt. VII. Zach. ad Boniſa.

*f.*498.*v.*41. *Ardobanum*] m.ſ. Ardobanium.

In Epiſt. VIII. Zach. ad Boniſac.

*f.*499.*v.*21. *Graecolatinus*] m.ſ. ex Græco Latinus, arte p.
*ib.v.*41. *quàm Catholicos*] m.ſ. quam Catholicos erroneos ſimulatores; qui n. ab e.c.ſro.i.p. & m.c. confundentes, ſacrilegos, adulteros, qui ſine *E*p.
*f.*500.*v.*41. *Otilonem*] m.ſ. Otilionem Ducem Bagoariorum.
f. 501. *S*urius habet hîc Epiſtolam Bonifacii ad Zachariam, quæ ita incipit: Paternæ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, &c. *S*ed ante hanc Epiſtolam codex m.ſ. habet duas alias, quas hîc damus.

REVE-

REVERENTISSIMO FRAtri Bonifacio Zacharias.

LEgimus in libro actuum Apoſtolorum, Spiritum ſanctum Apoſtolis præcepiſſe, Separate mihi Barnabam & Paulum in opus, ad quod aſſumpſi eos. Hoc & beati Principis Apoſtolorum Petri illuminatam doctrinis ex inſpiratione diuina tuam ſanctitatem in partes Germaniç credimus deſtinatam, vt ad inſtar eorum idem Spiritus ſanctus in eodẽ opere te aſſumpſerit ad illuminationem Gentium: vnde nimis exultamus in domino, et eius petitioni immenſas referimus laudes. Dum vero & ſeries litterarum tuarum nobis panderetur, per ſingula, multo amplius lætati ſumus in Domino, qui tibi ſuam gratiam ita largiri dignatus eſt, vt dura gentis corda lenires, & obedientiam ſacræ fidei inclinares. Indicaſti etiã nobis, quomodo tetigiſſet Deus corda excellentiſſimorum filiorum noſtrorũ Pipini & Karlomañi, vt tibi in prædicatione auditores eſſe niterẽtur, quorum merces copioſa manet in cœlis. De Epiſcopis vero Metropolitanis conſtituiſti, id eſt, Grimone, quem nos jam compertum habemus. Abel quoq; & Harteberto, quos per vnamquamq; Metropolim conſtituiſti, hos per tuum teſtimonium confirmamus, & pallia ad eorum firmiſſimam ſtabilitatem, vt in meliori proficiant ſtatu, tranſmittimus. Qualiter autem mos pallii ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant hi, qui pallio vti conceduntur, litteris directis docuimus, informan- Act. 13.

tes eos, vt ſciant quid ſit pallii vſus, & qualiter debeant ſubiectis prædicare viam ſalutis, & Eccleſiaſtica diſciplina in eorum Eccleſiis inconcuſſa maneat, & ſacerdotiū, quod in eis eſt, non pollutum, vt antea fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſſit. Retuliſti etiam nobis, chariſſime frater, quod duos Pſeudoprophetas in Francorum prouincia repperiſſes, quos non Pſeudoprophetas, ſed magis pſeudochriſtianos appellare debemus, ex quibus vnum nouum quidem Simonem, juxta tenorem literarum tuarum, repperimus, qui ſibi & ſacerdotium vendicabat, & à luxuria ſe minimè continebat, ſeduxitq; populum per varias falſitates, ita vt cruces ſtatuens in campis & oratoriola, illuc faciat populum concurrere, publicasq; Eccleſias relinquere; quiq; ſanctitatis nomine ſe vocari cenſuit, & in ſuo nomine Eccleſias conſecrauit, affirmans ſe Angelorum nomina ſcire, quæ in tuis literis nobis conſcripta direxiſti; quæ nomina nos non Angelorum, ſed dæmoniorum affirmamus. Alium verò ita luxuriæ deditum intimaſti, vt concubinam haberet, & duos ex ea filios procrearet, & tamen ſacerdotium ſibimet vendicaret, affirmans hoc juſtum eſſe juxta traditionem veteris teſtamenti, vt defuncti fratris ſuperſtes frater ducat vxorem, & quia Chriſtus reſurgens ab inferis nullum ibi reliquiſſet, ſed omnes inde abſtraxiſſet.

Quæ omnia deteſtabilia & ſceleſta judicamus. Benè autem tua ſancta fraternitas juxta Eccleſiaſticam regulam eos damnauit, & in cuſtodiam miſit, optimeque vocauit Antichriſti miniſtros & præcurſores. De cætero decerta, chariſſime, & viriliter age, & peruigil permane in miniſterio Chriſti, vt amplius ſanctæ Ec-

Eccleſiæ grex augeatur, & præmium æternæ retributionis creſcat copioſum.

Reuerentiſsimo fratri Bonifacio Zacharias ſeruus ſeruorum DEI.

SVſcipientes ſanctæ fraternitatis tuæ literas per præſentem gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in extaſin quādā incidim⁹, & admirationē magnā, eo quod nimis diſſōare vidētur ab eis literis, quæ à tua directæ ſunt fraternitate per elapſum Auguſtum menſem, vbi nobis indicaſti, quod Concilium, adiuuante Deo, & Karlomanno conſenſum præbente, factum eſt, & qualiter falſos Sacerdotes, qui diuinum non erant digni attrectare miniſterium, à ſacro munere ſuſpendiſti, & quia tres Archiepiſcopos per ſingulas Metropolim ordinaſſes, reſeraſti, idem Grimonem in ciuitate, quæ dicitur Rodoma: Secundum verò in ciuitate, quæ dicitur Remoram: Tertium Hartbertum, in ciuitate, quæ dicitur Sennis, qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter, & Karlomanni atq; Pipini detulit ſcripta, per quæ ſuggeſſiſtis, vt tria pallia tribus prænominatis Metropolitanis dirigeremus; quod & fecimus pro adunatione & reformatione Eccleſiarum Chriſti. Nunc autem denuo tuas ſuſcipientes literas valde ſumus, vt diximus, mirati, eo quod antea nobis ex petitione prædictorum Principum, pro tribus palliis ſuggeſſiſti, & poſtea pro ſolo Grimone. Sed volumus, vt nobis indicet tua fraternitas, cur tantæ rei facta ſit permutatio. Repperimus etiam in litteris tuis, quæ nimis animos noſtros conturbauerunt, quod talia nobis à te referantur, quaſi nos corruptores ſimus Canonum, & Patrū re-

Digitized by Google

reſcindere traditiões ſtudeamus, ac per hoc, quod abſit, cum noſtris Clericis in Simoniacam hæreſim incidamus, expetentes & accipientes ab illis præmia, quibus tribuimus pallia. Sed hortamur, chariſſime frater, vt nobis deinceps tale aliquid minimè ſcribas, quia faſtidioſum & iniurioſum nobis videtur, dum nobis ingeritur, quod nos omninò deteſtamur. Abſit enim à nobis & à noſtris Clericis, vt donum, quod per Spiritus ſancti gratiam ſuſcepimus, pretio venundemus, quia illa tria pallia, pro quibus te ſuggerente, vt prædiximus, flagitati ſumus, nullum expetētes commodum, tradidimus. Inſuper & chartas, quas ſecūdū morē, à noſtro ſcrinio pro confirmatione & doctrina de noſtro conceſſimus, nihil pro eis accipientes. Suggeſſiſti etiam nobis per alia ſcripta tua, quod in Bagoaria vnum reperiſſes falſum Sacerdotem, qui affirmabat ſe à nobis ordinatum eſſe Epiſcopum. Sed tua fraternitas optimè egit, dum ea nō credens, quæ falſo retulit, Sacerdotio illum priuaſti. Sic etenim authoritate beati Petri Apoſtoli præcipimus, vt quemcunq; repereris ſacris canonibus deuiare, nulla ratione patiaris ſacrum miniſterium tractare. *Et* quia ſciſcitatus es, ſi deberes in Bagoariæ prouincia jus habere prædicationis, quam à deceſſore noſtro habuiſti conceſſam, nos quoq; auxiliante Deo, omnia quæ tibi largitus eſt deceſſor & prædeceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus. Nam non ſolum Bagoariam, ſed etiam omnem Galliarum ꝓuinciam, donec te diuina juſſerit ſupereſſe maieſtas, noſtra vice per prædicationem tibi iniungimus, vt quæ repereris contra Chriſtianam religionem vel Canonum inſtituta ibidem detineri, ad normam rectitudinis ſtudeas reformare.

Sequun-

Sequuntur hîc tres Epiſtolæ, quæ quia in Surio ſunt, non ponimus illas hîc: neq; variæ lectiones alicuius operæ pretii ſunt; niſi quod in vltima Epiſtola Sur. fol. 504. v. 39. qui vocatur erga ripam] m. ſ. qui vocatur Bochonia erga ripam flum.

Sur. fol. 505. v. 6. Indictione quinta] m. ſ. Indictione ſecunda.

HVcuſq; cum Epiſtolarum ſerie ſufficiat intimaſſe, qualis labor, quantaue cura ſancto Bonifacio fuerit circa omnes, quos ipſe ad Chriſtianitatis cultum conuertit. Si quem verò moueat, quòd plurimæ Epiſtolæ, quarum mentio fit in ſuprascriptis Epiſtolis, hîc pariter ſcriptæ non habentur, ſciat illud hac de cauſa accidiſſe, quoniã nuſquam eas inuenire potui. Deinde inprimis dicere volo, quanta Karlomanni Principis deuotio fuerit circa Fuldenſe monaſterium. Rationabile etenim videtur, eandem deuotionem intimare, non ſolum ad declaranda tanti viri beneficia, verùm etiam ad profectum illorum, qui exemplis bonis ædificari merentur, pariterq; ad confuſionem eorum, qui licet optima quæq; ſciant, videant, audiant, in nequitia tamen ſolita perſeuerant; ore tantummodo Deum confitentes, ſed factis negantes; cordium aures ad ſæcularis vitæ amorem reſerantes, ſed ad præcepta diuina obdurantes. *P*rinceps igitur prædictus quamuis vndiq; adiacẽtium prouinciarum bello cõprimeretur, non tamen ideo à procuratione ſanctorum locorum, ſeruorumq; Dei retrahebatur; Credens vtiq; arma ſpiritualia, id eſt, virtutes animæ, multo fortiora eſſe, quàm corporalia, nullamq; ſpem habens in multitudine abſq; ſpirituali fortitudine, juxta illud: Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in Pſal. 32.

 mul-

multitudine virtutis ſuæ. Poſtquam ergò omnia Chriſtianæ religionis jura, vt in præcedentibus libri huius ſcriptis agnoſci poteſt, tam falſos Chriſtianos, quàm hæreticos expellendo, juxta S. Bonifacii conſilium correxit, illius etiam vota in monaſterio Fuldenſi nouiter constructo impleuit. Nam cum Abbas Sturmi, illum locum, vbi nunc ſitum eſt idem monaſterium, cum fratribus quibuſdam incolere cœpiſſet, eiusdemq; loci qualitatem S. Bonifacio denuntians, ſatis laudauiſſet, tunc ille ad Karlomannum pergens, ſuppliciter obſecrauit eum, dicens: Perpetua remuneratione tua omnipotentem Deum exoro, ſi mihi ſuccurrere dignaris, vt in Orientali regno tuo monaſterium conſtruere, monaſticamq; vitam inſtituere poſſim. Habemus enim in ſolitudine, quæ Bochonia nuncupatur, juxta fluuium, qui dicitur Fulda, locum ſatis aptum famulantibus Deo repertum, qui ad veſtram pertinet ditionem. Quem ſcilicet locum à pietate veſtra nobis concedi petimus, quatenus in hoc Chriſto ſeruire queamus. Quo audito Karlomañus nutu Dei gauiſus eſt, & conuocãs omnes palatii ſui milites, petitionem Epiſcopi eis intimauit, atq; coram eis locum poſtulatum tradidit Epiſcopo, dicẽs: Locũ igitur quẽ petis, & quem juxta ripã fluminis Fuldæ ſitum aſſeris, totum, quidquid in hoc ſub mea poteſtate conſiſtit, ab hodierna die in jus Domini trado, ita vt ab illo loco vndiq;, ab Oriẽte ſcilicet & Occidente, à Septentrione & Meridie marcha per tria milliaria paſſuũ tendatur. Hac itaq; traditione facta, miſit etiam nuntios, qui omnes nobiles, in regione Grabfelt habitantes cõgregarent, eosq; ſuppliciter rogarẽt, vt omnes qui infra marchã ſupra nominatã aliquid ꝓprietatis haberẽt, facerent, quæ & Princeps feciſſet, tradens videlicet in obſequiũ Dñi monaſteriiq; à S. Bonifacio conſtruẽdi.

Cumq;

Digitized by Google

Cumq; à nuntiis præſignati omnes fuiſſent congregati, Principiſq; petitionem cognouiſſét, mox cum omni deuotione, quidquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo ſanctoq; Bonifacio, nec non Abbati venerando Sturmi poſſidendum tradiderunt. Vt autem hæc traditio in perpetuum corroborata permaneret, Karlomañus, cuius inſtinctu hæc omnia agebãtur, juſſit chartã ſuæ traditionis ſcribi, quam ipſe ſigillo proprio firmare ſtuduit.

Cum igitur hæc & his ſimilia idem Karlomannus faciens, in dilectione Dei & proximi magis ac magis proficeret, ſed eandẽ dilectionẽ non ea, qua voluit integritate, in ſæculari habitu conſtitutus, implere præualeret, elegit optimam partem, quæ non auferetur ab eo. Nam reliquit ampla terrenæ poteſtatis regna, & ad Caſſinum mõtem, in quo tunc arctiſſima monaſticæ vitæ diſciplina habebatur veniens, Monachus ibi efficitur, Pipino fratri committens munia regni. Hic itaq; accepta paternæ & fraternæ poteſtatis monarchia, quę tunc Maior domus dicebatur, eandem deuotionem, eandemq; ſollicitudinem, quam & frater eius excoluit, tàm in diuinis, quàm ſæcularibus negotiis, ſecutus per omnia S. Bonifacii cõſilia. Qua de re contigit, vt cum ſe Deo, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, ſubmittere jugiter ſtuderet, regalis potentiæ excellentia obtineret. Tanta verò dignitate ſublimatus, eodem modo, quo & anteà S. Bonifacium diligere ſimul & venerari ſtudebat; vnde etiam traditionem fraternam ſuis literis roborare curauit. Quarum literarum exemplar hîc inſerere cupio, vt fideles quiq; inde inſtruantur, raptores verò iniqui videant, & confundantur.

Pipinus Rex Francorum, vir illuſtris, Bonifacio Archiepiſcopo & Legato Germanico ab Apoſtolica ſede directo.

Quia

Quia veneranda paternitas tua noſtram excellentiam poſtulauit pro monaſterio, quod à te nouiter conſtructum eſt, in ſolitudine Bochonia, juxta fluuium Fuldæ, in loco quem beatæ memoriæ Karlomannus germanus noſter legitima donatione tibi conceſſit, vt ſicut ex authoritate S. Petri principis Apoſtolorum, pro quo legatione fungeris, priuilegio ſedis Apoſtolicæ ſublimatus eſſe conſtat, ita etiam noſtræ authoritatis præcepto roboretur, placuit nobis petitionibus tuis aſſenſum præbere. Et ideo hanc noſtræ præceptionis ſeriem ob honorem Dei & venerationem S. Petri conſcribi juſſimus, per quam priuilegium ſedis Apoſtolicæ à beato Zacharia tibi collatum, cum conſenſu Epiſcoporum cæterorumq; fidelium noſtrorum, per omnia roboramus; præcipientes, vt nullus Sacerdotum in regno diuinitus nobis conceſſo, in præfato monaſterio ditionem aliquam ſibi vendicet, præter ſedem Apoſtolicam; ita vt non ab Abbate fuerit inuitatus, nec miſſarum ſolennia ibidem quisquam præſumat celebrare, ſed juxta id, quod ſubiectum conſtat Apoſtolicæ ſedi, firmitate priuilegii inconcuſſæ roboratum permaneat: locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel poſſidet, quàm quas futuris temporibus viri ipſius monaſterii diuina pietas augere voluerit, ex donis & oblationibus, decimisq; fidelium, abſq; vllius perſonæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Si autem quiſpiam noſtræ authoritatis præcepto repugnare voluerit, ſententiam Apoſtolicæ diſtrictionis, quæ in priuilegio expreſſa eſt, experiatur. Et tamen hoc, quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri, noſtra authoritate firmauimus, ſtabilitate permaneat, manu noſtra roborátum, & tam annuli noſtri im-

preſ-

preſſione, quàm fidelium noſtrorum aſtipulatione ſubnixum.

Eodem tempore contigit, vt quidam Clericus, nomine Adalger, bonæ conuerſationis vir, ſancto Bonifacio adhæreret, eiq; fideliter miniſtraret. Poſt modicum verò temporis infirmitate graui captus, cum ſe in extremis huius vitæ poſitum ſentiret, cum conſilio viri Dei, quæcunq; prædia ex hæreditate paterna habuit, ad ſanctum Martinum tradidit. Sed eo defuncto, fratres eius Aſperth & *Trutmunt, omnia quæ tradidit in locis ſubternominatis, id eſt, ad Amanaburg, ad *Brettenbrunum & Seleheim, in ſuã poteſtatem redigebant. Cumq; pro hac cauſa à defenſoribus Epiſcopi admonerentur, reſponderant, ſe velle cum iuramento affirmare, quod fratris prædia meritò ſibi vendicarent. Cui iuramento Epiſcopus ſe affuturum promiſit. Adueniente ergò die ſtatuto, & congregata multitudine copioſa propinquorum ſuorum, vt promiſſum iuramentum complerent, aduenit etiam vir Dei pariter. Cum autem prædicti homines iuramenti faciendi adiutores ſecum ad altare traxiſſent, dixit Epiſcopus, Vos ſoli iurate, ſi vultis; nolo vt omnes hos congregatos perdatis. At illi nihil morantes, iuramentum fecerunt. Quo facto, Epiſcopus dixit ad illos, Iuraſtis? Qui reſpondentes, Iurauimus, inquiunt. Tunc Epiſcop[9] ait ad Aſpertum, Maior vrſus te occidat. Deinde ad Trutmundum dixit, Nunquam ex ſemine tuo videas filium vel filiam. Quod ſcilicet vtrumq;, vt à S. Epiſcopo prædictum eſt, euentus rei probauit. Nam poſt modicum temporis Aſperto ad mẽſam ſedente, venerunt qui dicebant vrſum magnum diſcurrere per campum. At ille equo celeriter aſcenſo, & venabulo arrepto, cepit vrſum perſequi, antequam præpararent ſe comites ſui, in quo itine-

Su. Trutmundus.
Sur. ex Adamanaburgo, Breittenbrunon.

æ equo delapſus, totusq; per membrorum compagines contractus interiit. Cum autem ſerui illius ad illum properantes perueniſſent, inuenerunt eum jam mortuum. Truttmunt verò audiens ſancti viri prophetiam in fratre ſuo eſſe completam, nimis expauit, & mox prædia iniuſtè ablata ad altare S. Martini reddidit.

Poſthæc igitur cum S. Præſul Bonifacius verbi diuini ſemina, quæ infra Germaniæ Galliæq; confinia jecit, in cordibus credentium jam pullulaſſe, & fructum facere cerneret, nec non vicinam corporis ſui ſolutionem præcognoſcens, ſitiret omni modo, quãdo veniret & appareret ante faciem Dei, decreuit adire Freſonum populos, olim quidem eius doctrina ad Chriſtianæ religionis culturam conuerſos, ſed fallente diabolo, iterum quoſdam eorum ad priſtinum gentilitatis errorem deuolutos, vt aut eos Deo reconcilians ibi præſentem vitam fructuoſa pace finiret, aut ſi hoc magis Deo placeret, pro eius nomine quæcunq; ibidem aduerſa & cruciamina ſibimet occurrerent, vſq; ad mortem ſuſtineret. Sed priusquam tanti diſcriminis iter arriperet, ſciens non conuenire, vt pro alienis ouibus ſaluandis laborans, proprias ſibique commiſſas oues perire permitteret, ſanctum Lullum, qui fideliſſimus prædicationis & laboris ſui comes extitit, cuiusq; probitatem omni dignitate condignam ſatis agnouit, cum conſenſu venerandi Regis Pipini, nec nõ Epiſcoporum & Abbatum, atq; Canonicorum, omniumq; procerum ad ſuam diœceſin pertinentium pro ſe Epiſcopum elegit & ordinauit. Nam ab Apoſtolico præſule jam ante eundem pro ſe ordinandum impetrauit. Quo facto mox illum manu propria apprehendens commẽdauit cunctis Principibus, ibidem congregatis, vt ipſi tanquam patri obedirent, & adiutores ei in

in omnibus neceſſitatibus exiſterent. Deinde profe-ctus ad eos, qui in Turingia, & qui circa Renum habi-tabant, eadem faciebat. Nouiſſimè verò ipſum Lullum adinonens, dixit: Quoniam reſolutionis meæ tempus appropinquat, voluntas mea eſt, proficiſci, vbicunq; me diuina gratia dirigere voluerit. Sed tu, fili chariſſi-me, commiſſarum animarum curam age, tu populum ab errore reuoca, tu inchoatam monaſterii mei baſilicã prope Fuldam perfice, ibidemque corpus meum, quo-cunq; abiero, ſepulturæ committito. Adhæc etiam quæ itineri noſtro jam neceſſaria ſunt, prouide, & linteum, quo iſtud decrepitum corpus poſt obitum meum inuol-uatur, in theca librorum meorum repone. Poſtquam lo-quendi finem fecit S. Bonifacius, B. Lullus, licet ex imo pectore ſuſpiria multa traheret, licet ex nimio dolore la-crimatus fuiſſet; non tamen aliud, quàm tantus pater propoſuit, ſuggerere præſumpſit. Paucis itaq; diebus tranſactis naui cum conuiatoribus, ad huiuſmodi iter electis aſcendit, & Reni fluminis alueo differtur, donec aquoſa Freſonum arua ingrediens in ſtagnum, quod lin-gua eorum Almeri dicitur, ſoſpes perueniret. Vbi circum-quaq; pergens, verbum Domini cum fiducia prædica-uit, Eccleſias ingenti ſtudio conſtruxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo ſuo contulit, vt poſt paucos dies multa millia virorum ac mulierum cum commilito-ne ſuo Chorepiſcopo Eoban baptizaret. Hunc namq; ad ſubleuandam ſenectutem ſuam, iniuncto ſibi Epiſco-patu, in vrbe, quæ dicitur Thret, ſubrogauit. Erant etiam ei fautores Preſbyteri tres, & totidem diacones, quorum hæc ſunt nomina, VVintrug, VValtheri, & Adal-heri, Hamunt, Skirbalt & *Bderſo; Vaccar verò & *Kun-dekar VVilliheri & Hadolf ex monaſtico ordine erant, ſequen-

Sur. Boſo.
Sur. Gunder-harus.

ſequentes eum. Qui omnes vnanimiter cum S. Bonifacio laborantes in prædicatione Euangelii meruerunt cõſortes fieri in palma martyrii. Nam cum per latas Freſonum regiones prædicandi cauſa diſcurriſſent, veniſſentq; ad flumen quoddam, * Borthne vocatum, quod eſt in finibus eorum, qui ruſtica dicuntur lingua * Oſter & VVeſterriche, ſanctus Bonifacius ſuorum tantummodo clientum comitatu ſtipatus, juſſit ibi tentoria figi, cupiens videlicet in eodem loco, eorum qui nuper baptizati erãt, aduentum expectare confirmationis gratia. Dies enim appropinquabat, qui ad eandem confirmationem ſtatutus erat. Cumq; dies prædeſtinatus aduenißet, & ortus ſol altiores lineæ ſuæ gradus jam præoccupaſſet, tunc omnes, qui quaſi filii à patre expectabantur, indignaam ad accipiendam S. Spiritus gratiam, quæ ipſo die per ſacrã confirmationem offerenda erat, ſuper illos, verſa vice pro amicis inimici, pro nouitiis fidei cultoribus, noui lictores cum ingenti ſtrepitu, horrendoq; armorũ ſumptu in caſtra Sanctorum proruperant. Quo viſo, pueri ex caſtris proſilientes, armisq; ſeſe accingentes, ſanctos contra populi furentis multitudinem defendere geſtiebant. Sed S. Bonifacius audito tumultuantis turbæ impetu, primo quidem ad munimẽti ſpiritualis aſylum confugit, ſumẽs videlicet Sanctorum reliquias, quas ſecum indeſinenter habere conſueuerat; deinde verò accitis ad ſe Clericis è tentorio proceſſit, & pueros ſuos ad reſiſtendum paratos compeſcuit, dicens, Nolite, quæſo, pueri mei pugnare, nolite aduerſariis noſtris bellum inferre, quia ſacræ ſcripturæ verbis edocemur, vt non ſolum malum pro malo non reddamus, ſed etiam malum pro bono exhibeamus. Iam enim diu optatus adeſt dies, jam tempus illud aduenit, quo de laborioſa huius ſæculi ærumna ad æternæ beatitudinis inuitamur gaudia. Cur ergò tantam gratiam,

Sur. Bortnam vocat.

Sur. Oeſter & Weſterreiche.

Rom. 12. 1. Pet. 3.

tantam gloriam à nobis ſecernere & auferre vultis? Quin potius confortamini in Domino, & oblata gratiæ diuinæ dona nos gratanter ſuſcipere permittite. Sperate duntaxat in Domino, & ipſe liberabit nos ab omnibus periculis. Hæc & ſimilia dicens, animos virorum ſuorum compeſcuit ab omni tumultu bellorum. Deinde etiam Clericos cuiusq; ordinis patria liberaq; voce admonens, ait: O fratres chariſſimi, ſi qua diuini amoris cura, ſi qua admonitionis meæ memoria maneat in vobis, in hora oſtendite præſenti, recolẽtes illa dominica verba: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, quoniam animam non poſſunt occidere. Spei itaq; veſtræ anchoram in DEO figite, quia poſt breue huius vitæ ſpatium perpetuæ remunerationis vobis brauium conſortes faciat ſupernorum ciuium. Nolite precor diuturna inuictiſſimæ mentis bella in hac paruiſſima perdere hora, nolite peruerſis gentilium adulationibus implicari, ſed ſubitaneum, quod nobis jam imminet mortis periculum, pro illius amore, qui pro nobis paſſus eſt, conſtanter & viriliter ſuſtinete, vt cum illo perenniter poſſitis gaudere. Nec dum verò huius ſalutiferæ admonitionis verba à S. Bonifacio, diſcipulos ad coronam martyrii incitante, completa ſunt, & ecce furens multitudo paganorum cum gladiis omniq; infeſta armatura ſuper eos irruit, eorumq; corpora felici cæde cruentauit. Quod cum feciſſent, confeſtim victricem damnationis ſuæ cauſam augentes, primo quidem ingreſſi ſunt caſtra, & omnia quæ illic erant repoſita tam in libris, quàm in capſellis reliquiarum ſuarum abſtulerunt, arbitrantes ſe in eis reperturos multos auri & argenti theſauros. Deinde verò ad naues currentes, aſportauerunt etiam ea, quæ de quotidiano Clericorum puerorũq; victu illic remanſerant,

Matt. 10.

ferant. Vbi cum aliquid vini inter cætera reperiſſent, cœperunt ex eo guſtare, furentemque animum inebriare. Poſt hæc verò tractare, & conſulere ſtuduerunt, qualiter illum, qui putabatur inuentus eſſe, auri & argenti theſaurum inuicem diuiderent. Cumq; prolixius de tanta pecuniæ ſermocinantes diuiſione nequirent rem pacifico conſenſu definire, tanta inter eos ſubitò diſcordia & diſceptatio exorta eſt, vt eodem furore, eadem veſania, eiſdẽ armis, quibus antea S. Martyres jugulabant, ſemetipſos mutua condigna cæde necarent, juſto Dei judicio illis occurrente, & in tam reprobum ſenſum cadere permittente, vt eundem gladium, quem euagin auerunt ad interficiendos ſalutis ſuæ miniſtros, transfigerent in corda ſua. Huiuſmodi igitur ſtrage finita, qui ſupererant, iterum de pecuniarum opinione gaudentes concurrebant, & fractis librorum repoſitoriis, pro auro, volumina; pro argento, diuinæ doctrinæ chartas reperiebant. Vnde ſolita dementia arrepti, eoſdem libros, quos inuenerunt, alios quidem per campi planitiem, alios verò per paluſtria loca diſperſerũt, quoſdam autem in quibuſlibet locis incongruis proiicientes abſconderunt. Veruntamẽ omnipotẽtis Dei gratia vt clareſceret quãti eſſet meriti, cuius fidẽ fuerãt libri, poſtea magno tẽporis ſpatio trãſacto, reperti ſunt intemerati, & ad Eccleſias, in qbus vſq; hodie haberi poſſunt, à ſingulis inuẽtoribus reportati. Inter eoſdẽ verò libros repertus eſt S. Euãgelii liber, quẽ beatus vir ꝓ ſanctitate ſua ſecũ jugiter ferre ſolebat. Hic ergò quãuis gladio acuto, vt adhuc ab inſpicientibus ꝓbari valet, per medium inciſus fuerit, nullius tamen literæ integritatem eadem inciſione perdidit. Quem vt fertur S. Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abſcindendum vibrabatur gladius, habens in manibus, vel pro tutela ca-

pitis

plis vt multi ſolent, ſeu etiam pro clipeo ſpirituali, quem in libro tali eſſe credidit, percuſſori oppoſuit. In quo nimirum ſigno & miranda virtus DEI, & veneranda ſanctitas beati Bonifacii poteſt agnoſci. Mirabilius namque videtur, quod nulla inciſi libri littera delebatur, quã ſi nullum inciſionis ſtigma per ferientem gladium in libro reperiretur.

Poſtquam ergo carnifices, qui remanſerant, nulla æſtimatæ pecuniæ indicia inuenerant, ſatis contriſtati domum ſunt reuerſi, ſumpturi poſt trium dierum inducias dignas facinoris ſui pœnas. Audita enim ſanctorum virorum improuiſa nece, omnes Chriſtiani, qui in eiusdẽ regionis cõfinio habitabãt, conuenerũt, terrãq; eorũ, qui ſanctos trucidabãt, cum armata manu inuaſerũt. Quibus cum pagani cõuenietes reſiſtere vellẽt, ſed minimè præualerent, in fugã verſi magnam, perſequentium Chriſtianorum virtute proſtrati corruerũt. At Chriſtiani victoriam in paganos obtinentes, omnem ſubſtantiam eorum abſtulerunt, ſicq; ad propria redierunt; factũq; eſt, vt qui ſalutis ſuæ miniſtros trucidare non verebantur, duplici contritione contererentur; nam in vita præſenti cœperunt conteri, & poſtmodum æternæ damnationi ſunt deputati.

Corpus verò B. Pontificis à Traiectẽſis Eccleſię Clericis raptum poſt dies paucos ferebatur ad Traiectũ, ibiq; magna veneratione eſt ſepultum. Quod cum S. Lullus comperiſſet, congregata multitudine venerabilium virorum, tam laicorum, quàm Clericorum, intimauit eis & glorioſam S. Bonifacii paſſionem, & qualiter humatus eſſet apud Eccleſiam Traiectenſem, pariterq; referans omnibus in quo loco S. Præſul adhuc viuens ſibi præciperet corpus ſuum ſepelire, petiit, vt pro DEI amore

auxi-

Digitized by Google

auxilium præberent, quatenus ſancti viri juſſa poſſet implere. Cumq; plurimi ad huiuſmodi auxilium ſe promptiſſimos exhiberent, elegit ex eis, qui ſibi aptiſſimi videbantur, & miſit tam nauigantes, quàm equitantes ad prædictam vrbem cauſa auferendi corpus S. Bonifacii. Eiſdem autem legatis omnimodo properantibus, & peruenientibus ad Traiectum, ciues illius loci audientes cur veniſſent, congregauerunt & ipſi ſeniores populi, judiceſq; ad reſiſtendum. Et quia multitudini aduenientiũ congredi non poſſe viderunt, teſtati ſunt à Rege Pipino juſſum fuiſſe, ne corpus S. Bonifacii inde auferretur. Veruntamen legati hoc magis fictum, quàm verum arbitrãtes, viribus totis in ea, qua venerant cauſa, inſtabant, virtute ſcilicet diuina corroborante & adiuuante, vt voti compotes exiſterent. Quod etiam ita eſſe rei probauit euentus. Nam cum vtrinq; ageretur altercatio de corpore ſancto; interea ſignum Eccleſiæ, quod vulgò appellari ſolet Glocca, abſq; humano motu ſonare cœpit. Quo audito incolæ omnes, qui illic aderant, ad pugnam congregati, nutu diuino perterriti obſtupuerunt, & ſancti viri corpus reddendum eſſe decreuerunt; ſtatimque redditum eſt corpus, & à venerabilibus prædictis legatis ſuſceptum cum debito honore, & ſine remigantium labore, triceſima obitus ſui die, quaſi ad hoc ſtatuto, multi virorum ac mulierum procul habitantium convenerant, qui neſcientes aduectum ſancti corporis, gratia tantum præſtolandi ſeu occurrendi legatis illuc venire diſpoſuerant. Sed & venerandus præſul Lullus, qui legatis tranſmiſſis mox ad regiam curtem properabat, ipſo die licet ignarus de ſuorum reditu, ſanctiq; corporis aduentu, ſimul aduenit, Deo tantam conuenientiam ordinante, vt illis communiter aduenientibus, quibus magna mœſti-

Glogga.

tia ex amiſſo patre & doctore contigit, fieret etiam commune gaudium, cum eum perennem patronum apud Deum habere poſſe agnouiſſent. Suſcepto igitur theſauri tanti pignore fuerunt plurimi in vrbe Mogonciacenſi, qui cenſebant illic ſepeliendum eſſe ſancti viri corpus, vbi erat Epiſcopus, affirmantes huiuſmodi jus eſſe omnium Eccleſiarum, vt quo quis ſedem Epiſcopalem habuerit, illic quoq; ſepeliendus ſit. In tantum autem quorundam illud affirmantium præualuit certamen, vt pænè eorum conſilio S. Lullus conſentiret, niſi cuidam venerabili Diacono, q̃ dicebatur Otpertus, apparuiſſet S. Bonifacius in viſione dicens, Dic Epiſcopo Lullo, vt corpus meum abſq; omni ambiguitate ad monaſterii mei locũ transferat. Cumq; hanc juſſionem multi audientes minimè crederent, præſul Lullus allatis Sanctorum reliquiis, juſſit Otpertum ꝓbare jurando, ſi vera eſſet eius viſio. At ille nihil dubitans, juſſa impleuit, viſionem jurando probauit. Quod cum factum fuiſſet, omnes non ſolum ea, quæ prius renuerant de ſancti corporis tranſlatione fieri conſenſerunt, ſed etiam adiutores eſſe cœperant, in his quæ huiuſmodi cura poſcebat. Quidam enim ad afferendas naues, vt celeriter trans Renum proficiſci poſſent, properabant, quidam verò litaniam, pſalmodiam, aliaq; diuinæ laudis cantica ſanctũ funus ſequentes, dicebant. Cumq; turba vna longius ꝓcedens, vltraq; ꝓcedere nõ valens, rediret, alia nihilominus turba de regione vicina acceſſit, gaudens illius ſancto obambulare corpori, quem credidit & ſperauit ſibimet apud Dominũ ſuffragari. Quæ ibi lætitia & compunctio de tanti viri patrocinio plurimis fuerit exorta, hoc nequeũt noſtra dignè depromere ſcripta. Vnde etiam in quibuſdam locis vbi cum ſancto corpore pernoctabant vel meridiabãt, in eius

Digitized by Google

honore Eccleſias poſtea conſtruebant. Tali itaq; gaudio perductus eſt monaſterii Fuldenſis loco, quo ipſe ſepeliri ſæpius optauit, ſæpiusq; id beato præſuli Lullo peragẽdum commendauit. Qui & petitionem eius complere ſummopere niſus, cum veneratione debita terræ, quod ſuum erat reddidit, animam verò cœleſtibus gaudiis ſociandam omnimodis precibus commendare curauit. In cuius venerando tumbæ loco, per eius merita, multis, quod fides congrua ad obtinenda ea, quæ poſcunt, incitat, plurima eueniunt beneficia, tam interioris, quàm exterioris hominis; interioris quidem, cum veniam delictorum ſuorum obtinuerint; exterioris verò, cùm infirmitatem vel debilitatem aliquam corporalem euaſerint. Quæ videlicet vtraq; beneficia, quotieſcunq; ibi non impetrantur, non imputandum eſt vel diuinæ inclemẽtiæ, vel inualido apud Deum S. Bonifacii patrocinio: ſed potius his, qui infidelitate capti non merentur exaudiri, atteſtãte Euangeliſta, qui de Domino noſtro dicit; Quia non potuit vllas virtutes facere, propter incredulitatem quorundam. Ceſſant etiam interdum miracula, tam pro ſeruitutis diuinæ negligentia, quam pro incorrigibili inhabitantium malitia; ceſſant & ideirco, quia cum aliquãdo per interceſſionem Sanctorum eueniunt, non ſolum laudes vel grates Deo debitæ, Sanctisq; eius minimè referuntur, ſed nec memoriæ commendantur. Habuit autem S. Bonifacius in Epiſcopatu años XXXVI. menſes VI. & dies VI. Paſſus eſt vnà cum ſociis Nonis Iunii, Anno ſcilicet peregrinationis ſuæ XL. ſed Incarnationis Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo, regnante eodem Domino noſtro, Cui laus & gloria per omnia ſæcula ſeculorum,

Amen.

Matt 13.

De aduentu S. Bonifacy Romam.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCXXXVIII. Indictione VI. Imperante Leone Auguſto & Karlo glorioſo Duce Francorum, & Luitprando Rege Longobardorum, Bonifacius venerabilis Preſbyter, Anglus genere, à Brittannia Romam veniens, à Gregorio II. Papa Epiſcopus ordinatur, & ad prædicandum quatuor Germaniæ populis deſtinatur. In qua legatione tantam à Domino conſecutus eſt gratiam, vt rogatu, conſenſuq; Karli Ducis, prædictus Papa ſua vice regendam ſibi omnem ſubiugaret Germaniam. Interea B. Bonifacius aliquem cœpit locum diligenter explorare, vbi absq; omnium contradictione poſſet cœnobium conſtruere; & Monachos, cuius & ipſe profeſſionis extitit, ad Dei ſeruitium congregare. Vnde inſpirante gratia diuina, in ſolitudine Bochonia, quæ ad ſolius Regis ditionem pertinebat, locum ſibi placitum reperit, eumq; incolere decreuit. Hunc locum, juxta ripam fluminis Fuldæ ſitum, Karlomannus, conuocatis regni Principibus, prædicto Epiſcopo ſumma deuotione tradidit, ita vt ab illo loco vndiq;, ab Oriente ſcilicet & Occidente, à Septentrione & Meridie marcha per tria milliaria protendatur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE FVNDATIONE ECCLESIÆ ILLMINENSIS,

ET

TEGERNSEENSIS

ET DE

TRANSLATIONE SANCTI ARSACII.

Item,

FRAGMENTVM CHRONICON

THADÆI SCOTORVM ABBATIS RATISBONÆ,

De

S. KILIANO, S. VIRGILIO, ET S. LVLLO.

Nunc primum edita ex m. ſ. Magnifici & Cl. D. Alberti Hungeri Procancellarij Academiæ Ingolſtadienſis.

Ooo 1 Ad

Digitized by Google

Ad Lectorem.

HÆC duo fragmenta ideo vulgamus, quia illuſtrant hæc ipſa tempora, & S. VVillibaldi, S. Bonifacii, ſociorumq; mentionem continent, vt & S. Kiliani, & S. Lulli, quem patet in Illmünſter permãſiſſe. De fundatione monaſterii Illmünſter Hundius in Metropoli hæc: Otto, frater Alberti & Ottogerionis, fundatorum Tegerſeenſis Monaſterii, Illm Monaſterium, Ilmo flumini contiguum condidit, circa annum Domini 739. Collegium fuit Sacerdotum, qui anno 1495. cum diuo Arſecio Monachium tranſlati ſunt, ſecundum Auentinum in Annalibus fol. 291. Hæc Hundius. Porro quod hic de Rocho, à filio Pipini occiſo, narratur, meritò in dubium vocari poteſt. Lege Hundii Metropolim in Tegernſee, vbi & hæc: De fundatione huius Monaſterii extant quædam in libro quodam ſcripto Monaſteriorum Bauariæ, & Indice Abbatum huius Monaſterii, de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo ſchachorum occiſo, quæ tanquam fabuloſa Auentinus in Chronica omiſit. Ego de hac re nihil certius puto inueniri, quàm quod in priuilegiis, tum Ottonis II. tũ Henrici VI. & Friderici II. Imperatorum continetur. Hæc Hund.

DE

DE FVNDATIONE ECCLESIÆ ILLMINENSIS, & tranſlatione almi Confeſſoris & Pontificis Arſacii.

ANno Incarnationis Dominicæ ſeptingē-teſimo quadrageſimo ſexto, ſedente in Roma Zacharia ſummo Pontifice, & legatione fungente in Alemannia S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, adminiſtrante Romanum imperium Pipino Rege Francorum ſereniſſimo, ſedentibus in ſuis Epiſcopatibus venerabilibus Patribus Burchardo Herbipolēſi, VVillibaldo Aychſtetenſi, Gaybaldo Ratiſponenſi, Ioanne Saltzpurgenſi, Ermberto Friſingenſi; Extiterunt duo fratres nobiliſſimi, Principes Noricorum, Albertus & Ockarius, alto ſanguine progeniti, patre Burgundi, & matre Bauari, diuitiis præpollentes, Deum timentes, iuſtitiam ſectantes, omni virtute & morum honeſtate præclari. Hi erant prędicto Regi Pipino, Karoli Magni Patri, conſanguinitatis affinitate proximi, ac conſilio & fide præ cæteris propiores. Quorum vnus videlicet Albertus nouem Comitatus regebat & poſſidebat in Bauaria. Alter verò Ockarius, qui & ætate prouectior erat, Ducatum tenuit in Burgundia. Hic Ockarius habuit in aula Pipini Regis filium, nomine Rocho, quem tenerrimè diligebat, pro-

ſperis

Digitized by Google

ſperis in omni morum honeſtate affluente ſucceſſibus. Qui cum coquo jam dicti Regis filio aſſiduè luderet ludũ ſtaterum, & ſemper obtineret, exitialis iræ fomitem miniſtrauit. Cum verò quadam die huic ludo operam dediſſet, & filius Regis multotiens victus eſſet, ira præruptus, Rocham filium Ducis ſuper temporà percuſſit. Ictum mortiferum ſecuta eſt mors. Qua cauſa Rex celerius cognita, ſolito triſtior efficitur, & eo jubente funus clam tegitur, & occultatur, ne rumores mali, parentum mentes conturbarent. Igitur per fideles Regis Ockarius, vt amicus Regis aduocatur. Sedens itaq; Rex Pipinus in Cauſis, requiſiuit à Duce Ockario, quid faciendum ſit in cauſa, quę nullo emendationis cultu emẽdari poterit: At ille neſciens huius ſententię ſpiculum in ſe retorqueri: Reſpondet, Res quæ nulla ratione reformanda conſtat, æquanimiter ferenda eſt. Fiunt nota* pr. quæ fuerant geſta cum filio, trahuntur ſuſpiria, luctus, lamentatio inconſolabilis: deinde fletus Regis, & Principum dolor: conticetur, tandem res in concordiam ducitur. Cumq; deſtitutus eſſet hærede, & mundi huius opibus vberrimè affluerer, de bonis ſuis duo Cœnobia conſtruxerunt, ad diuini cultus ſeruitium idonea, ſcilicet Illminenſe & Tegernſenſe, bona donantes; Illminenſibus Audonem, ſiue Vtonem ſuum ſororium, in præpoſitum præfecerunt, & S. Arſacium à Mediolano in Cœnobium Illminenſe tranſtulerunt XV. Kal. Iunii. Sit laus & gloria Chriſto. Amen.

*Ios. Principi.

FINIS.

THA

THADÆI ABBATIS SCOTORVM RATISBONÆ

Fragmentum Chronicon,

De

S. Kiliano, S. Virgilio, & S. Lullo, &c.

EGO FRATER TATHEVS ABBAS SCOTORVM RATISPONÆ, AD petitionem domini Conradi Præpoſiti in Illminſter, infra ſcripta extraxi de Cronica fundationis Scotorum, folio viceſimo nono, Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſeptimo, vndecima die menſis Martii, Indictione quinta.

TEmpore Pipini Regis Romanorum venit egregius Epiſcopus, celebris vir, magnæ virtutis, de Hybernia, nomine Kilianus, cum duobus ſociis ſuis Colonato & Totnano. Iter direxit Romam in peregrinationem, more Scotorum, magni maris pericula euadentibus. Ad Flandriam proſpero comitatu peruenerunt, vbi per Angelicam viſionem reuelatum fuit beatiſſimo Kiliano, vt per Alemaniam iter dirigeret verſus Romam: & ſic peruenit Romam. Tantę gratiæ fuit coram Deo, vt cuiuslibet linguæ ignotæ interpretationem populis expediret. Pater Apoſtolicus percipiens ſancti viri prudentiam, & ſacræ ſcripturæ intelli-

 genti-

Digitized by Google

gentiam, in Alemaniam ad partes Franconicas ipſum deſtinauit, vt prædicaret verbum vitæ genti Idololatricæ, quod adimpleuit vſq; ad tempus ſui Martyrii apud Herbipolim, vt in eius geſtis plenius habetur.

Tempore eodem venit honorabilis turma ſanctorum de Hybernia, videlicet S. Virgilius Epiſcopus, cum aliis ſeptem Epiſcopis ſanctis, multisq; aliis ſociis, qui propoſuerunt Domini veſtigia, ac ſanctam terram corporeis oculis videre, ſolito more reuerendorum patrum Scotorum. Angelus quidam Domini ad S. Virgilium locutus eſt, dicens, Placuit Creatori omnipotenti, vt deſiſtatis ab incepto itinere ad Apoſtolorum limina. Et veſtra reſurrectio ſit, exuto carnis onere, apud ciuitatem Saltzburgam. Comites quidem veſtri ſint diſperſi vndiq; per Bauariam, Karinthiam, & Stiriam, in Dei ſeruitio. Sermone Angeli expleto, S. quoq; Virgilius Saltzburgæ Epiſcopus eſt factus. cæteri eius Coëpiſcopi Saltzburgæ in miniſterio operis Dei remanſerunt vſq; ad diem obitus eorum.

Cæterum eorum ſocius videlicet B. Lullus apud Ilminſter glorioſis operibus intrepidus permanſit. Et B. Declanus cum aliis duobus Friſingiam, duoq; alii apud Rott beata oſſa ſua terræ commendauerunt. Et ſanctus Alto apud Altenminſter. Et ſic ſanctus grex beatorum virorum diuiſim in diuerſis locis regna cœleſtia ſunt adepti.

FINIS.

VI

VITA,

ſiue potius,

HODOEPORICON

SANCTI

WILLIBALDI

Primi Epiſcopi

AICHSTADIANI,

ſcriptum

A

CONSANGVINEA SANCTI WILLIBALDI,

SANCTIMONIALI HEIdenheimenſi.

Nunc primum edita ex m. ſ. Monaſterij Rebdorffenſis, prope Aichſtadium.

Digitized by Google

DE S. WILLIBALDO EX LIB. III. TRITHEmij de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti, cap. 187.

VVillibaldus primus Epiſcopus Eiſtetenſis, à B. Bonifacio ordinatus, filius Regis Anglorum Richardi, cum patre & fratre regnum terrenum contemnens, pro amore Chriſti peregrinus factus, multis effulſit virtutibus. Hic cum eſſet quinq; annorum, in Monaſterio, quod VValdheim vocatur, traditus eſt: in quo multum proficiens, vir doctus & ſanctus euaſit. Poſt plures verò annos patriam deſerens, venit Romam, ac deinde Hieroſolymam: viſitatisq; multis Sanctorum locis, tandem Monachus Caſſinenſis efficitur, decimo peregrinationis ſuæ anno. Tandem à Gregorio Papa III. in auxilium Bonifacio Archiepiſcopo dirigitur, & in Eiſtetenſis Eccleſiæ præſulem conſecratur. Claruit anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo. Cuius feſtum octauo Idus Iulii colitur. Hæc Trithemius.

Scripſit vitam S. VVilibaldi Reginoldus vndecimus Epiſcopus Aichſtadianus, teſte Molano ad Martyrologium Vſuardi, die 7. Iulii: Et Bruſchio in catalogo Epi-

Epiſcoporum Eiſtetenſium; vbi hæc de Reginoldo. *Reginoldus vir doctiſsimus, trium linguarũ egregiè peritus, Muſicus eximius, tribus Othonibus Imperatoribus longè chariſsimus, à quibus multa inſignia priuilegia conſecutus eſt. Eligitur in Epiſcopum Eichſtadianum, poſt mortem Starchandi. Præfuit laudabiliter ac vtiliſsimè annis 24. Obiit 4. Aprilis, Anno Domini 989. Scripſit vitas S. Nicolai, Blaſii, VVilibaldi item ac VVunibaldi fratrum, &c.*

Hæc tamen vita, quam nunc edimus, non à Reginoldo, ſed à ſanctimoniali Heidenheimenſi conſcripta eſt, quod planum fit ex præfatione; itemq; ex his verbis, quæ non procul à fine hiſtoriæ reperies: *Tranſacto atq; terminato prolixo itineris meatu ſancti VVilibaldi, quem ille ſagax in ſeptem annorum induciis luſtrando adibat, illa nunc reperta, & ex ritu rimata explanare, intimareq; conabamur, & non ab alio reperta, niſi ab ipſo audita, & ex illius ore dictata perſcripſimus in Monaſterio Heidenheim: teſtibus mihi Diaconis eius.* Ad quæ verba gloſſographus quidam in margine Rebdorfienſis Codicis, hæc adſcripſit: *Hinc coniici datur, S. Balpurgam ſcripſiſſe hanc legendam; quia etiam in prologo aſſerit, ſe eſſe de parentela S. Billibaldi.* Nec temerè id admonuit, aut ſuſpicatus eſt, quiſquis ille fuit: quia in prooemio diſertè teſtatur; ſe ex VVilibaldi & VVunibaldi *genealogia ſtirpe* progeneratã fuiſſe; ad quæ rurſus ignotus ille gloſſator: *Fortè hæc illuſtris femina S. VValpurgis fuit, quia aſſerit ſe conſanguineam hic.* Nec refert; quod ſe *Saxonica de gente* nouiſſimã appellat: Nam Anglicana & Saxonica gens hoc loco vnam eandemq; gentem ſignificat: Angli enim Saxones fuerunt. *Tunc Anglorum ſiue Saxonum gens inuitata à Rege præfato in Britanniam,* inquit Beda lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 15. Veriſimillimum igitur eſt aliam huius hiſtoriæ ſcriptricem non eſſe, præter S. VValpurgem; id enim ad-

Digitized by Google

ducta teſtimonia ſatis teſtatum faciunt: vt & hoc, quod quæ chartis mandauit, ea ex ore narrantis, & quaſi dictantis VVillibaldi accepit: qua humanitate vir ſanctus, vel in primis erga ſororem ſuam VValpurgem non immeritò vſus cenſeri poteſt.

Et hæc quidem plenam fidem facerent, niſi obſtaret vita S. Wunibaldi; quam ex eadem officina profectam eſſe; docet primò ipſe ſtylus & orationis genus: neque enim lac lacti ſimilius, quàm genus dicendi in vita S. Wilibaldi & S. VVunibaldi. Secũdo, quia vtranq; vitam ſcripſit fæmina: vt enim hîc ſexum ſuum diſertè; ita & initio hiſtoriæ de S. VVunibaldo eundem indicat; aitq; in vita S. VVunibaldi circa initium, ſe prius etiam quædã de rebus à S. VVilibaldo geſtis, in litteras retuliſſe: quod certè de alio cõmentario intelligere neq̃mus, niſi de hoc VVillibaldino, ſicut & in hoc ipſo VVilibaldinæ vitæ ꝓlogo, copioſè reddit rationem, quare tam de actis ſancti VVilibaldi, quàm etiam S. VVunibaldi velit ſcribere. Quod autẽ vita S. VVunibaldi non ſit ab ipſa S. VValpurge literis mandata, inde liquet, ꝙ ſcriptrix illa ſemel atq; iterũ ſororis VVunibaldinæ, hoc eſt, VValpurgis mentionem facit. Ex cuius itidem relatione ſe pleraq; de ſancto VVunibaldo accepiſſe profitetur: tametſi eorum, quę mortem S. VVunibaldi conſecuta ſunt, ſpectatricem ſe fuiſſe aſſerit. Hæc ergò faciunt, vt num vero conſonẽt, quæ de S. VValpurge dicta ſunt, addubitemus. Si quis aliter ſentit, is aliter ſentiat, per nos licet: Neq; enim cum quoquam contendemus; etiamſi affirmet vitam VVilibaldi ab alia, & quidem à VValpurge: Vitã verò S. VVunibaldi ab alia vel alio conſcriptam eſſe. Illud perſpicuum eſt, lucubrationem iſtam non tam dici aut inſcribi debere vitam (etſi hanc inſcriptionem M. C. habet) quàm *Ho-*

dæpo-

Odœporicon ſeu *Itinerarium* S. VVilibaldi. Nam ſi quis rem accuratius perpendat, nihil aliud S. Virgini propoſitum fuiſſe aduertet, quàm vt fratris ſui peregrinationes in litteras referret, quod argumētum, vt aptius exſequeretur, nonnulla de ortu & puerili eius ætate initio attexuit: cæteroquin in ſolis VVilibaldi peregrinationibus percenſendis occupata. Scriptus eſt autem hic commentariolus ſancto VVilibaldo adhuc in viuis agente: Nihil enim hic de obitu illius legitur, qui ſilentio prætermiſſus non fuiſſet, ſi S. VVilibaldus tum viuere deſiiſſet: vt taceam VVilibaldum ſorori ſuæ ſuperſtitem longè vltra mortem S. VValpurgis vitam ſuam produxiſſe.

Qui miratur ex fœminæ officina monumentū hoc prodiiſſe, is, vt cæteras ſileam, in memoriam reuocet S. Hildegardem Bingenſem, & Bandominam Monialem: quarum illa præter alios tractatus ſcripſit vitam S. Ruperti ducis & confeſſoris; & vitam S. Diſibodi Epiſcopi: lege ſi placet, Trithemium in catalogo illuſtrium virorum Germaniæ, & lib. 2. de illuſt. viris Ord. S. Benedicti, ca. 119. hæc verò vitam S. Radegundis litteris prodidit, quæ exſtat apud Surium tom. 4.

Quos ſtyli ſimplicitas & barbaries offendit, illi, ſi politius & elegantius ſcribunt, Deo inprimis, tum etiā huic tam erudito ſęculo, quo nati ſunt, gratias agant: Si verò nihilo plus elegantiæ habēt: videant qua ęquitate à ſcriptoribus, quorum vita in denſiſſimam barbariem incidit, id exigant; quod ipſi hac tam culta ætate præſtare non queunt. Omnes autem iſti tam rigidi elegantiæ exactores; hæc ſibi à Theodoreto dicta exiſtiment. lib. 9. de curand. Græcor. affect. Vos quidem elegantes, comptosq; ſermones audire percupitis, quærentes his quàm maximè permulceri. Vbi verò tales non inuenitis, riſu effuſo eos contemni-

temnitis ac maledictis inceſſitis, quin etiam obſtructis auribus, quæ dicuntur, audire non vultis. Contra verò animaduertere vos oportuit, ita vſu euenire, vt ea, quæ ſunt quàm maximè pretioſa, cuncta ferè vili materia integantur. Videre ſiquidem eſt pretioſum vnionem, quales ampli ac magnifici viri apud ſe eſſe deſiderant, aſpernabili admodum teſtę innaſci, eademq; nutriri, augeſcere, occultari. Qui verò eum ſibi coëmunt, auri plurimũ perſoluentes, miſſam faciunt teſtam. Præterea pellucentes gemmas, ornandisq; regijs capitibus deſtinatas, alius lapis extrinſecus circumueſtit, deſpicabilis ille quidem atq; inutilis: qui ergò eas gemmas expoliunt, ad ornatũque concinnant, ſuperfluam illam teſtam, nihiliq; pendendam circumamputantes abradentesq; nitorem lucẽtium lapillorum detegunt & expediunt. Aurum quoq; quod paſſim à multitudine peramatur, ipſumq; præterea æs, ferrum, argentum, terra atq; arena obtegitur; verum qui auri venas atq; argenti rimantur, metalla quidẽ effodiunt, ramenta verò ſibi & minutias colligunt: poſtquam verò impreſſis notis aurum jam ſignatum eſt, incuſſumq; Imperatoris characterem accepit: non illud aurei loculi, ſed thecæ vel ex corio, vel ex marmore confectæ inditum ſeruant. Iure igitur factum eſt, vt veriſſimas de diuinis, humanisq; rebus traditiones, non illuſtres eloquentia, tumidiq; ſermones, ſed ſimplices, humilesq;, ac omnibus mortalibus noti prædicent; magnumq; adeò & infallibilem theſaurum viles admodum thecæ, deſpicabilesq; circumferant. Hæc pulchrè & verè Theodoretus.

IN.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTI CONFESSORIS ATque Pontificis Willibaldi Patroni, pariterque paſtoris noſtri.

VEnerandis, imoq; in Chriſto chariſſimis omnibus ſacerdotalis infulæ honore ditatis Presbyteris, præclaræq; indolis Diaconibus, & nihilominus Abbatibus, ſiue omnibus populariæ conditionis proceribus, quos paſtoralis curæ priuilegio pius procerum Pontifex, alios (*hagio, ſancto*) agio ordine Presbyteros, alios ſobriæ pudicitiæ elegantes Diaconos, alios cœnobialis militiæ Monachos, & alios ſub diſcipulari habitu, ſolertibus literarum ſtudiis inhærendo, docendo, ad meliora recti regiminis principatu erudiendo prouexit. & ita vt egregius exercituum alumnus ſua induſtria per diœceſim diligenter quodammodo vt natos proprios mulcendo, fouendo fouere ſolebat. Iſtis omnibus

iſtic ſub ſacræ legis moderamine manentibus, ego indigna Saxonica de gente iſtinc venientiũ nouiſſima,& nõ ſolũ añis,ſed etiam moribus; & de illorũ comparatione contribuliũ meorũ,quaſi homuncula, ego quidem vobis religioſis ac Catholicis viris, cœleſtis bibliothecæ miniſtris, ob vtilitatem memoriæ,pauca perſtringẽdo, paulatim de primordialis vitæ eius venerãdi VVillibaldi ꝑmio diſputare decreueram. Sed tamen præcipue ego femina fragiliq; ſexus imbecillitate corruptibilis, nulla prærogatiua ſapientię ſuffulta, aut magnarum virium induſtria elata, ſed ſpontanea voluntatis meæ violentia coacta, velut quadam ignari paruâ de pectoris prudentiâ pauca decerpens, & ex multis frondoſis * frugeriſq; arboribus florum varietate miſtorum, exigua qualibet arte, ſaltem extremis in ramis, veſtræ memoriæ apta pauca excerpe, compaginare, ediſſerereq; me libet. Et nunc reciproco ſermone iterando dico, non propriæ præſumptionis primordio, non * temeratis audaciâ freta inſtanter hoc incipere, niſi vt vix audeo. Sed quia nunc primum Dei gratia, venerandæq; viri tanti viſionis magnitudine, veſtræque auctoritatis excellentia, & nihilominus bene valido veſtræ volũtatis auxilio atq; conſenſu,aliquatenus me credebam poſſe impetrare, vt tanti operis celſitudine, tantaq; miraculorum, nec non etiam virtutum ſigna, quæ Dominus pro humani generis ſalute ſe humiliando, deſcendendo, in humani corporis aſſumptione, diuinæ roboratus potentiæ priuilegio, præſtare atque perficere dignatus eſt in hoc mundo, ſuiſque oculis venerandi viri Billibaldi corporaliter cognita, ſuiſq; plantis ꝑ omnia palpãdo,penetrandoq; viſibiliter cõparere; hæc oĩa intimando perſtringimus. Et non ſolũ ſigna, quæ nobis per Euangelii gratiam certa demonſtrantur, ille videbat

f. frugiferiſq;

f. temeritatis.

Digitized by Google

bat, ſed etiam ipſa terrarũ loca, vbi Dñs noſter naſcendo, patiendo, ac reſurgẽdo nobis apparuit; & nihilominus alia prodigiorũ virtutumq́; veſtigia, quæ Dominus in iſto orbe terrarũ promere, diffamareq́; dignatus eſt; ille pſpicax noſtrorũ omniũ pædagogus, omnia tranſmeando, fide robuſtus, fato fortunatus, pcaciter peragrãs, oĩa viſitãdo reppericbat atque videbat. Vnde nunc certè, vt ita dicam, mihi videbatur eſſe pteruum, q; iſta omnia muto tenacitatis ſilentio oppilatis labiis humana taceat lingua, quę dominus ſuo ſeruo per ppriĩ corporis laborẽ, per viſionẽ oculorũ oſtendendo, in noſtris tẽporibus reuelare dginatus eſt. Iſta non Apochriforum, non erratica diſſertione relata eſſe cognoſcimus, ſed ſicut, ipſo vidente & referente, de oris ſui dictatione audire, & nihilominus ſcribere deſtinauimus, duobus diaconibus teſtibus, mecumq́; audientibus, nono Kalendas Iulii, pridie ante ſolſtitia die.

Iſtos certè litterarum apices non ideo ego idiota diſputare inchoo, quòd de veſtræ ſagacitatis induſtria me aliquid diffidere æſtimetis, ſeu quod bene non nouerim ego multos virorũ, quos Dñs Deus noſterq; Antiſtes mihi præſtantiores non ſolũ virilis ſexus dignitate, ſed etiam diuinæ cõditionis miniſterio præferre dignatus eſt, multo magis diuinæ legis eruditione ei nihilominus indagatione ſollertis curæ procaciores diſponere ediſſerereq́;. Sed quia me, indignam tamen, de illorũ *genealogiæ ſtirpe, non aliũde propagatã, fortè de extremis ramorũ cauliculis fore nouerã, de tãtis talibusq́; virorũ beatitudinib⁹ venerabilisq́; vitæ eorũ, non ſolũ in actibus, ſed etiã in itineribus variis, multifariisq́; miraculorum magnitudinibus, perfectè proficiſcentibus, aliquid memoriæ dignum lectoris legendi manibus imponere me libet. Quorum

In marginẽ codicis m.ſ. à quodam gloſſatore hæc aſſcripta ſunt verba: Fortè hæc illuſtris femina S. Balpurgis fuit: quia aſſerit ſe conſanguineã hic. Vide quæ ſup. ad Lectorẽ de hoc diſſerimus.

alter ſummæ ſacerdotaliſq; infulæ, paſtoraliſq; curæ prærogatiua prælatus, inclitus crucicola, magnus magiſter Billibaldus, & alter rectæ ſoliditatis iter arripiens, praua dirigens, indirecta aſperaq; & ferocia politè planitans, prauorum gentilium, proteruaſq; peccatorum ſpurcicias non deſide tepidè titubanti mente, ſed felici temeritatis audacia ꝑcaciter, ſuperneq; ſagacitatis telo rite roboratus, inſtanto labore omnia exinaniuit. Qui ſacerdotali quoq; prælatus infula, paſtoralíq; cõputatus honore Abbas erat, præclaruſq; Chriſticola Bunebaldus. Iſta omnia per albas camporũ planicies ſulcato tramite nigra perarata veſtigia ſcripta, veſtra cara coram ſcientia præſentata, contra omnes æmulorum vituperationes, Dei gratia, veſtraq; per omnia protectionis arma, & nihilominus placidæ veſtræ, commendamus perceptionis, vt in omnibus læti laudemus nos liberantem, dona tribuentem Dominum.

Incipit vita eiuſdem.

I. PRimum igitur venerabilis, ſummiq; Dei Sacerdotis, atq; Pontificis primordium, vitæque illius venerãdi viri ſancti *B*illibaldi ſublimitatem, qui ſolerter ſub ſacræ legis moderamine alme priorum exempla ſanctorum militando, ſeruiendo, mente & moribus ſectando inhærebat. Huius itaq; vitæ exordiũ & in ante iuuentutis medietatem, ad illius vſq; ſenectutem, proceſſum & hactenus vſq; decrepitam ætatem intimando, gracilẽ opuſculi huius con-

iectu-

Digitized by Google

iecturam glomerando ordiri decreueram, ordinandoq; texere.

Cum ille in proœmio ſuæ infantiæ * cunaculis amabilis, atq; delectabilis, blandiſq; nutrientium adulationibus, præſertimq; parentum circa illum magnæ deuotionis affectu, diurnaq; ſollicitudinis prouidentia curam gerentium confortatus atq; enutritus, ad triennium vſq; peruenit. Tranſactis itaq; tunc tribus annorum curriculis, cùm paruus ille ſeu delicatus fragili æuo, infantiali ætate, teneri corporis adhuc gereret artus, ſubitò euenit, vt illum triennio grauis corporis aggrauaret ægritudo, tantaq; eſt arreptus corporis moleſtia, vt exiguæ membrorum ſtringerentur compages, & vix in eo permanens flatus, vicinum minabatur vitæ exitum. Cumq; iſtud cernerent pater & mater, editum ſuum ægrotantẽ, jamq; vſq; penè ſeminecem, timidi extaſi, nouaq; mentis mœſtitia valdè recenti, anxiari cœperunt, quod ſobolem ſuam ſibi genitam, recenti lue laſſatam, exitialique diſcrimine ex improuiſa morte irretitam fore viderunt. & illum, quem prius de primordialis infantiæ cunabulis ablactatum atq; confotum, vſq; ad triennium nutriebãt, illiſq; ſuperſtitem & hæredem habere optabant, jam exanimem ſeu extinctum, glebaq; coopertum, dolore timebant. Sed omnipotens Deus, mundi fabricator, cœli terræq; limator, ſeruum ſuum infantem, & adhuc inoleſcentem, exilibuſq; membrorum compagibus tenerum, hominibuſq; incertum, de corporis ergaſtulo adhuc educere nolebat, ſed vt magis poſtea per orbem ſua norma neophytis patula panderet vitæ præmia.

* f. cunabulis.

Sed ad priſtinam redeamus iterum præfati viri infantiam. Cumq; parentes eius magno mentis exceſſu ſuſpenſi, & de incerta filii ſui euaſione eſſent ambigui,

 ſumen-

ſumentes filium ſuum, obtulerunt illum coram illa dominica ſanctaq; CRVCE Saluatoris. Quia ſic mos eſt Saxonicæ gentis, quòd in nonnullis nobilium, bonorumq; hominum prædiũ, non *Eccleſiam*, ſed ſanctæ CRVCIS ſignum, Domino dicatum, cum magno honore, almum, in alto erectum, ad commodam diurnæ orationis ſedulitatem, ſolent habere. Illic ponentes illum coram cruce, Dominum Deum, omnium plaſmatorem, illos conſolari, ſoſpitemq; ſuum ſeruare natum, ſuis virtutibus, obnixè flagitabant; ſicq; intentiſſimis illorum precibus ſe vicem reddere ſpondebant Domino, vt ſi priſtina illius infantis reſtituta foret ſanitas, extemplò illum ſub ſacri ordinis primordio tonſuram accipere, ſub cœnobialis vitæ diſciplina, ſub diuinæ legis moderamine militando Chriſti famulatui ſubiicere ꝓmiſerunt. Statimq;, priusquam illi vota vouerunt, verba conſummauerunt, filiumq; ſuũ cœleſti commendauerunt regi militare, confeſtim gratiam, & præterea à Domino petitionum conſequebantur effectum, priſtinaq; puero poſtea reſtituta eſt ſanitas.

II. Cumq; illuſter ille puer in infantia ad quinquennium vsq; perueniſſet. Aſt in eo jam tunc tẽporis germinabat ſapientiæ virgultum. Itaq;, parentes votiua deſideriorũ implere ꝓperabant ꝓmiſſa, atq; illuſtrem quantocius, cũ conſultu amicorũ, carnaliumq; propinquorum cõſilio ad ſacrę cœnobialis vitæ inſtrumenta prępararare atq; perficere feſtinabant. Confeſtimq; illũ venerando fideliſſimoq; viro THEODREDO cõmendabant, ſuaq; ꝓuidẽtia eũ ad cœnobiũ ducere, omniaq; prudenter de ſua cauſa diſpenſare, diſponereq; rogabant. Cumq; perrexiſſent, & illũ ducerẽt ad Monaſteriũ, ꝙ vocatur VVALTHEIM, venerãdo Abbati illius monaſterii, qui vocatur EGBALT, offerebant, & illum ſuæ conditionis jure juniorẽ, ſeu obedi-

endo

endo diſcipulum ſuo ſubdiderunt imperio. Statimq; ille Abbas monaſterii, ſecundum regularis vitę diſciplinam, declarabat iſta ſuæ congregationi, ſicq; vt cum eorũ conſilio ſiue licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conuentio fratrum ſimul reſponſum ſeu licentiam dabant, ſuæq; voluntatis arbitrio hæc omnia fas fore dicebant, acceptumq; illum ocius inter cœnobiale vitę eorum conſortium jungendo ſociabant.

Poſthæc itaq; cum ꝓtinus puer iſte pudicus, ſeu perfectus, ſacris litterarum ſtudiis imbutus, atq; eruditus, ſacras Dauidici carminis paginas ſolerti mẽtis intentione peragrans, ſed & etiã alia diuinæ legis agiographorũ armariola indagando, ſiue legendo, ꝑcaci ſenſu * ſophyrus, mẽte moderatus, indagabat, & tamẽ non adhuc plurimorum ætate añorum grãdæuus, ſed ſicut diuina ſemper ſupnæ pietatis clemẽtia agere ſolet, ſecundũ ꝓpheticũ prophetiarũ vaticinium, ex ore infantiũ ſeu lactentium, perficere ſibi dignatus eſt laudem. Deinde itaq; in eo jam ſimul annorum ætas, mentiſq; ſagacitas, diuinæ diſpenſationis moderamine, pullulare cœperat, & multo magis in eo jam tunc diuina Spiritus ſancti gratia, quàm corporis magnitudo creuerat, aut membrorum valitudo. Totuſq; jam ille in Dei amorem conuerſus, magna mẽtis diurnaq; meditatione tractando monaſterialia moderationis inſtrumenta, monachialiſq; vitæ monarchiã in abdita mentis quiete diu noctuq; ſollicitè volutabat, quomodo illorũ ſe copularet caſtæ monachorum clientelæ, aut qualiter illorũ fauſtis interfore poſſit familiaris vitę diſciplinis. Cũq; iſta ſedulò intra mentis volubilitatem reuolueret, tractare cœpit, qualiter hæc cogitatio ꝑmereri potuiſſet effectũ, vt caduca cũcta * coſmi iſtius cõtẽpneret, ſiue derelinquere potuiſſet. & non ſolũ tẽporales terrenarũ rerũ diuitias

III.

* Sophyrus, pro, ſapiens, nõ ſemel vſur-pat.

Pſal. 8.
Matt. 21.

* mundi

Digitized by Google

tias, ſed & patriam atq; parentes, ac propinquos deſerére, peregrinationiſq; temptare tellurem, & ignota externorum requirere rura. Cumq; aliquanti temporis intercapedine tranſacta, poſt illa infantialis eius oblectationis ludicra, & pueriles incentiuorum laſciuias, & illecebroſas luxurioſæ ætatis petulantias, per indefeſſam atq; ineffabilem diuinæ diſpenſationis gratiam, ad lanuginem, & pubertatis adoleſcentiam perueniſſet, maximam in contubernio fratrum dilectionem, per obedientiæ affectum, per manſuetudinis munificentiam, in ſe prouocabat; ita vt amore & honore inter omnes illos haberetur inſignis. Sicq; diutius diurnæ ſollicitudinis cura, & diuinis litterarum ſtudiis inhęrendo die noctuque eatenus *ingeret, & rectitudinis rigore mentem edomaret, vt de die in diem ad meliora cœleſtis militiæ inſtrumenta proficeret.

£. ingereret.

IV. Poſtquam ille adoleſcens, Chriſti vernaculus, ſicut ſuprà diximus, ignotas peregrinationis ſuæ vias probare volebat, atq; externas terminorum tellures adire, ſpeculariq; optaret, nec non *in maniſſana mari diſcrinare decreuiſſet ęquora, ſtatim ille iſta cordis ſui clandeſtina, cunctis occulta, carnali ſuo patri reuelauit, atq; illũ obnixis flagitabat precibus, vt votiuæ ſuæ voluntatis deſiderio pergendi conſilio præberet conſenſum; vt & illi tranſeundi licentiam daret, & ipſe ſecum pergeret, attẽtius poſcebat. Cumq; illum ad tanti operis initium, tantæq; vitæ conuerſationem inuitando, à ſeculi voluptatibus, à mundi deliciis, à temporalis vitæ falſis diuitiarum proſperis, ſuggerendo, ſegregare vellet, & illum, opitulante Domino, ad rectæ conſtitutionis formam, & ad cœleſtis militiæ tyrocinium, diuinum inchoare ſeruitiũ, propriamq; deſerere patriam, & patula ſecum peregrinatio-

£. in immanis maris diſcrimina ire decreuiſſet.

nationis perquirere rura rogaret, & ſic illum demum præmiis, blandis oraculorum ſtudiis alloquendo inuitaret, vt comitatu filiorum fungens, egregia adiret Petri Apoſtolorum Principis limina. Tunc ille primitus, illo poſtulante, petitum negauerat tranſitum, excuſandoq; coniugis & liberorum inolectiuorum paruitatem & fragilitatem, illos orbare, & alienis derelinquere, inhoneſtum & crudele eſſe reſpondit. Tunc ille belliger Chriſti miles iteratis hortationum miraculis, magniſq; precũ perdurationibus, totiens per aſperiora rigidioris vitæ documenta metu & minis obiurgabat, & totiens blandis vitæ æternæ ſponſionibus, amœnitate paradiſi, & amore Chriſti, mulcendo illum inſtigabat, & ita omnibus modis hortando, alloquendo, animum eius ad ſuæ voluntatis aſſenſum prouocare conatus eſt. Sicq; tandem omnipotentis Dei auxilio, petentis & prouocantis inualeſcebat voluntas, ita vt ille ſuus pater, & frater BVNEBALDVS adoptatam & hortatam ſe inchoare metam pollicerentur.

V.

Poſthæc itaq; cùm, temporum interuallo, & annorum vergente curriculo, æſtatis jam immineret tempus, pater ſuus & frater cœlebs prædeſtinatum & adoptatum inchoauerunt iter. Et congruo æſtatis tempore, prompti ac parati,* ſumptibus ſecum vitæ ſtipendiis, cum collegarum cœtu comitantium, ad loca venerunt deſtinata, quæ priſco dicebantur vocabulo, HAMELEA MVLTA, juxta illud mercimonium, quod dicitur *HAMBICH. Et non multa poſt tranſacta temporis intercapedine, nauigio parato, nauta ille cum claſſibus, ſuoq; nauclero, naulo impẽſo Circio flante, põte pollente, remis crepitãtibus, claſſibus clamãtibus,* velocem aſcenderũt. Cumq; tranſmeatis maritimis flũctuum formidinibus, periculoſiſque

f. ſumptis.

f. Hamwich. i. e. Hamlwich/ Germanicum idioma hic recognoſce, quo veruex, Haml.

f. celocem, ſicut paulo poſt: citato celocis curſu.

 pelagi

pelagi preſſuris, vaſtum per æquor, citato celocis curſu, proſperis ventis, velata naue, tuti aridam viderunt terrã. Et ſtatim ouantes de naui deſcenderunt, & illic caſtrametati ſunt, & tentoria fixerunt, in ripa fluminis, quod nuncupatur SIGONA, juxta vrbem, quæ vocatur ROTVM. ibi etiam fuit mercimonium. Et illic aliquantis dierum curriculis requieſcentes, iterũ pergere cœperunt, & ſic multa illic Sanctorum oratoria, quæ illis commoda fuerunt, orando petierunt. Et ſic in ante GORTHONICVM gradatim ex parte peragrantes ſuperuenerunt. Cumq; pergentes veniſſẽt ad vrbẽ, quæ vocatur LVCCA, S. VVILLIBALDVS & B. BVNEBALDVS, patrẽ eorũ in comitatu itineris pariter cum illis ducebant. Statimq; ibi ſubitanea præuẽtus eſt corporis infirmitate, vt prætereritis tẽporum intercapedinibus * prope ẽ jam inſtaret exitus ſui dies. Et inualeſcente in eo ægritudinis grauitate, feſſa ac frigida illius jam tabuerunt membra corporis; & ſic vltimum vitæ ſuæ exhalauit ſpiritum. Statimq; illi germani filii eius corpus patris eorum exanime paternæ pietatis affectu percipientes venuſtè inuoluerunt, & terra tumulauerunt, & in vrbe * LVCCA ad ſanctum FRIGDIANVM. Ibi requieſcit corpus patris eorum. Confeſtimq; illi pergentes, vſq; dum per vaſtas Italiæ tellures perniciter, per concaua vallium, per abrupta montium, per plana campeſtrium, ad arduas alpium arces, pedeſtrem ſcandendo greſſum dirigebant in altum. Cumque luſtratis alpium cacuminibus, glacialique niuium nebuloſarum turbine, almi Dei adminiculo, Sanctorumq; ſuſtentaculo, eum cunctorum contribulium clientela, omniũ; collegarum cœtu tuti omnes timidas militum euaſerunt verſutias. * Illuſtra exemplo adierunt limina, & egregia Petri

f. properè.

Epitaphium S. Regis Richardi, Lucæ, Italiæ ciuitate extat, quod vide apud Baro. tom. 9. an. 754.

f. Illuſtria exemplo, ſed tamen vbiq; illuſter, pro, illuſtris, vſurpat.

tri Apoſtolorum principis petierunt præſidia, immenſasq; ibi omnipotenti Deo atq; gratas referebant gratias, quod magnis tranſmeatis maris diſcriminibus, variisq; peregrinationis externorum ignominiis per omnia proſperè ſcandere ſcholaſticam meruerūt ſcalam, & præclaram adire ſpeculariq; S. Petri Baſilicam. Tunc illi duo germani ibi manſerunt à natiuitate ſancti Martini, vſq; ad aliud ſolempnitatis paſcha. *Et* interim dum illa frigida, frugalisq; hyemps tranſiendo præteriit, vernaleq; jam incumbendo inſtaret germen, & paſchale per totum mundum fulgendo irradiaret tempus, ibi duo germani felicem monaſterialis diſciplinæ vitam, ſub ſacræ legis moderamine ducebant. Tum etiam decreſcente dierum calculo, & creſcente æſtatis caumate, quæ ſolet præſaga futuræ eſſe febris, magna corporis illicò arrepti ſunt moleſtia, ita vt acriter anhelando, febricitando, & totiens algore frigeſcens, & totiens calore æſtuans, atrox per artus diffuſa eſſet peſtis, & ſic irretiti & retenti, magnoq; mortis propè exitio conſtricti, febre fatigati erant, vt vix jam in illis vitæ halitus per laſſos luentium artus volitando verſaretur. Sed tamen indefeſſa paternæ pietatis prouidentia ſuis conſulere, ſuffragarique dignata eſt, ita vt vnus de duobus vnam ebdomadam, & alter vnam in ſubſidium miniſtrandi illis requiem haberet. *Et* tamen, prout corporis infirmitas perpetrare poterat à ſacræ inſtitutionis norma non recedebant, ſed propenſius ſacræ lectionis ſtudio perſeuerantes inhærebant, juxta veritatis vocem dicentis: Qui autem perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.

caumate, i. calore.

Matt. 24.

VI. Poſtquam ille illuſter clarusq; crucicola, magna mentis intentione, & cordis contemplatione ad ſupernā internæ vitæ ſpeculationem, prouida circumſpectione,

properabat, & ad ſublimioris, rigidiorisq; vitæ virtutes anhelando, jam non planam, ſed arctam auſterioris vitę viam per monachialis vitæ normam inhiando deſiderabat, quàm illa fuit, in qua tunc ſtare videbatur. Tunc ille ſtrenuus, conſilio amicorum, contribuliumq; licentia flagitata, vt ſuarum opitulationem orationum illum ſequi dignaretur rogabat; vt tutis itineris curſibus, delectabilis atq; optabilis ciuitatis Ieruſalem mœnia peragrare, ſpeculariq; per illorum pia precum præſidia poſſibiliter potuiſſet.

VII. Cumq; tranſactis Dominicæ Paſchalis ſolempnitatibus, agilis exercitus leuauit ſe cum duobus ſuis ſociis, & pergere cœperunt. Cumq; pergerent, venerunt vſque ad vrbem DATERINAM in Oriente, & ibi manſerũt duobus diebus. Et inde pergentes venerunt ad vrbem CAPETANAM, quæ ſtat in littore maris. Et ibi tunc aſcẽdentes in nauim, transfretauerunt ad NEBVLEM. Et illic relicta naue, in qua pergebant, ſtabant ibi duabus ebdomadibus. Iſtæ ciuitates ſunt Romanorum. In BENEVENTIS ſunt, ſed tamen Romanis ſunt ſubditæ. Statimq; ſicut diuina ſolet pietas inceſſanter agere, vt votiua vernaculorum deſideria ſuorum implere dignetur, nauim illic de Ægypto inuenerunt. & illic intro aſcendentes, nauigarunt in terram CALABRIÆ, ad vrbem, quæ dicit REGIA. Et ibi manentes duos dies leuauerunt ſe, & venerunt in Inſulam Siciliam, in qua eſt vrbs * Cathinenſia, vbi requieſcit corpus ſanctæ AGATHÆ virginis. Et ibi mons eſt Ætna, qui quando euenerit pro aliquibus rebus, vt ignis ille dilatare ſe voluerit ſuper regionem, tunc illi citò ciues ſumunt velum S. Agathæ, & contra ignem ponunt, & ceſſat. Illic fuerunt tres ebdomadas. Et inde nauigantes, venerunt vltra mare Adrium ad vrbem

† an Tudernũ Tuſciæ?

Catanam vocat Ptolom. hanc Hiero. appellauit Ætnã, teſte Strab. & Diod.

MA-

MANAFASIAM, in Sclauinica terra. Et inde nauigantes in Inſulam nomine Choo, dimittebant Chorinthios in ſiniſtra parte. Et inde nauigantes in Inſulam Samo. Et inde nauigantes in Aſiam, ad vrbem Epheſum, ſecus mare vnum milliarium. Et inde ambulauerunt in illum locum, vbi ſeptem dormientes requieſcunt. Et inde ambulauerunt ad ſanctum Ioannem Euangeliſtam, in loco ſpecioſo ſecus Epheſum. Et inde ambulauerunt duo milliaria ſecus mare ad villam magnam, quæ vocatur FICILA. ibi erant vnum diem. Et petito pane, ibi ibant ad fontem vnum in Mediauilla, & ſedentes ibi ſuper marginem tinguebant panem in aquam; & ſic mãducabant. Et inde ambulantes ſecus mare venerunt ad vrbem STROBOBEM, in montem excelſum. Et inde ibant in locum, qui dicitur PATERA, & illic morabantur, vſq; dum hyemis gelidæ horrendum præteriret frigus. Et poſtea tunc illi nauigantes venerunt ad vrbem, quæ vocatur MILITENA. Illa fuit quondam de aquis perituta. Ibi ſedebant duo ſolitarii, in ſtulite, id eſt, fabricata atq; firmata cum muro magno de lapidibus, valdè ſumma, vt aqua illis nocere non poſſit. Et ibi acri famis conſtricti fuerunt aſperitate, ità vt inedia intus lacerati letalem jam diem mortis imminere metuerent. Sed omnipotens populorum paſtor pabulum ſuis præſtare dignatus eſt pauperibus. Et inde nauigantes venerunt in Inſulam Cyprũ, quæ eſt inter Græcos & Sarracenos, ad vrbem Papho, & ibi fuerunt ebdomadam poſt anni circulum. Et inde ibant ad vrbem Conſtantiam, vbi requieſcit S. Epiphanius, ibiq; morati ſunt vſq; poſt natiuitatem Johannis Baptiſtæ. Et inde nauigantes venerunt in regionem Sarracenorum in vrbem THARRATAS, ſecus mare. Et inde ambulauerunt ſuper nouem aut duodecim milliaria

Duos Stylitas deſcribit.

ad caſtellum, quod dicitur ARTHE, vbi fuit Epiſcopus de gente Græcorum, ibique habebant letaniam ſecundum conſuetudinem eorum. *E*t inde pergentes ambulauerunt ad vrbem, quæ vocatur EMESSA, duodecim milliaria. Ibi eſt Eccleſia magna, quam fecit S. Helena, in honore S. Iohannis Baptiſtæ, & caput illius fuit ibi diu, hoc eſt in *S*yrim.

Tunc erant cum *S.* Willibaldo ſeptem contribules illius, & ipſe fuit octauus. Confeſtimq; pagani Sarraceni repperientes, quòd aduenæ & ignoti homines illuc veniſſent, tulerunt eos, & captiuos habebant, quia neſciebant, de quali fuerant regione, ſed ſpeculatores illos eſſe æſtimabant. Et captiuos eos ducebant ad quendam ſenẽ diuitem, vt videret & agnoſceret vnde eſſent. At ille ſenex interrogauit eos, vnde eſſent, aut quali fungerentur legatione. Tunc illi reſpondentes ab exordio totam intimauerunt ei itineris ſui cauſam. Et ille ſenex reſpondens, ait, Frequenter huc venientes vidi homines de illis terræ partibus iſtorum contribules: non quærunt mala, ſed legem Deorum adimplere cupiunt. Tunc inde illi pergentes venerunt ad palatium, vt rogarent illis viam tranſire ad Hieruſalem. Cumq; illi fuiſſent in carcere, cõfeſtim mira omnipotentis Dei diſpenſatione, qui pius vbique ſuos inter tela & tormenta, inter barbaros & belligeros, inter carceres & contumacium cateruas, ſua protegere parma, tutosq; conſeruare dignatus eſt. Vnus homo fuit ibi negotiator, qui ſibi in eleemoſynam, & animæ ſuæ redemptionem, volebat illos redimere, & de carcere eripere, vt liberi eſſent pergere in ſuam voluntatem, & non poterat. Sed è contra cottidie miſit illis prandium, & cœnam; & in quarta feria, & in ſabbato miſit filium ſuum in carcerem, & eduxit eos ad balneum, & iterum in-

Digitized by Google

troduxit. Et dominica die ducebat eos ad Eccleſiam per mercimonium, vt de rebus venalibus viderent, quid eorum mentem delectaret, & ille tunc ſuo precio illis obtineret, quidquid illorum mente captum foret. Illi ciues vrbium curioſi jugiter illuc venire conſueuerant, illos ſpeculari, quia juuenes, & decori, & veſtium ornatu benè erant induti.

Tunc illis in carcere commorantibus, vnus homo de Hiſpania venit, & loquebatur cum illis in carcere, & diligenter ab illis inquiſiuit, qui eſſent, aut vnde eſſent. & illi dixerunt omnia ſecundum ordinem de ſuo itinere. Iſte Hiſpanus homo habebat fratrem in palatio Regis, qui fuit cubicularius Regis Sarracenorum. Cumq; ille præſes, qui eos in carcerem mittebat, ad palatium veniſſet, ille Hiſpanus, qui cum illis in carcere loquebatur, & ille nauta, in cuius naui fuerunt, quando pergebant de Cypro, omnes ſimul venerunt coram Rege Sarracenorum, cui nomen MIRMUMNI. Et cum locutio eueniſſet de illorum cauſa, ille Hiſpanus homo omnia, quæ illi dixerunt in carcere, ſuo intimauit fratri, & illum rogauit, vt Regi indicaret, & præſidio illis foret. *Poſt*hæc itaq; cùm omnes iſti tres coram Rege ſimul venirent, & omnia juxta ordinem intimando illi indicarent de eorum cauſa, ille interrogauit, vnde eſſent. Et illi dixerunt, De occidentali plaga, vbi ſol occaſum habet, iſti homines venerunt. Nos autem neſcimus terrã vltra illos, & nihil niſi aquam. Et ille Rex reſpondit eis dicens: Quare nos debemus eos punire? non habent peccatum contra nos. Da eis viã, & ſine illos abire. Alii homines, q̃ in carcere habebantur, debebant cenſũ reddere vnã tremiſſẽ. Illis .a. fuit dimiſſũ. Illi cipri ſedebãt inter Græcos &

Sarra-

Sarracenos, & inermes fuerant; quia pax maxima fuit, & conciliatio inter Sarracenos & Græcos. Magna & lata regio fuit illa, & duodecim *Epiſcoporum* parochiæ ibi.

Confeſtimq; illi cum licentia leuantes ſe perrexerunt in Damaſcum, centum milliaria. Sanctus verò ibi requieſcit Ananias. Illud eſt in terra Syrim. Ibi erant vna ebdomada. & inde ſunt * II. milia. ibi fuit *Eccle*ſia; & in illo loco primum conuerſus eſt Paulus, & Dominus dixit ad illum, Saule, Saule, quid me perſequeris? & reliqua. *Et* illi orantes, ambulabant in Galilæam, in illum locum, vbi Gabriel primum venit ad ſanctam Mariam, Aue gratia plena, & reliqua. ibi eſt nunc *Eccleſia*. Et ille eſt vicus, in quo eſt *Eccleſia*, eſt Nazareth. a Illam *Eccleſiam* Chriſtiani homines ſæpè comparabant à paganis, quando illi volebant eam deſtruere. Et ibi Domino ſe commendantes, ambulauerunt inde, & veniebant in villam CHANAAN, vbi Dominus aquam in vinum conuertit. Illic eſt b Eccleſia magna, & in Eccleſia illa ſtat altare vnum de ſex hydriis, quas Dominus juſſit implere aqua, & in vinum verſæ ſunt: & de illo communicauerunt vino. Vno die fuerunt illic. Et inde pergentes venerunt ad montem THABOR, vbi Dominus transfiguratus eſt. Ibi eſt nunc Monaſterium Monachorum, & hæc *Eccleſia* Domino eſt conſecrata, & Moyſi & Heliæ. Et illi ciues nominant illum locum c AGEMONS. Illic autē orantes inde pergebant ad vrbem, quæ dicitur d TIBERIADIS. Illa ſtat in littore maris, vbi Dominus ſuperambulabat ſiccis pedibus, & Petrus ambulans ſuper vndas dimerſus eſt. Ibi ſunt multæ *Eccleſiæ* & *Synagoga* Iu-

* Adrichomius in theatro terræ ſanctæ hūc locum ad primum lapidem ſeu medium miliare à Damaſco diſtare ſcribit. Tyr. 13. bel. ſacr. 18. ait à Syris dictum Mergiſafer.

a. de Eccleſia in Nazareth S. Hieron. de locis Hebraicis. & Beda de locis S. cap. 16. vide Baron. ann. Chriſti 9. & Adrichomium thes. terræ S. 23.

b. Chanan Galilææ intelligit. vbi Eccleſiam Helena ædificauit, Nicephorus hiſt. 8. c. 30. vide Baron. ann. 31. n. 36. Adrichom. in Zabulon.

c. q. d. ἅγιον ſanctus mons. Ex hoc loco corrigi & illuſtrari poſſunt, quæ Adrichom. Tabor. 4.

d. Vide Baron. an. 31. n. 64. & Adrichom in Zabulon. 99.

dæo-

dæorum. *S*ed & magno honore dominica. Ibi fuerunt aliquantos dies. & *e* ibi Iordanis tranſit per medium mare. Et inde ibant circa mare, & pergebant ſecus vicum *f* Magdalene. *E*t veniebant ad illum vicum *g* CAPHARNAVM, vbi Dominus principis filiam ſuſcitauit. Ibi fuit domus & murus magnus. Et ſic dixerunt illi homines, quòd Zebedæus cum filiis ſuis, Ioanne & Iacobo, ibi fuerint collocati. *E*t inde pergebant ad *h* BETSAIDAM, inde erant Petrus & Andreas; ibi eſt nunc Eccleſia, vbi prius erat domus illorum. *E*t illic manentes vnam noctem, mane pergebant ad COROZAIM, vbi Dominus dæmoniacos curauit, & diabolum mittebat in gregem porcorum. Ibi fuit *E*ccleſia Chriſtianorum. Et ibi orantes, pergebant inde, & veniebant ad locum, vbi duo fontes de terra manant, *i* IOR & DAN. & tunc venientes de monte deorſũ,

e. Non ad Tyberiadem, ſed ad Capharnaũ influit Iordanis in lacum Geneſar.

f. Magdalum intellige inter Tiberiadem & Capharnaum, ad lacum Geneſareth. Meminit huius caſtri Ioſephus in vita ſua pa. 556. hic natam & ſanatam aiunt S. Magdalenam.

g. Vide *Adrichom.* in terra Nephtalim 27. *h* Si Adrichomii deſcriptio vera eſt, mirũ hos Capharnao Bethſaidam regreſſos, & inde rurſus Bethſaida per Capharnaum in Corozaim. Diſcutiendus hic Adrichom in Zabulon 18. *i*. Ad radices Libani à Cæſarea Philippi ſeu Paneadis miliario ex duobus fontibus Ior & Dan (qui & Danus, *P*aneas & *P*aneus dicitur) bicornis erumpit. S. Hieron. de locis Hebr. v. Dan.

& in vnum collecti faciunt Iordanem. *E*t ibi morabantur vnam noctem inter duos fontes: & paſtores dabant nobis acrum lac bibere. & ibi ſunt armenta mirabilia longo dorſo, breuibus cruribus, magnis cornibus creati; omnes ſunt vnius coloris. *k* Oſtree paludes ſunt profundæ ibi. & quando æſtiuali tempore magna ſolis caumatio de cœlo ad terram venire ſolet, illa armenta tollentia ſe vadunt ad paludem, & dimergunt ſe toto corpore, niſi caput ſolum. *E*t inde pergentes venerunt ad CÆSAREAM, vbi fuit Eccleſia & multitudo Chriſtianorum. Iterum pergebant ad *l* monaſterium ſancti Iohañis Baptiſtæ, & ibi erant ferè viginti Monachi. Vnam noctem ibi manebant, *E*t inde ibant ſuper vnum milliarium, ad

k. forte leg. Æſtate vel æſtiue.

l. de hoc Beda de locis S. c. 13.

Iordanem, vbi Dominus fuit baptizatus (m ibi nunc eſt Eccleſia in columnis lapideis ſurſum eleuata, & ſubtus Eccleſiam eſt nunc arida terra, vbi Dominus baptizatus fuit) in ipſo loco & ibi nunc baptizant. Ibi ſtat n crux li-gnea in medio, & parua deriuatio aquæ ſtat illic. & vnus funiculus extẽſus ſuper Iordanem hinc & inde firmatur. Tunc in ſolempnitate Epiphaniæ infirmi & ægroti venientes habebant ſe cum funiculo, & ſic o demerguntur in aquam. Sed & mulieres, quæ ſunt ſteriles, venientes ibi gratiam Domini merentur. Epiſcopus noſter Willibaldus balneauit ſe ibi in Iordane. vno die fuerunt illic. Et pergebant inde, & veniebant ad p GALGALA. Ibi ſunt intus quinq; milia. & duodecim lapides illic ſunt in Eccleſia: illa eſt lignea & non magna. Illic ſunt duodecim lapides, quos tulerunt filii Iſrael de Iordane, & portauerunt ad Galgala ſuper vnum miliarium, & poſuerunt ad teſtimonium transmigrationis illorum. Et tunc illic orantes perrexerunt ad IERICHO, ſuper ſeptem milliaria ab Iordane. ibi erumpebat fons, qui erat ſterilis, q in oneo montis, & fuit inutilis hominibus, antequam venit Heliſæus Propheta, & ſuſcitauit illum. Et poſtea emanauit, & omnis ciuitas illa partita eſt illum in agros, in hortos, & in omnia, vbicunq; illis neceſſarium erat, & omne quod humidat ille fons creſcendo proficit ad ſalutem propter ſanctificationem Heliſæi Prophetæ.

Et perrexerunt ad monaſterium ſci r Euſtochii. Illud autem ſtat in medio campo inter Hiericho & Hieruſalem. Et inde venit ad HIERVSALEM, in illum locum vbi

m hæc verba paréthesis nota incluſa, in m.ſ. erant in margine, ab eadem, vt apparet manu; ſigno notata, quaſi omiſſa fuiſſent.

n De qua Beda de loc. S. c. 13. Vide Iacob. Gretſer de cruce tom. 1. l. 2. c. 32. o In vno etenim reflexu, inquit Greg. Turon. l. 1. de glor. mart. c. 17. aqua ipſa reuoluitur, in qua nunc leproſi mũdantur. Cum etenim aduenerint, ſæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur: de publico tamen, dum ibi cõmorati fuerint, victũ accipiunt, ſanati autem ad propria diſcedunt. Hæc Tur.

p vide Adrichom. in Beniamin 72.

q erumpit in pede montis Quarentanæ. 4 Reg. 2. Ioſep. 5. bell. Iud. c. 4. Adrichom. in Beniamin 63.

r fort. Euſtachii, de quo Rom. Mart. 12. Octob.

Digitized by Google

vbi inuenta fuerat ſancta CRVX Domini. Ibi nunc eſt Eccleſia in illo loco, qui dicitur Caluariæ locus. Et hæc fuit prius extra Hieruſalem. Sed beata Helena quando inuenit, collocauit illum locum intus intra Hieruſalem. Et ibi ſtant tres cruces ligneæ foris in orientali plaga Eccleſiæ ſecus parietem, ad memoriam ſanctæ crucis dominicæ, & aliorum, qui cum eo crucifixi erant. Illæ non ſunt intus in Eccleſia, ſed foris ſtant ſub tecto extra Eccleſiam. Et ibi ſecus eſt ille hortus, in quo fuit ſepulchrum Saluatoris. Illud ſepulchrum fuerat in petra exciſum; & illa petra ſtat ſuper terram, & eſt *f* quadrans in imo, & in ſummo ſubtilis. Et ſtat nunc in ſummitate illius ſepulchri crux. & ibi deſuper nunc ædificata eſt mirabilis domus; & in orientali plaga in illa petra ſepulchri eſt janua, per quam intrant homines in ſepulchrum orare. Et ibi eſt intus lectus, in quo corpus Domini jacebat. Et ibi ſtant in lecto quindecim crateres aurei cum oleo ardentes die noctuq;. Ille lectus, in quo corpus Domini jacebat, ſtat in latere Aquilonis intus in petra ſepulchri; & homini eſt in dextera manu, quando intrat in ſepulchrum orare. Et ibi ante januam ſepulchri jacet ille lapis magnus quadrans in ſimilitudinē prioris lapidis, quem Angelus reuoluit ab oſtio monumenti. Et illuc veniebat in feſtiuitate S. Martini Epiſcopus noſter. Moxq; vt illuc venit, cœpit ægrotare, & jacebat infirmus vſq; ad ebdomadam ante Natiuitatem Domini. Et tunc quando aliquantulum recreatus fuit, & de infirmitate melius habebat, ſurgit, & abiit ad illam Eccleſiam, quæ vocatur ſancta Sion. illa ſtat in medio Hieruſalem. Illic verò orans, inde ibat in porticum Salomonis. Ibi eſt piſcina, & illic jacent infirmi expectantes motionem aquæ, quando Angelus veniret, & moueret aquam. & tunc qui primum in illam

f. Vide Bedam ex Adamnano de locis S. c. 2. Baron. an. 34. n. 188.

Ioan. 5.

Digitized by Google

deſcēderet, ſanaretur. Vbi dominus dixit paralytico, Surge tolle grabbatum tuum & ambula.

t S. Willibaldus ſcilicet, ex cuius ore hæc refert.

Similiter & t ipſe dixit, quòd ante portam ciuitatis ſtaret magna columna, & in ſummitate columnæ ſtat crux, ad ſignum & ad memoriam, vbi Iudæi volebant tollere corpus S. Mariæ. Cum illi vndecim Apoſtoli tollentes corpus ſanctæ Mariæ portarent illud de Hieruſalem, ſtatim cùm ad portam venerunt ciuitatis, Iudæi voluerunt comprehendere illud. Statimq; illi homines, qui porrigebant brachia ad u feretrum, & eam tollere conabantur, retentis brachiis, quaſi glutinati, inhærebāt in feretro, & non poterant ſe mouere, antequam Dei gratia & Apoſtolorum petitione iterum reſoluti fuerant; & tunc eos reliquerunt abire. Sancta Maria in illo loco in medio Hieruſalem exiuit de hoc ſæculo, qui nominatur ſancta Sion. Et tunc Apoſtoli vndecim portauerunt illam, ſicut prius dixi. & tunc Angeli venientes tulerunt eam de manibus Apoſtolorum, & portauerunt in paradiſum.

u Vide Nicep. l. 2. c. 22. Baro. an. 48. n. 14.

Et inde deſcendens Epiſcopus S. VVillibaldus venit ad vallem Ioſaphat. Illa ſtat juxta Hieruſalem ciuitatem in Orientali plaga. & in illa valle eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ, & in Eccleſia eſt ſepulchrum eius, non de eo, quòd corpus eius ibi requieſcat, ſed ad memoriā eius. Et ibi orans aſcendit in montem oliueti, qui eſt ibi juxta vallem in orientali plaga. Illa vallis eſt inter Hieruſalem & montem oliueti. Et in monte oliueti eſt nunc Eccleſia, vbi Dominus ante paſſionem orabat, & dixit ad diſcipulos; Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Et inde venit ad Eccleſiam in ipſo monte, vbi Dominus aſcendit in cœlum. Et in medio Eccleſiæ

Matt. 26.

ſtat

ſtat de ære factum ſculptum ac ſpecioſum, & eſt quadrãs. Illud ſtat in medio Eccleſię, vbi Dominus aſcẽdit in cœlum. Et in medio æreo eſt factum quadrangulum. & ibi eſt in vitreo paruum aſindulum, & circa aſindulum eſt illud vitreum vndique clauſum. Et ideò eſt clauſum, vt ſemper ardere poſſit in pluuia & in ſole. Illa Eccleſia eſt deſuper x patula, & ſine tecto; & ibi ſtant duæ columnæ intus in Eccleſia contra parietem Aquilonis, & contra parietem meridionalis plagæ. Illæ ſunt ibi in memoriam & in ſignum duorum virorum, qui dixerunt, Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Et ille homo, qui ibi poteſt inter parietem & columnas repere, liber eſt à peccatis ſuis.

x lege S. Paulin. ad Seu. ep. 11. Sulp. Seu. hiſt. lib. 2. Bar. an. 34. n. 233.

Inde venit in locum, vbi Angelus paſtoribus apparuit, dicens: Annuncio vobis gaudium magnum. Et inde venit in Bethleem, vbi Dominus noſter natus eſt, ſeptem miliariis ab Hieruſalem. Ille locus, vbi Chriſtus natus eſt, quondam fuit ſpelunca ſub terra, & nunc eſt quadrangula domus, in petra exciſa, & eſt terra circumquaque exfoſſa, & inde proiecta. Et ibi ſupra nunc eſt ædificata Eccleſia. Et vbi Dominus natus eſt, ibi ſtat ſupra nunc altare, & aliud altare minus, factum eſt ideo, vt illi quando volunt ibi intus Miſſam celebrare in ſpelunca, tollentes illud altare minus, portant ibi intus illo tempore, quando Miſſam celebrant, & iterum leuant illud foras. Illa Eccleſia, vbi Dominus natus eſt, q̃ ibi ſupra ſtat, eſt in ſimilitudinẽ crucis ædificata, glorioſa domus. Et ibi adorantes pergebãt inde, & venerũt in villã magnã, quæ vocat͛ y THEQVA, ad illum locum vbi infantes quondam occiſi fuerant ab Herode. Ibi eſt nunc Eccleſia, & ibi requieſcit vnus de Prophetis. Et tunc ve-

y Thecuam intellig. quam S. Hiero. nono ab Ælia miliario ponit.

nit inde in vallem z Lauram. ibi eſt monaſterium magnum, & ibi ſedit Abbas ad monaſterium, & ille janitor Eccleſiæ, aliiq; monachi multi, qui ibi ſunt in ipſo monaſterio, & ſedent circa vallem in deuexa rupe montis. Et habent illi excîſa in ſaxoſa rupe montis parua receptacula, ibi & ibi. Ille mons eſt in gyro circa vallem. Et monaſterium eſt ædificatum in valle, & ibi requieſcit S. Saba.

z Lauram S. Sabæ intelli. inter Herodium & Thecuam. vide Adrichom. in Iuda. 208.

Inde venit ad locum, vbi Philippus baptizauit Eunuchum. a Et ibi eſt Eccleſia parua in valle magna inter Bethleem & Gazam. Et inde ibant ad Gazam. Et illic orantes ibant ad ſanctum MATTHIAM. ibi eſt magna gloria in dominica. Cumq; ſacra miſſarum ſolempnia fuiſſent celebrata, Epiſcopus noſter ſanctus Willibaldus, ſtans ibi ad Miſſam, lumen oculorum amiſit, & cæcus fuit duobus menſibus. Et inde ibant ad ſanctum ZACHARIAM Prophetam, non patrem Iohannis, ſed alterum Prophetam. Et inde tunc ibat ad caſtellum b Aframia: ibi requieſcunt tres patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Iacob cum vxoribus ſuis. Et inde venit iterum in Hieruſalem, & introiens in Eccleſiam, vbi ſancta crux Domini inuenta fuerat, aperti ſunt oculi eius, & viſionē recepit. Et ibi aliquantum temporis manens, pergebat inde, & venit in locum c DIOSPOLIM ad ſanctum GEORGIVM, illud eſt decem miliariis ab Hieruſalem. Et inde venit ad aliam villam, ibi eſt Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli. Et ibi ſuſcitauit viduam ſanctus Petrus, quę fuit nominata Dorcas. Et ibi orans pergebat, & venit ad mare Adriaticum longè ab Hieruſalem ad vrbem Tyrum & Sidonem. Sex miliaria ſunt inter illas duas vrbes, & ſtant in littore maris. Et inde pergit ſuper Libanum montem, & venit in Damaſcum. Et inde venit in Cæſaream, & inde

a Fons Æthiopis. S. Hiero. in loc. Hebr. in epit. Paulæ & Ep. ad Paulin. Adrichom. in Dan. 4.

b Spelunca duplex Gen. 23. 49. Ioſ. 14. Mauſoleum tempore S. Hieronymi. in loc. Hebr. lit. A & Ioſephi 5. bell. Iud. 7. oſtendebatur. Adrichom. in Iuda 100.

c Tigrida & Liddam vocatam ait S. Hie. Iuſtinianus hic S. Georgio decollato & ſepulto templum ædific. teſte Wilh. Tyr. 7. belli ſac. 22. Adrich. in Ephraim 64.

de venit tertia vice * ab Hieruſalem, & ibi fuit totam hyemem. Et inde venit ad vrbem Ptolomaidam. iſta eſt in extremis finibus Syriæ, & ibi fuit ille totum tempus quadrageſimæ. infirmus fuit, & non poterat pergere, ſocii eius, qui in comitatu illius erant, perrexerunt ad Regem Sarracenorum, nomine Myrmvnni, & voluerunt illic rogare epiſtolam, vt pergerent, & non poterant inuenire Regem, quia ipſe fugerat, foras extra regionem illam, infirmitatem atq; cladem, quæ erat ſuper regionem illam. Cumq; illi non inuenirent Regem, veniebāt iterum, & illic morantes ſimul in Ptolomaida, vsq; dum vna eſſet ebdomada ante paſcha. Tunc venerunt iterū ad Emeſſam, & rogauerunt illum præſidem, dare illis epiſtolam. Et dedit epiſtolam duobus & duobus: quia illi non poterant ſimul pergere, ſed duo & duo. quia facilius ſic potuerunt alimenta obtinere. leg. ad.

Et tunc in Damaſcū venerunt. & inde venerunt quarta vice * ab Hieruſalem, ibi manentes aliquantulum tēpus, venerunt ad vrbem Sebaſtiam, quæ prius erat Samaria vocata. Sed poſtquam illa confracta fuerat, conſtruebant iterum vnum caſtellum, vbi prius erat e Samaria, & vocabant illud caſtellum Sebaſtia. Et ibi requieſcunt nunc ſanctus Iohannes Baptiſta, & Abdias, & Heliſeus Propheta. Et ibi puteus ille prope caſtellum, vbi Dominus poſtulauit aquam bibere à Samaritana muliere, & ſuper illum puteum nunc eſt f Eccleſia. & ille mons eſt ibi, in quo adorabant Samaritani. Et illa mulier dixit ad Dominum: Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & tu dicis, quòd in Hieruſalem eſt locus, vbi adorare oportet. Tunc illi adorantes perrexerunt ſuper Samaritanorum regionē in extremis finibus eorū in villam magnam vnā, ibi erant vnam noctem.

leg. ad.

e vide Ioſephū 8. antiq. 12. Adrichom. in Ephraim 81.

f. vide S. Hieron. in locis Hebr. Adrichom. in Ephraim 45. & 54.

Ioan 4.

Et

Et inde perrexerunt ſuper campum magnum oliuarum plenum, & pergebat cum illis vnus Æthiops cum duobus camelis, & vno mulo, qui ducebat mulierem per ſyluam. Cumq; perrexiſſent, obuiauit illis vnus leo, qui aperto ore rugiens rancusq; eos rapere ac deuorare cupiens, valdè minabatur illis. Tunc ille Æthiops dixit ad illos, Nolite timere vos, ſed pergamus in ante. Statimq; illi pergentes, appropinquauerunt ad illum: Aſt ille citò, omnipotentis altithroni Dei adminiculo, in aliam partem diuertit, & dimiſit illos, vt pergerent. Et ſic dixerunt, vt poſteaquã inde pergebant, audiebant illum leonem magnum rugitum dare, ita vt rancus multos deuoraret illorum hominum, qui pergebant oliuarum colligere fructus. Inde pergentes venerunt ad vrbem, quæ vocatur THALAMARTHA, in littore maris. Et inde ambulantes venerunt ad caput Libani, vbi ille mons in mare vadit, & eſt promunctorium. Ibi eſt turris Libani. Et qui illuc venerit, non habens chartam, non pertranſit locum, quia in cuſtodia eſt ille locus, & eſt clauſtrum, ſed ſi venerit ſine charta, tollent illum ciues, & mittunt ad vrbem Tyrum. Ille mons eſt inter Tyrum & Thalamartham. Et tunc venit iterum Epiſcopus ad Tyrum.

Epiſcopus ſanctus VVillibaldus, prius, quando erat in Hieruſalem, emebat ſibi balſamum, & repleuit vnam munerbam. Tulit itaq; vnam munerbam, quæ fuit concaua, & habuit linum. Illam repleuit de petrę oleo, & fecit intus in munerbam, & ſecuit illam cannam paruam munerbæ, ita vt in margine ambæ ſimiles eſſent plane, & ſic claudebat os munerbæ. Cumq; veniſſent illi ad vrbem Tyrum, illi ciues vrbis tollentes eos conſtringebant, & omnem ſarcinam eorum exquirebant, vt repperirent, ſi habuiſſent aliquid abſconditum; & ſi aliquid inue-

munerbã.

inueniſſent, citò illos punientes martyrizarent. Cumq́; omnia exquirentes nihil inueniſſent, niſi vnam munerbam, quam habuit ſanctus VVillibaldus, illam aperientes odorabant quod intus fuiſſet. Cumq́; odorabant petrę oleum, quod intus in canna fuerat ſupra, & balſamũ qui intus erat in munerba ſubtus petrę oleum, non reperiebant: & ſic eos reliquerunt. Multos dies erant ibi expectantes nauim, quando parata fieret.

*E*t poſtea tunc nauigauerunt totam hyemem à natali ſancti Andreæ Apoſtoli vſq; vnam ebdomadam ante *P*aſcha. Tunc venerunt in CONSTANTINOPOLIM, vbi requieſcunt tres *S*ancti, Andreas, & *T*imotheus, & Lucas Euangeliſta in vno altari. *E*t Iohannes ille os aureum requieſcit ibi coram altari, vbi Preſbyter ſtat, quando Miſſam facit, ibi eſt ſepulchrum eius. ibi erat Epiſcopus noſter duos annos: & habebat receptacula intus in Eccleſia, vt quotidiè poſſet aſpicere, vbi *S*ancti requieſcebant. *E*t inde venit ad vrbem NICÆNAM, vbi olim habebat Cæſar Conſtantinus Synodum. Et ibi fuerunt ad ſynodum trecenti decem & octo Epiſcopi. Illi omnes habebant illic ſynodum. *E*t illa *E*ccleſia filialis eſt illi *E*ccleſiæ in monte olï ueti, vbi Dominus aſcẽdit in cœlum. *E*t in illa *E*ccleſia erant imagines *E*piſcoporum, qui erant in ſynodo. *E*t ſanctus VVillibaldus pergebat illuc à Conſtantinopoli, vt videret, quomodo facta eſſet illa *E*ccleſia, & iterum remeauit ad Conſtantinopolim. *E*t poſt duos annos nauigauerunt inde cum nunciis Papæ, & Cæſaris in Inſulam Siciliam, ad vrbem Syracuſanam. *E*t inde venit ad vrbem *Catenam, & venit ad Regiam ciuitatem in Calabria. *E*t inde nauigârunt ad Inſulam Vulcaniam. Ibi eſt infernus Theoderici.

* Catanam et v. a. Regium.

Cumq; illuc veniſſent, deſcendebant de naui, vt viderent, qualis eſſet ille infernus. Statimque ſanctus VVillibaldus curioſus volens videre, qualis eſſet intus ille infernus, volebat aſcendere in montis cacumen, vbi infernus ſubtus erat, & non poterat; quia fauillæ de tetro tartaro vſque ad marginem aſcendentes, glomeratæ illic jacebant. Et ad inſtar niuis, quando de cœlo niuans candidas, niualesque cadentes de aereis ætherum arcibus aceruare ſolet; ita fauillæ coaceruatæ in apice montis jacebant, & aſcenſum ſancti VVillibaldi prohibebant. Sed tamen tetram atq; terribilem, horrendamque eructantem de puteo flammam erumpere videbat, ad inſtar tonitrui tonantis; ſic flammam magnam, & fumi vaporem valdè ſublimè in altum aſcendentem terribiliter intuebatur. Illo fomex vel pumex, quem ſcriptores habere ſolent, illum videbat de inferno illo aſcendentem, & cum flamma proiectum, atque in mare conjectum, & tunc iterum de mari projectum in aridam: & homines tollunt eum, & inde ducunt. Statimque poſt iſta horribilis ſeu terribilis ignis flagrantie vaporibus flammiuomis & fumi fetidis mirabilis viſionum ſpectaculum explorata, inde leuantes ſe nauigauerunt ad Eccleſiam S. Bartholomęi Apoſtoli, quæ ſtat in littore maris, & venerunt ad illos montes, qui ſunt nominati Didimi. Et inde nauigantes venerunt ad vrbem, quæ vocatur Neapolis, ibi erãt multos dies. Ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas eius illic habetur. Et ibi eſt prope caſtellum, vbi requieſcit S. SEVERINVS.

Montes Didimi.

Et inde venit ad vrbem CAPVAM. Et ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam vrbẽ, ad alium Epiſcopum. Et ille Epiſcopus miſit eum ad vrbem Tyanam, ad illum

Epi-

Epiſcopum. *E*t ille Epiſcopus miſit eum ad ſanctum Benedictum. Tunc erat autumnus, quando venit ad ſanctũ Benedictum. *E*t tunc erant ſeptem anni, quòd de Roma tranſire cœpit. Et omnium erant * et anni, quod de patria ſua tranſiuit. Cumq; venerandus vir S. VVillibaldus & DIAPERTVS, qui cum eo pergebat per omnia, veniſſẽt ad ſanctum Benedictum, non repperiebant ibi, niſi paucos Monachos, & Abbatem, nomine † PETRONACEM. Statim ille magno mentis moderamine, & dogmatum ingenio, felicem fratrum contubernium, ſedulis diſputationibus admonẽs, non ſolum verbis, ſed moribus venuſtatis viſitando docebat, & rectæ conſtitutionis formam, & cœnobialis vitę normã in ſemetipſo oſtendendo præbebat; ita vt omnium amorem ſeu timorem in ſeipſum prouocando accerſiret. *E*t in primo añ illuc veniens cubicularius fuit Eccleſiæ, & in ſecundo decanus erat in monaſterio. Et poſtea per octo annos fuit portarius in duobus monaſteriis. Quattuor annos erat portarius in illo monaſterio, quod ſtat ſupra in monte valdè excelſo, & alios quattuor erat in alio monaſterio, quod infra ſtat juxta Raphito.

* hæc vocula, et, ſine dubio in mẽdo eſt, forte fuit numerus annorum, & malè exſcriptus, in, et, abiit.

† hic reſtitutor monaſterii Caſſinenſis fuit. de quo Paulus Diaconus lib. 6. c. 40. nou. edit. & vet. 13. Baronius ann. 716. n. 7. to. 9.

X.

Tranſacta itaq; tunc decem annorum intercapedine, venerandus ille vir S. VVillibaldus ſacram ſancti Benedicti regularis vitæ inſtitutionem, quam omnipotentis Dei auxilio, illorumq; adminiculo, quam ſuper longa locorum ſtadia, & ſuper vaſtas marginum vias, in redemptionem animæ, & in opem præſentis vitæ requirebat, omnimodo, prout fore poſſit, obſeruare conabatur. *E*t non ſolum ipſe, ſed & alios cum illo in veneranda regularis vitæ veſtigia præeundo perducebat.

Poſthæc itaq; vnus Preſbyter, qui de Hiſpania veniẽs ad ſanctum Benedictum, manebat, licentiam rogabat

Abbatem Petronacem, ad Romam pergere. Statimq; ille licentia poſtulata, rogabat S. VVillibaldum, vt cum eo pergeret, & illum duceret ad S. Petrum. Et ille ſtatim petitionibus eius conſenſum ſeu effectum promittebat. Cumq; illi pergerent, ad Romam venerunt, atq; ilicò Baſilicam ſancti Petri intrantes ſacra cœleſtis clauicularii præſidia poſtulauerunt, illiuſq; ſe commendauere *piûm precum patrocinio. Tunc ille ſacer Apoſtolicæ ſedis Pontifex Gregorius III. venerandum virum S. VVillibaldum illic eſſe comperiens, præcepit illum ad ſe venire. Cumq; illuc veniſſet ad ſanctum ſummi ſacerdotii Pontificem, ſtatim prono vultu in terram ſe vertebat, & illum ſalutabat: protinuſq; ille pius populorum ſpeculator, piis verborum viciſſitudinibus, itineris ſui ordinem inueſtigare cœpit ab illo; quomodo ſeptem annorum calculum in externis terrarum finibus probando peragraret, aut quomodo multa temporum ſpacia pernicioſas paganorum prauitates penetrando euaderet, diligenter ab illo ſciſcitabatur.

*pro, piarum.

Statimq; tunc ille agilis Chriſti vernaculus, glorioſo gentium gubernatori, ſapienti ſermonum induſtria, humiliter ediſſerendo, ſeriem ſui itineris ex ordine intimauit, qualiter modo multas migrando mundi iſtius permeauit manſiones, & quomodo almam altiſſimi ætherũ plaſmatoris natalem aduentus ſui locum in Bethleem, adorando, opem poſtulando, luſtrandoq; perambulabat. Et nihilominus aliam baptiſmatis eius terram in Iordane ſpeculando, ſeq; balneando viſitabat. Sed & in Hieruſalem ſicq; in ſanctâ Syon, vbi ſacer ſeculorum Saluator in cruce ſuſpenſus, peremptus eſt atq; ſepultus. Et poſtea in monte oliueti in cœlum aſcendit. Iſtic quatuor vicibus veniendo orabat, & Domino ſe commendabat. Iſta omnia illi intimando explanabat. Poſt-

Digitized by Google

Poſtquam hęc omnia delectabilibus verborum ſermocinationibus inter ſe fabulantes volutabant, ſacer ille ſummusq; Apoſtolicus Pontifex, ſobriis ſermonum indiciis, teſtando intimauit B. VVillibaldo, quod S. Bonifacius rogabat illum, vt ipſum S. VVillibaldum à S. Benedicto adduci, peruenireq; feciſſet: & ſic illum tunc ſubſummatim mitteret, ac illi in gentem Francorum erudiendam cooperatorem efficeret. Cumq; iſta S. Bonifacii voluntatum votiua deſideria Dominus Apoſtolicus Papa Gregorius III. S. VVillibaldo indicaſſet, placidis illum exhortationum oraculum rogando ſeu præcipiendo acceſſiuit, vt ad S. Bonifacium veniret. Tunc ille inclytus Chriſti athleta S. VVillibaldus petitionibus Pontificis, ſimulq; viſionibus ſe ſolerter ſubſummatim effectum ſeu obedientiam perficere promittebat; ſi ſecundum regularis vitæ diſciplinam licentiam illi à ſuo poſtularet Abbate. Statimq; ſummus ille ſanctæ auctoritatis Pontifex reſpondit, illumq; ſine ſolicitudinis ambiguitate ſecurū cum ſuæ juſſionis licentia obedientialiter pergere pręcepit, dicens: Quia ſi illum ipſum Abbatem Petronacem vſpiam tranſmittere me libet, certè contradicere mihi licentiam non habet, nec poteſtatem. Confeſtimq; tunc S. VVillibaldus ſacris ſermonum exhortationibus conſenſum, atq; ſe, ſpontaneè exhibere reſpondit. Et non ſolum illuc, ſed vbiq; in omni terrarum loco, quocunq; illum tranſmittere dignaretur, deuotè ſine deſide differentia, ſecundùm voluntatis ſuæ arbitrium, ſe pergere ſpondebat.

Poſthæc tunc finitis oraculorum fabulis pergebat inde S. VVillibaldus in paſcha, qui illuc veniebat in natiuitate S. Andreæ, & DIAPERTVS manebat ad S. Benedictum. Et veniebat ad LVCAM, vbi pater eius requieſc-

Digitized by Google

bat. Et inde venit ad Ticinie vrbem. Et inde venit ad vrbem BRIXIAM. Et inde venit ad locum, qui dicitur CHARINTA. Et tunc venit ad Ducem ODILONEM, & ibi fuit vnã ebdomadã. Et inde venit ad SVITGARIVM. & ibi fuit vna ebdomada. Et inde perrexerũt ad LINTHRATH Suitgarius & S. VVillibaldus ad S. Bonifacium. Et miſit illos S. Bonifacius ad EYSTET, vt videret, quomodo ſibi placeret. Illam regionem Eyſtet Suitgarius tradidit S. Bonifacio, in redemptionem animæ ſuæ. Et ſanctus Bonifacius tradebat noſtro Epiſcopo S. VVillibaldo illam regionẽ, quæ adhuc tota erat vaſtata, ita vt nulla domus ibi eſſet, niſi illa Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ adhuc ſtat ibi, minor quàm alia Eccleſia, quam poſtea B. VVillibaldus ibi cõſtruxerat.

Cumq; ibi duo manerent ſimul ad Eyſtet aliquantũ temporum inducium S. VVillibaldus atq; Suitgarius, almumq; ibi habitationis locum explorando eligerent, poſtea iterum pergebant ad S. Bonifacium ad FRESINGAM. & ibi erant cum illo, vſq; dum omnes ſimul iterum veniebant ad Eyſtet. Et ibidem tunc S. VVillibaldum conſecrauit ſanctus Bonifacius in preſbyteralis dignitatis gradum. Ipſa die, qua Epiſcopus noſter S. VVillibaldus conſecratus eſt in preſbyteratum, vndecimo Calendas Auguſti fuit, ad natalem ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & ſancti Apollinaris.

Et poſtquam vnius anni tranſibat circulus, ſanctus Bonifacius præcepit, vt in Thuringiam ad ſe veniret. Statimq; venerandus ille vir Dei ſanctus VVillibaldus, ſecundum juſſionem ſancti Bonifacii, in Thuringiam veniebat, & in domo fratris ſui VVVNIBALDI hoſpitalitatis manſionem habebat: quia jam illum prius octo annorũ ſpatio, & nono dimidio, ab eo, quo de Roma pergebat, non

non vidit. Et jam tunc videndo gaudebant; & de ſua conuentione gratulabantur ambo. Illud fuit autumnale anni tempus quando ſanctus VVillibaldus veniebat in Thuringiam. Statimq; poſteaquam illuc veniebat ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus, atq; S. BVRCHARDVS & VVIZO ſacræ Epiſcopatus authoritati illum * ordinandi conſecrauerunt. Aſt ibidem tunc cùm ſummo ſacerdotalis infulæ ditatus erat honore, vnam ebdomadã erat, & poſtea iterum ad prædeſtinatum manſionis ſuæ locum remeabat.

* legi ordinando.

Sanctus VVillibaldus quando in Epiſcopatum cõſecratus erat, habebat quadraginta annos & vnum. Et tunc erat autumnale tempus circa illam ferè horam tribus ebdomadibus ante Natale ſancti Martini in Epiſcopatum conſecratus eſt, in loco, qui dicitur SALZBVRG.

Tranſacto atq; terminato prolixo itineris meatu S. VVillibaldi, quem ille ſagax in 7. añorum induciis luſtrãdo adibat, illa nũc reperta, & ex ritu rimata explanare, intimareq; conabamur: & non ab alio reperta, niſi ab ipſo audita, & ex illius ore dictata perſcripſimus in monaſterio HEIDENHEIM, teſtibus mihi Diaconis eius, & aliis nonnullis junioribus eius. Ideo dico hoc, vt nullus dicat iterũ hoc friuolum fuiſſe.

Poſtquam ille de Roma in iſtam veniebat prouinciã, cum tribus contribulibus, tunc quadraginta & vnius annorum ætate, jam gnarus & grandæuus, ſacri Epiſcopatus gradum accepit, & in locum, qui dicitur Eyſtet, monaſterium conſtruere incipiebat, atque ibidem ſacram monaſterialis vitæ diſciplinam in vſum prioris vitæ, quod videndo ad ſanctum Benedictum, & non ſolum ibi, ſed & in multis Monachorum manſionibus, quas ipſe ſolers

In margine à quodam gloſſatore hæc verba erant adſcripta: Hîc coniici datur, S Balpurgam ſcripſiſſe hanc legendã, quia etiam in prologo aſſerit, ſe eſſe de parentela S. Billibaldi. Vide quæ initio ad Lectorem de hoc notauimus.

ſolers, & ſophyſtus, vaſta per rura rimando explorabat, illorum cata normam venerandæ vitæ conuerſationem in ſemetipſo oſtendendo exercebat. Et cum paucis adhuc ibidē operariis latum atq; ſpacioſum * diuini ſegetis cāpum ſacra ſuperni verbi ſata ſerendo vſq; ad meſſem perducebat. Et ſicut apes prudentiſſimę, quæ per purpurea violarum vireta, & per fuluos frondium floſculos, & per olida holerum florida letalem liquantes toxicam, & ſuauiſſimum ſorbentes ſuccum nectaris, & ſic cruribus, & toto corpore referta ad aluearia geſtando properāt; ſic & ille beatus parilion VVillibaldus in omnibus, quæ latè luſtrando propriis cernebat luminibus, optima eligendo, arripiebat, arripiendoq; omnibus ſibi ſubditorum phalangibus rectæ conuerſationis ſtudium benè viuēdo, in verbo, in vitiorum obſtaculis, in bonitate, in patiētia, in abſtinentia peritus prolatam præbebat normam. aſt cito poſtquam ille ſtrenuus almi Dei athleta monaſterialem manſionis locum inhabitare cœpit, ſtatim vndiq; de illis regionum prouinciis, & nihilominus longinquis regionum limitibus, ad ſaluberrimum eius ſapientiæ dogma confluere cœperunt, quos ille quodam modo omnes, vt gallina quæ ſub alis ſolet ſuos regendo enutrire fœtus, ita & ille pater ſanctus VVillibaldus, & mater Eccleſiæ, plures per æuum, ſuæ pietatis parma protegendo, Domino deferebat adoptiuos natos. Et quemadmodum alumnos ſuos alere ſolet infantes, ita & ille enutriēdo diuinæq; pietatis lacte leniter lactando paſcebat, vſq; dum illi confoti, & de infantia eruditi, elegauterq; edocti, ad juuenilem pulchræ indolis pubertatem peruenerunt. Et nunc ſecundum magiſtri præcedentis exemplū, ſancta ſectantes dogmatum eius dona, multis micant adminiculis.

diuinæ.

parilion.

En

*E*n ille S. VVillibaldus, qui cum paucis adprimitus ſatellitum ſubſidiis, ſanctæ conuerſationis inchoauerat exercitium, tandem cum innumeris aulatium magiſtratibus, multiformiter militando, Domino dignum acquiſiuit populum. Et latè ille per vaſtã BAIOARIORVM prouinciam, aratra trudendo, ſata ſerendo, meſſem metendo, cum multis meſſorum operariis, per vitreos Baioariorum campos, cum Eccleſiis atq; Preſbyteris, Sanctorumq; reliquiis, digna Domino delibat dona. Inde nunc antiphonæ crepitant, inde lectiones reſultant, inde nunc clarat credentium turba, ſancta ſtrepitant Chriſti miracula, & celeberrima conditoris gratulabundi garrulant præconia. Quid dicam nunc de S. VVillibaldo meo magiſtro, & veſtro alumno? Quis illo pietate præſtantior, humilitate excellentior, patientia purior, continentia rigidior, manſuetudine maior? cui ille vnquam in triſtium ſolatio poſterior, & cui ille in pauperum opitulatione inferior, aut in nudorum habitu tardior? Iſta omnia non ad jactantiam dicta, sed ſicut vidi, & audiui, Dei gratia, non hominis facta: quia ſecundum Apoſtolum, qui gloriatur, in Domino glorietur. 2. Cor. x.

Amen.

Finit vita S. Willibaldi.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vita
SANCTI
WVNIBALDI
FRATRIS
S. VVILLIBALDI,

ſcripta

A

quadam Sanctimoniali Heidenheimenſi.

Nunc primum edita ex m. ſ. Monaſterij
REBDORFFENSIS
prope Aichſtadium.

Digitized by Google

DE
S. WVNIBALDO
Ex Trithemio libro 3. de viris illuſtribus Ord. S. Benedicti.

VVInbaldus (ſic enim nominat) Monachus Caſſinenſis cœnobii, frater S. VVillebaldi Epiſcopi, & ſocius peregrinationis eius, veniens cum eo poſt multos labores ad montem Caſſinum, & ibidem Monachus effectus, multis effulſit virtutibus. Claruit anno Domini 740. Hæc Trithemius; nimis conciſè pro tanti viri laudibus. Feſtum eius colitur 18. die Decembris, vt ſcribit Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii. Vitam VVunibaldi litteris commendauit Reginoldus vndecimus Epiſcopus Aichſtadianus, vt ſupra dictum eſt in VVilibaldo; quæ aut periit, aut in Bibliotheca quapiam cum ſitu & tineis decertans, deliteſcit: nos licet valdè expetitam & quæſitam, non reperimus. Hanc enim, quam ex codice Rebdorffenſi exſcripſimus, diuerſam eſſe ab illa, quæ Reginoldum auctorē habet; ipſe ſtyli horror, & tota orationis ſeries perſpicuè demonſtrat. Et fortè Sanctimonialis illa Heidenheimēſis, quæ Itinerarium S. VVilibaldi conſcripſit, hanc itidē hiſtoriam compoſuit, de quo ſupra in VVilibaldo diſputatum.

Deeſt

Deeſt nonnihil ad calcem libri, ſed parum; niſi multùm fallimur. Vtinam alterius exemplaris copia facta eſſet, multa proculdubio emendare licuiſſet, quę nũc in tanta barbarie fruſtra tentes. Si quis delicatior nauſeat ad ſtylum, ridendus eſt tanquam is, qui neſciat: *veritatis cognitionem ab idoneo linguæ cõcentu petendam non eſſe*, vt cũ Theodoreto loquar lib. 2. de cur. affect. Græcan. *Quid enim Homerica poeſi queat eſſe jucundius? quid inquam eius dulciloquio ſit ſuauius? Et* tamen quid fabuloſius & mendacius? *Atq; alibi quidem videre eſt*, ait idem Theodoretus, *eos, qui ſingularum artium quærũt fructus percipere, minus eſſe ſollicitos, qua elocutione, quoue idiomate ſint illorum artifices. Neq; enim Atticos eſſe ſutores, curant, neq; fabros ferrarios, neq; architectos, neq; pictores, non ipſos deniq; factores nauium. Verùm ſiue Scythæ, ſiue Sauromatæ, ſiue Hiſpani ſint, ſiue Ægyptii, ſumma cum voluptate vtuntur illorum artibus, ſolam ab his fidem, diligentiamque poſcentes, &c. Item qui Citharœdi fidibus oblectantur, ſolùm audire vocum conſonantiam quærunt, neq; ſitne is Græcus, an barbarus ſciſcitari contendunt. Et tamen in ſolo veritatis perdiſcendæ ſtudio non curioſi ac non ſolliciti eſſe non poſſunt, ſed ignominiam ſibi fieri, probrumq; exiſtimant, ſi quis homo ſermone barbaro ad veritatem eos erudiat. Intumeſcunt autem hoc genere ſuperbiæ quidam, nõ ex iis, qui ad ſummum ſapientiæ peruenerunt, ſed qui pauca quædam, quod dicitur primis labiis delibarunt, ſibiq; hinc atq; illinc puſilla quæpiam collegerunt.* Hæc Theodoretus.

Centuriatores Cent. VIII. c. X. paucis ſe à VVunibaldo expediũt. *VVunibaldus*, inquiunt, *frater fuit VVilibaldi Eiſtetẽſis Epiſc. Ex Anglia ad Bonifaciũ in Germaniã venit, eiq; comes & ſocius fuit in deformãdis Eccleſiis Germanicis.* Hęc deformes & informes iſti ſectarii, q̃bus Ethnicos ad Chriſti religionem traducere, eſt Eccleſiã *deformare*: q̃d ergò iſtorũ judicio erit reformare? An à Chriſtianiſmo ad Ethniciſmum homines abducere?

VITA SANCTI CONFESSORIS AT-que Abbatis Wunebaldi.

ORiginem vitæ, exordiumq; beati VVunebaldi Chriſti Confeſſoris atq; Abbatis ordinare, ediſſerereq; me libet; & licèt opaca mentis ignauiæ *præpedita, tamē aliqua de eius vitæ conuerſatione intimando per nigros paginarum tramites pandere, explanareq; conamur. *Et* quæ nuper aliqua per ordinem glomerando de geſtis venerandi viri VVillibaldi *E*piſcopi * compoſuimus, nunc ad alia fratris ſui glorioſæ vitæ colloquia properando pedem inante *paſſiuatim protendēdo gradiamur; non audacitate propriarum confidens virium, quòd de iſtis tanti viri virtutū ſublimitatibus diſputare aliquid inciperem, ſed quod Chriſto cooperante & ſermonem confirmante, ꝓpenſius ediſſerere volumus; Qualiter infantialis ſeu pueritialis tranſmeatis annorum curriculis, ad adoleſcentiæ non decem annorū ætatem, citatus, cælebs vſq; peruenit, & tam ille ſtrenuus, ſpretis atq; deſpectis pueritialibus incentiuorū laſciuiis, illecebroſiſq; vitiorū petulantiis, magna diſpenſationis clementia, acceſſioneq; Epiſcopi noſtri ad celſioris vitæ æternæ meritorum profectiones inhiando properabat;

&

Indicat hoc verbo ſexum.

Teſtatur ſe & S. Willibaldi vitam ſcripſiſſe

*ſ. paſſiuatim.

& ſic vſq; ad maturam LX. annorum calculò almis atq; illuſtribus, boniſq; vitæ moribus pollendo, proficiẽdo ad felicem vitæ *prouentus eſt exitum. Cumq; illuſter ille, celeberrimuſq; Chriſticola non decem annorum ætate jam grãdæuus, facie decorus, fide robuſtus, almi Dei adminiculo, fratriſq; exhortatione, propinquorũ, amicorũque ſuorum carnalium affectum poſtponens, præſertimq; ꝓpriam hæreditatis patriam cum nouerca, fratrũ, ſororumq; ſuarũ clientela contemnens, ignotas peregrinationis prædas ꝓbare, penetrareq; maluit quam præſentis vitæ huius *fl̄is.... diuitiarum florere proſperitatibus; & ſic in extremis barbarorum finibus vitam ducere monachicalem magna mentis deuotione quottidiè anhelando deſiderabat; quod poſtea deuotus adimpleuit. Poſthæc itaq; cum ſagax ille votiua voluntatum adimplere optabat deſideria, ſtatimq; Domino diſpenſante adoptatum & deſideratum inchoauerit iter, & ſicut in alia fratris eius *textura ſubtilius intimando enarrauimus, & nunc iterando rememoramus, ſtatimq; ille ſuauiter ſuorum ſociatus eſt comitatu patris & fratris, & ſic agiliter cum ſumpturis atq; ſtipendiis ad loca venerunt venalia, quod eſt mercimonium, & ſtatim illi cum conſilio & conſultu nautarum nauilia adepti fuerant loca. Et Oceani tunc illi marginem ſcandentes, nauem competebant, cerulæ aquæ limpharum inuaſerunt liquida, vſq; dum tumida æquorum timida, congelida gurgitum garrula, fluctuũ ſpumoſa Syrtium ſuperabant ſalſa. Aſt tunc plenis & proſperis ventorum flatibus arida terrarum gradiebantur gramina, & ſic ouãtes & lætãtes, voti *campi, perfectas omnipotenti Deo impendebãt gratias, q; ꝓſperè ſuper ſpumoſa vndarũ æquora & perículoſas põti ꝓcellas portũ videre meruerint: & ſic caſtra metãtes ibidẽ pauliſper laſſata de iti-

* f. prouectus;

* f. fluxilis vel aliquid ſimile.

* Et hic teſtatur ſe Hodœporicon S. Willibaldi ſcripſiſſe;

* f. compotes.

itinere requieſcebant membra, vſq; dum vegetati ac roborati votiuam cœpti itineris iterum gradiebantur viam; multiſq; in itinere Sanctorum ſacris ſe commendabant patrociniis, & plures per viam cum ſociis ſanctorum petierunt Baſilicas, pia poſtulantes illorum præſidia, vt tuti alienas peragrarent barbarorum villas. Tum illi properantes profecti ſunt: timebant enim ne autumnale ſibi deficeret tempus, & prius gelida hyems, aura vitioſa & nebuloſa, horride irruentes, congeleſcerentur; antequã illi almã Apoſtoli adire, ſpeculariq; meruerũt baſilicam Petri. Et tunc illi pergentes per vaſta Gallicaniæ rura, & per ſpatioſam Italiæ tellurem, vſq; ad vrbem, quæ vocatur Luca, & ſicut in alio ſcripto lib. . . . . ordine aſſerimus, Patrem ſuum ægrotantem, etiam ſemineccem obtulerũt illic; & ſicut prædeſtinata, illud fore fecerunt fata, vitam finiuit illic, & terra *tumatus illic requieſcit ad ſanctum † Frigidianum. Cumq; illi confeſtim per campeſtria campium incerta, per denſa ſaltuum ſolitaria, per concaua vallium, per innormia collium cacumina, contra immenſas alpium ardua vſq; ad niuatas atq; nubilatas rupiũ ſaxaces deſudantes ſcandere conabantur, & protinus paſſiuantes ſuper alpium * oneos, vſq; dum idonei ampla millitum intrarunt terminos. Nec longum poſtea quod illi cum comitatu contribulum ac * collegum cœtu clara ciuium cernentes vrbis Romanorum mœnia, & ſtatim gratulabundi glorioſam intrauerunt baſilicam ſancti Petri Apoſtolorum principis, remiſſionem omnium peccatorum poſtulantes, vt illius promoti patrocinio perennem vitæ obtinerent palmam. Tunc ille hetus agilis & adhuc cœlebs omnipotentis altithroni magna ditatus erat prærogatiua, & cœleſti inſtigatus gratia tõſuram accipere, & Dei ſeruitio ſe ſubiugare ſtuduit, & ſic ſollerter

ſalu-

Et hic aſſerit, ſe vitã S. Willibaldi ſcripſiſſe.

* f. humatus, vel tumulatus.

† aliter in margine m. ſ. legebatur: Præſtianum. lego: Frigidianum.

† hanc vocem ſupra in vita S. Willibaldi c. 9. etiam vſurpauit.

† p cõtribuliũ & cõllegarum.

ſaluberrimam ſapientiæ exorſus eſt auctoritatem, vt ille ſacræ lectionis ingenio aſſiduè inhærendo ſubſummatim diuino ſe ſubdidit exercitio, & ſuperni roris humida irrigatus germen in eo jam tunc frugiferum florere cœpit virtutum, & ſicut nos jam prius in aliis voluminum paginis perſcripta pandimus, ſic & nunc iterata recapitulemus. Magna correptus eſt ille corporis infirmitate, quia ſicut illic fore ſolet, congruis æſtatis temporibus, quòd magna febris fatigatio, & flagelli purificatio aduenas illic venientes viſitare ſeu grauare ſolet. Aſt ſic vt per centenos & millenos morientium falangas magna clade comprehenſos præda rapere, & ad carnale perficere properat. ſcriptum eſt, quòd mors non tardat. Tunc illi duo germani Willebaldus & VVunebaldus infirmi inter ſe alternantes, alter ambulabat, quando alter jacebat, vt adiuuaret ambobus. Et tamen ille vir Dei ſenſu ſophyrus, agone argutus, almi Dei adminiculo, pſalterium in ægritudine tam imbecillis, & tam infirmus indagando diſcebat, & ſtatim iterum cùm vegetata illius fouere cœperunt membra, & virtus in eo valeſcebat, alias ſcripturarum paginas perlegendo ſcrutabatur. Aſt ita de die in diem meliorando, Deo militando, alios monendo proficiebat, vt magis jam didaſcalus, quàm diſcipulus eſſe poterat. Sed & ille magno mentis amore, & honoris dignitate inter omnes habebatur contribulum collegas. Et ambo pariter pandebantur in pudente illius pectore, amoris ſuauitas manſueta, & zelus rectitudinis robuſta.

Et hinc colligi quoq; videtur, hanc eandem eſſe, quæ ſcripſit vitam S. Willibaldi. nam ibi de his morbis eadem mentio.

Cumq; tranſactis temporum interuallis, ſeptem añorum curriculis mens illius heri agilis, Saxonicam iterum propriæ natiuitatis terram viſitare volebat, & ob hoc præcipuè, vt ſi vllum de ſua genealogia ad ſacram di-

Digitized by Google

uinę ſeruitutis militiam exhortari, atq; ſecum ducere poterat. Et citò tunc ſecundum ſuæ voluntatis arbitrium propriam hæreditatis patriam viſitando intrauit, & ſtatim cum magno gaudio ſuſceptus ab amicis, diligenter incipiebat illos alloquendo & docendo fratres & ſorores, & alios de ſuo genere propinquos exhortare & perſuadere, vt in recto itineris tramite ambulando de ſolida veritatis via pedem retrahendo non deuiarent, ſed delabentis mundi huius liminis ad anguſtam paradiſi portam per arctam & aſperam agonithetum viam ire ſcandereque tentarent. Et ſic ammonendo atque inſtigando propinquorum atque cognatum vicos & domos permeauit, eorumque mentes multorum de ſæcularibus negotiationum curis ad diuinæ inſtitutionis formam regendo prouexit.

Et tunc iterum licentia poſtulata cum conſilio amicorum, & cum iuniorum ſubſidiis fratre ſuo comite ſacra iterum ſancti Petri perquirere properabat præſidia. Poſthæc itaq; cum electus Chriſti athleta ſecunda vice ad Romam ſancti Petriq; baſilicam veniebat, & illic aliquanta temporum intercapedine manens, prouidæ circumſpectionis grauitate ſollicitus, pudicam continentiæ vitam diuinaliter ducendo quotidie ad meliorem ſpiritualis vitæ diſciplinam, & ſæcularis vitæ ſapientiam proficiebat.

Cumq; fidelis ille atq; felix Chriſti famulus ſanctus Bonifacius præclaram ac illuſtrem ſancti Petri Eccleſiam perquirebat, ſacriſq; illic orationum munimentis Domino, ſanctoq; Petro ſe commendabat, & ſubſummatim inueſtigare cœpit, qua res reperire poſſit, vt illis Euangelici ſermonis conſortium commendaſſet, ſtatimq; multos contribulum ſuorum, & nihilominus alios imbutos

atq;

atq; eruditos ſacerdotalis infulæ Preſbyteros ſecum pergere inuitabat, & ad * ſacræ verbis obſequium, vt * illæ † fuiſſent cooperatores rogabat, protinusq; tunc, dum ſciſcitaſſet venerandum virum VVunebaldum illic manere, ſtatimq; alloquendo inuitabat illum, vt adminiculum tanti laboris, & ſolatium Epiſcopatus in diuini verbi amminiſtratione * illo foret; quia carnali propinquitatis † & ſanguinis copulatione illo fuerat ſociatus, atque glutinatus: Statimque ille agilis Chriſti vernaculus ſancto Bonifacio reſponſum reddidit, almisque exhortationum eius oraculis conſenſum ſeu effectum ſe perficere promiſit. Poſt hæc itaque non multo tranſacto temporis ſupputatione, ſanctus vir ille VVunebaldus petitum atq; inſtigatum à ſancto Bonifacio tranſitum incipere properabat, confeſtimq; fratrem ſuum proprium, ſed & alios eius cognatos atq; amicos ſobriis ſalutationum verbis compellauit, atque licentiam poſtulauit. Et tunc ille cum aliquanto * Collegûm comitatu inchoauerat † iter. Cumque perrexerunt illi per ardua alpium alta, per prærupta montium, per plana camporum, per lata Longobardorum limina, per varias Baioariorum villas, per Germaniæ terminorum tellures vſque in Thuringiam, & illic venientes pauliſper laſſata de itinere requieſcebant membra. Et ſic paulatim, quando tempus euenerat congruum, ſanctum Epiſcopum alloquendo venerabiliter ſalutando compellabat. Statimque ille cum magno dignitatis honore ab eo ſuſceptus, ſalubribus verborum alternationibus illi inter ſe ſermocinabant, & de diuinis voluminum ſcripturis ſacra ſubter illis indagabant myſteria.

† illis
† illi
† Collegarum

Digitized by Google

Cumq; tranſacto aliquanto temporis ſpatio ſacer ille atq; perfectus * barilion, regulariam monachicalis vitæ normam ſequendo, mente & moribus adimpleuit, & ſecundum canonicam ritè conſtitutionis formam ad ſacerdotalis ordinationis primatum, diuinis dotatus donorum muneribus à S. Bonifacio in Presbyteratus conſecratus eſt gradum. Et ad primitus quidem VII. Eccleſiarum commendatus erat illo ſacræ moderationis regimine, vt illis præeſſet, & ſaluberrimam vitæ panderet viam, & ſic diuturnæ meditationis ſpeculatione ei aſſiduè ſcripturarum recitatione primordiales Prophetarum vaticinios, aliasq; Sanctorum expoſitiones, manu aptos habere ſolet, vt de illorum imitatione ſcripturarum, aliqd exequendo conſeruaret; ac præcipuè Euangelicam dominicæ traditionis hiſtoriam quotidiana ſemper habuit memoria, & illa, quæ mente meditabatur, Dei gratia, in ore prædicando, & in opere faciendo compleuerat. Cum enim aliquantis euolutis annorum ſpatiis, incertas Baioariorum probare volebat incolas, vt latior & ſpatioſior Euangelici ſermonis ſata pullularent, non inuitus, ſed ſponte OTILONEM Ducem inquiſiuit, protinusq; ab illo magno ſuſceptus fuit honore, magnisq; ab illo ditatus erat donorum dignitate in regione, in poſſeſſionibus, atq; in aliis pecuniarũ opulentia.

In vita S. Willibaldi circa finem etiam hac voce vtitur, niſi quod ibi: parilion.

Ita etiam m. ſ. codex M. Velſeri, quem ipſe vidit.

Nec longum poſtea, quod ille almi Dei cultor canonicæ inſtitutionis ſacramenta renouans, multosq; potentium & diuitum, ſed & alios inferioris gradus mediocres iniuſtæ copulationis coniugio nuptiarum, & nihilominus & luxuria pollutos, variosq; paganorum præſtigia, quantum potuit, à prauitate prohibuit morum. Similiter & aliis ſuperioris gradus diuitib. ac ſeculari dignitate prælatis potentibus, nunquam adulando cedebat,

ne

ne vſpiam oleum peccatoris impinguaret caput eius, ſed tãto quis diuitior elatus magna nimietate tumidus, plaude pompoſus, tanto auſterior & rigidior non parcendo, ſed ſeuerus zelando. Iura rectitudinis exercere non formidauit, quia ſcriptum eſt: Qui potentis gradum accipit, & veritatem loqui paueſcit, graui multatur culpa ſẽtentiæ. Omnibus æqualiter potentibus & pauperibus, diuitibus atq; egenis, ſanctæ exhortationis dogma exhibuit, id eſt, per humilitatem omnibus pari modo diuina partiebat, potentes non formidando, & pauperibus compatiendo, quia homines natura æquales genuit, ſed varietate meritorum diſiungebantur. Tunc ille ſacer Dei famulus ſub Otilone Duce in illa regione, quæ vocatur NORDFISVLE, proprium habitationis habebat locum, & ab illo tempore, quo illic veniebat, magno mentis cõnamine diurnaliter deſudans, vt illos, quos ſub ſua habebat poteſtate, & ſermonem eius audire voluerunt, & capere poterant, ad meliora prouexit; Sed ſecundum Euãgelicam vocem, vbi dictum eſt: Intrantes in domum ſalutate eam, & ſiquidem domus digna eſt, pax veſtra ſuper eam; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra ad vos reuertatur. Sic & ille in nonmultis terrarum locis prædicando introiuit, vt ſi quis dignus fuiſſet accipere ſementem ſermonis Euangelici, de fructibus meteret, & centuplum acciperet vitæ præmium.

Pſal. 140 · laudes

m. ſ. codex Mi Velſeri Nordfiluſe,

Matt. 10.

Poſthæc itaq; tranſacto trium annorum calculo, reciprocis veſtigiorum greſſibus, priorem Germaniæ intrauit tellurem, & venerabiliter à S. Bonifacio ſuſceptus, ad vrbem, quæ vocatur MAGONTIA, veniebat, & ibi manens magna prælatus erat ſæcularis vitę dignitate, & multo maiore præditus fuerat perennis vitę prærogatiua, rumore rectæ conuerſationis inter omnes habebatur illos,

quia multos Frankorum nobiles & ignobiles, viros ac fœminas, per ſaluberrimam & per diuinam æterni amoris diſpenſationem aliis diuerſa dapium dogmata, & Euangelici nectaris melliſflua pandebat myſteria. Aliis, qui arcana Dei iſta per ingenium percipere non poterant, ſicut fragilibus & carnalibus, lac & lenia ciborum, id eſt, plana & communia compoſitionum verba dicebat, quia ſcriptum eſt: *Pro qualitate morum diuerſa exhortatio debet eſſe doctorum.* Quoſdam increpatio dura, quoſdam exhortatio corrigit blanda, & tam magna diſcretionis moderatio in illo erat contra delinquentes, vt rigorem correptionis ore proferret peccanti, Sed pietatem compaſſionis clementer cuſtodiuit in corde, omnia omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaceret DEO. *Tum* ille vir Dei venerandus atque perfectus magnam abſtinentiæ tolerantiam clam in occulta cordis cogitatione abſconſam tenebat. Cum illius ſic vtebatur, vt lateret, & illam ſic in operatione compleuit coopertam, vt nulli, prout fore poſſit, niſi ſola ſuperni Iudicis contemplatione, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, nota claruerat. Sed mens humilis, & DEO deuotus nunquam de bonorum dignitate elatus, nec jactantia extollatur humana, nec laude lætabitur labendo, nec reprehenſione prauorũ impulſus agitatur in ira, niſi quando perniciosa proteruorum opera execrando emendare non poterat.

1. Cor. 9.

Tunc zelando, iraſcendo, contra peruerſas peccatorum prauitates; *Et* ſicut dignus Didaſcalus zelum rectitudinis gerebat in corde, & ſemper in facie peccatoribus oſtendebat per timorem; & ſemper in vna ſolidatus ſecta mente edomando efficaciter perdurabat.

De

De vino & eſcarum dapibus multa fari non eſt opus. Quia niſi ſic infirmitate cogebatur corporis, paruum vini potum, vti ſolebat, vt jam pæne non bibendo, ſed probando maiorem * parcebat guſtando continentiam, quam alter non recipiendo. Tandem quippe tunc mens eius magna ſollicitudinis cura in corde cogitando volutare cœpit, an vſpiam quidem locum intentioni ſuæ aptum inueſtigare poſſit, vbi ſatam Euangelici ſermonis ſegetem per laboris ſui exorcitium vſq; ad meſſem proferre, manipulosque portare, & in horreum congregare potuiſſet. Tum ille de vrbe Mogontia promptus ac paratus proficiſci cœpit, & ideo potiſſimum, quia vini vbertas illic fieri ſolet, timebat, ne ſecundum ſcripturam, vini opulentia monachicalem vitæ frangeret diſciplinam.

* f. patiebatur.

Eccl. 19.

Cumque inde perrexit, & venit ad monaſterium, * quod dicitur Eichſtat, ad fratrem ſuum Epiſcopum VVillibaldum. Et illi inter ſe diſputantes, & ſollertis voluntatis arbitrio effectum perficere atque implere potuiſſent. Tunc illi ſtrenuè pergentes venerunt ad illum locum, qui vocatur Heidenheim, atque illicò requirentes locum aptum illic reperierunt, quem Dominus prædeſtinauit ſancto ſuo Confeſſori VVunebaldo monaſterium conſtruxiſſe, ſanctumq; ſuum corpus ibi requieſcere volebat. Nec mora fuit poſt hæc, quod Dominus virtute ſuæ pietatis meritaque .... Chriſti Confeſſoris clarere volebat. Quæ vſq; tunc celata coram hominibus, & clara coram Deo pandebantur patula; Statimq; tunc egregius ille almi Dei agonithetus, cum cõſultu atq; conſilio Epiſcopi emebat agrum illum, qui nominatur HEIDENHEIM, in propriã poſſeſſionẽ ſibi & aliam partem poſtea regionis alii homines dabant illo

* m. ſ. M. Velſeri quæ dicitur Eihſtat, adſtatræ ſuo Epiſcopo Wilibaldo, & illi inter ſe diſputantes, & ſolerter volutantes arbitrio effectum perficere atq; implere potuiſſent, tunc illi ſtrenuè pergẽtes venerunt ad illum locũ, quæ vocatur Heidenheim, atq; illico requirentes locum aptum, illic repererunt, quã Dñs prædeſtinauit ſancto ſuo Confeſſore Wynnebaldo,

in

in redemptionem animæ ſuæ. Optantes & deſiderantes communionem temporalium cum illo partire, vt ille in futuro perpetua illis præſtare poſtularet. Illa regio, quam ille percipiebat, aggreſtum erat, & ſylua totum. Sed confeſtim ille Dei famulus aggreſta ſyluarum loca ſuo labore latantes arbores cædebat, vepres truncabat, tribulos ſecabat, vrticas & cardos erutando rura renouabat, paucosq; adprimitus ibi habitationis caſulas inſtruendo collocauit. Aſt tunc ille ſubſummatim vt fore poſſit, Eccleſiam fabricauit, & monaſterium conſtruxit, & extemplo, ſicut ſuprà diximus, cum ſuis junioribus ſibi ſubditis monachicalem regularis vitæ diſciplinam. Quia jam olim in ipſa juuentutis pubertate deuota mentis inſtantia adoptando ceu deſiderans ſupernæ pietatis ſuffragio coarctatus inchoauerat. Et tunc perferre ac perducere vſq; ad felicem vitæ ſuæ exitum Chriſto cooperãte decreuiſſet, & ſic patrando perficiebat. Deniq; cum belligerus atq; beatus batilio terram SVALAVELDORVM inhabitare cœpit, plurima paganicæ prauitatis præſtigia, multos diabolica fraude deceptos idololatria colentes, alii aruſpicia obſeruantes, alii diuinationes dæmonum dicentes, alii incantationum friuola facientes, alii nigromanticas, ſed & alias multas, quas nunc longum eſt enumerare, quas popularem & publicè pernicioſa perficiebat pro nefas, & nihilominus alios, qui iniuſtę copulationis coniugio coniuncti contra legem Domini vitialiter viciabant fornicaciali polluti ſpurcitia. Sed & etiam nonnulli, qui cum ſuis propriis propinquis & affinibus, & cum propria fratris ſui vxore in coniugio nupti fuerãt, & quod his adhuc peius erat, quod multi, qui ſacerdotalis ordinatione presbyteros, & ſacro altari deſeruire debuerãt, immundicitia & fornicatione magis, quàm diui-

na

na ſeruitutis ſollertia ſubditi & refrænati fuerant, alioſq; laicorum & Clericorũ concubinas iniuſtæ copulationis ſocietate contaminatas. Iſtis omnibus ipſe contradicẽdo, eoſq; increpando diſiungebat, & cum magna laboris inſtantia die noctuq; certando contra indefeſſos diaboli cooperatores conflictum habebat, & licet lugubrem tamen diſcidiam & diſſenſionem inter illos faciebat, qui iniuſtè ſociabantur. Tunc alij, qui iſta ſectabantur ſacrilegia magna dementationis cauſa contra illum fremebãdo inſidias illo tendebant, & ſæpè ad occidendum, ſeu ad comburendum totiens per maleficia illum perdere volebant. Sed vir Dei nec minis malignantium, nec falſis adulantium friuolis mente agitatur nec mutatur. Sed ſemper conſtans & fide robuſtus in Domino non deſierat docendo plebem ab erratica paganorum prauitate perſuadendo educere. *E*t ſic longè lateq; per populos ſacra ſeminando non paruum Domino populum acquiſiuit, & juxta ſuauiſſimam Domini vocem, prudentiam apprehendit ſerpẽtis, qui per zelum rectitudinis & vigorem correptionis opera prauorum pernicioſa corrigendo corrigebat, arguendo erudiebat, ſuadendo ſedauit; aſtutiam arripuit ſerpentis, quoniam contra atroces ſathanæ inſidias ſcuto Fidei, & lorica Iuſtitiæ, lancea Lectionis, gladio Ieiunii, clypeo Continentiæ, variiſq; virtutum telis contra mille nocentes diaboli artes die noctuq; certando dimicabat; ſimplicitate columbæ ſic fruebatur, vt ille, qui prius zelo rigoris ardebat, poſtea clemens leniter laxando mitialiter demulcebat, & ſecundũ ſcripturam, ſecundum qualitatem audientium formari debet ſermo Doctorum, ſic faciebat ille, & multis compaſſione fuit proximus, & in neceſſitate frater, & per blandum ſuæ pietatis affectum docibiles ad rectam veri-

Digitized by Google

tatem viam dirigendo ducebat. Quia ſcriptum eſt: Non diligenter auditur, qui non diligitur. Cumq; venerandus ille Chriſti vernaculus ſic de anno in annum proficiendo virtutibus properando pedem inante ad ſuperiora graduum celſius & celſius conſcendebat, ſtatimq; illuſter ille & prudens populi pædagogus monachialium apum examen, quod Dominus ſub ſua tribuit poteſtate, ſine paupertate & nuditate, ſine murmuratione, cum diuinis ſeu ſæculariis vitæ alimentis vbertim alendo paſcebat; & ſub magna doctrinarum induſtria alloquendo, exhortando cateruatim ad aluearium congregauit vitæ æternæ, & non ſicut mercenarius, ſed ſicut paſtor perfectus acris luporum morſibus circumeundo obſtabat, & intus intra ouile & Chriſti gregis caulas conuocando atq; erudiendo introducebat.

O ineffabilis opificis pietas conditoris, qui ſuper longa locorum ſtadia, ſuper gelidas aquarum latices de occidentali occaſui plaga ad orientale ortu ſolis ſuo gregi gubernatorem, ſuo populo paſtorem præbere prædeſtinauit, qui populum ſibi commiſſum ſub curæ paſtoralis peritia paulatim, vt præuius procerum pater ad * numeroſis æternæ vitę aruis præeundo perducebat. † nemoroſis. Denique poſt hæc cumque ſacer ille atque perfectus, prudensque DEI famulus magiſteriale dignitatis indole ſubditis, & non ſolum ſubditis, ſed & etiam aliis, quos è vicino cognatos, aut domeſticos habebat, præeſſet, & omnibus, ſicut ſuprà diximus, ſacra paginarum patula pandens, ita vt rarò, aut nunquam diuinæ laudis in ipſo ceſſauit modulatio, aut in pſalmis, aut in lectionibus, aut in doctrinarum ſtudio diſſerendo, ſiue manducando, ſiue bibendo, ſiue aliud agendo, ſemper ſacra

in

in ſuo pectore permanentes claruerunt oracula. & ſic clara cœlorum regna per arctam & celeberrimam cœleſtis vitæ callem omnibus aperiendo patefecit.

Poſt hæc itaq; tunc tranſactis temporibus & annorum curriculis. Cumq; venerandus ille atq; beatus vir Wunebaldus magna arreptus eſt corporis infirmitate, & ægritudo jam tũc magis, quàm membra inualeſcebat, & non ſolim tunc, ſed etiam olim à primo juuentutis flore per multa annorum ſpatia valdè conſtrictos atq; retentos habebat corporis *artos, & jam tunc tribus annorum internallis, antequam de mundo pergeret, tam infirmus, tam imbecillus habebatur, vt pergere non poterat, niſi vix ad villas, quæ juxta erant ibi ſitæ. *Et* vna vice pergebat in Francios ad *Mezingozo, & cum veniebat ad Fulda, vbi requieſcit ſanctus Bonifacius, ſtatim mouebat illum valdè infirmitas eius, & ibi jacebat tres ebdomadas, ita etiam tunc obitus ſui diem imminere æſtimabat. Et tunc poſt tres ebdomadas melius habebat, & inde pergebant, & venerunt ad villam vnam, & ibi manebant vna ebdomada, quia non poterat adhuc pergere inde, quia ægritudo eius iterũ valdè affligebat illum, & ibi erãt vna ebdomada, & tunc, prout poterat, pergebat inde, & venit ad vrbem, quæ vocatur VVIRZBVRCH, & ibi alloquebatur Epiſcopum MEGINGOZVM, & ibi manebat tres dies, & iterum tunc ad propria remeauit.

*artus.

*Megingozo,

Cumq; mens jam in eo deuotus, & multò agilior, quàm corpus proferre poterat, magna mentis deuotione cupiebat, vt ad ſanctum BENEDICTVM pergeret, & ibi vitam finiret, & citò poſtea miſit nuntium ſuum ad S. Benedictum, & rogabat Abbatem, & omnem con-

Digitized by Google

gregationem, vt cum illis conſortium, vt eius communionem illo habere licitum foret. & illi ſtatim cum magna dignitatis reuerentia illum accipere, & ſecum habere ꝑmittebant. *E*t nihilominus diligenter rogabant, vt veniret, & tunc ille interim venerandus vir prompta mente parauit ſe, vt illic tranſiret. Cumq; iſta cogitauerat ipſe, & in ſua mente volutabat, fratrem ſuum proprium, & alios ſapientes atq; prudentes viros, qui illi in familiaritate, & in diuina amicitia conſocii fuerunt, illos rogabat ipſe, vt ad ſe venirent, & conſilium darent. Cumq; congregauerunt, & loquebantur ad inuicem, & ille indicauit occultas cordis ſui cogitationes, vt ſecundum ſcripturam, in ore duorum vel trium firmum ſtaret conſilium, tunc illi ocyus cauſam infirmitatis opponentes, ſic dixerunt, Quod illis melius videtur fuiſſe propter infirmitatem & imbecillitatem corporis, qua retentus conſtringebatur, vt cœptum manſionis habitaculum, quod incipiebat, & per laboris laſſitudinem ſpontè in agreſta *adquieſceret ſilua, non relinqueret, ſed inhabitaret, ſed adoptiuos natos, quos ille per matrem Eccleſiam, & ſuam induſtriam Domino acquiſiuit, non orbaret, ſed ſicut inchoauit, ad felicem vitæ formam ſua proueheret norma, & tandem ille coronatus virtutibus beatificatus, ad vitæ æternæ perueniſſet brauium; ſicq; illum compeſcentes, ad propria remeabant.

adquiſierat.

*E*t tunc poſt hoc non fuit longum, quòd ille venerandus vir tam valdè infirmus fuit, quod jam Eccleſiam adire non poterat, ſed in vno latere *canimate eius juſſit altare componere, & ibi, quando pro infirmitate poterat, ſacra Miſſarum ſolennia celebrauit; qui prius, quando ægritudo illa non fuerat impedimentum, aut raro aut nunquam dies tranſiit, quin Miſſam non faceret.

caminate.

Tunc

Digitized by Google

Tunc itaq; cumq; laſſata jam corporis membra, quas ille ipſe ſæpe per ſecretam morum mortificationem ad inſtar martyrio affligere ſolebat, in jeiunio, in oratione, in vigilia pernoctans, præſertimq; in voluptatum reluctatione, & in aliis plerisq; occaſionibus, quarum omnium ſolus Deus eſt cognitor, jam affecta ac confecta .... prope mortem manifeſtabant. Tum tandem cum dominus ſeruum ſuum de ſæculi huius ſollicitudinibus, & de temporalis vitæ huius laboribus ad æternæ retributionis mercedem perducere, ſubleuareq; volebat, fratrem ſuũ venire rogabat ad eum. Cumq; ille Epiſcopus noſter Willibaldus, in ſexta feria primo mane diei veniebat, & introibat, & ſic illum diem nouiſſimum pariter in hoc ſæculo perducentes commorabatur.

Tunc quippe cum ille mortem prope inſtare viderat, dixit, Filioli mei & fratres, omnia veſtra prouidentes cum prudentia pariter agite. Vitam veſtram & mores veſtros ad Dei voluntatem componite: Charitatem veſtrã inter vos, & fidem rectam atq; Catholicam in omnibus ſeruate; monaſterialis vitæ diſciplinam, quam oſtendimus & docuimus vos & Deo promiſiſtis in omnibus ſeruare properate, regularis vitæ conſtitutionem, & obedientiæ vinculum, quod mihi promiſiſtis, & ego vos ligatos habebam, illo vos abſoluo, & rectæ inſtitutionis formam, quam vos Deo ſubdidiſtis, illo vos non abſoluo, nec meum eſt vobis laxare, ſed omnimodo, prout vobis vires ſufficiant, Deo reddite. omnium verborum & factorum, quæ in mea obedientia aut neglexiſtis, aut obliuione tradidiſtis, indulgentiam à me accipite, & quidquam vobis per me contrarium accidiſſet in verbo aut in facto, aut in aliqua cauſa, remiſſionem vos omnium tribuite, & Deo commendati in pace perſeuerate, & mihi prædeſtinatũ

iter ad pergendum de hoc ſæculo cum licentia & reconciliatione concedite, quod nunc eſt, propè etiam imminet dies exitus mei, quia anima mea de ergaſtulo corporis ad remunerationem militiæ, & à laborum requie per pia patris præſidia, ſicut ipſe mihi concedere dignetur, debeo peruenire. Et hic ſalubribus & ſobriis verborum ſalutationibus triſtem & luctuantem fratrum multitudinem in pace compellauit, & rurſum eleuatis in cœlum oculis ad ſuperiora intuens, dixit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, & ſic ſedens coram lectulo ſanctum exhalauit ſpiritum. Tunc illi tollentes eum lauauerunt, & portauerunt ad Eccleſiam, & illic totam noctem cum Pſalmis & hymnis & canticis Dominũ laudabãt, & diuinis munerũ oblationibus illũ de mũdo tranſiturum comitabantur, & Domino commendabant. Et mane facto ponebant illum in ſarcofago nouo, & ſepelierunt eum in Eccleſia. Illud ſarcofagum, in quo poſuerunt illum, multos annos, antequam de mũdo migrauerat, fuerat exciſum, & ſic ſtetit intus, & expectauerat diem exitus ſui.

Ille vir venerandus Chriſti Confeſſor diem obitus ſui, antequam de mundo pergeret, ille ipſe præſciuit & prædixit junioribus, & quomodo illum ſacerdotali indumento deberent veſtire, omnia prædixit. Et ſic requieſcebat vna hebdomada ante natalem Domini, & tunc fuit Sabbatum poſt Veſperam XIIII Kal. Ian. & tunc erat ille LX. annorum ætate, & fuit Abbas ferè decem annos.

Patet ex hoc loco, quod illa quæ ſcripſit vitam hanc, non fuerit S. Walpurgis.

Compertam atq; conſcriptam, atq; ex breuitate trãſcurſam vitam B. VVunebaldi Chriſti Confeſſoris, quod à ſorore * eius, & ab aliis venerãdis viris, quas illo per familia

liaritatem & amicitiam coniuncti fuerũt, præſertimq; ab eis, qui illo in diſcipulatu & magiſterio ſubditi fuerãt, relatione didicerã. Iſtas, quas nũc capitulamus atq; diſputamus, oculis noſtris vidimus, & alia in noſtris temporibus facta reperimus mirabilia, quæ magna Dei diſpenſatione facta, Dominus per ſuam gratiam, & merita Chriſti Confeſſoris comparuêre, hominibusq; præparare dignatus eſt.

Poſtquam ille ſanctum corpus eius, ſeptem diebus in terra *tumatus habebatur, quotidie diſcipulus eius Presbyter, quem ipſe erudiendo docebat, atq; imbutum in presbyteratus conſecrare fecit gradũ. Ille & alius Presbyter cum eo totam ſeptimanam illam quotidie, prout illis vires ſufficiebant, Miſſarum ſolennia celebrando, cantare non deſinebant. Cumque vna die valdè diluculo vnus intrauit in Eccleſiam, Miſſam facere, januam aperuit, & citò vt intrauit, tam magna Eccleſia miranda suauiſſimi odoris nectar obuiam illo, quando aperuit januam, veniebat, & per totam Eccleſiam quaſi fumi vapor calidus conſpergebatur. Quod cum ille reperiebat, ſtatim exibat foras, videre aliquem hominem, qui cum eo teſtis aſſertor fuiſſet fidelis de illa cauſa. Tunc ille progrediens foras, vidit ibi homines ſtantes, & indicauit illis, & illi intrantes non poterant cognoſcere neq; *fragrare, nec vllus, niſi ipſe ſolus.

humatus. fragrare.

Sed & ſæpè accidebat in illa Eccleſia, vbi corpus jacebat ſancti Confeſſoris Chriſti, quòd lumen, quod intus erat, ſine manibus hominis ardere cœpit.

Similiter & alio tempore euenerat, quod vna de ſua parentela ſui auunculi filia, quæ plus quàm duos annos magno dolore conſtricta tenebatur in dextra

manu,

Digitized by Google

manu,& in brachio illo, & ſic, vt jam paralytica, & pænè arida fiebat. Tunc illa properans venit ad illum locum ſepulturæ eius, nec longum fuit, poſteaquam illic veniebat, quod priſtina illi reſtituta erat ſanitas, & ſic in iſtis primis appareat, quod poſtea Dominus maiora per ipſum oſtendere volebat. Multaq́; alia ſignorum prodigia, quæ nunc longum omnia per ordinem intimare, ibi oſtenſa claruerunt, quas conſtat, quod Dominus ſuæ pietatis ſolatio, affectuq; Confeſſoris perficere dignatus eſt.

Cumq; *E*piſcopus noſter VVillibaldus cum cuncta populariæ multitudinis copia, cum juniorum ſubditorũ agminibus *E*ccleſiam fabricare, componereq; diſpoſuit, vbi ſanctus Chriſti Confeſſor in corpore requieſcebat, maiora, quam priora, vt ſicut ille vir virtutibus veneratus mirabilibus magnificatus, fauſtus fulgebat; ita jam tunc in auguſto, almoq́; tonantis templo celeberrimæ creuerint diuinæ laudis modulationes. Cum illi congregati eceleriter cum Clero, ciuiumq; cœtu definitum domui locum librauerunt. *E*t tunc confeſtim ad primitus illi confodentes fundauerunt lapides, locauerunt fundamenta, & finitimis firmando fabricauerunt. Confeſtim Chriſto cooperãte, Dño Deo diſpẽſante, ſanctiq; Confeſſoris ſuffragante patrocinio illa glocca in *E*ccleſia ſine manibus hominum, ſine omnium amminiculo ſeipſam commouere cœpit, & ſic illi attonantes ſonitum audientes nullum viderunt, ſed omnes, vt viderunt & audierunt, dabant gloriam Deo, ſimiliterq; illi fabricantes proficiebant, vſq; dum ferè trium annorum ſpatio almum altiſſimo oratorium conſtruendo conſtituerunt. Poſtquam illud ſublimatum in alto erectum ſacro ſæculorum ſatore, ſeu omnium ſaluatore ſacratum ipſo die poſt añi curriculum, quo prius ſanctum Chriſti Confeſſoris corpus

letratum, integritate honoratum reperiebant. Ipſo die prius poſt vnum annum VVillibaldus Eccleſiam illam ſancto conſecrauit ſæculorum omnium ſaluatore.

Poſt hæc itaq; fertur, quod alio tempore eueniret ad ipſum monaſterium S. VVunebaldi, quod de ille viro præfecti illius, cui ibi propè monaſterium ſitum eſt, venit vna ancilla ſua molere granum Domini ſui. Cumq; illa veniebat ad mõaſterium, alius homo fuit adhuc molens farinam monachorum, illic prope habitantium, & illa moram faciens, expectabat, quando locum haberet. Cumq; ille abiret, illa ambulabat, & molere cœpit: poſtquam illa moluit, eſuriebat, tulit de farina domini ſui, & fecit ſibi panem, & manducauit. Quod cum fecerit, timens tremere cœpit, quia modius domini ſui diminutus plenus non erat, & furata eſt de farina Monachorum, & repleuit modium, quod prius dempſit, poſtquam illa molauit duorum modium, quæ intus faciebat, nihil exiuit foras, niſi paruum aliquid, cumq; illa ſic molans magnũ temporis inducium, vſq; dum omne granum, quod habuit, molatum fuit, & nihil venit foras. Tunc illa timida & tremefacta gemere cœpit, quia neſcit, quod euenerat, & ſtatim indicauit molario, quid acciderat: tunc illi conſiliantes inter ſe, quid feciſſent, prono vultu in terram ſe proſtrauerunt, & orabant Dominum, ſanctumque Chriſti Confeſſorem VVunebaldum, vt ſuæ bonitatis clementia illis adiuuare dignetur. Et confitens poſtea peccatum, quod geſſerat, orationis effectum, petitionumq; patrantiam optimè meruerunt: & poſtea ſtatim exiuit farina ſecundum conſuetudinem. Ideo non eſt dubium, quod ille vir venerandus pietate Creditoris, ſuique ſanctitatis potentia, facinora, quæ prius viuendo

abhominauerat in peruerſis, tunc coronatus in cœleſtibus vetauerat in viuis praue agentibus.

*E*n igitur tranſacto temporum jnducio, & annorũ curriculo, cumq́; jam Dominus virtutem ſuæ pietatis, meritaq́; ſui Confeſſoris clarere, pandereq́; procurabat. Cum autem geminata & triplicata *S*piritus ſancti gratia præclarus atque perſpicuus aurora lucis ortu cum ſole prorumperet dies conceptione Ioannis Baptiſtæ, & nihilominus æquiparante dierum ſeu noctium menſura, quod æquinoctium vocatur, quod denuò in anno primũ creſcente die, & ſecundo decreſcente die ſolet fieri. Sed & S. VVunebaldi Chriſti Confeſſoris atq; Abbatis integritatis oſtenſio, quem per piam & venerandam omnipotentis prædeſtinationem clara & comperta cunctis patula pandebat. Cum prædictus ille illuſtrandus atq; inclitus æquinoctii per vitreas camporum planities oriendi illuxiſſet, intrauit *E*piſcopus in Eccleſiam ſuis cum Diaconibus, vnoq; Preſbytero, ſtatimq; illi tegumentũ tugurii ſancti venerandiq; viri, quod olim per XVI. añorum ſpatia, exceptis XIII. ebdomadis in tellure tectus tenebatur mouere, fodereq́; cœperunt. Cumq; illi foderunt, ſtatim properantes velamen tegere, nares ſuas cooperire tentauerunt. *E*n fruſtra faciebant, quod nares velabant, nectarem neſciebant, quæ intus celata latebatur in limo. confeſtim cumq; illi fodere cœperunt, *E*piſcopus exiuit foras, & illi duo intus manebant, quorum alter ſacerdotali dignitate Preſbyter, & alter Clericus, illi ſacrum Chriſti Confeſſoris corpus inquirere, inueſtigareq́; ceperunt. Cumq; illi fodientes ad antrum venerunt, ſtatimq; illam reperientes integram & illæſam aperiebant, & nihil ibi, niſi omnia proſpera, omniaq; tuta in terra tumata comparuerunt. Tunc illi extemplò illum mouen-

mouentes de ſepulchro ſuis manibus lætantes & gaudẽtes * voticampi leuiter de terra leuauerunt, de toto corpore integrum, omnibus membris munitum, ita vt nec capillus de capite eius minueretur. Ille *E*piſcopus hęc omnia ſuſtinendo foras manebat: Quia multum ambiguitate timidus, incerta futurorum fata neſciens, ſollicitudine ſuſceptus de ſui fratris corpore tam longe in terra tumato, quales ipſe poſt tam longa temporum interualla hominibus apparere concederetur. *S*ed tum *E*piſcopus mentis triſtitiam, mœſtitiamq; deponens, quia ille Dominus, qui quõdam Lazarum quatriduanum funere fœtidum reſurgere, reuenireq; fecit, ille nunc ſolidatum, atq; ſanctificatum VVunebaldum in ſepulchro ſeruabat. En tuus germanus, quem tu putridum putaſti, ille tutus in terra tenebatur in tumba, & ſine fine coronatus in cœlo. Tunc illo eleuato *E*piſcopus intrauit cum ſuo Clero in *E*ccleſiam. cumq; illius Clerici hora completa fuerat, tertia *E*piſcopus noſter VVillibaldus ſacerdotali veſtiebatur indumento, vt ſacta Miſſarum ſolennia, fidelis finitimum ſalangis canendo celebraret. nec longum fuit, ſed quod celebratur Miſſarum ſolennitatibus, illum porticum, qui fabricatus, atq; paratus in orientali tenebatur plaga, illum dedicando almis orationum exercitationibus Chriſto commendando ſanctum Domino conſecrauit templum. Non omnis illa Eccleſia adhuc edita ſubtiliter in ſublime erigebatur, ſed vnus porticus in Orientali plaga præproperè ponebatur, vt illic almus altiſſimi athleta conderetur in cripto. *P*oſtea *E*piſcopus & cuncta cum illo ſacra piũm ſenatus, & nihilominus alii ciuium cuneos intrantes tumultuabant, & viſione lætabantur, cùm ſanctum Chriſti Confeſſorem viſibilem coram populo publicè prolatum perſpicere me-

£ voticompotes.

fuerunt, intrauerunt ſuppliciter, & Sanctorum ſubſidia rogabant, ſuoq; ſanctitatis ſuffragio, ſuas commendauerunt animas. Ecce omnibus patens, & nullo erat latitus, ſed omnibus ad videndum, ſeu ad palpandum paratus, corpore integro, crine firmato, eum nunc orate intercesſorem, ac patronum, quem olim habuiſtis doctorē atq; diſpenſatorem. Intelligite, & almum honorate VVunebaldum ſanctum, & cum Deo veneratum.

Tunc ille venerandus atq; pius populi ſpeculator intrauit, & ſanctum ſalutauit, ſignum atq; pacis proprio porrigebat fratre, oſculando & gratulando Dominum glorificando oſculabatur fratrem ipſe Epiſcopus & * ſoror eius, quæ poſt obitum beati viri monaſterium habebat; ſed & aliæ amicæ eius atq; iuniores, quos ille erudiēdo docebat, omnes illum oſculabantur, ouantesq; compellabant. Tunc illi extollentes leuauerunt illud corpus, & poſuerunt eum in tumba noua, & portabant ad monumentum nouum. Cumque ſurſum leuatus fuerat in excelſo, Presbyteri atque Diaconi, ſeu Monachi tumultuantes circa tumbam, & qui non poterat ad eum contingere, conabatur, vt ſaltem vna manu ad eum pertingendo perueniret. Cumq; illi pſallentes cœleſtia modulantes portabant eum ad ſepulchrum, omnis plebs comitantes Kyrieleyzabant, qui conſonantes canentium vocibus, qui jucundis juuenum jubilationibus, qui ſuauis Sanctorum ſempiternis modulationibus garrule concinendo crepitabant eliganter clangentes clamabāt multis vocibus, quaſi vno ore pſallentes, glorificabāt Deum. Tunc omnis plebs cum magno honore ambulantes portabant S. VVunebaldum, & poſuerunt eum in monumento nouo, in illo portico, de quo ſuprà diximus, & ſtatim poſtea Miſſam cantauit Epiſcopus ad ſuum caput.

* S. Walpurgis.

Digitized by Google

put. Cumque Miſſa acta erat, & ſancta ſolennia celebrantur, omniaq; venerabiliter completa finiuntur, gratias agebant Deo, ſanctoque VVunebaldo. Et poſteaquam omnia benè erant acta, illi remeantes pergebant in arua ad ſuas macellas.

Craſtina die, eadem ferè hora, qua pridie portabatur ſanctus ad ſepulchrum, vna fæmina veniebat illic, cuius alterum latus totum aridum torpebat. Cumque illa veniebat, & ſedebat ad ſepulchrum ſancti Confeſſoris Chriſti, ſubitò ſtatim ſaucia eius membra crepitare cœperunt, & reuiuere, & ſic paulatim gelidi atque femineces eius artus calebant, atque morbo funditus excluſo, ſtatim priſtina reſtituta erat illa ſanitas, & ſic illa ſalua facta in illo loco reuixis artubus, & ſano corpore ſacrum velamen aſſumpſit.

Alio quoque tempore euenit, quòd vnus homo vinctus ducebatur, qui pro ſuis ſceleribus erat puniēdus. A duobus ducebatur vinctus atq; aſtrictus, & ambulabant juxta monaſterium illud; Tum ille miſer mēte mœſtus, corpore ligatus, pia ſuffragia Sancti illius petere deſiderabat, licentiamq; ſuosq; deprecabatur ductores, Eccleſiam intrare: Tum ille ingrediens flebilis & ſupplex Dominum deprecabat, ſanctumq; Confeſſorem opem ferre feſſo, ſuosq; ſoluere nexos. Confeſtim Chriſti Confeſſor eum orantem atq; flentem erigere jubebat, & ſtatim vincula, cum quibus erat ligatus, ſine manibus hominis, Dei gratia, & S. VVunebaldi, de manibus eius cadebant, & ſic ille ſolutus geminis manibus ſancto crucis ſigno ſuam ſignabat faciem, & dum ille lætus & hilaris Dominum laudabat, & gaudens pergebat, qui triſtis veniebat.

Digitized by Google

Sed & alii multi, qui ex primæuo primordio contracti atq; curuati, morboq; laſſati illic portabantur, ſtatim erecti, ad ſtatumq; firmati, ſuis plantis progradiebãtur foras, qui intus portabantur. Sed & alii multi, qui variis corporum infirmitatibus compremati, ſanctum quęſierunt corpus .... tunc priſtina reſtituti fuerunt ſalute, & deinceps diuinis redundabant donorum remediis, & lætantes laudabant latè tonantem, qui ſanctum VVunebaldum ſibi Confeſſorem conſecrauit, miraculis monſtrauit, virtutibus beauit. *I*deo gaudet nunc ſancta Eccleſia mater miranda talem adoptans adoptiuum natum, quæ noua constructa, nouo honorata eſt patrono.

Lætare nunc tu *E*piſcopus, omniſq; tua populatio tecum, qui talem meruerunt promittere interceſſorem. En nunc vos diuini verbi interpretes, ſacriq; ductores, ſanctum ſectare, vita & moribus exemplo imitare, qui ſacerdotalis infulæ prudens ac pius, ſimplex ac ſobrius verſatilis Chriſti athletus magno Rege militans nunc donatiuum accepturus eſt. ....

Cætera deſunt in m. ſ.

Vita

Vita
SANCTI
SOLAE
ANGLI
ABBATIS
IN
SOLENHO-VEN,

ſiue

CELLA SOLONIS,

ſeu

CELLA SOLÆ.

ſcripta

AB

Ermenoldo Diacono & Monacho.

DE

Digitized by Google

DE SANCTO SOLA ABBATE.

Ex libro 3. Trithemii de viris illuſtribus Ord. S. Benedicti.

SOLA Abbas in diœceſi *Eiſtetenſi*, natione Anglicus, & diſcipulus S. Bonifacii Martyris, vir ſanctitatis eximiæ, & multarum virtutum, beato Wilibaldo amiciſſimus fuit, cuius auxilio fundauit monaſterium, in quo multitudinem ſeruientium Deo Monachorum congregauit. Circa annos autem Domini ſeptingentos ſexaginta claruit. Cuius feſtum agitur 4. Nonas Decembris. Hæc Trithemius.

Eadem ferè de *S. Sola* Vicelius in ſuo Hagiologio; qui hanc Ermenoldi de *S. Sola* hiſtoriam alicubi vidit & legit.

Brutſchius in catalogo *Epiſcoporum Eyſtetenſiũ* agens de Altino quinto *Epiſcopo* Eyſtetenſi, cuius hic *Ermenoldus* meminit, hæc habet: Altinus ſucceſſit Adelungo: præfuit annis ſeptendecim. Valedixit mortalium hominum conuerſationi 21. Febr. Anno Dn. 858. imperante Ludouico ſecundo. Obtinuit precibus ſuis apud Pontificem Max. Gregorium quartum, vt S. SOLA Anglus

lus (qui olim cum ſanctis viris VVilibaldo & VVunebaldo peregrinatus, in eandem prouinciam venerat, ac Caroli Magni ſubſidiis, Solenhouianum condiderat monaſterium, cuius primus Abbas à Carolo Magno conſtitutus, innocentiſſimè illic vixerat) de tumulo leuatus, Diuorum numero adſcriberetur. Hæc Brutſchius.

NB.

Dicit auctor in fine ſe hanc vitam S. Solę in decem capitula diſtribuiſſe. Sed quia codex m. ſ. nullam capitum diſtributionem habet, ideo nullam poſuimus.

PROLOGVS ERMENOLDI DIACONI ET MONACHI IN VItam beati Sole Presbyteri ac Monachi.

IN paganorum itaq; multorum panegyricis, dum multos ſcenico more viuentes ita Poëticis figmentis comperimus, perlectis eorum actibus, laudatos, vt ſtolida mente, & penitus à lumine fidei cæca eos in Deos tranſtuliſſent, quos aliquod ſibimet inuſitatum, commentante diabolo, inueniſſe fabuloſè jactabant. Cur nos, qui Chriſtiani ſumus, ſignaculoq; muniti ſtigmatis Chriſti, quo leuato, omnia Ægypti delubra, cadentibus idolis, diruta ſunt, taceamus glorioſum belligeratorum triumphum, pro fide Chriſti in omni vita ſua decertantium? Quin actus, vitamq; ipſorum, tanquam veriſſimo Regi militantium, liberiori religione deſcribamus. Quos ſigna per virtutem Domini non ficta, ſed veraciter facta, & præſentia, ac poſt huius vitæ diſceſſum ſubſequentia, clariſſimos reddunt, in tantum, vt nihil dub[illegible] eos, quin tot [illegible] nomine Domini inuocato in terra facere præſentes. Et dum vſq; hodie Maronis,

al. ſecere.

nis, ac Homeri inutiles fabulæ à Chriſtianis viris lectitã-tur, cur non magis libet perſcrutari dicta ac facta maiorũ? Ad quorum tumbas ſedulo procumbimus, diuinam clementiam implorantes, quatenus per interceſſionem eorum, qui jam ſunt in cœlo cum Deo coronati, nobis, qui adhuc in dubio ſchemate aſſiſtimus, auxiliari, ad gloriam ſui triumphi dignentur. Sed ne nimis in longum ſermo protelectur, abbreuientur huius rationis ambages. Et quia magnorum heroum omnium acta penſare dignũ me fore haud cenſeo, honorabiliſſimi beati SOLÆ Sacerdotis Chriſti vitam ex parte tangendo, licet ſuper vires meas ſit, propalare tamen aggrediar.

VITA EIVSDEM SANCTI PATRIS.

IGitur beatiſſimus cœlicola SOLA Apoſtolis in omni actione ſua pene conſimilis, regnante domino Pipino Imperatore ſuper Franciam & Germaniam, eodem tempore, quo ipſe de gente Anglorum magiſtrum ſuum ſanctum ſecundum Bonifacium Archiepiſcopum proſecutus eſt; hanc in patriam, ceu jubar ſolis clariſſimum, delatus eſt. A quo Preſbyter, Monachuſq; ordinatus, ſanctæ conuerſationis initia ſumpſit. Cum enim piiſſimus Imperator comperta S. Bonifacii ſanctimonia, ac ſociorum eius, cœpiſſet familiaritate, eorumq; colloquio amicabiliter potiri; annuente Dei gratia, cœpit beatum Epiſcopum Bonifa-

 cium

cium præ omnibus his, qui ſub eo fuêre Epiſcopis, habere; eumq; ſui ac totius populi fidei doctorem fieri juſſit. Qui cum ab Imperatore mandatum ſumens, totam Franciam, ac Alemanniam, ceu pater filios, non ſolum lacte, ſed & pane firmiore educauit. Atq; vt erat vir per omnia pleniſſimè doctus, ne per imperiale præceptum contemneretur; ſedis Apoſtolicæ priuilegium Romam adiit: ibiq; ab Apoſtolico domino Leone accepta Archiepiſcopatus auctoritate, nactis benedictionibus Domini, inde rediit, qui illuc deuotus properauit.

Deinde, vt maior lux fidei in ſua patria luceret; cœpit de ſanctiſſima ſua cohorte emeritos præficere Epiſcopos ac Presbyteros, vbicunq; conſtituendos. Qui ſimul cum ſuo magiſtro, veluti cum ſummo Apoſtolo, gentem noſtram in tantum correxere, vt Apoſtolos præſentes cerneres: ſicuti & fides & morum inſtitutio, quibus in partibus prædicabant, hactenus ſeminis huius germen optime pullulare declarant. Quorum quoq; pium initium elegantiſſima finis ſyllogiſmauit: dum & nullus ex his maniplis relictus eſt, quando vel glorioſo martyrio coronatus, vel pia confeſſione honoratus eſt.

Hic deniq; mitiſſimus vir, cuius in præſenti ſermonem tenemus, ſanctus Sola, inter cæteros compares ſuos, ceu gratiſſima florum gemma, licet latitans enituit: illisq;, vt ſuperius diximus, ad colligendos Deo populos vbiq; diſperſis, iſte multo ardentius præceptorem ſuum dominum S. Bonifacium in omnibus cœpit proſequi. Illam puto ſententiam domini memorans, qua dicit, perfectum omnem eſſe, qui eſt vt magiſter eius. Matt. 10. Nec alias quàm vt B. Iohannes Euangeliſta ex pectore Domini noſtri Ieſu Chriſti plus cæteris diuinam ſapientiam ebibit, amplexatus: ſic & iſte magiſtro ſuo adhærendo omnis ædifi-

ædificationis documentum percepit aſtructus. Plusq; heremum cupiit, quàm vllos jam aridi ſeculi ramuſculos, aut honores deciduos; geſtans in mente vaticinium Prophetæ. En, inquiens, elongaui fugiens à ſeculo, & quieui in heremo. Eleuatisq; virtutum pennis, veluti ſimplicior columba volauit, ac requieſcit corpore, ſcilicet in ea ſolitudine, quam ipſe ſibi elegerat: mente enim & animo ſemper fuit in Domino. Pſal. 54.

Sed ne quid diſcipulis S. Bonifacii archimandritę deeſſet, Christo omnipotenti in omnibus cooperante illi in ſeculo tritici Domini diſpenſatores conſtituti, ſemina vbiq; centiflua mittentes, reteq; Euangelii expanſo, vndiq; de profunditate ſeculi huius fluctiuagas animas ad cœleſtis patriæ littus traxere. At verò iſte Sola Domino hymnis ac orationibus vacare deſiderans, heremū petiit, & ob hoc, vt putamus, diuina prouidentia Sola nuncupatus, quia ſolitudinem amauit. Nempe & ipſe locus, quem incoluit ex eius nomine ſolitudo dici poteſt: quem tamen quidam vulgaricè Cellam vel curiam Solonis vocant. Aſt ego ſalua aliorum æſtimatione, dico, eum Monachum, id eſt, Solum, potius, quàm Solonem; & cellam ipſam, cellam B. Sole, quàm cellam Solonis poſſe nuncupari. dum & ipſe locus à mundi actibus ſequeſtratus ſit. Et ideo ſolitudo ipſa à cultore, ſcilicet Sola nomen habeat. Cella Sol[illegible] Solenhouen,

O quàm felix collegium beatiſſimi Bonifacii: dum enim lucernæ Epiſcoporum, Presbyterorum, ac cæterorū graduum copioſè de ſuis per totum mundum lucerent, nec ſolitarios diuina bonitas ex his abeſſe paſſa eſt. Quorum omnium geſta ſcribere non ſolum ſuper meas vires eſt, ſed & omnium pene linguarum doctorū fortiū ſeries ceſſat. Plus .n. in ſecreto pectoris ſui cubiculo conati ſunt

Digitized by Google

Deo placere, quàm ſuperficietenus actus ſuos propalare mallent; licet apertum ſit, ex fructu tali, rami de quali radice proceſſerint. Nunc nempe in omnibus tam iucũdabilem, ac delectabilem locum elegit ſibi incola ſãctus; ſciens ſcriptum, quòd arcta via eſt verè, quæ ducit ad atria vitæ. Nec immemor prophetiæ, dicentis: in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. & erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur. Quæ quamuis typica ſint, huic tamen cœlicolæ loco nõ inconuenienter aptari poſſunt: quia vt ex referentibus agnoui, ſæuis ſerpentibus, ac beluis duriſſimis locus ipſe antea eſt refertus. Sed vox in deſerto clamantis direxit viam aſperiorem in planiorem: ita vt vndiq; Chriſticolæ ad venerabilem Chriſti ſacerdotem confluxiſſent, monita ſalutis percipere. Tantumq; meruit piæ virtutis obtinere, vt plures à malis beſtiolis obſeſſos, ore extraxiſſet, ac Chriſto ad animas eorum viam paraſſet. Cũque enim fama prodigiorum, ac virtus Domini euidens de eo longè lateq; percrebuerint, Deo eum in omnibus gubernante, ſeq; ſub ſinceriſſimo humilitatis pallio occultante; peruenerat tamen de eo ſermo vſq; ad aures ipſius domini, ac sereniſſimi Imperatoris CAROLI Auguſti. quia non potuit ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neq; lucerna lucens occultata eſt, ſed potius eleuata. Cęſar autem Auguſtus ſupradictus, vti ſapientiſſimi fuit ingenii, perſcrutans omnia geſta eius, tradidit ei cum firmiſſimo munimento ipſum locum, quem incoluit, eumq; ſui oratorem perpetuum fecit.

Matt. 7. Eſa. 35. Matt. 3. Matt. 5.

Habuit itaq; beatus Sola poſt glorioſum triumphũ martyrii ſancti Bonifacii Archiepiſcopi, dominum VVillibaldum Epiſcopum, & VVunebaldum germanum eius Presbyterum, adiutores ſui laboris; qui ei vt propriæ

gentis

Digitized by Google

gentis viro, omnibus his in locis adminiculum ac ſolatium præbebant. Quin & accolæ regionum harum quocunq; aduentantes, ei in Chriſti amore frequentius adminiſtrabant: aliquanti & prædii ſui partem tradebant illi. Quam ille cum timore Domini accipiens, cum his, quæ dominus Carolus Auguſtus ei donare dignatus eſt, ad egregium FVLDENSE cœnobium poteſtatiua manu contradidit. Vbi Deo prouidente, modò ſanctiſſimus, ac in omni parte peritiſſimus dominus Abba RABANVS perſpicabiliter fulget: videlicet nemini deuotior, quàm illi magiſtro, quem ſequi ab exordio cœperat: illiq; familiæ, quæ magiſtri ſui inſtitutionis imitatrix vbiq; nobilis habetur.

Citat hæc verba Vicelius in ſuo Hagiologio, vbi de Sola.

Nota tempus, quo hęc hiſtoria ſcripta.

Cœperunt autem & multa miracula, Domini gratia tribuente, per beatum Solam fieri, ex quibus pauca, quæ ex quodam ſene ipſius ſane ſeruitore, in decrepita jam ætate ſuperſtite agnoui, annectam narratione ſubbreui. Enimuero in geſtis dum lectum ſit ante Chriſti incarnationem cæcum à natiuitate neminem Sanctorũ illuminaſſe, licet mortuos ſuſcitarent, leproſos mundarent. Et dum in hoc tempore moderno illud rariſſimũ ſit; iſte, ſaluo omnipotẽtis priuilegio, & Apoſtolis ac ſucceſſoribus eorum dato, natum à primis cunabulis cæcum ſignaculo CRVCIS appoſito irradiauit, ocelliſq; eius incognitum lumen oſtendit.

Per idem verò tempus & claudum quendam in geſtatoriis reptantem potius, quàm ambulantem, ad curſus ſui ſtatum diuina virtute erexit. Cuius hactenus geſtatoria in loco datæ ſalutis pendentia, ad ſignum ſunt. Sed cur hoc de eo * calculoſum videtur, cùm ipſe ſalutiferæ medicus ſalutis dignatus eſt promittere membris ſuis, dicens; qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, opera, quę

in margine m. ſ. dubitatiuũ. Ioan. 14.

ego

ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet? Quamuis nemo ſignis Dei æquiparari poſſit, quia omnis homo creatura Dei, & omne bonum ex Deo, & per Deum fuit: & omne corporale malum ex homine, & per diabolum fit, & quidquid mali inuiſibiliter cōſtat. Sed ille humani generis inimicus per humilitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti perpetualiter victus ac damnatus eſt, quotidieq; per membra ſua eum deuincit, cùm per Sāctos ſuos, qui hactenus mole carnis aggrauantur: ſed meritis eorum intercedentibus triumphat, ipſe, qui per eos pugnati, nec non & potius per eos, qui jam ſunt cum eo coronati, ad quorum buſta noſtra peccata deflendo concurrimus ſedulo glorioſiſſime contrarium noſtrum pellendo eliminat, contrariiq; deiiciuntur, ac ſanitates ſaluberrimæ hominibus donantur.

Horum omnia martyria plures ex frequentibus viſibus liberiore ore teſtificantur, quia Deo propitiante vbiq; jam mundus in glorioſorum actionibus munitus refulget, ex quorum meritis reliquię fiant ſaluæ. Et dum jā prope generaliter interitus ipſius immineat, crebrioribus neceſſe eſt vt vrgeatur angoribus: ſed interceſſionibus piorum paululum differtur cito caſurus, donec numerus beatorum implebitur. & ſic plenius omnes electi cum Domino ſemper ſunt gauiſuri. Rom. 11.

Nec hoc prætereundum cenſeo, quòd piiſſimus Chriſti ſacerdos Sola plus ſe ad exercitium ſanctæ conuerſationis quotidiè extendens, pluris virtutis cumulum à Deo meruit roborata poſſidere mente. Nam & quendā in his miſellis gregibus, qui ſæpius orationis cauſa ac eleemoſynæ ad ipſam cellam confluxerant, & benedici ſe ab eo petierant, conſpexit horribili dolore detentum, ſic vt nec loqui, nec audire quid poſſet, aliis ante

cum

Digitized by Google

cum ad benedictionem feſtinantibus, ipſe ſtetit vt mutus. Sed dum diu beatus Sola in præcordiis ſuis orationem cum lachrymis ad Deum funderet, proſpiciens iterum, ac tertiò, & ſuſpirans dixit, Surde & mute ſpiritus exi à plaſmate Dei. Et continuò cecidit coram populo: & ſanatus eſt homo. Quod quidem tabulæ pictatoriæ ibidem pendentes teſtantur, id fore, quod dictum eſt.

Penſare itaque mens humana difficillimè poteſt, quanto amore iſte vir diligeretur à Chriſto omnipotente; qui eum non ſolum in cœlo ſui regni participem, ſed & in terra in his duobus ſignis egregiis facere dignatus eſt æqualem, excepto quod Dominus ſemper facit cum poteſtate; hoc iſte ſolus ex eius dono & virtute egit, lachrymoſa cum impetratione. Etenim hæc vulgus, & qui minus intelligunt, nosq; cum eis pro maximis laudibus tenent, quod ſancti Dei in hoc ſeculo à diuerſis languoribus corpora cæcorum, claudorum, aridorum, & paralyticorum in nomine Chriſti curant; ſed tamen non ſolum in hoc, quando potius, & in eo opere laudandus, ac glorificandus eſt omnipotens Deus, quod ipſe interius cæcos, claudos, & diſſolutos nos quotidie curare non ceſſat.

Nam etſi altius intelligitur in his debilibus non antea ſalus corporis tribuitur, quàm mentis ægritudo intus ſanetur: quia nec corpus ſine peccamine exterius affligitur, nec mens ſine remiſſione delicti interius ſanatur: licet omnigene ſit nobis incognitum, quid vnuſquiſque mereatur apud omnipotentem Deum. Sed ſiue ſit hoc, ſiue illud, juſtus & æquus eſt Dominus in omnibus operibus & judiciis ſuis, ac glorioſus in electis ſuis.

Sane & hoc miraculum huic opuſculo inſerendum cenſui: quod multi vetuſtiores accolæ ſe meminiſſe ferunt

runt ſupradicti pagi. Nam quodam in die dum iter ſuſ nobile vna cum aſello ſuo ageret, contigit ſe in quendam locum deueniſſe paſcualem, quo oues, abſq; paſtoribus paſcebantur, neſcio quò abeuntibus. Interim propius accedendo cœpit aſellus aures vicißim erigere; dein oſ. fenſis pedibus caput in altum extendere: ad extremum eleuata cauda decliuis per auia currere cœpit. Tum aſ- ſeſſor ſuus hoc inuſitatiſſimè fieri cernens, tremebundus, vti ſenex, deſiliit, ſeq; crucis ſigno obfirmauit. Cœpit ta- men arctius tractare, quid aſino eſſet; vel quid ſuper eum diuina bonitas facere voluiſſet. Sed dum hoc ſecum
Num. 22. deprehenderat, quod in via Balaam non fugerat, neq; illum aſellum fugientem Angelum, eleuans oculos cer- nit lupum. Intellexit itaque vir Deo plenus, natura- lem aſini ſui formidinem, fixoq; in terram capite paulò diuinam orauit virtutem, & tunc demum ad fugibun- dum aiebat: In nomine Domini mei IESV CHRI- STI, ô aſine, præcipio tibi, vt concito curſu irruas in eam beſtiam, quæ ſub frutice latet, inſidiando in- ſciis bidentibus. At ille ex præcepto magiſtri ſui intre- pidus aggreditur lupum. Interim & mandritis è diuer- ſo venientibus, & ad vtrumque conclamantibus: inſo- litum & inauditum initum eſt duellum. Sed præualu- it aſinus, & necatus eſt lupus, non à paſtoribus curſi- tantibus, ſed aſellinis calcibus ac dentibus. Tum o- mnipotentis Dei famulus paſtores illos nimis cœpit pre- cibus rogitare, ne hoc alicui hominum vſq; ad animæ ſuæ exitum dixiſſent. Hacque ſponſione ab eis recep- ta, leuatus in gerulum ſuum, propria repedauit ad loca. Vnde nec mirandum eſt, cur omnes virtutes, quas per eum Christus omnipotens dignatus eſt operari,

ad

ad hoc vſq; tempus penè latitaſſent, ita vt à nemine ſcribentium ante me propalatæ ſint.

Sed quare hoc, niſi quod ſicut iſtic, ſic per omnia ſigna ſua ſpectatores ſuos clauſuris ſui præcepti obfirmauit firmiſſimis? quatinus in omnibus creatorem ſuum, in quantum virtus data eſt, imitaretur, qui cernentibus tribus diſcipulis transfigurationis ſuæ oroma mandatum dederat nemini hoc ante glorioſiſſimam reſurrectionis ſuæ palmam dicendum. Non aliter & beatiſſimus vir Deum omnium creatorem imitando, qui non jam ſolus, ſed gratia Dei plenus ſciens omnes pias virtutes, quas per ſuas preces ad honorem dantis obtinuit, non ab alio, niſi ab eo fieri, qui ſemper magnificè operatur in Sanctis ſuis: & ob id inanes vulgi rumuſculos ſibi vendicare noluit, ſed omnia in laudem Dei conuertit; memorans puto illud Apoſtoli dicentis: viuo autem jam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Ducta igitur in terris angelica vita; tertio Nonas Decemb. vocante Domino, aſſumptus eſt ad cœleſtia regna. Obſecro autem per eius amorem, quem felix SOLA feliciter ſequebatur, qui hæc fortè legere dignamini, ne ruſticitatis meæ verba ore ſcyllatico attendatis, neue virtutes, quas per eum Dominus dignatus eſt oſtentare, ceu inauditas, rugoſa fronte reſpuatis: dum & plurimi hactenus ſint operũ eius aſſertores, qui me non plura neq; ficta, ſed perpauca & veridica de eo ſcriptitaſſe teſtantur.

oroma i. viſionem.

Matt. 17.

Gal. 2.

Idcirco & ego ceu in calce huius oratiunculæ, quid ſuper eo nuper mihi narrauerit dominus GVNDRAMMVS Diaconus chariſſimus meus, qui modo cellulæ ipſius ędituus eſt poſitus, licet Regis ſit Capellanus, añectere ociori penña curaui. ſicq; decimũ capitulũ cũ tota ſermonis ſerie finiri. Orationis itaq; ac familiaritatis gratia cum viſitarẽ

ipſum, vt amicum, quamuis locum difficillimum, heremicolam tamen indagaui. Aſt ille, vt eſt per omnia caritate plenus, benignè nos ſusceptos duxit ad hoſpitium, ibiq; omni humanitate oſtentata laſſabundi quieuimus nocte præſenti. Nam vt in quarto huius ſermunculi capitulo dixi, nimis difficilis aſcenſus & deſcenſus manet ibidem pergentibus in tantum, vt pene non ſit latior, quàm ad ſonipedis vnius iter ſufficere poteſt. Quamobrem & multum impeditando laborauimus; & niſi Dei omnipotentis auxilio atq; interceſſione B. SOLÆ ſuffulciremur, vel in articulis pedum, vel naribus cruentaremur. Deo tamen protegente illæſi peruenimus. Peracta autem nocte cum corporum refectione, diluculo primo hymnis ex debito peractis, licentiam petimus redeundi. Sed ſupradictus amicus meus animalia me ac equeſtres meos vehentia abducere juſſit, meq; ceu inuitum precibus inſiſtentibus ſecum & hunc diem manere obtinuit. Sed nec antea dimiſit, quàm ei aliquid de geſtis B. SOLÆ ſacerdotis Chriſti ſcriptitare promiſi: ſic tamen, vt ſecundum id, quod cognitæ rei veritas approbaret, meq; juxta vires à Deo datas deuotiſſimum exiſtere velle. Tunc ille melliſluis verbis cœpit mihi narrare. *Ego* namq;, frater chariſſime, imperante Domino meo Rege, ex obedientia patrui ac domini mei chariſſimi, & fratrum eius, qui cum eo cœnobialiter viuunt, hic ſum: vt cernis in artiſſimum & ſterilem locum deputatus miniſter. Sed vt ſcias me in eodem nullo modo perſiſtere nec poſſe, nec malle: niſi quædam cauſæ inuitum tamen coëgiſſent. Dicam tibi breuiter, quibus mœroribus ſedulò prouocer in animo. Primum eſt, quod ab ipſa infantia mea dominus meus beatiſſimus Abbas, qui mihi licet ſim indignus genitus, eſt patruus, ex diſciplina verò pater & domi-

dominus: me ſinuoſis nutrimentis cum ſanctiſſimo fratrum gremio educare cœperat, & ad virilem vſq; ætatem cum fomentis patrum perduxerat, ſed proh dolor, nihil ſeruitii hactenus videor rependere ei, quia & gemiſco, me tam cito ab ipſius diſciplina, non ſponte mea, Deus ſcit, ſed vi ablatum, & in Palatinorum numero, ſicut noſcis, nuncupatum. Ad hæc & hoc mentem ſæpiuſcule mouet, quid in me boni dominus Rex potuiſſet nanciſci, quod ſeruitium meum dignatus eſt appetere, vel cur voluiſſet me à quietiſſima cœnobii vita, quamuis hactenus non ligatum, in ea educere, & in hæc aſperrima montiũ juga ſtatuere. licet dignior mihi præſens locus fore videatur, graue tamen eſt mihi, nihil aliud quotidianis obtutibus, quàm ſaxea ſcopula & tedas aſpicere. Indurata tamen fronte contentus ſum huius loci tugurio: nec hac in patria affecto plus commendari ſaluo commendato. *tædas.*

Simul & hoc ſcito, quòd hanc querimoniam nulli hominum antea planxi: ſed neq; tibi propalaſſem, niſi quod obſtruſa anguſtia familiariter diſſoluta ſolet deinceps frequenter leuius portari. Nam ne nimis longè ſermonem protraham, hic manendi Deo ſemper in omnibus opitulante hæc materies maxima conſtat: quia ſicut jam tibi narraui, ſupradictæ anxietates me hinc pepuliſſent, ni chariſſimus Deo SOLA, cuius tu hic ex aquilonarii oratorii latere monumentum aſpicis, me detinuiſſet. Cum itaq; ego à viro venerabili domino ALTINO Epiſcopo, ad cuius dioceſin locus ipſe pertinet, rogarem, vti ſepulchrum beati viri effodiendi, & in eodem pauimento aliquanto melius humandi licentiam daret, conceſſit vt rogaui. Factoq; jeiunio, cum his, qui tunc mecum adeſſe poterant, cepimus fodere. Quod dum peractum eſt; leuauimus ſarcofagi operculum ex multis jam annis

In margine codicis m.ſ. erant hæc verba: Hic Altinus fuit V. Epiſcopus poſt S. Willibaldũ.

Digitized by Google

ſubtus terram poſitum, & tamen integrum. Et dum libentiſſime, quid intus incorrupti haberet, contemplaremur, tãtus, & tam ineffabilis mirifici odoris fumus inde egreſſus eſt, vt tota baſilica ſuauiſſimè ex eo redoleret impleta. At nos nimis attoniti in parte, qua ſteteramus domus regiæ, vt fragiles procubuimus; refocillati verò ex ore fragranti, diuinam clementiam orantes reſumpſimus ſpiritum: & tunc demum propius accedentes, perſpeximus non ſolum ſancti viri oſſa integra, ſed & ipſius beatæ glebæ puluerem ita ſibimet cohærentem, nimiæq; viriditatis ſpeciem tenentem, vt quaſi non olim mortuus, ſed ſemper viuus putaretur. Hoc igitur amande frater, absq; dubio ſcias, nobis cernentibus, & pauorem nimium ac immenſum tripudium inculcaſſe. Sed quia omnia poſſibilia ſunt omnia poſſidenti, laudauimus, hymnis, quibus potuimus, creatorem noſtrum, qui dum nihil eramus, plaſmauit nos. & dum culpis exigentibus, ad nihilum demum reuerteremur, iterum diaboli ſeductione oblitare-ſtaurauit nos. cuius laus eſt in æternum, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Poſthæc verò cum ingenti gaudio ſtatuimus beati viri memoriam aliquantulũ altius, quàm pridem fuiſſet; non tamen in alio, quàm pene in eodem loco. Et licet alii de eius virtutibus taceant, nos qui ſub alis eius ſedulò degimus, ipſius miracula prædicamus: narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit; & qui dominatur in æternum eſt benedictus in ſecula ſeculorum.

Hanc itaq; ego rationabiliter editam rationem *intentus* audiens cum reſpondiſſem amen, aio ad *eum*: O nimiæ prudentiæ ſagaciſſime frater, quàm æquanimiter querelam mentis tuæ diſſerueras, lætitiamq; ſpiritualiter

ter operis adiungendo, credo quod nil jam ſit, quod te contriſtet huius beatiſſimi viri precibus adiutum. Sed quæſo cur mihi indigno atq; imperitiſſimo, non dico, angorem cordis tui, ſed & ſigna, & virtutes huius ſanctiſſimi viri voluiſſes ſic incognita nouiterue coram exponere. Cum ex multis jam temporibus audierim, eum multa feciſſe, & te, licet laborando in eius tugurio affectibus quos dixiſti, ſcierim perſtitiſſe? Si quid tamen adhuc in animo voluas, vt chariſſimo edicas amico.

Tum ille, frater amande, inquit: hæc idcirco tibi ſic expoſui, vt certior ſis de almitate huius emeriti viri, quãuis antea multa de eo prælibaſſem, aliquanto tamen nunc de eius beatitudine, vt reor, lætior manes. Quapropter mihi non deneges, quando aliqua ex miraculis eius ſcriptis tangas, lumenq; quod in te diuina gratia accendit, in hoc opuſculo ne obducas, efflagito: ſed vera ac benè cognita aperias, quatenus mihi ſatisfacias, & eum in perpetuo interceſſorem habeas. His nempè edictis rationibus, ô RVDOLFE, in omnibus ſagaciſſime, ſicuti amore concatenati ſumus, ſupradicti viri precibus libentiſſimè parui: ſed tuæ ſanctitati obuncam verborum congeriem commendo. quatenus rectis locũ & maculoſis licentiam condones. Plura enim de ſupradicto ſanctiſſimo ſcribere mentis erat; ſi non vbiq; noctis anguſtiæ tẽpus cohiberet. At tamen hæc pauca, quæ ſcripta ſunt, magnũ martyrian, fidemq; multiplicibus præbent, in tantũ, vt nihil fideles ac beniuoli dubitare velint, vel poſſint, quando credant eum ſemper cum ſancto ſanctum, & cum electo electum. Vnde & ego in decimo ſermonis mei capitulo finem de eo fieri malui: quia licet minus prudenter perfecti viri tamen actus, vitamq; deſcripſi, quod denarius &

martyrian, i.e. teſtimonium.

& quaternarius numerus figurarum ſecundum vt qui in concordia decalogi & *E*uangelii totam vitam ſuam duxerat tali ſyllogiſmo ſubiaceat.

Finit ſermo Ermenoldi Diaconi & Monachi, de vita beatiſſimi Sole Preſbyterique Monachi.

Vita

Digitized by Google

Vita

SANCTÆ
WALPVRGIS
VIRGINIS
ET
ABBATISSÆ
HEIDENHEIMENSIS.

ſcripta à

Philippo trigeſimo nono
Præſule Aichſtadiano,

&

Nunc primùm ex Codice m. ſ. Monaſterij Rebdorffenſis in lucem deprompta.

Digitized by Google

DE

S. WALPURGE,

Ex libro 3. Trithemii de viris illuſtribus Ord. S. Benedicti, cap. 250.

WAlpurgis Abbatiſſa in Heidenheim, *Eiſtetē*ſis Diœceſis, ſoror ſancti VVilibaldi Epiſcopi, natione Anglica, Virgo ſanctiſſimę conuerſationis, multis virtutibus & ſignis clara enituit; cuius inclyta geſta diligenter conſcripta ſunt. Claruit circa an̄os Dn̄i ſeptingentos quinquaginta. Obiit 5. Calen. Martii Sed ad Eiſtat tranſlata eſt Calendis Maii, quando etiam eius feſtiuitas agitur. Hæc ille.

Hæretici Centuriatores Cent. IIX. & Epitome Bibliothecę Geſneri & *B*alæus aiunt, ipſum *S.* VVilibaldū vitā ſororis ſuæ VValpurgæ litteris conſignaſſe. Quæ S. VVilibaldi lucubratio necdum, quod ſciam, lucem vidit: ſi tamen lubricæ fidei homines vera narrāt. Nos ex Rebdorffenſi bibliotheca duplicē de vita S. VValpurgis commentariū proferimus; alterum ſatis prolixū & copioſū, Auctore *P*hilippo Epiſc. Aichſtadiano: alterū breuiorē, & cōtractiorem, auctore VVolffhardo Monacho & Preſbytero Haſenrietano, longè antiquiore, quàm ſit *P*hilippus: Dedicat. n. lucubrationē ſuā de S. VValpurge *E*rchemboldo ſeu, vt alii appellāt, Erckenvvaldo, qui VIII. inter Aichſta-

dia-

dianoſ præſules electus eſt An. Dn. 884. Mortuus An. 902 vt ſcribit Bruſchius in Catalogo Epiſcoporũ Aichſtadienſium, cum Philippus fuerit 39. Antiſtes: de quo hæc paulo ante nominatus Auctor: *Philippus* nobilis Regulus à Rodtſamshauſen, Alſata, Doctor ſacrarum ſcripturarum, & Abbas Bariſienſis Ciſtertienſium Ordinis Cœnobii, miſſus vnà cum Ioanne Epiſcopo Aichſtadiano ab Imperatore Alberto Auſtrio Romam, ibi à *Pontifice* Clemente V. ad prandium inuitatus, Aichſtadiano Epiſcopatui præficitur, &c. Præfuit laudabiliter annis ſexdecim, menſibus duobus: Deceſſit ex hac vita 25. Feb. Ann. Dn. 1322. Hactenus Bruſchius.

Cum autem Philippi de S. VValpurge hiſtoria admodũ ſit prolixa; plurimaq; interſerat de parẽte S. VValpurgis S. Richardo; itẽq; de fratribus VVilibaldo & VVunibaldo: Hinc factum arbitror, vt is, qui non ante multos annos epitomẽ quandã rerum ab his ſanctis geſtarũ confecit, typisq; Ingolſtadianis euulgauit; huiuſmodi titulũ compendio ſuo præfixerit: *Vita B. VVilibaldi primi Eyſtetenſis Epiſcopi, eiusdemq; patris B. Richardi, fratris S. VVunebaldi, & ſororis S. VValpurgis Virginis ante annos CCLXXX. ab eiusdem Eccleſiæ venerabili Epiſcopo Philippo cõſcripta.* Quæ inſcriptio fortè quẽ inducere poſſet, vt crederet, vitas omnium prædictorum à Philippo Epiſcopo litteris mãdatas eſſe. Quod ſecus eſt, niſi nos noſtra opinio fallit; ſeparatim namq; ſingulorũ vitas nõ ſcripſit: licet de ſingulis in vita S. VValpurgis non pauca commemorarit.

Altera hiſtoria longè vetuſtior eſt; vt ſuprà dicebamus, ſcripta à VVolfhardo Monacho, Monaſterii Haſenrietani, fundati à Carolo Magno, vt Bruſchius auctor eſt libro de Monaſteriis; quod poſtea Arnulphus Imperator in Canonicorum ſæcularium collegium vertit; con-

to ampliore templo in honorem S. Viti. Quin & ipſum nomen Haſenried, ſucceſſu temporis in Herrenried abiit. Teſtatur Bruſchius de Monaſt. rogatu Erchemboldi præſulis Wolffhardum hos etiam verſiculos in honorẽ D. VValpurgæ ceciniſſe:

Filia Regis erat, ſed egenam ſe faciebat,
Diues vt in Chriſto regnaret ſemper in ipſo.
Quam ſit chara Deo, monſtrant miracula crebro:
Quæ meritis eius confert de Virgine natus.
Ex eius tumba manat ſacra pectoris vnda;
Serua namq; Dei lux cæli ſplenduit illi.

Reperit eandem vitam Surius in veteri quodam Codice; ſed absq; auctoris nomine, retulitq; in Tomum ſeptimum; ſed ſtylo mutato, multisq; omiſſis. Nos damus integrum, præſcripto auctoris nomine, ꝙ codex noſter Rebdorffenſis & VVindbergenſis expreſsè repræſentauit. Nunc Philippum, tametſi æuo minorem audiamus.

LEGEN-

Digitized by Google

LEGENDA SANCTÆ WALPVRGÆ VIRGINIS, EDITA A REVERENDISSIMO PATRE, ET domino, D. Philippo Eyſtetenſi Epiſcopo, ad petitionem filiæ Regis Romanorum, & Reginę Vngariæ piæ memoriæ domini Alberti eius genitoris.

EXcellentiſſimæ dominæ ſuæ Vngarorum Reginæ, nec non felicis recordationis domini Alberti quondam Regis Romanorum filiæ. Frater Philippus miſeratione diuinâ Eyſtetenſis Epiſcopus quidquid poteſt obſequii, reuerentiæ & honoris, & ſi quid valeant orationes peccatoris.

COngruum valde, ſanctum & laudabile fore decernitur, vt filia Règis vitam ſanctitate præclaram filię Regis deſideranter amplectatur, & eadem pro ſpeculo ſuæ recreationis, ac cōponēdæ pulchritudinis delectabiliter ſpeculādo fruatur. nam & ipſa contēplādo inueniet ſpeciē ſāctæ cōuerſationis perfectionis formam, ac virtutis imaginē, quā ſacræ imitationis ſtudio veneretur. Hinc eſt quod ſinceritati veſtræ deuotionis ac celſitudini reuerendæ dominationis epiſtolam, continentem vitam & mores, obitū, & inſignia miraculorum beatæ Walpurgæ Virginis, quibus eam Dominus in vita, morte, & poſt mortem clarere

voluit, offero. Non immemor exiſtens, humillimæ ac reuerendæ poſtulationis, qua vobis ſanctæ Walpurgis vitam à me tranſcribi petiſtis, qua petitione mirum in modum exhilaratus gaudebam in Domino, luculentiori conſideratione perpendens, quod huiuſmodi petitio, tum ex re petita, tum ex modo petendi, ex radice pietatis pullularet. In ſe namq; prægnans erat petitio, & argumentum geſtabat ſtudioſæ voluntatis, & probamentum futuræ ſanctitatis, in regina filia Regis perſona poſtulante. Precor autem veſtram regiam dignitatem, & dignitatis benignitatem, vt præfatam epiſtolam conſortibus veſtris, id eſt, filiabus Regum, & aliis deuotionem ad beatam VValpurgam virginem habentibus, ex charitate communicare dignemini. Nam charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI, & quæ Sanctorum ſuorum, quos in ipſo & per ipſum veneramur.

Filiæ Regum, quæ in honore tuo, Fili Dei Ieſu Chriſte, qui es Rex Regum, & Dominus dominantium, mundi excellentias, ſæculorum diuitias, ac propriæ carnis delicias contempſerunt, vt te ſponſum candidum & rubicundum, dilectum, electum, & prædulcem ex dilatati cordis amore currentes in odore vnguentorum tuorum ab omnibus retardatiuis, exoccupatæ liberius ſequerentur, & ſequendo conſequerentur, & conſequendo caſtæ dilectionis deſiderio amplecterentur, multo reuerentiali honore, ac laude digna veneratione ab vniuerſo cœtu fidelium proſequendæ, & proſecutione extollendæ ſunt. Hæc namq; in ſeipſis, vel ſaltem in patribus ſuis, in præſenti ſæculo coronatæ, temporalem dignitatem in æternam ſublimationem commutantes in cœlis coronari meruerunt, & cenſum terrenorum parui-

pen-

pendentes affectum ſupernorum diuini amoris virtute magnificabant, & in ſublimitatis honore humilitatem, & in aduerſitate benignitatem ſeruantes, tam in reſpuendis, quàm appetendis, tanquam magnificæ perſonæ, viā imitandæ virtutis, quæ ducit ad brauium æternæ ſalutis, luciformi exemplo excellentiſſime fidelibus Chriſti demonſtrarunt.

De iſtarum filiarum Regum numero laudabili, & meritò ineffabili beata Walpurgis Virgo, quæ ab infantia in omni vitæ ſanctimonia Deo conſecrata, extitit, eſſe dignoſcitur, cuius vitæ & mortis inſignia in epiſtolare compendium gratia breuitatis colligere promiſimus, q; exſoluere cupientes emendatiori ſtylo, quo poſſumus, vt decet, exordiamur.

Igitur B. Walpurgis Virgo Deo placita, & hominibus grata ex illuſtri proſapia, immò ſtirpe regia, exorta eſt, & tanquam ſidus nouæ claritatis, ac miræ pulchritudinis, obducto tenebris ignorantię mūdo, radio puriori eidem feliciter infulſit, & velut ſtella matutina eo cæteris clarior, quo vicinior ſoli, à Deo gratioſè & ſpecialiter conſtituta eſt ſuis præire, vt & nos in fulgore ſui luminis, quod radio veritatis, juſtitiæ ac ſanctitatis enituit, in ſplēdoribus Sanctorum, in via mandatorum, vel quod præſtantius eſt, in ſemita conſiliorum Dei, quæ ducit ad patriam claritatis æternę, fiducialiter ambulemus. Diuina namq; ordinante prouidentia Sanctum Richardum quōdam Regem Anglorū, nūc verò conſortem Angelorum, patrem in cura, genitorē in natura, ſortita eſt. Nimirū cū decebat, vt Virgo tātæ ſāctitatis in cœlis ſublimiter coronāda, à Rege ſācto in terris coronato, & in cœlis coronādo in lucem huius mundi prodiret. S. quoq; VVillibaldum

Digitized by Google

Aureacenſem Epiſcopum, qui modo Eyſtetenſis vulgato magis nomine dicitur, in omni genere perfectionis præſulem magnificum, nec non beatum VVunebaldum ſtrenuæ virtutis virum, Abbatem ſanctitate præcipuum, fratres germanitate vterinos habuiſſe legitur. Item B. Bonifacius ſanctæ Maguntinæ ſedis Archiepiſcopus, qui florentem palmam victoriæ cum corona martyrii Deo propitiante obtinuit, eius auunculus fuiſſe non dubitatur. Item beatus Deodatus Martyr & Pontifex Chriſti inſignis eiusdem beatæ VValpurgis cognatus inuenitur. B. etiam VVillibrordus Confeſſor Dei & Pontifex precioſus, ac ſanctus Sola ſanctitate mirabilis, de eius parētela ſatis è vicino computantur. O quàm pulchra eſt hæc caſta generatio, cum claritate! Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Hæc eſt generatio, de qua ſcriptum eſt fore poteſt intelligi, quoniā generatio rectorum benedicetur. Iſti namq; fuerunt viri miſericordiæ, quorum juſtitiæ obliuionem non acceperunt, cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum. Laudemus ergò viros glorioſos, patres & parentes noſtros in generatione ſua, nam hi ſunt qui genuerunt nos verbo veritatis in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In linea propaginis huius ſanctæ genealogiæ, ſi luculenter aduertamus, vernantes roſæ Martyrum, candentia lilia virginum; humiliter dependentes violæ confeſſorum inueniuntur. Hi ſunt flores paradiſi in domo Domini plantati, in charitate radicati, cœleſti rore perfuſi, Spiritus ſancti viuificatione vegetati, ſuper quos ſanctificatio Chriſti effloruit, vt in atriis domus Dei noſtri floreant in æternum. Hi ſunt flores, qui ad cooperimentum fructus ſui, & proiicienda ſalubri *vnda frondu- *vmbra. erunt, quorum folium non defluxit, ſed fructum ſanctitatis

tis dederunt in tempore ſuo, & tanquam bonus odor Chriſti in omni loco aromatizantes, redolentiam miræ fragrantiæ vbiq; ſparſerunt. in horum florum ſuauitatis odore delectati, & delectatione inuitati currimus, ſi memoratorum Sanctorum vitam concupiſcimus. Accedente ad nos Sole juſtitiæ hoc verno in tempore gratiæ, non ſolum apparuerunt flores in terra noſtra, ſed & vox turturis audita eſt in terra noſtra, vox, inquam, turturis, hoc eſt caſtiſſimæ VValpurgæ Virginis, quæ prece dulciſſimæ ſupplicationis interpellet pro nobis ad Dominũ. & non incongruenter vocem turturis precem B. VValpurgæ Virginis interpretati ſumus. Nam turtur eſt auis ſoliuola, fidelis & caſta: ſic moralizando vt proſequamur, B. VValpurgis in ſolitudine contemplationis exceſſiuè fuit ſoliuola, in diſpenſatione fidelis ac prudentiſſima, in omni conuerſatione caſtiſſima ac pudiciſſima. In his egreſſionibus delicabiliter depaſti cum paſtore & ſponſo, qui paſcitur inter lilia, deinceps ad ouilia primitæ intẽtionis decet, vt reuertamur. Nam quæ de linea deriuationis ſacræ genealogiæ B. VValpurgis prælibauimus, totum in laudem eiusdem laude dignæ Virginis credimus vt cenſeatur. nam ex hac reuerenda enumeratione Sanctorum euidenter perpenditur, quomodo ex inſignibus nobilitate pariter & ſanctitate proceſſit. Nunc ordo ſcribendi poſtulat, vt de ipſa eiusq; ſanctitate ſpecialius ſingulariusue proſequamur. *Sciendum* igitur, quod S. Richardus Rex Anglorum, pater ipſius, vt prælibatum eſt, fuiſſe legitur, qui cum à principio ſemper Chriſtianiſſimus extitiſſet, etiam liberos ſuos diſciplinam Chriſtianæ religionis, & viam veritatis tam per ſe, quàm per fideles pædagogos diligentiſſimè edocuit. Vnde & S. VVillibaldum adhuc puerum titulo monaſticæ profeſſionis ad-

Digitized by Google

dixit. Cum ergò ille beatus Rex gradus de virtute ad virtutes conſcenderet, vt ſecundùm promiſſionem Saluatoris centuplum acciperet, & vitam æternam poſſideret, igne diuini amoris inflammatus, & occultiori conſilio Spiritus ſancti edoctus, ad exhortationem liberorũ ſuorum, videlicet B. VVillibaldi ac VVunebaldi, nec nõ ſanctæ VValpurgis regnum & patriam dereliquit, & peregrinationem duram, quæ etiam pauperibus grauis eſſe ſolet, vna cum liberis ſecum aſſumptis Oceani periculo ſe commiſit, & tandem poſt magnos labores & multa pericula Luccam, id eſt, Luccanenſem ciuitatem vſque peruenit, & inibi mortali infirmitate conſummatus in monaſterio S. Frigdiani in Domino feliciter requieuit. Poſt cuius beatiſſimum tranſitum filii eius ſanctus videlicet VVillibaldus & VVunebaldus vnà cum ſociis ſuis ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli perrexerunt. Vbi à Papa Gregorio III. qui tum Apoſtolicę ſedi reſidebat, benigniſſimè ſuſcepti, orando, & loca ſanctificationũ circũeundo aliquantum temporis deuotiſſimè exegerunt. Factum eſt autem, quod S. VVillibaldus, & quidam ex ſociis immenſo deſiderio accenderentur, quatenus Ieroſolymam irent, & loca in quibus Deus homo conuerſatus eſt, inuiſerent. Quod ita factum eſt S. VVunebaldo propter infirmitatem magnam, qua tunc detinebatur Romæ relicto. Cum interim S. Bonifacius Maguntinæ ſedis Archiepiſcopus Eccleſiaſticæ vtilitatis cauſa, & ex legatione Pipini Regis, qui tunc temporis Alemanniorum Rex extiterat, adueniſſet, & cum vidiſſet ſanctum VVunebaldum, eo quod nepos eius eſſet, & quòd multa de eximia virtute, & animi eius conſtantia audiuiſſet, multum in Domino gauiſus eſt, & ſuppliciter dominum Papam exorauit, vt eius adiutorio talem cooperatorem

&

& ſocium in agricultura Dei mereretur accipere. Cuius petitioni Papa Gregorius libenter acquieſcens rogando præcepit S. VVunebaldó, vt ſocietati & contubernio S. Bonifacii adhæreret, & in omnibus eius conſilio & pręcepto ad ſeruiendum Deo obediret. Hoc quoq; S. Bonifacius à prædicto Papa obtinuit, vt ſi quãdo diuina clementia S. VVillibaldum eius conſpectui præſentaret, ad colendam vineam Domini in adiutorium ſibi ad Alemanniam tranſmitteret. Cumq; memoratus, & ſæpè memorandus S. Bonifacius omnia pro quibus venerat ſecundũ beneplacitũ ſuũ peregiſſet, Apoſtolica benedictione firmatus in Alemañiam ad Pipinum Regem rediit, & oĩa quæ ei in via acciderant, & quomodo Apoſtolica auctoritate S. VVunebaldum ſocium & cooperatorem laboris ſui accepiſſet, ex ordine narrauit. Peractis autem omnibus, quæ tum in Regis curia tractanda erant S. Archiepiſcopus valefaciens Regi in Thuringiam tranſiit, & ibi ſancto VVunebaldo habitum monaſticæ religionis tribuit, & ad ſacerdotii gradum omnibus, qui nouerant eũ in laude eius acclamantibus promouit. S. verò VVunebaldus virtutem obedientiæ attendens in Spiritu humilitatis, in cunctis, quæ ei iniungebantur, perfectum ſe ſeruientem exhibuit, & ſicut bonus filius & perfectus diſcipulus vſq; ad mortem S. Bonifacio obediuit. Videns autem Archiepiſcopus, quòd beatus VVunebaldus in omni juſtitia & ſanctitate proficeret, ſeptem ei Eccleſias in Thuringia regendas commiſit, quas ipſe ad tantũ culmẽ perfectionis ꝑduxit, vt vſq; in hodiernũ diem per totã illam prouinciam in laudem Dei honor & gloria S. VVunebaldi prædicetur. Cum hæc in Alemannia circa beatum VVunebaldum gererent, B. VVillibaldus frater eius, in via, qua Ieroſolymã tendebat, in mari & in terra

magnis & multis periculis afficiebatur. Nam tentationum procellas poſtquam diuina fauente gratia euaſit, pericula latronum, famis & ſitis, macerationis, captiuitatis, incarcerationis, ſqualoris, graues à paganis, per quos tranſitum fecit, pro nomine Ieſu Chriſti ſuſtinuit paſſiones, ſed virtute Dei de his omnibus liberatus tandem ſicut deſiderabat *Ieroſolymam*. dedit autem ei Dominus tantam gratiam in conſpectu paganorum, qui tunc Ieroſolymam inhabitabant, vt quocunq; pergeret, eorum cóductu iret & rediret. Manſit itaq; multo tempore in finibus illis, & peragratis omnibus ſanctificationum locis, in quibus Deus homo conuerſatus fuerat, Adriaticum mare iterum transfretauit, & ad Caſſinum montem, vbi ex inſtitutione S. Benedicti Abbatis, monaſticam religionem vigere audierat, peruenit. quem pater Abbas eiusdem monaſterii, cui nomen *Petronax* erat, vnanimi conſenſu ſui conuentus, in monachum & fratrem ad humilem ſui petitionem aſſumpſit. Aſſumptus itaq; S. VVilibaldus in omnibus, quæ egiſſet, in cunctis fratribus laudabilis apparuit, & in omni morum & conuerſationis honeſtate mirabilem ac imitabilem ſe exhibuit. Manſit itaq; apud eos multo tempore irreprehenſibilis, imò per omnia laudabilis, & tunc omnibus valefaciens de licentia Abbatis cum quibusdam honeſtis fratribus, Eccleſiaſticæ vtilitatis cauſa ad dominum *Papam* properantibus, iterum Romam tranſiuit. Præſentatus itaq; Apoſtolico conſpectui, benigniſſimè ſuſceptus eſt ab eo, & interrogatus de peregrinationis ſuæ labore, omnia quæ ei in *via* acciderant, & quàm miſericorditer Deus de *manibus* quærentium animam eius, multoties eum liberauit, & quàm laborioſè Ieroſolymam, & cum quanto periculo alia ſanctificationum loca, vtpote à paganis poſſeſſa, adierit,

Digitized by Google

rit, & quomodo lumen oculorum, duorum menſium ſpatio orbatus fuerit, & in Eccleſia ſanctæ crucis miraculosè illuminatus, & puriori vſui viſus à Domino reſtitutus fuerit, per omnia enarrauit. Flebant ergò omnes, tum quia talem iuuenem pro Domino patriam dereliquiſſe, & tantos labores pertuliſſe videbant, tum etiam quia ſe nihil talium pro Domino peregiſſe dolebant. Interea B. Papa recordatus, quod S. Bonifacio Archiepiſcopo de cooperatione & ſocietate S. VVillibaldi promiſerat, paterna exhortatione, & Apoſtolica authoritate præcipiendo rogauit, vt ſine contradictione ad S. Bonifacium Maguntinæ ſedis Archiepiſcopum cum feſtinatione ꝓperaret, & in vinea Sabaoth fidelem cooperatorem, & humilem miniſtrum in omnibus, quæ ei S. Bonifacius iniungeret, ſe exhiberet. Cuius præcepto S. VVillibaldus in ſpiritu humilitatis obediens, Apoſtolica benedictione roboratus, in Alemanniam ad S. Bonifacium, ſicut ei à domino Papa præceptũ erat, peruenit, & quomodo ad ſeruiẽdũ & obediendũ miſſus fuerit, ex ordine narrauit. Poſtquã verò S. Bonifacius & S. VVunebaldus, cæteriq; eiusdem ſocietatis fideles fratres tam dilectum Deo & hominibus fratrem recepiſſent, diutiſſimè in oſcula, & in collum eius irruerunt, & præ gaudio flentes, Deum largitórem omnium bonorum pro vniuerſis beneficiis ſuis glorificauerunt. Sed & Rex Pippinus vt cognouit aduentum tam venerabilis perſonę, plus quàm credi poteſt cœpit in Domino gaudere, eo quod tantum lumen juſtitiæ regno ſuo illuxerit, & quòd omnes aduerſitates eorum orationibus à regno ſuo propelli firmiſſimam ſpem haberet. Creuit itaq; Eccleſia Chriſti per verbum & per labores S. Bonifacii, ſociorumq; eius, & credentium in Domino fides augebatur, & abolito Idolatriæ ritu, in

conſecrandis Eccleſiis, in prædicando verbum Domini, in baptizandis gentilibus, in procurandis infirmis & pauperibus, Eccleſiaſticus ordo per omnem Alemanniam inſtituebatur.

Fuerunt autem illis temporibus in regno Pipini Regis duo viri illuſtres, ſcilicet Odylo Dux, & Svviggerus Comes, qui vtriq; ad S. Bonifaciũ venientes orationibus eius ſe cõmendauerunt, & prædia ſua cum mancipiis ad ſeruiendũ Deo viuenti deuotiſſimè ei obtulerũt. Sed beatiſſimus Præſul conſiderans, quia res Eccleſiæ, vota ſunt fideliũ, pretia peccatorũ, patrimonia pauperũ, ex allodiis Odyli Ducis, Friſingenſẽ inſtituit Epiſcopatũ; ex prædiis verò Svveigeri Comitis Eyſtetenſẽ fundauit, & firmauit Pontificatum; præfecitque vennerabilem fratrem, & diſcipulũ ſuũ S. Corbinianũ, Friſingenſibus: S. verò Wilibaldũ Deo dignũ Epiſcopũ Eyſtetenſibus; hoc inſtituẽs, vt rebus Eccleſiaſticis pauperes alerentur, infirmi recrearẽtur, captiui Chriſtiani, ꝓut facultas ſuppeteret, redimerentur. Cœpit autem S. præſul Willibaldus incircumciſis corde verbũ vitæ euangelizare, & in omni pontificatus officio fidelem diſpenſatorẽ, & bonum ſeruum Dei ſe oſtendere. Vnde omnes comꝓuinciales, diuites & pauperes, tanta familiaritatis dulcedine ſibi cõiunxerat, vt de omnibus finibus regionis illius ad eum confugerent, & ad ſaluandas animas ſuas conſiliũ & auxiliũ ab eo expeterẽt ſicq; factũ eſt, vt bonitatis eius fama creſcẽte, S. Bonifacio cunctisq; in Maguntina metropoli acceptiſſimus fieret, & in conſiliis, & in judiciis, in conſecrandis quoq; Eccleſiis, ac aliis chariſmatum donis primũ poſt Archiepiſcopũ locũ obtineret. Conceſſumq; eſt ei cum priuilegii atteſtatione, vt in his, & in aliis Deo digna gerendis, ipſe omnesq; ſucceſſores eius, Eyſtetenſis Eccleſiæ Pontifices, cum ne-

ceſſi-

ceſſitas aut tempus exigeret, ſpecialiter præ aliis ſanctæ Maguntinæ ſedis ſuffraganeis, vicem Archiepiſcopi gereret, & tanquam præfatæ ſedis Cãcellarius, & prolocutor Concilii à dextris Metrópolitano proximus aſſideret, in cuius dignitatis euidentiam veſtitura magni ac myſtici ornatus ei conceſſa eſt, nec non omnibus ritè ſuccedẽtibus, præ cunctis Epiſcopis, qui de linea Moguntinæ deriuationis cõputãtur. Eſt autẽ veſtis illa Rationale, quo & ſummus Pontifex accedẽs ad ſancta ſanctorũ, olim ſuperueſtiebatur. Habebat autẽ Rationale ſummus Pontifex in lege veteri in ꝑfigurationẽ multæ perfectionis. Pontificibus verò noui teſtamẽti quibuſdã conceditur, in exhibitionẽ conſummatæ virtutis, quę gratia & ratione perficitur, vnde & rationale nuncupatum eſt.

His ergò prælibatis ad ea, quæ de B. VValpurgis vita tractanda præmiſimus, Deo fauente, & vita comite, reſtat vt ſtilum conuertamus. Nam conditio pręſentis operis hoc requirit, & occupatio temporis, qua tribulamur, idipſum expoſcit, vnde cõuenit, vt digreſſiones in amplius nequaquã admittamus.

Sciendum igitur, quòd ſæpè dicti, ac ſemper benedicti fratres, B. videlicet VVillibaldus, ac S. VVunebaldus à tempore, quo fide dignorũ relatione intellexerant, Reginã Angliæ genitricem ſuam, mulierem virtutis ac pręclari meriti, viam vniuerſæ carnis fuiſſe ingreſſam, vt frequenter de ſorore ſua, beata ſcilicet VValpurga naturali affectu ſtimulati, & charitate, quę religioſos decet, inflam̃ati, ſollicitari cogebantur; ſciẽtes eã poſt diſceſſũ matris, omni ſolatio tẽporali deſtitutã Hæc ergò aduertẽtes de cõſilio S. Bonifacii decreuerũt, vt eã fideli vocatione ad ſe venire rogando pręciperẽt, quatenus ipſa per eos, & ipſi per eã mutua in Dño conſolatione fruerentur, quod

Digitized by Google

& ita decretum in factum prodiit. Per fideles namq; nuncios, ac famoſa legatione B. Bonifacius neptem & fratres ſororem prædulci ſupplicatione, & prece inuincibili ſollicitabant, quatenus ad eos venire non omitteret. Cum ipſi patres ſpirituales ipſam, quam genuiſſent in Chriſto filiã auctoritatiua admonitiõe ad id faciendũ hortarent, Virgo VValpurgis glorioſa ſemper hoc ſupplex mandatum ac fidele conſilium ſagaci mente complectens, ſupra quàm enarrari poteſt, in Domino gratulabatur, vberrimas ei gratiarum actiones exoluens ſuper eo, quod tam magnificorum patrum, ac chariſſimorum fratrum meruiſſet reuerenda ſalutatione, ac piiſſima exhortatione viſitari. Ex tunc Virgo VValpurgis ſapiens, & vna de numero prudentum ſolerter cogitare cœpit, & cogitando in ſpiritu ſcrutabatur, quid ei in hoc caſu liceret, eamq; deceret, nec non ipſi feliciter expediret. Hæ namq; ſunt circumſtantiæ ſecundum prædulcem S. Bernhardum Doctorem, quibus moralis actus conditionatur. Nam hę circumſtantiæ alias, ſi quæ ſunt ex parte perſonæ, loci, vel temporis, in ſe includunt, cum ei aliquid licet ſecũdum rationem mandati, & decet quantum ad ædificationem proximi, ſi expediat ſecundum conditionem proprii ſubiecti, ſufficienti cautela actui prouiſum eſt. oportet enim, vt hæ tres circumſtantiæ concurrant, vt actus moraliter inſtauretur, quod ſecundum ſententiam B. Apoſtoli multa licent, quæ non expediunt. & alias circum- 1. Cor. 6. ſtantias ſi replicare ex combinatione delectat, inuenies, quomodo dictæ circumſtantiæ ad perfectam conditionem actus in ſolidum requiruntur.

Itaq; VValpurgis Virgo humillima proprii ſenſus ſagacitati non nitebatur, ſed tota deuotione ſe Deo committens ſuppliciter exorabat, vt in vitandis & agendis

volun-

voluntate Domini bona beneplacente, & perfecta ſemper regeretur; & non poſt multum temporis diuina reuelatione cognouit, quod ſuæ inuitationis vocatio à DEO præordinata fuiſſet, & ſecundum diuinæ voluntatis nutum prodiſſet, vnde conſenſum liberrimum huic gratioſæ inuitationi præbere non dubitaret, nec dubitando in amplius quoquo modo differre deberet. Ex hac certificatione Virgo VValpurgis deuotiſſima plusquam credi poteſt mente gauiſa eſt, & ex illa hora mente ſollicita tractare cœpit, quomodo conceptum iter Deo laudabiliter nec non vtiliter ſibi aggrederetur; & collegit atq; elegit circiter numerum triginta ſodales ſuæ Religioni conformes, ac ipſius intentioni congruẽtes, & expedita decenti prouiſione, quæ in expenſis & impenſis ad dictum iter requirebantur, de licentia eorum, qui ſibi ſuæq; ſocietati auctoritatiuè præerant, ſæpè dictum iter aggreſſa eſt; & valedicens ſuis, ac ſolo natalis patriæ, tãquam filia laudabilis obedientiæ audiens conſilia, videns Sanctorum exempla, populum ſuum oblita eſt, & domum patris ſui, vt Deus Deorum, Rex Regum concupiſceret decorem ſuum, quæ retro ſunt paruipendens, & anteriora, id eſt, potiora benedictionis æternæ chariſmata requirens, viam propoſitæ voluntatis exorditur; & cum ſua ordinata, nec minus deuota ſocietate, ad mare Anglicanum vsque perueniens, mari placido, & aura optabili puppim conſcendit; & votiuè nauigantes pro aliqua parte tẽporis. Diabolus humani generis inimicus, qui Sanctis Dei per diuerſa tentationum machinamenta aduerſari conſueuit, ſæuitiam mari, & intemperiem aëri immittens, mare ſæuire fecit, & contrarietate ventorum in periculoſas vndas compulit, ita vt nautæ inſtrumenta nauigandi proiicerent, & de ſola ſalute æterna Dominum deprecarentur.

Pſ. 44.

Philip. 3.

Quo viſo Virgo VValpurgis deuotiſſima in orationem ſe proſtrauit, & in hæc verba Deum, vt creditur, exorauit: Domine ſi mirabiles ſunt elationes maris, tu mirabilior es in altis Dominus, & quia tu dominaris poteſtati maris, motum fluctuum eius, cùm vis, tu mitigas. Exaudi ergò nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè, qui S. Richardum ſeruum tuum, Regem & progenitorem meum in hoc mari à periculo vndarum liberaſti, fideliter ac fiducialiter clamãtem ad te. Et ſurgens ab oratione imperio diuinæ virtutis ſuffulta, imperauit mari & ventis, quo facto, ſtatim aura datur grata, nec non quieuerunt maria, iuſſu diuinæ voluntatis ſpiritum procellæ repellente, & aquas maris quaſi in vtre, prece beatæ VValpurgæ Virginis, Domino concludente. Tunc vehemẽti ac lætabunda admiratione omnes qui erant in naui gratulari in Domino cogebantur, quod tam ſuper ſalutifera liberatione à periculo mortis, quod eis ex tempeſtate maris iminebat, erepti ſunt, & B. VValpurgam, tanquam ſpecialiter Deo dilectam, ex hoc ſigno deprehendentes, vt ſanctam per oĩa venerabantur, & fauente Dei gratia ꝓ deſiderio ad portum ſalutis applicuerũt, & de naui exeuntes operibus virtutum ſe contulerũt, diuerſa loca ſanctificationum circueuntes, Dominũ in ſãctis ſuis deuota mente quæſitabãt, aduertentes, quoniam Deus in ſanctis ſuis mirabilis faciens prodigia & mirificãs miſericordiã ſuam, ſecundum omnes voluntates ſuas in eis, ſeipſum laudabilem atq; amabilem omnibus nobis oſtendit, & ex multiformi glorificatione Sanctorum, mũdum illuminando lætificauit, & multa exempla fructuoſæ ædificationis eidem reliquit.

Pſ. 92.

Pſ. 88.

Pſ. 64.

Circumduxit ergò B. VValpurgam Dominus, & docuit, ac cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, circumduxit per diuerſa loca ſanctificationum, & docuit eã per varia

Digitized by Google

exempla Sanctorum,& cuſtodiuit à macula delictorum, quaſi pupillam oculi ſui. Ipſa autem in ſua peregrinatione frequenter ac gaudenter ad Dñm dixiſſe creditur: Cantabiles mihi erãt juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Meditabiles inquã in corde, cãtabiles in ore, imitabiles in opere. Et vt lõga locorũ ſpatia breui ſermone trãſeam⁹, memorata Virgo, nec nõ ſẽper mẽoriter recolẽda, cũ ſua ſocietate ad B. Bonifaciũ Archiepiſcopum,& ad ſuum fratrem S. VVillibaldum in Alemanniam peruenit, ibiq; hilari ac gratioſa hoſpitalitate ſuſcepta eſt,& ꝑ tempore cum eisdem commorata, dulci allocutione fruebatur, ex qua delectabatur in Domino. Et qualiter nutu diuinæ voluntatis,& authoritate vocationis ipſorum patriam deſeruiſſet,& ad eos ſecundũ formã mandati ꝓperaſſet,& quomodo in via cuſtodita à Dño, ab omni diſcrimine itineris ad terminum viæ ſalubriter perueniſſet, etiam ex ordine narrauit. Pſ. 118.

Intelligens autem Virgo VValpurgis, quòd S. VVunebaldus frater eius vitam monaſticam atq; cœlibem in ꝓuincia Thuringia duceret,& præfectus ſeptem monaſteriis ſui ordinis auctoritate S. Bonifacii fuiſſet, quæ laudabiliter vt ſanctũ Dei,& electum decet, religioſiſſimè gubernaret, ſuppliciter S. Bonifaciũ, nec nõ fratrẽ ſuũ videlicet S. VVillibaldũ exorauit, quatenus ad fratrẽ ſuum S. videlicet VVunebaldũ Abbatẽ ſanctiſſimũ deſtinaret, vt eius cõſilio & cooperatione ſub regulari cuſtodia, ac monaſterialis vitæ exercitio gratia Dei fauẽte ſeruaretur. Vt autẽ audiſſent patres ſanctiſſimi, Archiepiſcopus videlicet, ac eius coepiſcopus B. VVillibaldus, ꝙ intentione ſãcta, ac motiuo rationabili duceretur, ſuam petitionẽ apꝓbabãt, ac ipſi licentiam abeundi,& ad S. VVunebaldũ diuertendi conceſſerũt. Quæ profecta ad S. VVunebal. per-

perueniens religioſa ſalutatione ſuſcepta eſt. Tunc ſoror fratri cauſam aduentus ſui expoſuit, atq; eidem humili prece in Domino ſupplicauit, quatenus ipſam vna cum ſocietate ſua deuotá in aliquo monaſterio locare curaret, vt inibi Deo famulantes, quanto ab exterioribus magis abſtractæ, tanto interioribus magis intentæ inuenirentur, quod & ita factum eſſe legimus. Nam beatus VVunebaldus ſæpedictam ſororem ſuam, vna cum ſocietate ſua in quodam monaſterio collocauit, quod vsq; in hodiernum diem Cœnobium S. VValpurgis dicitur.

Videns autem Virgo Christi dilecta, ſe pro voto ſancti deſiderii fore in loco religionis poſitam, talem ſe exhibuit, vt ab omnibus in exercitio virtutum, & ſpirituali conuerſatione bonorum morum commendaretur. Erat enim ſeruãs formam virtutum, videlicet charitatem, & matrem earundem, ſcilicet humilitatem, & benignitatem, & cordis patientiam, quæ opus perfectum habet, & ſtudio earundem ſe perfici ſatagebat. Et quid plura? cum eius mirificæ ſanctitatis vita aſpicientium, vel de ipſa audientium fuerit diſciplina? Et quanta fuerit in jubilo contẽplationis, quàm frequens in verbo orationis, quàm efficax in prece interceſſionis, quàm matura in ſilentio diſcretionis, quàm ſollicita in re & modo cuiuſcunq; piæ actionis, nullus de ipſa ſufficienter enarrare præſumat. Factum eſt autem cum B. VVunebaldus frequenter ad dominum & auunculum ſuum S. videlicet Bonifacium, nec non fratrem ſuum S. ſcilicet VVillibaldum gratia conſilii & ſpiritualis ſolatii diuerteret, quod multo honore & reuerentia ab omnibus ſuſcipiebatur, & tanquam vir ſanctitate præclarus à cunctis venerabatur. Et cum vir beatus famam ſuã tam in prouincia Thuringia, quàm & circa partes Reni multum per omnem modum exaltari

tari conſpiceret, timuit fructum laborum ſuorum vanæ laudis gloria euaneſcere, & lampadem ſuam, veniente ſponſo, infatuato oleo tenebreſcere, elongauit ſe ab omni, quod videbatur ſapere pompam ſæculi, fugiens ab omni applauſu hominum, vt maneret in contemplationis ſolitudine. Itaq; Eccleſiis, quas regendas ſuſceperat, bene diſpoſitis, accepta licentia ab Archiepiſcopo ſecretum ſolitudinis petiuit, & ad partes illas, quæ SVVANFELDEN nuncupantur, acceſſit; & cum diu hac & illac circumcurſando locum ſuo deſiderio complacentem quæreret, tandem diuina prouidentia ita diſponente inter denſitates ſiluarum, & inter conuallia montium ſolitudinem multitudine fontium, & qualitate ſuæ magnitudinis veloci impetu decurrentium irriguam, ac monaſticæ habitationi congruam inuenit. Cuius loci ſitum vir beatus diligenter conſiderans, toto corde exhilaratus eſt, & benedicens Deo, ſoloq; proſtratus cum Propheta exclamauit dicens: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Quem locum vir Deo plenus diligentiſſimè incoluit, & in eo oratorium cum manſiunculis extruxit, & vitam ſanctorum patrum imitatus ad ſeruiendum Deo religioſas perſonas, & in obſeruatione mandatorum Dei probatas collegit, & cœnobialem vitam celebrari, & regulam ſancti Benedicti obſeruari inibi conſtituit, & loco nomen HEYDENHAIM vsq; in hodiernum diem permanſit. Aſſumpſit etiam ſororem ſuam, ſanctam videlicet VValpurgam Virginem Deo dicatam, quæ cum Virginibus Chriſto deſponſatis, ſub imperio & eruditione ſua de conſilio S. Bonifacii Archiepiſcopi ac B. VVillibaldi Eyſtetenſis Epiſcopi, ſeipſas hoſtiam immaculatam Deo viuenti ſub diſtrictione regularis diſciplinæ jugiter im-

molauerunt. Conſtruxitq; eiſdem ſacris Virginibus oratorium à ſuo monaſterio, vt decebat, ſegregatum, non tamen longè petitum, in quo præfatas Virgines ponens famulari Deo pro poſſe & noſſe præcepit, quas & verbo ſanæ doctrinæ, & exẽplo bonę vitæ indeſinenter ad formam perfectionis hortabatur. Creuit itaq; locus ille per merita S. Wunebaldi, & S. Walpurgæ Virginis; & ſicut interius orationibus, & diuino obſequio Sanctorum eſt adornatus, ita breui tempore in exterioribus fideliũ oblationibus eſt amplificatus. Nam omne monaſterium, quod in ſpiritualibus benè regitur, in temporalibus optimè gubernatur. Quod verò in ſpiritualibus & in his quæ ſunt ad Deum negligitur, in tẽporalibus & exteriori adminiſtratione citò dilabitur, nec ab hominibus reputatur. Et hoc nõ ſolum in libris legimus, ſed etiam præſentis temporis experientia docet; & idipſum in diuerſis ordinibus, ac monaſteriis demonſtratiuè edocemur. Et omnes qui ſpirituali ædificatione per verbum S. VVunebaldi, & exẽplaritatẽ ſanctitatis B. VValpurgæ Virginis proficiebant, de prędiis, de mancipiis, de rebus mobilibus, de auro, de argẽto, de gemmis, de auro textis veſtibus per manũ S. VVunebaldi atq; S. VValpurgæ Virginis oblationes offerebant.

Cum autem venerabilis Abbas & Confeſſor Chriſti, & ſoror eius jam dicta, & ſemper laude digna, viderent fines prædiorum ſuorum dilatari, & in omni ornamento, & diuitiis temporalibus res Eccleſiæ augeri, veriti extollentiam oculorum ex ſuperfluitate diuitiarum generari, partem Eccleſiaſticarũ rerum in vſus pauperum diſtribuerunt, & quædam ex prædiis Eccleſię, cellis adiacentibus adhuc mendicitate paupertatis laborantibus, hilarimẽto & larga manu contradiderunt. Attendebant enim Prophetã orantem, & dicentem: Inclina cor meum Deus in

Pſ. 118. teſti-

teſtimonia tua, & non in auaritiã. Ideoq; quicunq; ipſorũ cella, ꝓpriũ poſſidebat, tẽpore neceſſitatis cũ nihil habẽtibus cõmune fore æſtimabant, & in defectũ rerũ neceſſariarũ ꝓ poſſe ſuo tanquã largi auxiliatores omnibus opẽ ſuam quærentibus ſemper ſe & ſua hilariter impenderũt. Aduertentes illud Apoſtoli: quoniã hilarẽ datorẽ diligit Deus. & item: & ipſe impendar pro animabus veſtris. 2. Cor. 9. 2. Cor. 12.

Sub ipſis etiam & per ipſos viguit religio Monachorum, ipſo exhortante, & S. VValpurga adoperante, ſanctitas & caſtitas floruit Virginũ. Fuitq; illo tẽpore ipſorũ Eccleſia* aſile, & portus omnium laborantium; nec fuit, qui in tribulationibus ſuis non inueniret ibi certum refugiũ per merita & orationes Sanctorũ inibi Deo miniſtrantiũ. *pro, aſylum.

Cum .a. S. VVunebaldus venerabilis Abbas & Chriſti Confeſſor Deo vocante, & ipſo ad cœleſtia regna ſuſpirãte, terminũ ſui meritorii incolatus attigiſſet, graui infirmitate correptus, curſũ vitæ conſũmauit, de huius peregrinationis exilio ad cœleſtẽ patriã, & de trãſitorio labore quinta decima Kalen. Ianu. in cœleſtem requiem feliciter migrauit. Cuius corpus S. VVillibaldus frater eius Eiſtetẽſis Epiſcopus ſuusq; dioceſanus cum multitudine virorum ac mulierũ ad exequias ſancti viri cõcurrentiũ, deuotione Clericorũ & orationibus Monachorũ, ſanctarũq; Virginũ in oratorio, ꝙ ipſe venerabilis pater VVunebaldus Deo fabricauerat, honorificè ſepeliuit; quod idem oratoriũ, S. Præſul ob honorẽ Dei, & reuerentiã B. Iacobi maioris, qui patronus eiusdem loci dinoſcebatur, nec nõ propter fratris dilectionẽ ampliauit, & adornauit. Flebãt autẽ omnes qui tũc aderãt, ꝙ tanti patris corporali præſentia orbati eſſent. Gaudebant verò, quòd ad cœleſtem judicem tam placitum Deo interceſſorem præmiſiſſent. Secuta ſunt autem ſigna in ſanctitatis eius argumentum.

Audie-

Audíerunt namq; diſcipuli eius compulſationes campanarum, nulla humana adminiſtratione adhibita, & luminaria extincta abſq; omni humano adminiculo crebrò accendi viderunt.

Si autem lector deuotione ſtudioſus per ampliora de ipſo miraculorum prodigia audire concupiſcat, ad propriam ſancti legendam recurrere poterit, quia breuiloquium aſſumpti laboris non admittit, vt plura, quàm ad declarationem legendæ ſpectat, quam ſub ſtilo habemus, proſequamur.

Deniq; poſt mortem fratris ſui VVunebaldi ſancta & venerabilis Virgo VValpurgis ex diſtricta iniunctione ſancti VVillibaldi ſuperſtitis fratris ſui, atq; pariter dioceſani gubernacula & regimen regularis diſciplinæ in cella Haydenhaymenſi, tam ſuper Monachos, quàm ſuper Sanctimoniales non ſine effuſione lacrimarum cogebatur ſuſcipere. Nouerat namq; ſororem ſuam pater ſpiritualis, & frater vterinus, quod conſtanter ſtrenua in corrigendis, & miſericorditer pia in compatiendis procul omni dubio indeficienter inueniretur. Non autem quçrens honorem, ſed tribulationem & dolorem, vt in ſequentibus apparebit, inuocando nomen Domini, iniunctam ſibi gubernationem humili obedientia ſuſcepit, & ſedecim annis, id eſt, quoad vſq; vixit, dicta gubernacula tenuit, & ſeipſam formam & exemplum benè viuendi oſtendens, omnem exceſſum ſtrenuè, & vt ita dicam, viriliter correxit. *Tantæ* enim fuit, cum tempus & res expoſcebat grauitatis, & tanta pro congruitate loci & temporis oportunitate pietatis ac manſuetudinis, & omni hora in conuerſatione ſua tantæ extitit ſanctimoniæ & perfectionis, vt ab omnibus meritò veneraretur vt domina, & à cunctis diligeretur, vt mater amantiſſima. Fide namque

que recta luculẽter, ſpe firma fortiter, charitate perfecta, dulciter cum ſuis intrare contendebat in requiem, atq; ciuitatem manentem, quæ ſurſum eſt, Ieruſalem, & eſt libera atq; mater noſtra. Prudentia nihilominus, id eſt, recta ratione agibilium vtebatur in negotiis, luminoſa juſtitia fruebatur in judiciis, conſtantiſſimæ fortitudini innitebatur in aduerſis, temperantia diſcretionis, & gratiæ conſentaneæ regebatur in quibuſcunq; proſperis; charitate ſibi cunctos conuenientes ſuperabat, humilitate lõgè præibat, lenitate conſolationis, ac ſanctæ manſuetudinis in tantum corde dilatabatur, vt non eſſet, qui ſe abſcõderet à calore, charitateue dilectionis eius. Item frequẽs erat in manuali labore, frequentior in lectione, frequentiſſima in oratione. Frequens in manuali labore fuit: Panem enim otioſa non comedit, ſed digiti eius apprehenderunt fuſum. Attendebat namq; quod ſcriptum eſt: labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Beatus es, inquam, in præſenti ſæculo, & benè tibi erit in futuro. Et item aduertit verbum regulæ ſuæ dicentis, Otioſitas inimica eſt animæ: & ſententiam valdè auctorizatam, quæ dicit: Otioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui ad miſeras animas decipiendas. Expedit enim vt mulieres laboribus manuum ſuarum intendant. Nam primus humani generis inimicus mulierẽ primo tentauit, non ſolum ex eo, quod eam infirmiorem viro conſpexit, ſed etiam ex eo, quod ipſam magis otioſam eſſe viro præſumpſit. Scriptum eſt namq;: Poſuit Deus hominem in paradiſum, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Frequentior erat in lectione, quia in diuinis ſcripturis negotiari nouerat, & eiſdem pro ſpeculo componendæ pulchritudinis internæ & forma conſtruendæ cõuerſationis fruebatur; ac ea intentionis auiditate, ac fir-

Pſ. 127.

Gen. 2.

ma credulitate legebat, ac ſi Deus apparens ei à facie ad faciem loqueretur. Frequentiſſima etiam in oratione fuiſſe legitur. Nam ſecundum ſententiã B. Auguſtinj: Homo in oratione poſitus Deo loquitur, vnde ſummè neceſſarium in prælatione conſtitutis eſſe videtur, vt frequentius ſtudeãt eſſe in oratione, vt ſuã, ſuorumq; neceſſitatem Deo ꝓponentes, conſilio diuinæ ſapientiæ informentur, auxilio diuinæ potentiæ roborentur, ſolatio diuinæ clementię conſolentur, vt in dubio melius eligant, in aduerſitate non deficiant, ſed in conſolatione Spiritus ſancti ſemper in melius proficiant. Inhærentes Deo per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur.

In his & aliis virtutum exercitiis perfecta & gratiarũ affluentiis infuſa & perfuſa delectabatur, & paſſibus cognitionis & amoris in Deum exſtaticè vt frequenter ferebatur. Apud eum, qui fontem vitæ poſſidet dulciter refecta, in affectu, & illuminata intellectu, ad ſe veniens compos ſui facta ſuis condeſcendens, à Deo illuminata illuminabat mentes hominum.

Hæc de virtutum ſtudiis & ſtudiorum exercitiis ꝑpauca de innumeris dicta ſufficiant, quia ex nunc in reliquum de miraculis, quæ in vita, in morte, & poſt mortem dominus per eã, & propter eã glorioſè ipſam manifeſtãdo egerit, ſtilum conuertemus. Vt igitur fidẽ credulã verbis noſtris aſtruamus, primo aliqua de ſignis eius, quæ dominus propter ipſã, & per ipſam, etiã cum adhuc in carne viueret, operatus eſt, quæ in valdè approbatis libris ſcripta inuenim⁹, in mediũ adducere Deo authore cõcupiſcim⁹.

Sciendum igitur, ꝙ poſt diſceſſum fratris ſui, *videlicet* S. Wunebaldi, gubernacula monaſticæ diſ*ciplinæ* in Haydenhaimenſi Eccleſia, Virgo VValpurgis teneret. Contigit quod quidam Eccleſiaſticus nomine Gomerã-

dus,

dus, qui debitè ordinandis ac luminaribus accendendis Eccleſiæ præerat, conuentui tempore cœnæ lumen ſubtraheret, reſpectum Dei non habẽs, S. VValpurgam grauiter in hac re oſtenderet. Nam defectui ſororum ſuarum compatiens, & iniuriam ſuam patienter ſufferens, incœnata ad orationum conſolationem ſe contulit, & ei, qui indeficiens & verum lumen eſt, iniurias ſuas ac penurias conſodalium ſuarũ commiſit. Hæc.n. eſt virtus Sanctorum maxima, vt iniurias ſuas patienter ſufferentes, ipſas Deo permittenti fiducialiter committendo reſignent. Scriptũ namq; eſt: Mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. *Rom. 12.* Vnde ſancti moleſtias mundi nequam calcãtes, & innitentes verbo, quo dicitur: Si compatimur & cõregnabimus, condignè Spiritus ſancti dulcedine recreantur. *2. Tim. 2.* Factum eſt autem cum B. VValpurgis orationi incumberet, mox mirũ in modum lux cœlitus demiſſa, ad inſtar fulguris coruſcãtis, omnem locum, in quo S. VValpurgis & ſorores erant, repleuit, & vſq; in ortũ ſolis ab eis non receſſit. Qua in re magnitudo virtutum S. VValpurgæ Virginis clarè enituit, & omnium corda, qui hoc ſignũ viderant vel audierant, ad obediẽdum S. VValpurgæ Dominus vehementer accendit.

Illud quoq; miraculum in veritate conſcriptum reperimus. Quod quidã præpotens Tyrannus juxta cellam Haydenheimenſem in prædio ſuo habitationem habuerit, qui propter infirmitatem filiæ ſuæ, quam vnicè dilexit, intolerabili mœrore & dolore laborauit. Cuius anxietatem & triſtitiam cum ſancta VValpurgis Virgo comperiſſet, ſigno crucis & ſanctarum orationum virtute munita ad hoſpitium prædicti Tyranni nihil metuens, ſed in miſericordia Dei certam fiduciam habens, veſpertino tempore tanquam peregrina eſſet, peruenit, & ad

oſtia domus pulſando hoſpitalitatis gratiam, & ingreſſū domus ſibi præſtare poſtulauit. Quam cum paterfamilias pulſantem & deprecantem audiſſet, veritus ne canū violenta rapacitas, quorum multitudo apud ipſum erat, eam diſcerperet, præcepit familiæ ſuæ, vt concito curſu ad ipſam properarent, & canum morſibus defenſam pacificè introducerent. Cui S. VValpurgis, Non verearis, inquit, quod me Walpurgam ancillam Christi canes tui poſſint lædere, quia ſub cuſtodia Chriſti cuſtodita, nulla aduerſitas, nullumue periculum mihi poterit præualere. Tunc paterfamilias audito nomine VValpurgis de ſede ſua proſiliit, & miratus tam nobilis, & tam ſanctæ Virginis aduentum ſtudioſiſſimè totam domum emundauit, & omnibus quæ oculos eius ſanctitatis offendere poſſent, deterſis, benigniſſimè eam in domum ſuam recepit, & omne humanitatis & deuotionis obſequium ei exhibuit. Videns itaq; S. VValpurgis patrem, & matrem, & omnē familiam circa præmortuam, & jam agonizantem puellam, & in ſummo vitæ articulo conſtitutam eſſe turbatā, intrinſecus pia compaſſione affecta, petiit, vt intra cubiculum moribundæ puellæ lectus ſibi ſterneretur, vt omnibus excluſis nocturna quiete ſola, cum ſola puella frueretur. Cuius petitionem omnes admirantes, eo quod puella eſſet deſperata, & omnia quæ ad exequias erant neceſſaria, fuiſſent præparata, tamen de beatæ VValpurgis ſanctitate præſumentes omnes foras eiecerunt, & ſecundum poſtulationem eius ſolam cum ſola nocte illa reliquerunt. At Virgo Chriſti oſtiis clauſis totam illam noctem inſomnem ducebat, & genibus flexis, lacrimis & orationibus ſponſum ſuum largitorem omnium bonorum ſuppliciter exorabat, vt in virtute potentiæ ſuæ, & in multitudine miſerationum ſuarum puellam priſtinæ ſani-

tati

tati reſtitueret; & non ſolum parentes puellæ, ſed & omnes SVVANFELDENSES, vtpote in fide Catholica adhuc rudes, hoc ſigno curationis ad agnitionem & amorẽ ſui nominis incitaret. Cuius precibus miſerator & miſericors Dominus aures ſuæ pietatis benigniſſimè accõmodauit, & ex integro deſperatam puellam incolumitati reſtituit. Cum hæc virtus altiſſimi, ſancta VValpurga orante intra cubiculum oſtenderetur, pater & mater puellę cum vniuerſa familia domus circa ſepulchrum fodiendum, & circa paraturas, quæ defunctis exhiberi ſolent, hac & illac diſcurrentes, lamentabili dolore cruciabantur. Tunc beata Virgo Chriſti VValpurga reſeratis oſtiis parentes puellæ vocauit, & puellam à Deo ſanatam, vt nullum veſtigium ægritudinis in ea appareret, cũ magno gaudio & cordis exultatione eis filiam ſummè dilectam præſentauit. Parentes verò puellæ virtutem Dei & ſanctitatem B. VValpurgis in repentina ſanitate filiæ ſuæ cognoſcentes, cum magno tripudio cordis gratiarũ actiones Deo retulerunt, & pedibus S. VValpurgis prouoluti, ingentia ei dona obtulerunt. Quæ illa tanquam lutum pro nihilo reputans, exhortata eſt eos, vt Deo fideliter adhærerent, & nihil terrenum, nihil ſæculare dilectioni Dei præponerent. Pòſthæc valefaciens eis occultè, ad cœnobium ſuum rediit, & poſt operationem huius miraculi in ſpiritu humilitatis maiori afflictione corpus ſuum macerauit, nec ex hoc præſumpſit alta ſapere, ſed magis humilibus conſentire.

Coniicimus autem ex narratione jam dicti miraculi, non ſolum puellam priſtinæ ſanitati mirificè reſtitutam, ſed & canum rabiem, & quaſi inuincibilem eorum inſaniam fore mitigatam. Nam in verbis eius Dominus monſtra placauit. Hinc etiam non immeritò creditur,

vt rabida incurſione canum vel aliorum ferocium animalium intentati, ſi beatam VValpurgam Virginem gratioſam deuotè inclamauerint, procul omni dubio liberentur, vel ſi læſi fuerint, cito ſalubriter meritis B. VValpurgæ Virginis ſanitati reddantur.

Hæc autem miracula de innumeris, quę in vita peregit huic operi annotare curauimus, quatenus ad ea, quæ in reliquum dicenda ſunt compendioſo magis ſtylo veniamus. Poſt hæc per aliqua temporis interualla Virgo VValpurgis Deo chariſſima curſum felicis vitæ feliciori fine conſummauit. Virgo enim prudens ſemper cogitabat, & cogitando anhelabat, vt parata, Deo vocante, introiret ad nuptias, quæ thalamum ęternitatis obtinent, vbi ſponſo, ſaluo Virginitatis flore, pariter & honore votiuè perpetuò frueretur, & tandem ægritudine, quæ ipſa inuaſerat inualeſcente, Eccleſiaſticis ſacramentis munita & ſacra ſuis dans monita, plena Spiritu S. obdormiuit in Domino, quinto Kalendas Martii, hoc eſt, in craſtino Matthiæ Apoſtoli. Feſtum verò Canonizationis ac tranſlationis eius in die B. Apoſtolorum Philippi & Iacobi, vt communiter celebratur. Eſt autem ſanctiſſi. VValpurgis Virgo juxta S. VVunebaldū Eccleſiaſticæ ſepulturæ commēdata per B. VVillibaldum præſulem fratrem ſuum, vt vicinitas ſepulturæ germanitatem generis, & parilitatē ſanctitatis demōſtraret. Sed priusquam de prodigiis, quę translationem eius ſecuta ſunt, aliquid diſſeramus, congruit, vt aliqua ſigna, quæ in morte eius apparuerunt, & veridica relatione famoſa habentur compendio abbreuiati ſermonis tranſeamus.

Cum enim venerabilis Virgo ſpiritum ſuum in manus Domini commendaſſet, & ille ad Dominum, qui dedit illum, perueniſſet, exanime corpus in ſpecie glorificati

homi-

hominis ab aliquibus circumſtantibus tali viſione dignis demonſtratum eſt. Odor etiam nimiæ ſuauitatis & fragrantiæ inæſtimabilis totam domum impleuerat, ex præſentia glebæ ſanctiſſimæ, quam virtute Virginalis caſtitatis, pariter & humilitatis circumdederat, lilia conuallium cũ dependẽtibus fuſcis florum violis. Inſuper cũ Virgo laude digna in corpore deferretur ad Eccleſiam, cerei ac candelæ ſine adminiculo humanæ cooperationis accendi videbantur.

Proceſſu verò longi temporis poſtquam B. præſul VVillibaldus de hoc mundo nequam migrauerat in polorum regna, cœtibus Angelorum admixtus, reuelatione diuina cuidam Eyſtetenſium Epiſcopo nomine HERBERTO monſtratum eſt, vt beatam, Deo placitam, & hominibus gratam, venerabilem VValpurgam Virginem de loco humili, in quo inhumata fuerat, ad locum excellentiorem magis, ac reuerentialẽ transferre deberet. Igitur Deus omnipotẽs Eccleſiæ Eyſtetenſium, ac ſaluti totius populi eiusdem ciuitatis, nec non circũiacentis regionis proſpicere, imò miſericorditer prouidere decernens, ſæpedictã benedictã, ac ſemper benedicendã cum multa gloria & honore, ac miraculorum innumerabiliũ oſtenſione ad ciuitatẽ Eyſtetenſem per dictum eiusdẽ ciuitatis Epiſcopũ transferri voluit, vt locum noſtræ ſedis aggregatione ſanctorũ videl. B. VVillibaldi ac VValpurgæ Virginis ſororis eius Germanæ corporali præſentia tantarum diuitiarũ theſauris in gratiarum vbertate ditaret, & ditando ſublimaret, & ſublimãdo cunctis honorabilem demonſtraret. Poſtquam .a. venerabile corpus ſæpedictæ Virginis de loco ſepulturæ ſuæ ſupra terram eſt collocatum, omnia membra eius quaſi rore perfuſa, & oleo infuſa, cunctis apparuerunt, fragrantiam nihilominus

ominus inæſtimabilis ac mirifici odoris omnes qui aderant ſenſerunt, ac infirmi, qui pro eo tempore præſentes fuerant, quocunq; dolore tenebantur ſalubritate ſuauitatis tam recreati odoris curati ſunt, & cum multa, vt dignum erat celebritate, à loco prædicto ad ciuitatem prę fatam corpus Virginis venerabile deferretur, multis occurrentibus, ecce quidam epilepticus gratia adipiſcendæ ſanitatis ad feretrum, in quo ſanctum corpus ferebatur, tranſiuit, & in ipſa hora priſtinę ſanitati reſtitutus eſt. Superuenit & quidam puer eodem morbo deteſtabili laborans, & frequenter dolore conquaſſatus, ſæpè curationis feretrum tetigit, & omnimodā ſanitatē adeptus, gaudens ad propria remeauit.

Poſtquam autem eiuſdem Virginis ſacroſanctę reliquiæ ad monaſterium, quod MAVVENHAIM dicitur, & à ſanctis Monialibus pio exercitio virtutum inhabitabatur, delatę ſunt, & ſuper altare collocatæ, ſequenti nocte quidam Clericus veneranda canicie aſtitit, & eiuſdem loci Abbatiſſam, cuius nomen NEVBILA erat, alloquitur ſub hac formà verborū dicens: Neubila cur dormis, & quare non ſurgis, ad Eccleſiam pergis? Cui illa reſpondit; Vt quid nunc ad Eccleſiam eundum eſt, cum ſigna matutinalia nondum pulſata exiſtant? ego quippe illic inceſſu pedum pergere non valeo, niſi manibus aliorum delata inferar. Incommodo podagræ plùs quàm dici poſſit premor, vſu membrorum minus valens. Qui ait: Vade celeriter, ne moreris, quia B. VVillibaldus Eccleſiam cum multo agmine Sanctorum petit, perquirere *volens* qualiter ſanctam ſororē ſuam reconditam habeas. *Quæ* ſtatim ac ſi nihil incommodi pertuliſſet exurgens, & de loco ad locum exſiliens, baſilicam, ad quam tendebat, ſaniſſima ingreſſa eſt, ac Deo ſimulque Virgini grates ꝑ adepta ſoſpitate rependit.

Item,

Item quidam puer nomine Leupoldus ex vtero matris ita contractus & curuus natus eſt, vt quaſi monſtrum à cunctis cerneretur. Qui dum inter plures, qui ad patrocinia Virginis conuolabant, victus pariter & remedii quęreret ſolatium, quadam nocte beata Virgo VValpurgis ei per viſum apparuit, vt ad Eccleſiam ſuam pergeret, imperauit. Qui reſpondens, Quoniam totus infirmus vſum membrorum non habens, incedere non valeo, inſuper algorem circumſtantis frigoris pertimeſco, rogo, vt ab hoc itinere excuſatus habear. Quæ ait, Vadens vade celeriter, quia mea intereceſſione ab infirmitatis dolore curaberis. Qui ſurgens ad Eccleſiam, vt potuit, peruenit, & inibi perfectam ſanitatem conſecutus eſt, tempore vitæ ſuæ in eodem monaſterio Deo & famulabus eius lætanti animo ſeruiebat.

Hæc eſt Virgo, quæ agnum ſine macula ſponſum Virginum non ſolum ſtola virginitatis ſequitur candida, ſed etiam liberalitate eximia eundem imitatur. Dicit. n. Ieſus Chriſtus: *Petite & accipietis.* quòd exponens egregius doctor B. Gregorius ait: Libenter dat, qui ad petēdū inuitat. Sic de noſtra Virgine dicere poſſumus, quod libēter infirmitates hominum curat, qui gratiam curationis ab ea poſtulari procurat.

Item ADALBERTVS Alamanniæ Comes illuſtris B. VValpurgæ deuotus aduenit, Cereum non modicū quātitate & pretioſum munere, prout poſcebat eius munificentia, attulit, & altario pnus impoſuit, ac pro ſe, ſuorūq; ſalute ſuppliciter Dominum ac Virginem ſæpedictā exorans, benedictione petita, ad propria remeauit. Suſcipiēs autem eandem candelam Abbatiſſa Neubila, quia præfato Comiti ſancta familiaritate fuit chariſſima, candelabro erexit, & inaccenſam tunc reliquit. Quarto ve-

rò die lumen cœlitus accepit, & tribus diebus ac noctibus eo lumine perdurante, quarto die nemine extinguente extincta eſt. Hora autem, qua diuina virtus comas radiantis abſterſit, videlicet nona hora, ita ſe ſpontè oſtia Eccleſiæ obſtruxerunt, vt nullus infra duarum ferè horarum ſpatii quantitatem patula habere mereretur, & peruia. Deinde his qui obſtruxerant oſtia, Chriſtus apparuit, & patentia intrare volentibus fecit.

Duę præterea Virginis præſidia requirentes illic deuenêre mulieres, mater cum filia vtraque manuum curuedine inhoneſta gerens, patrocinia Virginis deprecabantur, & cum miſſarum ſolemniis intereſſent, mater in principio, filia verò in fine Miſſæ optatam obtinuit ſanitatem.

Rurſum erat quædam mulier de villa, quæ dicitur STOPHENHAYM, nomine GEILLA, in qua bis terna Dominus per beatam Virginem VValpurgam operari dignatus eſt ſigna: Nam cum dies feſtus VValpurgæ Virginis aduęniret, omnes de prouincia, qui Deum per fidem nouerant, & gratiam VValpurgæ Virginis diem feriando celebriter percolerent, illa contumaci, & irreuerenti fronte diem feſtum deſpiciens, exteriori operationî manuum, ſpreta ſolennitate diei, ſe ingeſſit, ac filare, & texere cœpit ſecundum formam artis, quam in retroactis tempòribus viſitauerat. Quid plura? glomer & quædam alia inſtrumenta huic arti competentia tali glutino manui eius adhæſerunt, quod ab eius manu euelli facilè non poterant, ſed etiam inflaturam brachii atque manus, incidit intantum horribilem, vt manica inflaturam non caperet. ſed à circumſtantibus cum difficultate abſtrahebatur. Hoc videntes vicini miſeram

ex-

exhortabantur, quatenus ad ſuffragia VValpurgæ Virginis confugeret, vt gratiam conſequeretur in auxilio oportuno, quod & ita factum eſt. Nam viuens ad limina Virginis omnimodè & ſubitò ſanitati reſtituta eſt. Quæ cum ad propria remeaſſet, ingrata percepti beneficii, opus prius depoſitum iterato aſſumpſit, & ſtatim deteſtabilem curuaturam manus & brachii in ſignum diuinæ vltionis accepit. Quæ iterum ad mentem conuerſa de tranſgreſſione pœnituit, & ad patrocinia dictæ Virginis recurrens, gratiam perfectæ ſanitatis obtinuit.

Nunc quod mirabilius eſt, audiamus. Item quodam die feſtiuo V.Valpurgæ Virginis jam dicta inſenſata mulier etiam immemor tantorum beneficiorum manualiter operari cum inciperet, lumine oculorum ſubitò eſt priuata, quę videns diuinæ vltionis effectum condignè locum obtinuiſſe, ad remedia pœnitentiæ currens votum vouit VValpurgæ Virgini, quod ſi ei gratiam illuminationis obtineret, perpetuo inpoſterum obſequiis ſuis libenti animo, corde, ore, & opere tanquam ſtudioſa famula velle obtemperare. Quid plura? pietas gratioſa in B. VValpurga Virgine, & virtus pœnitentiæ in hac miſerabili muliere cæca vltione diuina claro lumine ipſius oculos veſtiuit, quo & in poſterum gaudere permiſit. O mater pia Virgo VValpurgis benigna, quæ toties delinquētem corripuiſti, & correptam reſtituiſti; aduertens Saluatoris noſtri pietatem, qui principi Apoſtolorum Petro dixit: Non ſolum remittendum eſſe ſepties, ſed ſeptuagies ſepties, ipſi gloria, & tibi glorificatio in ſæculorum ſæcula.

Item erat quædam mulier de Orientali Francia, id eſt, Franconia, quæ brachii dextri familiare officium omninò perdiderat, atq; latus dextrum emortuum ſentiebat confiſa de omnipotentis benignitate, & copioſa beatæ VValpurgæ Virginis gratia ad monaſterium eiuſdem Virginis ſe deduci deprecabatur, quatenus remedium ſui doloris inueniret, & Deo ac prædictæ Virgini mente in poſterum deſeruiret. Quod & ita factum eſt. Ad limina enim veniens ſupplici corde VValpurgam Virginem pro adipiſcenda ſanitate exorauit, quam perfectè in ipſa hora obtinuit, & ad propria gaudens quantocius remeauit. Videns autem dominus eius, cuius ancilla ſeruilis conditionis extiterat, eam penitus ab omni infirmitate reſipuiſſe, ad opera manualia eam lucri cauſa indiſcretè compellebat. quo facto priſtinam infirmitatem incidit, & peramplius, quàm antea infirmari cœpit. Quod vidẽs Dominus intra ſe dixit, O beata Virgo VValpurgis, ſi famulam meam iterum curaueris, procul omni dubio eam ab iugo ſeruitutis abſoluens manumittam perpetuò, quatenus non modò mihi, ſed Deo ac tibi de cætero liberrimè famuletur. Hoc voto peracto curata eſt, & obſequiis Dei ac VValpurgæ Virginis ſedulò mancipata. Item etſi beata VValpurgis aliquos excæcatos dolore oculorum ſanauerit, alios à natiuitate cæcos curauerit, tamen de miraculoſa reſtitutione luminum, quæ in duabus perſonis facta eſt, gratia breuitatis ſolum enarrabimus.

Erat quidam Comes, nomine Adelbertus habens quendam pauperem, qui FIDERAMNVS nuncupabatur, qui oculis corporalibus ab vtero matris ſuæ orbatus, notus cunctis fuerat; hic cum ad maturam ætatem perueniſſet, petiit vt ante altare Virginis duceretur, quatenus

nus neceſſitatem ſuam miſeram querulosa voce gratioſæ Virgini proponeret, & exinde ſolatium illuminationis conſequi mereretur. Ad dictum altare perductus lamentabiliter exorauit, quatenus ei Dominus per interceſſionem ſanctæ VValpurgæ Virginis lumina oculorum, quorum vſum expertus non fuerat, impartiri dignaretur. Tunc Deus omnipotens per interuentum VValpurgæ Virginis eundem cæcum claro lumine & forma oculorum veſtiuit, qui ad propria rediens, multo tempore ſuperuixit, atque à plurimis agnitus, quia is erat, qui à natiuitate cæcus extiterat.

Item quidam puer à natiuitate cæcus pro aſſecutione illuminationis ad Eccleſiam VValpurgæ Virginis perductus eſt, qui dum vnà cum ſuis Dominum deprecaretur, quatenus ei per ſuffragia prædictæ Virginis actum & vſum videndi donare dignaretur, multæ admirationis ſignum contigit. Nam in vno oculo pulchrè ac perfectè illuminatus, in altero cæcitati relictus eſt. Cuius cauſam ſi curioſus lector vel auditor inquirat, eidem reſpondebimus: Quoniam judicia Dei abyſſus multa, & altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI inueſtigabiles vias habet, & perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria.

Item in eodem Monaſterio quoddam miraculum patratum eſt, quod non eſt ſilentio conſequendum. Quidam à partibus Franciæ veniens extenſa ceruice chirotecas in manibus habens irreuerenter, & absque debita humiliatione Monaſterium ſæpe dictæ Virginis ingreſſus eſt, & vtrum hanc negligentiam incurrerit obliuionis iniuria, vel ruſticitatis ſtoliditate, præſu-

ſumentes judicare non poſſumus, ſed quid eidem acciderit aduertamus. Igitur chirothecas, quas intrans monaſterium in manibus habuit, ad mentē rediens detrahere volens non inuenit, ſed de manibus euanuerunt. Itaque quod nulla circumſpectionis diligentia inueniri poterant, quantumcunque exquiſite. Stabat ergò attonitus, & plus quàm credi poteſt de re geſta admirabatur. Facta tandem oratione, acceptaque pro qua venerat benedictione, ad propria repedauit. Expletis autem quatuordecim diebus, dum ſederet cibum guſtaturus, ad menſam, familiari cum ſuis vtens colloquio cœpit, quod ei contigerat, euidenti relatione pandere, vbi dum plura de eadem materia fabularetur ad domicilii ſui domeſticos, eaſdem & non alias juxtà ſe jacentes inuenit chirothecas, quas cum vidiſſet, hæſit animo, & vehementer admirans, tandem reſumpto ſpiritu easdem ſuis oſtendit ſociis, ac fideliter eos conſulens tractare cœpit, quid de ipſis conſultius agendum videretur. At omnes prouida mente cenſuerunt, easdem chirothecas ad Monaſterium VValpurgæ Virginis eſſe tranſmittendas, tam in ſignum patrati miraculi, quàm ſimul in euidentiam exhortationis, quòd nullus Eccleſiam VValpurgæ Virginis, vel quorumcunque Sanctorum irreuerenter intrare, vel inibi ſtare quoquo modo præſumeret. Tranſmiſſæ ergò chirothecæ ad monaſterium multis oſtenſæ ſunt ad emendationem, & boni moris pariter commendationem.

Hoc notandum eſt. Legimus itaque de ſancta Elizabeth, filia Regis Vngariæ, dum ad orationem ſtaret, vel baſilicam Saluatoris noſtri, ſuorumque Sanctorum intra-

Digitized by Google

intraret, quomodo capucia de capite poſuit, ſerta depoſuit, annulos è manibus traxit, in euidentiam reuerentiæ diuini cultus, qui cum abdicatione exterioris pompæ, & aggregatione deuotionis internæ, nec non ornatu & reſplendentia bonæ conſcientiæ celebrandus eſt.

Item erat quædam puella beatæ VValpurgæ Virgini ſpirituali reuerentia ſatis intenta, ac deuota mente ipſam colens, quæ juuenili ætate ſua nimis delectabiliter fruebatur, non tamen diſſolutione inhoneſta. Hæc frequenter infirmitate, & aliis admonitionibus correpta eſt, nec deſiſtebat, ſed vt frequenter cum ſuis ſodalibus ludens jocabatur, & inter alios ludos cuidam ludo ſatis diſſolutè magis intendebat, qui proiectio pilæ nuncupatur, quo ſibi puellæ & juuenes mutuo pilam proiiciendo porrigunt, & rurſum eandem recipiunt, & hic ludus cachinnis & inordinatis motibus interdum abundare dicitur. Et ecce ſancta VValpurgis Virgo ſibi deuotam non dereliquit, ſed ei mirabili vexatione intellectum dedit, nam cum multipliciter correpta, & non tamen correcta, ludum prædictum, quem amauerat, quadam hora exerceret, pila manui eius in tantum adhæſit, vt ab ea dolore magno ſimul & verecundia vix auelleret. Quo facto reſipuit, & inpoſterum mentem ſuam ab omni mundiali gaudio retraxit, ita vt Deo, ſanctæq; VValpurgæ Virgini officioſa ſedulitate pro reſiduo ſui temporis deſeruiret.

Pro finali quoq; concluſione annotare decreuimus, quod ſanctum corpus glorioſæ VValpurgæ Virginis in altari publico eiuſdem Monaſterii cautè ac reuerenter longè præfatus antiſtes Erbertus recondidit.

Vbi

vbi miracula vſque in hodiernum diem continuata feliciter crebreſcunt. Nam de membris eius virgineis, maximè tamen pectoralibus ſacrum emanat oleum, quod gratia DEI, & interceſſione beatæ VValpurgæ Virginis cæcos illuminat, ſurdos audire facit, & greſſum claudis reddit, cunctiſque debilibus optatum effectum deuote petentibus miſericorditer indulget.

Quam etiam gratiam curationis ipſi experti ſumus. Nam graui infirmitate ægrotantes ad excidium vitæ peruenimus, & rememorantes gratiam, quam beata VValpurgis ſuis dilectoribus indeſinenter oſtendit, præcepimus de oleo ſacroſanctæ ſuæ emanationis nobis copioſius afferri, & deſiderabili hauſtu phialam plenam ebibimus, orantes in hæc verba: O beata Walpurgis Virgo, ob reuerentiam beati Willibaldi fratris tui dilectiſſimi, cuius ſucceſſor indignus ſum ego Philippus peccator, interpella pro me ad Dominum pro conditione peccatorum meorum, & vt reſpirem à grauamine huius ægritudinis, ad laudem Dei omnipotentis, & intemeratæ matris eius Virginis Mariæ. Vt quid plura? Eadem die creticauimus, & breui poſt in tempore ſanitati omnimode reſtituti ſumus.

Hoc quoq; ſciendum, quod hora celebrationis miſſarum cum ſacramentum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti in altari conficitur, in quo recondita eſt, frequentius nec non vberius oleum de ſacro corpore eius diſtillat. Vnde hæc hora pro receptione eiuſdem olei diligentiſſimè obſeruatur. Et ſi phialæ, in quibus ſacrum oleum recipiendum eſt, non directè vel perpendiculariter diſtillationi ſupponantur, guttæ eiuſdem olei ſi cohærent dependentes, ad modum botri

tri, vel faui mellis nequaquam in alium locum decidentes, ſed poſtquam negligentia corrigitur, & vaſa, in quibus mūdè ſacrum oleum recipi debet, diſtillationi aptātur, eiſdem ſine omni cooperatione illabitur, per quod apertè monſtratur, vt in vaſa mūda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vaſis omninò ſe præſeruat.

Et ſæpè compertum eſt, quod receptum in vaſe mundo, ſi immundè vel irreuerenter teneatur, vel ad locum vbi peccata illecebra perpetrari conſueuerunt, deportetur, omninò euaneſcit, vel orificium vaſis ipſum oleum nequaquam ad effectum ſanationis egreditur.

Ex ſcriptis etiā colligimus, & certa relatione fide dignorum intelleximus, quod ciuitas Eyſtetenſis vna cum tota dyoceſi, Eccleſiaſtico interdicto quodam tempore ſuppoſita fuerat, propter quaſdam damnoſas iniurias, quas Epiſcopus, qui tūc præerat, à baronibus terræ & incolis ſuſtinuit. Extunc liquor ſacræ emanationis ſtillare ceſſauit, vsq; in diem, qua Eccleſia reſtituta eſſet indemnitati. Et idem venerabilis Epiſcopus cum vniuerſitate ciuitatis indicto jeiunio nudipes, & abſq; lineis ad monaſterium B. VValpurgis aſcendit, deuotè ac ſubnixè cū vniuerſitate populi ſui ſupplicans, ne effectum tantæ benignitatis, ſicut eſt emanatio ſacri liquoris, in amplius ciuitas priuaretur. Et accedens ad altare dictus Pontifex Miſſarum ſolennia aſtante populo deuotè peregit, & in confectione ſacramenti, & eiuſdem perceptione ſacratiſſimus liquor, quo intra ſpatium vnius āni nequaquam diſtillauerat, nec vllo modo ſe oſtenderat, adeo abundè erupit, vt ampulla dimidię * pincę capacitatis, vel vni⁹ ſerici adimpleretur. Quod Pontifex videns cum plebe Deo deuota, plusquam narrari poteſt, gaudio repletus, immenſas gratiarum actiones Deo ac B. VValpurgæ pro conceſſione tanti beneficii perſoluit. *

Digitized by Google

Notandum quod etiam idem ſacrum oleum tantæ mundiciæ ac meracitatis exiſtit, vt ſine omni corruptione & fœda maculationis feculentia per ducentos annos ſeruatum conſimilis puritatis inuenitur cum illo, quod hodierno die de ſtillicidio eiusdem ſacræ emanationis ſuſceptum eſt.

Nunc videamus quid ſibi vult per ſignificationem emanatio ſacri olei in beata VValpurga, vel aliis Sanctis puta in beato Nicolao, vel beata Katharina, vel glorioſo Gundekaro Pontifice noſtro, vel quibuſcunq; Sanctis, quibus conceſſum eſt ex ſpeciali prærogatiua meritorũ, & oſtenſione magnitudinis præmiorum. Iuxta quod ſciendum, quod oleum cuicunq; liquori infuſum ſupernatat, vnde miſericordiam ex ſimilitudine deſignat. Superexaltat enim miſericordia judicium. Et item: Miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Oleum nihilominus magnæ eſt leuitatis & multæ vtilitatis, nam illuminat, paſcit, & ſanat. Sic pietas ſecundum beatum Apoſtolum ad multa proficiendo valet, habet enim promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & vitæ futuræ. Hinc etiam eſt, quod oleum cordialem pietatem ſua proprietate exprimit, & ideo de Sanctorum corporibus ſacri olei emanatio plenitudinem exuberantis miſericordiæ, ac redundantiam viſceroſæ pietatis, ac lenitatem mititatis præoſtendendo figurat. Fuerunt namq; hi Sancti qui habẽt ſcaturiginem emanationis ſacri olei miſericordiſſimi ac piiſſimi in vita, & ideo miſericordiam conſecuti per ſigna miſericordiæ & pietatis hominibus poſt mortem laudabiliter innoteſcunt. Sic beata VValpurgis *Virgo*, tanquam oliua in domo Domini fructuoſa, & *quaſi* oliua in campis Eccleſiæ ſpecioſa per oleum effuſum dila-

tauit nomen ſuum. Riuulo enim ſuæ ſacræ emanationis notitia ſanctitatis eius deriuata eſt in fines terræ. Oleo miſericordiæ & pietatis illuminans cæcos, ſpiritualiter & corporaliter paſcens eſurientes in bonis per affectum ſancti deſiderii, ac corpore ſauciatos ſanans, contritis corde medetur. AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vita
SANCTÆ
WALPVRGIS
VIRGINIS
ET
ABBATISSÆ
HEIDENHEIMENSIS.

ſcripta à

WOLFHARDO MONACHO HASENRIETANO,

iuſſu

Erchemboldi octaui Præſulis Eiſtetenſis:

&

Nunc primùm integrè ex m. ſ. membranis Eccleſiæ Cathedralis Ratiſponenſis, & Monaſterij Aichſtadienſis, Ordinis Prædicatorum, in lucem deprompta.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Illuſtriſſ. Card. Baronius Tomo IX. Annalium, Anno Christi 725.

C*VM omnes iſtæ* (feminæ à S. Bonifacio ex Anglia in Germaniam euocatæ) *egregia claruerint ſanctitate, trium quoque ipſarum nomina inter Sanctos in Eccleſiaſticis tabulis reperiuntur eſſe relata, Thecla videlicet, Lioba atq; Walpurgis, quarum res geſtæ ſcriptis mandata leguntur; Lioba videlicet atq; VValpurgis. Lioba, iuſſu Rabani, à Rodulpho eius diſcipulo, & VValpurgis, ſiue VValpurga à VVolfhardo Monacho, quàm fideliſſimè ſcripta, qui & à quibus Angliæ Monaſteriis fuerint hæ petitæ, narrant.*

IN-

INCIPIT EPISTOLA VVOLFHARDI PRESbyteri.

a m.ſ. Ratiſp. Incipit vita B. VValpurgæ Virginis.

DOmino beatiſſimo, Deoq; verè digniſſimo b Erchenboldo c Pōtifici VVolfhardus Preſbyter ſuus in ipſo qui eſt via & veritas, & vita, viam, veritatem & vitam depoſcit inuenire.

b R. Erchanboldo.
c R. Pontifici viro præclaro ſuus in ipſo, qui eſt, &c.
d R. pater per.
e R. opinatiſſimam.

Exigis à me d per ſęcula memorande & præſul nominatus in orbe, vt ſigna atq; portenta, quæ per e inopinatiſſimam, nunc in ſæculo Chriſti, Virginem VValpurgam, noſtris temporibus diuina peregit clementia, cura diligentiſſimè indagata ad laudem & nomen viuificæ Trinitatis, nec non ad excitandos animos dominicæ plebis, prout eadem cōtulerit liberalis & Deifica Trinitas ſchedulis annotare decertem. Grauis ſiquidem graui ſcelerum pondere prægrauato à te mihi imponitur ſarcina; quoniam peccatis obnoxio horrendum eſt tractare de Sanctis, & miſcere aliena non propriis. Verum quoniam glorio-

Digitized by Google

glorioſiſſime Pontifex, virum deſideriorum te [illegible] com-
perio, & cum Daniele Propheta ſemper noua de abditis
indagare curioſius cerno, arctor nimis & immenſis cir-
cumquaq; ſeptus anguſtiis, quid eligam penitus ignorãs,
primum oppilatam pudore mentis faciem obfirmo: quo-
niam indignum me eſſe non ambigo, dein obedientiæ
f R. aſpiciens. norma primam humilitatis *f* aſpiciam gemmam, ſi iubẽ-
g R. præuaricantis. tis dicta ſuperba aure contemnam; timeo ne legem *g* prę-
uaricationis incurram; tum ad memet clauum retor-
h R. imperitiæ infirmitate. quens *h* imperitie infirmitatis langueſco, inde imbecilli-
tati, nec ne ſcrupuloſitati meæ vires haud proprias, ſed
κόμποι, ampullæ & ſeſquipedalia verba. Olympiacas obiicio. Rurſus ſi aggredi licet trepidus, p-
tentauero, ne à lectore * philocompica noter infamia
perhorreſco, dum omiſſis philoſophicis, ac præclaræ in-
dolis *i* viris, qui in propheciis * calami nomine deſignan-
i R. plurimis viris. tur, ego qui nec viridis junci extimo vocabulo mereor ti-
** Pſ. 44.* tulari, incompto arduum opus exordiar ſtylo, & dum
mundialium plurimorũ indomita ſuperbia, quæ ſancto-
rum vitas ac vias calce proterit petulanti, & mira eorum,
ſi qua audierit pediculoſa aure percipit, audiens me in-
audita, & tamen veraciſſima in patulo proferre prodigia,
canino incipiat dente corrodere, & veriſſimis falſa præ-
ferre. His atq; aliis innumeris vallatus anguſtiis, quia ſũ
refertus contagiis, ac ſi ericius ſpinis, vt verbis Salomoni-
Eccl. 12. acis loquar, frequentiua meditatio mentis meæ eſt affli-
ctio carnis. Quocirca ad arcẽ cõfugiẽs, his verbis clama-
Pſ. 50. bo ad Dominum: Domine labia mea aperies, & os meũ
añunciabit laudem tuam, vt ipſo adiuuante, cuius ſum, li-
cet labilis carnis cõditio, juſſionis tuę perſoluatur exactio.
Commendo ergò me iterum atq; iterum meritis virginis
R. calcem. & tuis pater precibus indefeſſis, quo mihi eundi impetrẽt
callem, & felici itinere perducant ad *arcem.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT VITA S. VVALPVRGIS.

R. caret hoc titulo.

Igitur poſtquam felix gens Anglorum per Apoſtolatum memorandi Papæ Gregorii, qui etſi non aliarum gentium, ipſius tamen & eſſe Apoſtolus meruit & dici, ab infidelitatis tenebris eruta pium nomen Chriſti & Chriſtianitatis cœpit ãplecti, quaſi fructuoſæ arboris radix ad humorẽ gelidi marmoris ſurculata emiſit ꝓpaginẽ, & ac ſi ex ſurculo primæ & originariæ iuuentutis in fide maximam creuit in arborem, miniſtrante illi viredinem euangelicę fluẽto doctrinæ. ex hac multæ ſubductæ ita creuêre, vt ſe oceani pelagus trãſponẽtes & miro germine pullulantes noſtris efficerentur ſaltibus altiores. Huius eminentis arboris ramus extitit Bonifacius orthodoxus antiſtes, qui ob fidei cunctis imitabile meritũ fines patrios & dulcia rura poſtponens, dum ignotum exulãdo adiit callem, ſummi pontificii Magonciæ infulato ſuſcepto, alienã in nobis quaſi propriam cœpit habere tellurẽ. Eiuſdem floridę atq; frõdoſę arboris Britañicę rami ad nos vſq; extitêre protẽſi, duo beati cum caſtiſſima ſorore Virgine Chriſti VValpurga, Chriſti confeſſores * VVillibaldus & VVunebaldus, qui ſimiliter ob amorem cœleſtis patrię peregrinari * cupiẽtes ipſũ, qui peregrè profectus eſt in Regionem longinquam accipere ſibi regnum & reuerti, & ipſi præcincti lumbos caſtitatis tegmine lucernas bonorum operum in manibus portantes, ſecuti ſunt regem. Quorũ prior

R. VVilibeldus & VVunibaldus.

m.ſ. Aichſtat. cupientes, inſtar eius qui p.

prior poſt multam tenuis corporis macerationem qua ſe per multa diuerſarum regionum afflixerat ſpacia, obedientiali norma ſibi ingeſta, ordinante eum prælibato piæ memoriæ antiſtite Bonifacio, *Pontificii* peruenit ad culmen, & Eiſtatenſis Eccleſiæ paſtor fidelis ſortitus eſt gregem, ibiq; cœleſtem & Angelicam inter homines vitam ducens, veniente hora dominicæ vocationis oues, quas rexerat, ſummo paſtori ſalutari Domino conſignauit, & ad ipſum mercedem recepturus fine beatiſſimo euolauit. Alter verò totum ſe Chriſti ſeruitio mancipans mundana omnia corde liquidiſſimo reſpuit, & locum, qui dicitur HEINDENHEIM, ſibi ad incolendum delegit, ibiq; oratione ſe muniuit, ſpe roborauit, fide armauit, & eandem quam cum fratre ſuſceperat monachicam vitam ſtrenuè baiulauit, multosq; ad bene viuendi regulam præuius inuitauit. Deinde cum tempus ſupernæ remunerationis aduenit, cœli januas jam ſecurus intrauit, molemq; exterioris hominis in prælibato Heidenheimenſis loco condēdam reliquit in vltima dominici examinis die ipſam, & non * ipſam cum *Sanctis* aliis recepturus. Tum ille quem ſuperſtitem hac dimiſit in vita VVillibaldus ſcilicet præſul egregius, quem propter ſacroſancti ſui præſulatus apicem fratri in ordine ſcribendi prætulimus, licet poſt fratris beatiſſimum finem aliquantos vixerit annos, germani proprii corpus exanime cura diligentiſſima condere, curauit, & vt dignum tanto viro fuerat, peregrinum jam à ſeculo, & ciuem Angelorum cum hymnis & canticis *ſepeliuit*. Hactenus memoriam beatorum *germanorum* VVillibaldi & VVunebaldi paululum exarando *percurrimus*; vt ſciret plebs Chriſto deuota viros *cœleſtis* militiæ & *Angelicæ* vitæ vnius eiusdēq; meriti habuiſſe ſororem

R. Heidenhem

R. aliam.

Digitized by Google

rorem VValpurgam, videlicet ſponſam Chriſti, & Virginem. Nunc quia ad eandem ipſa patrocinante calamum flectere nitor, de his ſatis dixiſſe ſufficiat.

Poſt diſceſſum igitur beati VVunibaldi miræ ſanctitatis viri, VValpurgis Virgo imitabilis pie viuentibus vniuerſis collectis Sanctimonialibus, quibus potuit Chriſto deuotis in loco prænominato Heidenheim dominicis inſtantiſſimè incepit inhærere mandatis, relictis atq; calcatis mundialibus omnibus pompis. Noctibus igitur atq; diebus in oratione perſiſtens, vigiliis atque ieiuniis ſemper incumbens caſtum à primęua originis viredine corpus cuſtodiens, ſeipſam totam Domino commendabat attentè, vt quam munierat fide, caſto conſeruaret & * corpore. Contigit namque vt in ipſo, quod frater eius edidit monaſterio Heidenheim, dum ipſa Chriſto ſedulo ſeruiens moraretur, & peracta veſpertina ſynaxi reuertente ipſa de Eccleſia ad ſolitum diuerſorium noctem proximam cæcæ tenebræ minarentur, ac quidã cuſtos * eiuſdem Eccleſiæ lumẽ præuium ſtolidus negaret petenti, illa, vt eſt mos ſanctarum mentium, iniuriam ſibi illatam patienti animo geſtans Sanctimonialibus, pro vt ratio dictauerat temporis, menſam cœnãdi gratia adeuntibus incœnata lectiſternia petiit, tum mirum in modum in communi earundem Sanctimonialium dormitorio tanta lux vsq; ad pulſum matutinalis officii coruſcauit, vt eadem præ nimietate ſui fulgoris intima penetrare videretur. Stupentibus denique qui viderant ſacratis Deo, & vniuerſis, & præ gaudio exultantibus cunctis, ad matrem VValpurgæ conuenere deuotè, & viſum lucis terrificæ narrauere. At illa ſe totam conuertens ad Dominum lachrymis fuſis prorupit in vocem: Tibi Domine, cui ancilla humilis deſeruire decreui

R. Corpore, ſicq; Dominũ protectorem ſemper in cunctis operibus ac præuium habuit, & quodcunque petiit, impetrauit. Contigit namq;.

** R. cuſtos vocabulo Goume. poſt quod verbum deſunt duo folia in m.ſ. Ratiſponenſi.*

à cuãbulis, collato de munere gratias refero, qui ad excitãdos famularũ tuarum mihi cohærentium animos, licet me indignam luminis tui ſolamine viſitare dignatus es, & tetri horroris caliginem craſſam miſericordiæ tuæ radiis euacuaſti, & id non meis meritis valet adſcribi, verũ gratuitæ tuæ munificentiæ, pietati, & precibus mei & tui deuoti famuli fratris.

Præterea Virgo memorata, & ſemper in ore tenenda VValpurgis, exitum fratris VVunibaldi, vt ſexui moris eſt fæminarum, grauiter pectore gerens, contigit, vt quadam veſpera nullo in Monaſterio vel leniter ſentiente egrediens ad domum cuiuſdam diuitis deueniret, & ante fores eiusdem quaſi peregrina quædam & ignota ſola conſideret. Qui dum eam dominus domus ſiue familia intrinſecus officia præbens ſenſiſſet aſtantem, quæque foret perſona, neſciret, æſtuante patrefamilias cum domeſticis vniuerſis, ne rabida canum ſuorum audacia, qualiscunq; eſſe videretur perſona, dilaniando diſcerperetur, juſſit vt quæq; eſſet, ocius indicaret. Tum illa, Nequaquam, inquit, me tui, quod vereris, canes inſano dẽte contingere quibunt, nec VValpurgam, ſic enim nuncupor, mordere valebunt; ipſe nempe, qui me ad domũ tuam perduxit incolumem, ad locum vnde veni reducet valentem, & qui me ad tuum, te ignorante, pertulit atriũ, ipſe domui tuæ medicinæ conferet donum, ſi totis viribus eundem credideris medicum medicorum. Quo audito, vir illuſtris à loco, quo ſederat, illicò proſiliuit, & animo conſternatus, quare ad oſtium nobilis perſona, & omnipotentis ancilla conſtiterit, requiſiuit. Illa verò non ſine cauſa ſe veniſſe aſſeruit. Tum vir memoratus cum omni veneratione eam in domo excepit, & omnem famulatum debitæ ſeruitutis exhibuit. Vbi ventum

tum

tum eſt ad noctis moras, ſoporis ſilentio temperandas, ſacram Virginem non ibi pauſare volentem in cubiculum languentis filiæ intrepidus introduxit. erat enim languor cordis jam penetrans fibras, & intercepto vitalis flatus anhelitu, mortis compendium parato itinere portas oris hiantis adire tentabat. Tum pater eiusdem puellæ labiis palpitantibus mugiens eiulabat, & natæ chariſſimæ amaris lachrymis funebria præparabat. Mater verò intimo cordis arcano jam penè præmortua & pendula in planctu voce dimiſſa exhalantis filiæ operiebatur egreſſum, cui jam luctuoſa fœmina parauerat buſtum. Verum Domini clementiſſima miſeratio, qui occidit, & viuere facit, ſanat & percutit, à morte minaci languidam reuocauit, & orante per totam noctem Virgine ſancta, in craſtinum puella ſana ſurrexit. Quo parentes viſo miraculo laudes omnipotenti Deo reddiderunt. Dein ei plurima xenia adhuc tremuli offerentes, & ex aſſe eius ſe ſanctis orationibus commendantes; illa Chriſtum habẽs, miram pecuniam reſpuit, & monaſterium, vnde venerat repedauit. & quanto magis diuinam in ſe clementiam vigere conſpexit, tanto ad arctioris vitæ ſe gradus extendit. Hæc duo tantum præclara miracula, quæ Virgo beata peregit in vita, huic inſerere dignũ putaui opuſculo, quę noſtram ad memoriam peruenere, ne ad alia quæ hactenus Dominus per eam operatus eſt, & operatur quotidiè ſignorum & prodigia, ipſo Domino largiente fideliter tranſiens eadem omiſiſſe culparer. Stultum nempe videtur rei veritatem à calce narrando incipere, & ſic ad titulum capitis peruenire; ideoq; prius acta ſtylo currente deſcripſi, vt ſequentia Virginis interceſſionibus etiam valeant annotari.

Dum igitur ſacra Virgo VValpurgis totam ſe in Dei

amore firmaſſet, & mundum cum eius concupiſcentia ſuperaſſet, fide plena, moribus inſignis, charitate referta, ſapientia decorata, caſtitate gemmata, miſericordia redimita, humilitate fulcita, & oībus virtutibus adornata, vocāti Domino mortis accepto compendio acceptura remunerationis pręmiū obuiat, & ex huius mundi lachrymoſa voragine fœlici fine deceſſit, & in eodē, quo in ſancto ꝓpoſito Chriſto ſeruierat monaſterio haud ſine maximo lamentantiū eiulatu, officiū ſepulturæ mortalis accepit. Ibidē ergo aliquantū temporis corporea cōpaginatiōe quieſcēs, ſuis, quos ſuperſtites in mūdo reliqt, beatis interceſſionibus auxiliū ꝓbuit, & vt mater filios educauit.

Paruo deniq; interiecto tēpore, quo ſacrę virginis generis in eodē loco tellus auara retinuit, cōtigit decedentibus prioribus eidem Eccleſiæ paſtoribus Ockariū venerabilē virū Eiſtetenſē Kathedrā meruiſſe. Qui dum minus quam depoſceret honeſtatis idē Monaſteriū, quo beatæ Sanctimonialis oſſa tegebantur, excoleret, quadā noctis corporis quiete ſopitū dum terræ ei tęnebræ ſilentiū miniſtrarēt, huiusmodi cum alloquio virginem compellaſſe narratur: Cur, inquit, Ockari, qui præſul dici & eſſe meruiſti, domū Dei, in qua corporeo ſopore quieſco, & ſepulchrū, in quo carne ſepoſita vltimū judicii diem expecto, inhoneſtè hactenus tractare voluiſti. Nam ſeruorum huc coëuntiū lutulentis pedibus quotidie calcor, & indecentib. veſtigiis premor. Sciens igitur ſcito, quoniā tale aliq judicium pandam, quo non rectè te erga me, & domum Dei egiſſe comperias. Sed ſi reū te fore cognoueris, veniā merearis, quod modico explicito tempore rei probauit euentus. Nam ſtatim in proximo dum erecti eſſent parietes eiusdem fabricę prominentes, & trabium ſpacioſa cōpago ſequenti die patentibus muris deberet apponi, ſubito

to facto jam noctis ſilentio, murus aquilonaris terratenus ſeſe reuoluens, præcipitium egit horrendum, terroremq; haud nimium tam domeſticis curæ familiaris, quàm cunctis circumquaq; manentibus inauditum cõcuſſit. Facto autem mane cum ad huiuſmodi ſpectaculũ omnes pauidi cõueniſſent, cuſtos qui tunc ibidẽ REINFRIDVS inerat, calle directo prælibato præſuli tremulis labiis nunciauit. Qui intelligẽs viſionem, quã prius in ſomnis viderat eſſe cõpletã, cum ſuis illo vſq; tetẽdit, atq; cum omnibus pene comprouincialibus Eccleſiam repoliuit, quam etiam ſacro chriſmate dedicauit. Dein cum in orbẽ tranſiſſent dies, memoratus antiſtes Archipreſbyteros Vultonẽ & Adalũgum illuc ſedulus deſtinauit, Ommonẽ quoq; cum Sãctimoniale Liubila ex Monaſterio Movvenhein cum eis abire præcepit, vt ſanctos cineres Virginis cum ſum̃a diligẽtia eleuarent, ac cum hymnis ac pſalmorum concentibus ad Eihſtatenſe cœnobium deportarent. Hi verò juſſa fælicia proſpero itinere percõplentes, reſonantibus in cœlũ campanarũ melodiis, & cõcrepantibus vndiq; canorũ ſpiritualiũ euſoniis, pia viſcera rure, in quo hoſpitata fuerãt, flentes præ gaudio extulerũt, & ad jam dictũ Monaſteriũ deuexerũt. Quod factum eſt 11. Kal. Octob. Ea verò cum debito honore illo delata diebus interiacentibus ternis, corpus ſanctum VVillibaldi confeſſoris egregii, ad locum vnde ſororis tulerat cineres, idem antiſtes reportari præcepit, id eſt 8. Kalendas Octobris.

Poſtquam autem B. VValpurgis fines Eiſtatenſes ab omnibus gaudenter excepta, contigit voluente temporũ climate, vt memorata Sanctimonialis Liubila à ꝓpinquis & affinibus, nec nõ & ab aliis circũmanẽtibus ita foret arctata, vt etiã vi ſiue ingenio à materna eã ꝓpe expellerent

hæredi-

reditate. Verum illa totis viribus reluctante, incidit ei diuinitus ſalubre mentis conſilium, vt à venerabili Erchenboldo Pontifice ſanctæ Virginis reliquias licet anxia poſtularet, vt ſi diuino munere concedente eius mereretur ditari cineribus ſanctis proprii ſolatia juris Deo & Virgini conſignaret, & in manu Pontificis donatiua in perpetuum traderet. Quod quia à Deo ſumpſit initium, ab ipſo finis meruit obtinere augmentum. Et licet prius tentando difficillimum videretur, felix tamen & deſiderabile votum felicem ſumpſit effectum. Accepto præterea idem Epiſcopus, ſuper hoc negotio Regis & regalium virorum conſilio, Virginis patrocinia ſancta ſe daturum eſſe promiſit, quod & oportuno poſtea tempore fecit.

Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti octingenteſimo nonageſimo tertio, indictione tertia, regnante felici proſperitate Arnulfo sereniſſimo Rege, apertum eſt *mauſeolum beatæ VValpurgis Virginis in baſilica, in qua locata fuerat tempore Ockarii Epiſcopi. Mittens igitur prudentiſſimus ac ſagaciſſimus in omnibus negotiis Erchenboldus Epiſcopus, religioſos Archipreſbyteros cum aliis boni meriti ſuos, oſſa dicata ſacræ Virginis juſſit exquiri, & inuenta diligenter attrectari, ſummaq; cum reuerentia partita recondi, ita vt optatæ diu reliquiæ darentur Liubilæ, & theſaurus eiuſdem corporis per ſæcula ſuæ ſeruaretur Eccleſiæ. Hi denique, ad quos juſſio peruenit antiſtitis, eandem ocius licet ſimplici corde titubantes accelerare curarunt. Cumq; ſe totos dominicæ miſerationi committerent, & in pſalmis & hymnis ſine ceſſatione perſiſterent, fodientes inuenerunt cineres amplectendos beatæ matris noſtræ VValpurgis, quaſi lympha tenui madefactos, vt quaſi guttatim

pro: mauſoleum.

ab

ab eis roris ſtillæ extorqueri valerent. Qui licet tanta eſſent humiditate referti, nec puluiculus tamen manibus contrectantium quoquo pacto valuit adhærere. Sublata demum pro qualitate incomparabilis theſauri deſiderantiſſima portione reliquum loco reſtituerunt ſuo.

Quis verò mœror, quæue angoris triſtitia Eiſtatenſes inuaderet ciues, cum tanta pignora partirentur, putantium dominam Walpurgam ſibi penitus ablatam. qui verum agnoſcit, vt veritas poſcit, veriſſimus fateatur. Ego autem illis qui neſciunt, vt & populares ignari videntur, verba conſolationis impendo, dum quando tum reliquias eſſe ſublatas vera ratione confirmo. Hæc ita geſta ipſe mihi ſcribere deſideranti narrauit, qui terribili huic rei dum ageretur interfuit, & datas reliquias apto locello recondidit. Interea dum tanta optata muneris patrocinia cum magna exultantium gloria deferrentur ad jam dictum locum Monaſterium puellarum Movvenheim. vbi ventum eſt ad villam ſancti Bonifacii, quæ dicitur Mulinheim, quidam caducus puer onerato ſacro pondere feretro obuiauit, & ſub eodem poſitus ipſam quam quæſierat ſanitatem recepit. Tunc ſubitò vt commeantes hodieq; fatentur, tanta vis in eodem loco fragrauit odoris, vt nares portantium, præeuntium, & ſequentium feretrum vix ferre potuiſſent.

Eodem die priusquam Eccleſiam, ad quam ferebantur reliquiæ * Virginis inferrentur, paruulus quidam nomine * Rudolfus, eadem, quam ſupra taxauimus, paſſione quaſſatus, & à matre illò vſq; perductus, dum feretrum attigit, omnium membrorum ſanitatem recepit, & ad domum vnde venerat hilaris recurrit.

in m. ſ. Ratiſp. vſq; ad hunc locum paginæ exciderunt.

** R. Ruodaldus, qui adhuc vita incolumi reſtituta tripudiat, eadem.*

Poſtquam verò eiuſdem Virginis xenia ſacroſancta in Baſilica, quæ ſita eſt in honorem Opificis & Saluatoris

 Domi-

Digitized by Google

Domini noſtri Ieſu Chriſti cum populi laude plenaria ſunt ſuper altare locata, nocte ſequenti, dum memorata Sanctimonialis * Liubila, quæ in iſto monaſterio tunc erat, adhuc permanet Abbatiſſa cum aliis Deo ſacratis fœminis in ipſo oppido propter traditionem, quam fecerat beato Willibaldo iure hæreditario eiuſdem monaſterii, ſicut lex SVALAVELDICA continet, moratura tribus in domo extranea noctibus ſopori membra dediſſet, grauiq; incommodo podagræ quateretur, aſtitit ei quidam veneranda canicie Clericus, qui eam ita compellans ait: Liubila cur dormis? quare non ſurgens ad Eccleſiam pergis? Cui illa, vt hactenus aſſerit, ſimilis dormienti reſpondit, Vt quid nunc ad Eccleſiam eundum eſt, cum ſigna matutinalia pulſata ſint necdum? Ego quippe nec illic inceſſu pedum pergere valeo, niſi manibus aliorum delata exſtitero. Qui ait, Vade celeriter, ne moreris, quia B. VVillibaldus Eccleſiã cum multo agmine petit, qualiter ſanctã ſuã ſororẽ reconditã habeas, à te curioſè quærere volẽs. Quę ſtatim, ac ſi nihil incommodi pertuliſſet, exurgens, & de loco ad locum exiliens, baſilicam, ad quã tendebat, ſaniſſima ingreſſa eſt, Deoq; ſimul grates, & Virgini pro adepta ſoſpitate rependit.

R. Luibila, quæ in ipſo monaſterio tunc erat Abbatiſſa, cum aliis Deo S.

Quidam pauper nomine Leibolfus ex vtero genitricis parientis ita cõtractus & curuus eſt natus, vt quaſi mõſtrũ aliqđ cerneretur à cunctis. Qui dum inter plures, qui ad patrocinia Virginis cõuolabãt in eodẽ monaſterio victus pariter & remedii quęreret ſolatiũ, quadã nocte dum lectiſternia dormiens premeret B. Virgo VValpurgis ei per viſũ apparuit, & vt ad Eccleſiam pergeret imperauit. *Quo* reſpondẽte algoris caniciem perhorreſcere, & *glaciales* iniurias formidare, ideoq; nec à loco quietis au*dere* ſaltẽ exurgere, illa ad eum blandis eloquiis inquit, Vadens va-

de

de moleſte celeriter, quoniam à te illo ego, quo nunc premeris, algore deterſo, feruidam membrorũ compaginem miniſtrabo, & huius in recompẽſatione mercedis ſcabella, in quibus adhuc curuis* artubus vteris donare debebis. Qui licet ſegnis Eccleſiam introiuit, & paululum commoratus inde ad hoſpitale, vnde venerat, anxius rediit. Surgente verò optata diei aurora, iterum baſilicam adiit, & ante feretrum Virginis beneficiũ accepturus acceſſit. Circa tertiã verò horã ſubitò palpitando ſe volutare cœpit & in pauimento reflectere. Cum ecce * tripediæ, quibus ſua vſus eſt in vita, diuinitus è manib. ac ſi euulſę, ante altare proiectæ ſunt, ſicq; membris omnibus ſolidatis atq; erectis,* ſtetit & ambulauit, qui prius natibus miſerabiliter repens prioris vitæ curſum laborioſum impleuerat. Idem namq; ſanus & valens in miniſterio eiuſdem vſque hodie deſeruit Eccleſiæ, vt cunctis liquido demonſtretur, qualis cuiuſue meriti apud Deum hæc ſancta ſit Virgo, quæ huiuſmodi & ſimilia impetrare meretur.

R. artubus & manibus vteris.

m. ſ. Aichſtad. tripedinæ.

R. ſtetit in gradu ſuo & amb.

Hoc igitur patrato miraculo* Adelbertus Alamanniæ Comes illuſtris illo vſq; deuotus aduenit, cereum nõ modicũ detulit, & altario pronus impoſuit, pro ſe ſuiſq; ſuppliciter Dominum & Virginem exorauit, ſicq; benedictione potita ad propria remeauit. Suſcipiens autem eandem candelam Luibila, quia præfato Comiti familiariſſima eſt, & cara, candelabro erexit, & inaccenſam tunc forte reliquit. Quarto verò die cœlitus lumen accepit, tribuſque diebus & noctibus in * eo lumine perdurante quarto, nemine emungente, extincta eſt. Hora autem, qua diuinitus comas radiantis ignis ablambuit, videlicet nona, ita ſe ſponte oſtia obſtruxere Eccleſiæ, vt nullus infra duarum fere horarum ſpatii quantitatem patula habere mereretur, & peruia. Deinde is qui

R. Adalbertus.

R. eodem.

Digitized by Google

obſtruxit Chriſtus aperuit, & patentia intrare volentibus fecit.

Duæ præterea Virginis præſidia requirentes illuc deuenêre mulieres, mater cum filia, vtraq; manuum curuedine inhoneſta, de vico qui dicitur VVemedinga. Hæ dum erectis in cœlum oculis cordis auxilium ab ipſo, qui fecit cœlum & terram ſupplici depoſcerent, & miſſarum ſolemniis intereſſent diuina meritis Virginis eis affuit virtus, & in exordio feſtiui Miſſæ conceptus, mater adepta eſt ſoſpitatem, laudans Deum & Virginem. Tum nata parentis dubios in tremulo pectore animos geſtans, & fluctiuaga mēte conſiſtens ineffabile ei de matris reddita ſanitate tripudium inerat, de ſua verò nodoſa contractione gemebat. Videbat jam ſuam quam natura dederat genitricem, obpanſis manibus cœli benedicere cōditorem, verùm adhuc in ſe miſellam cernebat regnare curuedinem. Hæc dum ſæpius nutabunda mente reflectens, finito eiuſdem Miſſæ canore, ab ipſo, qui ſe initiū & finem voluit propalare, & ipſa ſanitatem meruit obtinere. Tunc eadem mater cum filia moniales cum matre Liubila, nec non & aſtans omnis communis ſexus familia exultantibus animis cum hymnis & canticis reddiderunt Domino laudes in cœlis, qui ſolutionem tribuit compeditis, & erectionem largitur alliſis.

Delata eſt ad idem Monaſterium mulier quædam nomine Reginſvvindis, quæ ipſius eſt vicina Eccleſię, ita membris omnibus deſtituta, vt niſi vehiculo duobus videlicet deferentibus lacertis inſertis, & altrinſecus oneratis quoquo pacto illo peruehi potuiſſet. Quæ ante altare feretrum adhuc Virginis continens, à ſuis diligēter expoſita, grata VValpurga interueniente à Domino ſtatim adepta eſt ſanitatem, & omnes qui interfuere audierunt

Digitized by Google

audierunt largitori ſalutis eam gratias referentem.

Fuit vir quidam nomine VVolfgerus, qui pedem vnum ſuper alterum ita connexum habuerat, vt infra ſeptem annorum lachrymoſum illi curriculum ſedens, nunquam cibi edulium ſumere potuiſſet. Mirum enim in modum pes vicino & comiti pedi inhæſerat, & reſidenti quietem morbus inſaniens claudicanti negauerat. Is ad jam dictum ſacræ Virginis arciſterium oportuno temporis climate veniēs, & non inceſſu pedum, ſed quaſi cū baculo miſerè ſaliendo ſpacioſa interiacentia rura perluſtrans, totum ſe illius piæ miſerationi cōtribuit, ſtatimq; ſalutem ambulandi recepit.

Eſt vicus in Francia, vbi quædam extitit fæmina, hæc dum à loco ad locum propinquitatis *tunitates negotii adiacentis feſtinare voluiſſet, equo quo jam caſura in proximo reſidebat lapſu agili & horrēdo perlapſa eſt. Crure namq; pauidi corporis huiuſmodi præcipicio ruinæ confracto & artuum omnium baiulo eiuſdem miſeræ minutato, quæ alienis conata eſt inceſſibus, vti duorum añorum vergente inflexu propriis haud meruit frui. Tandem miſerator & miſericors Dominus iniuriis miſeræ ſolita pietate compatiens, virginis ſuffragantibus meritis, meram lachrymoſi ei præſtare voluit doloris. Dum igitur lucifugæ noctis teterrimum chaos, diei gratiam moleſtaſſet, & membra languentia eadem ſtratu ſingultuoſo componeret, ac palpebris tremuloſis quietis ſalutem gratiam deguſtaſſet, aſtitit ei domina VValpurgis, quæ nobis à Domino condonata eſt venialis veniam munifica repromittens, ſi dubietate ſemota fidem panderet cordis. Vade, inquit, muliercula, gratæ ignara ſalutis, & archiatrū tuæ ſtude perquirere ſectionis, & dum eum ad huiuſmodi officium liberalem inueneris, de ſeca-

Digitized by Google

ta tibia intus abſtractis oſſiculis,ſalutis à Chriſto poſtmodum gratiam impetrabis. Tum illa vt audiuit ſuæ remedium ſoſpitatis, totis niſibus omnipotenti grates rependens ſuffragium accelerãs adiit archiatri. Complens deniq; viſionis juſſa ſalubris,& oſſibus minutis euulſis,priſtinæ gratiam indepta eſt ſanitatis. At vbi vidit diuinæ ei miſerationis ſubſidium affuiſſe, lætabunda & laudans inceſſu pedum Virginis Monaſterium adiit, rei geſtæ ſeriem patulæ perorauit,& oblationibus, quas detulit altari impoſitis etiam partem cõfracti cruris ad indicium veridicæ aſſertionis oſtendit, ibiq; ſui corporis vehiculariam partem relinquens, partem reuocauit ad patriam. Quam ancilla Chriſti Luibila partem aſſumens,argento fabricare præcepit, & in eadem baſilica depependit, vt ſi quis hoc audiens,incredula mente perſtiterit, illo veniens oculos ſuæ cæcitatis aperiat, & dum viderit partem fæminei corporis muro dependere fabricatam, ſaltem confuſus abſcedat, & ſua de ſtoliditate veniam deprecans, erubeſcat.

Fuit etiam quædã mulier de villa,quæ dicitur *Stoſſenheim*,nomine Geila,in qua bis terna Dominus per B. Virginem VValpurgam operari dignatus eſt ſigna. Nam cum feſtus dedicationis eius baſilicæ dies, & annuus adueniret,& omnes qui nouerant Deum & Virginem in hac eadem feſtiuitate celebri venerantes ferialem ducerent diem, illa contumaci & inteuerenti eam fronte deſpiciens *thecas hyemales, & operoſas ingrediens,erchebol- *al. Zecas.* dum, quem prius ad texendum erexerat, flexis digitulis texere cœpit. Vbi cum duobus vicibus ex glomicello ſiue trama,quam manu tenebat in tela fila transponeret, hæſit miſerè inſertus manu glomex, & intumeſcente ea penitus cum lacerto,hæ, quæ affuerant mulierculæ, mãcellã ei à manu præuaricatrici,& tumida diſſuerunt,& cu-

bitali ſubulculæ reponẽtes triſtes hanc metiſſimam reliquere. Vbi verò rutilantis munus diei, noctis caligo denſa fuſcauit, dum membra lectulo pauſanda dediſſet, viſum eſt ei, quod quędam in ipſa, in qua glomex inhæſerat manu, columba grata grana colligeret, quam etiam puellula abigere voluiſſet. Tum neſcio qualiter mancella, quę prius tumenti dextera diſſuta exſtiterat, loco aptatæ priori, eodem, quo prius tenore connexa eſt. Vnde tamen ipſa quam cuncti, qui videre ſatis mirati ad Virginis auxilium, cum eadem ocyus cõuolarunt. Cumq; miſericordiæ dominum pro miſera pronis mentibus implorarent, obuia eius illico eis exſtitit miſeratio, & decidente eodem glomice temerario, ſana inuenta eſt manus cum brachio. Ipſa verò tantã in ea cœlitus geſtã virtutẽ oculis cordis nõ aduertens penitus virũ ad locũ ſuorũ ſolamine, vnde venerat, redire contẽdens, cum mancellam, quam ſupra taxauimus, quæ prius inuenta, in loco priori cõſuta ſe ſponte diſſuerat, arrepta acu ſuere voluiſſet, vt nec eadẽ ſaltim ad monumentũ ipſius oratorii remaneret; ad tertiũ ictũ miſerabilis puncti ita manus inuẽta eſt cũ brachio curua, vt inueniretur inter aſcellã artius fixa. Inde temeraria, & admodum ſtolida ſecũ pferens detrimenta, ad ſuffragiũ Virginis eſt deuecta. Poſt vires amittente nodoſa curuedine ſanitatis ibidem donata eſt pulchredine Verum nec ſic his duobus territa miraculis miſera, & iterũ redeundi ad ꝓpria iter aggredi niſa, vltio quã meruit, ſtatim ſecuta eſt inaudita. Nã orbes, quos viſiõis munere mater natura contulerat, domeſticas domũculas deſerentes, & locellis à cognitis cęcigena fœditate vrgente penitus exurgentes genarũ receptaculo vicinarum tetri effecti ſunt hoſpites. Sicq; dum ei lumen lumina ſubito abſtulerunt, horrenda eam caſtigatione multarent. Mirum nunc dicturus de Virgine, Chriſtum attentius inuoco, vt ipſe qui mi-

hi ſenſus igniculum contulit, vera ſcribendi munus indulgeat, & veritatis lumen oſtendat. Ergò dum hoc Sāctimoniales attonitæ cognouiſſent ob ſolita eam pandulis luminibus detulêre præſidia Virginis, vt ipſa, quæ ei propter arrogantiam, ſiue ſtolidiſſimæ mentis detrimētum contulit cæcitatis, piæ in eam panderet viſcera miſerationis. Quid plura? Tunc VValpurgis mater & pia omnium ſe quærentium educatrix reſpexit miſerando ad miſeram tetra caligine preſſam, & oculos luminis dignitate priuatos, & locis non propriis hoſpitantes reuexit ad ſedes & folliculos in capitis arce rotantes ſolis radios fecit eſſe videntes.

Mulier quædam Francigena tellure expoſita, verū vt actu grauis incommodi miſerabili agitatione perculſa, brachii dextri familiare officium perdidit tremebunda. Exinanito nempe emortui lateris ei climate dextro, nec ad os ſaltem proprium languentem ac vacillantem quibat tendere manum. Hanc ſui vota fælicia percomplētes ſumma cum feſtinatione ad Virginis oratorium deduxerunt. *I*gitur veniens, & alta ex imo pectore ſuſpiria trahens, vtq; ei Opifex patrocinio virginis opem ferret, ſedula mente depoſcens erexit ſe, atq; ad altare fideliter fidelis acceſſit. Quæ dum, niſu quo potuit, facitergium quod pro munere detulit, aræ agitando impoſuit, ſanitatem ſtatim pleniſſimam recepit, & gratias agens, ad locum vnde venerat, repedauit. Verùm non multo explicito temporis incremento, dum veniens cupida mente dominus eius carnalis membris omnibus fore valētem, ad debitæ eam ſeruitutis iura reflecteret, prior articulata manus cum brachio, quæ beneficio cœleſtis potita eſt dono, quaſi iniuriam cæcæ cupiditatis illatam ferre non valens, horrenda mox curuedine ſeſe retorſit, &

vio-

violenta contractione vrgente, ventretenus dependit, quo etiam hæſit, & ſic impreſſa demerſa eſt. Tunc cernens dominus ob ſui reatus admiſſum, medelam, quam meruerat, fœminam perdidiſſe, immò pœnam quam nõ ſperauerat accepiſſe, votum Domino ex animo vouit, vt ſi beatæ VValpurgis opitulantibus meritis eadem ſui juris famula reparari mereretur, vinculo ſeruitutis euulſam libertatis tabulis eam ocius condonaret. Mirum in modum, ſtatim vt portis ei ingenuitatis apertis, ciuis effecta eſt Romana, illa quæ prominenti fuerat ventri inſerta, eſt manus erecta, & priori officio reſtituta. Hæc duo in vna fœmina ſunt patrata miracula, & euidenti ratione cõperta.

Quidam nomine Erchenboldus, qui hactenus vita ſaniſſimus jocundabatur in iſta, de vico vocabulo Mura, illic auxiliũ à Domino requiſiuit, & cum fide poſtulans celerius reperit. Is ita faſtidii notatus eſt morbo, vt expletis ſeptem & viginti, vt ipſe teſtatur, hebdomadibus plenis, nec panis edulium ſumere potuiſſet, nec carnis quadrupedũ aut volucrũ ſiue piſciũ refectiõe humana qualibet frueret, hauſtũ quoq; vini vel ſiceræ nullatenus ore contingeret, nec tamen greſſuum communium munere fraudaretur. Tantum leguminis modico, & ouorum meditulliis pendulo corde contentus, vix viſcera languẽtia refouebat. Ergo dum iiſdem jam tenui carnis velamine tegeretur, & gelida creberrimè flamma corpus inane frigeſceret, licet lenti gradu potiretur, metam tamen operiebatur egreſſus. Cum ſubito mẽbris tepido ſopore depreſſis, voce eum ita blanda & leni quidam adgreditur. Cur inquit deſidia langueſcis inepta, & ſalutis cura præpoſita tua de remedio deſperas in vita? Age ergò quod moneo jam de corporis reparatione ſecurus, & ad Mona-

 ſterium

ſteriũ Movvenheim vade feſtinus, ibiq; benedictæ VValpurgis Virginis Chriſti reparaberis precibus. Cumq; illo celerius veneris, tres Sanctimoniales eiuſdem juxta altare inuenies Virginis, quæ de altaris calice conſecrato, tibi poculum propinabunt. Quod dum fecerint veſcendi pariter ac bibendi vſum communem ſine dilatione ꝑcipies. Hoc igitur ſalutiferæ vocis tactus impulſu euigilans ſumma cum celeritate ad jam dictum ſe monaſteriũ poſtulauit adduci. Veniens autem pronus orauit viſionẽ, quam viderat eiusdem juxta altare poſitis Sanctimonialibus tribus per ordinem pandit, & de calice vini guſtum ſedulus exquiſiuit, quem & accepit. Mox ergo vini liquorem anhelantia eius guttura glutierunt, comes ei panis affuit famis, & qui tantum dominici corporis Sacramentum vorare ante nequibat, farrifera prius ea famelicus dona quærebat. Manducauit plane, & bibit in eodem loco, panemq;, vinumq;, quæ ei munera morbus, cui quãtitate negauerat, auxilio Chriſti Virginis implorabat. Sicq; adepta, de qua prius deſperauerat ſoſpitate, ad locum vnde venerat cum nimia rediit exultatione. Si quis ergo hæc ita geſta mente obſtinata non credit, eundem ipſum interroget dum adiuuit. Nam & locum hic exaratum inuenit vbi degit, & vocabulum dum iſtud requirit aut perlegit audit.

Finit vita S. VValpurgis.

Vita

Vita SANCTORUM KILIANI Epiſcopi VVirzburgenſis, KOLOMANNI PRESbyteri & TOTNANI Martyrum.

AUCTORE Anonymo.

Nunc primùm & integrè & ſine ſtyli mutatione edita

Ex

Membranis m. ſ. Monaſterij Windbergenſis & Rebdorfenſis.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Trithemius de viris illuſtrib. Ord. S. Benedicti lib. 4. c. 172.

Kilianus Monachus Hueſis in Hybernia, & Epiſcopus Herbipolenſis in Fraconia, vir doctus & ſanctus, prædicatorq; verbi Dei eximius, veniens de Scotia in Germaniam, poſtquam multos ſua prædicatione conuertiſſet ad fidem, martyrio rubricatus, aſcendit ad cælum. Claruit anno Dn. 680. Hæc Trithem. qui ibidem lib. 3. c. 131. aliud elogium de eodem S. Kiliano habet.

Huius S. Kiliani vitam edidit Surius tom. 4. ſed nec integram, nec ſine mutatione ſtyli. Idem Surij Fragmentum edidit Nicolaus Serarius Societatis IESV *Theologus, vir eruditiſſimus, qui notis optimis S. Kilianum illuſtrauit. Nos quia membranas nacti ſumus, in quibus integra vita S. Kiliani, hic damus, bono publico.*

Quis

Quis auctor fuerit, hactenus incompertū eſt. Si autem diuinare licet, coniectura eſt, fuiſſe Egilvvardū Monachum cœnobij S. Burchardi prope Herbipolim, qui teſte Trithemio, ſcripſit vitam S. Burchardi, quæ extat apud Surium tom. 5. 14. Octob. Nam auctor noſter vitæ S. Kiliani, in fine promittit vitā S. Burchardi his verbis: In vita ipſius (*S. Burchardi*) prout poterimus, mãifeſtare curabimus. *Et hæc de auctoris nomine coniectura mihi certa eſſet, ſi nullus alius vitā S. Burchardi ſcripſiſſet. Sed quia aliam quoq; & quidem antiquiorem, vt videtur, (quam etiā hic edimus) vitā S. Burchardi in m. ſ. mēbranis inuenimus, potuit fieri, vt idem auctor vtramq́; hanc ſcilicet, quam damus S. Burchardi, & iſtam Kiliani ſcripſerit. Nos hic nihil aſſerimus, præterquam quòd fide digniſsimus ſit hic auctor, qui ait:* Nihil eiuſmodi aſſeramus, quod incompertum habeamus. *Porro quia in membranis m. ſ. Aichſtadiani monaſterij Ordinis Prædicatorum inuenimus aliam quoq; vitam S. Kiliani, optima nota, noluimus illam negligere, ideoq; ſubiunximus.*

m.ſ. Windbergenſis: Prologus in Paſſionem Sanctorum Kiliani & ſociorum eius.

PASSIO KILIANI ET SOCIORVM EIVS.

SAnctorum Martyrum certamina quoties ad memoriam redeunt, toties mentem ardore compunctionis tangunt, quo fit, vt fraternæ charitati multum videatur impendere, qui Martyrum hiſtorias ſtylo ſtudet memoriæ commendare. Et quamuis culpis retardantibus, iter rectitudinis aſſequi non valeat, incedentibus tamen in patriam, veritatis tramitem monſtrat. Alioquin miſerrimum eſt, feliciter nauigantibus, ſi inuideat portum ſalutis, qui patitur damna periculoſæ nauigationis. Idcirco beatiſſimi Martyris Kiliani ac ſociorum eius geſta, prout poſſumus, literarum notis aſſignare curamus, vt fraterna ſtudia ad amorem boni operis incitemus. Quia enim phialam dare fratribus non poſſumus, ſaltem cyathum propinemus.

IN-

INCIPIT PASSIO EORVNDEM MARTYRVM CHRISTI.

Hic titulus in m. C. Rebdorfenſi nõ eſt.

BEatus Kilianus Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, diuinę tamen gratiæ factus eſt nobilitate clariſſimus.

*Scotia, quæ & Hybernia dicitur, Inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed ſanctiſſimis clarior viris; ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia. Qui, vt diximus, nobili proſapia editus, à pueritia liberalibus ſtudiis traditus, ſimul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare viam veritatis. Tandem præueniente ſe gratia Dei, ſpretis humanarum literarum ſtudiis, omnibusq; huius mundi illecebris Monaſterium petiit, abnegauit ſemetipſum ſibi, tulitq; crucem ſuam, & ſecutus eſt Chriſtum.

Windberg. m. C. codex: Scothia: & ita vbiq; ſcribit.

In Monaſterio igitur poſitus, quantæ obedientiæ, quantæq; frugalitatis, quantæque fuerit vigiliarum & orationum inſtantiæ, vitæ præſentis terminus declarauit. Quamuis etenim martyrii palma per gratiam magis, quàm per meritum conſtet, bonis tamen adimpletur operibus. Videntes itaq; Monaſterii fratres in virtutum profectibus beati viri perſeuerantiam, primo eum per Eccleſiaſticos gradus ad Preſbyteratus officium precibus aſcendere, deinde eiuſdem Monaſterii regiminis curam ſumere coegerunt. Ille autem ſciẽs perfectionem charitatis ſine proximi dilectione perfectè conſtare non poſſe,

poſſe, paſſus eſt in propriis ſe aliquantulum minorari, vt fratrum prodeſſe poſſet vtilitati, imitatus Apoſtolum, cupientem anathema fieri à Chriſto pro fratribus & cognatis ſecundum carnem.

Veruntamen cum fama beati viri longè lateq; crebreſceret, metuens ipſe, ne popularis fauor maculæ ſibi rugam infigeret, cœpit meditari, qualiter notos & propinquos relinqueret, peteretq; longe ſepoſitas terras, vbi obſcurus fama, & vilis genere poſſet haberi, quo liberius diuinis cultibus vacare valeret. Deliberatione itaq; recedendi * facta, collectis ſociis, in quibus idem feruor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotiæ Britanniam peruenit; Quam non longa nauigatione præteriens, Galliam attigit. Qua permetata in prouinciam Germaniæ deuenit, quæ ab incolis terræ ipſius Orientalis Francia vocitatur; ibiq; in oppido, quod * VVirzeburg eorum lingua dicitur, latina verò lingua, virorum interpretari caſtellum poteſt, moram ſe facturum diſpoſuit, non veritus incredulæ gentis feritatem, eo quod intrepidus coronam optaret martyrii. Sed tamen * prædicationis interim abſtinuit, donec Romano ſe Pontifici præſentaret, quatenus apud Romanam ſedem & integrum Chriſtianæ Religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet. * Hibernia ſiquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæreſi, Apoſtolicaq; cenſura damnata, quæ niſi Romano iudicio ſolui non poterat. Idcirco vir ſanctiſſimus coram primate Apoſtolicæ ſedis, eiusdemq; miniſtris, vt ſibi ſemina diuini verbi gentilibus erogare liceret, ſtudio diuini amoris expetiuit.

W. facta & peracta.

W. m. ſ. wirzeburch.

W. prædicationi.

W. Ibernia.

Tunc autem præerat Romanæ Eccleſiæ * *Konon* Pontifex, humanis, diuiniſq; literis pollens, pontificali officio congruus, in ordinãdis Eccleſiaſticis rebus diſcretor

W. Conon.

tor idoneus. Qui audita fide prefati viri charitatis nexibus * illigata, Deo gratias retulit, eiq; ſeſe charitatis amore impertiuit, exultans ſemina diuini eloquii ab inſulanis, ac longe poſitis Doctoribus augeri. W. alligata.

Erat igitur apud egregium Pontificem non modica exultatio, quia cernebat paulatim euacuari fraudem antiqui hoſtis, creſcentibus diuinæ miniſtris operationis. Tunc ex conſenſu totius vrbis beatiſſimum virum in præſulatus * officium conſtituit, quo & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros ordines conſecrare irreprehenſibiliter valeret. His ita peractis dimiſit eum, monẽs, vt cœpto operi inſiſteret, à domino ſibi parato præmio æternæ retributionis. Beatus itaq; Kilianus vrbem egreſſus, peracto itinere cum Kolomanno Preſbytero, & Totmanno Leuita ad locum ſibi deſtinatum peruenit, Columbano in Italia relicto. Nam Romam pergens Gallum in Alemannia, febre grauatum dimiſit. W. officio cõſtituit, vt ſacros ordines conſecrare ir. v.

Veniens igitur ad prædictum oppidum Orientalis Franciæ * VVirziburg, non eum, quẽ in eadem prouincia ducem reliquerat, inuenit, ſed alium nomine Gozbertum. Porro venerabilis vir paulatim cœpit pabula diuini verbi incredulis populis miniſtrare. Tantam enim Dominus ei gratiam contulerat, vt in breui tempore gẽtis loquelam perdiſceret, & eis proprio ſermone ſemina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non ſolum nouitatem doctrinæ, ſed exuberantiam quoq; eloquentiæ, facundiam etiam ſermonis comitabatur efficacia virtutis. Impletum eſt in illo, quod veritas Apoſtolis promiſit: Ego, inquiens, dabo vobis os & ſapientiam. Et iterum: Opera, quæ ego facio, & vos facietis. Sed cum jam diuini ſemina ſuccreſcerent eloquii, & plebs gradatim minueretur errore gentilitatis, vsq; ad principes po- W. wirzeburch. Luc. 21. Ioan. 14.

Mmmm puli

puli ſancti viri fama peruenit, vt Ducem quoq; prouinciæ non lateret. Qui eundem ſanctum virum ſibi præſentari juſſit, experiri cupiens, quæ eſſet hæc doctrina, quam prædicabat, hactenus ſibi incognita. Erat verò idem princeps naturali ingenio præditus, licet gentilitatis errore fœdatus. Ad quem cum à beato viro peruentum eſſet, conſtanter veræ dogma religionis inſinuare cœpit, docens, vnum eſſe Deum viſibilis & inuiſibilis creaturæ auctorem, in Trinitate perſonarum, & vnitate diuinitatis conſiſtētem Ieſum Chriſtum, à Iudæis crucifixum, in vna perſona verum DEVM, verumq; hominem, in natura diuinitatis æqualem patri, in natura humanitatis factum mortalem, tertiam tamen in Trinitate* perſonam, per quam rationabilis, mortalisque creatura, inuidi hoſtis fraude decepta, ſit miſericorditer reparata. Præfatus autem princeps adiuuans tāti viri conſtantiam, & ſermonum inſuperabilem * veritatem, quia, vt diximus, naturali pollebat ingenio, veris ſe ſuperatum ſententiis videns, ad tempus eius diſtulit auditionem, volens frequenti apud ſe tractare rimatu, vtrum quem Kilianus docebat, an Dianæ cultus præponendus foret. Diana namque apud illum ſumma veneratione habebatur. Veruntamen egregius vir jugi inſtantia laborabat, vt Deo redderet animas, quas diabolus perdere conabatur. Lucerna igitur ſupra candelabrum poſita, omnibus reſplendebat, & ciuitas in monte conſtituta ab omnibus videbatur.

*W. perſonam, Spiritum ſanctum, per quam

*W. virtutē.

Mat. 5.

Porrò prænominatus Dux cernens perſeuerantiam prædicationis egregii viri, ſecreto venit ad eum, cupiens doctrinis eius inſtrui, quatenus cognito tramite veritatis abigere valeret anfractus erroris. Sed à beatiſſimo

mo viro Catholicæ fidei documentis diligenter inſtru-ctus, proximo die Dominicæ reſurrectionis cum multis aliis dato nomine, aqua lotus baptiſmatis, abſolutionem priſtini promeruit erroris. Sicq; factum eſt, vt tota pæne prouincia Orientalis Franciæ, relicto dæmonum cultu diuinæ religioni operam daret. O beatiſſimum virum Apoſtolicæ dignitati comparandum. Ad judicium namque Domino veniente, Petrus Iudæam, Andreas Achaiam, cæterique ſecum diuerſa regna trahent, inter quos beatus Kilianus Teutonicam Franciã ducet. Quanta tunc erit exultatio patris in prole, & prolis in patre, quando omnibus mundi conſumptis periculis, neque memoria reſtabit tribulationis. Sed iam tempus eſt, vt ad beati viri, ſociorumque eius martyrium ſuccinctè pergamus, ita tamen, vt moderata breuitas & ſtudioſo lectori ſatisfaciat, & deſidioſo faſtidium tollat.

Prædictus Dux Gozbertus monitu aſſiduo beatiſſimi præſulis ad meliora de die in diem proficiebat. Erat illi tamen coniunx ſecundum gentilitatis ritum, quæ quondam fratris ipſius coniugio fuerat copulata. Hæc Geilana nomine dicebatur. Præclarus autem vir Dei idcirco in initio fidei noluit tale prohibere coniugium, ne in pœnitudinem credulitatis, grauitate monitus princeps prælibatus duceretur. Et hoc eſt, quod Apoſtolus in fide nondum perfectis dicebat: Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. perfectorum enim eſt ſolidus cibus. Ideoque egregius Martyr, quod grauius nouerat, diſtulit in futurum, ſimulque diuino reuelante Spiritu, ſciens in hac re ſibi & ſociis cauſã cõſtare martyrii, vt multis interea pdeſſet, interim omiſit tale damnare 1. Cor. 3. Heb. 5.

Digitized by Google

coniugium, licet cuperet diſſolui, & cum Chriſto eſſe, imitatus, Apoſtolum, qui in ſporta per murum à fratribus dimiſſus eſt, non vt mortem timeret, ſed vt multis ante
Act.9. mortem prodeſſet.

Veruntamen cum quadam die venerabilis præſul Ducem familiariter alloqueretur, dixiſſe fertur inter cętera: Fili mi, quem per Euangelium genui, gaudeo valde in profectu fidei tuæ, ſed multum me mouet, quia illicitis nuptiis detineris, & vereor nimis, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim ſapientiſſimo dicen-
Eccl.9. te viro: qui in vno offendit, multa bona perdit. Iacobo
Iac.2. Apoſtolo teſtante, quia qui totam legem ſeruauerit, offé-
W. præterea. dat autem in vno, factus eſt omnium reus. *Propterea in baptiſmate innouatur homo, & non ex parte, ſed totus. Vt autem totus innouari poſſit, nihil priſtini retinere deberet erroris. Audiens hæc princeps, primo hæſit ſtupore, deinde alta ſuſpiria trahens (valdè enim diligebat eam, quam habebat vxorem) demum tale fertur dediſſe reſponſum: Audiui pater te docente, quia Dominus
x.14. Ieſus monet nihil præferendum ſuo amori, non patrem, non matrem, non filios, non vxorem, & idcirco quamuis vnice diligam junctam mihi vxorem, præpono tamen diuinum amorem. Sed nunc non adeſt mihi otium inquirendi qualiter eam dimittam, quia contra hoſtes noſtræ reipublicæ feſtino, cum autem fuero reuerſus, inuenta oportunitate dimittendi ſeparabor ab illa. Hæc verò cũ ad aures Zeilanæ perueniſſent, quis enim fallere poſſet amantem, graui incanduit ira, ceu raptis catulis leæna,
W. quærere oportunitatẽ, quomodo diuq; ſecum bacchata, ex eo cœpit* quærere, quomodo ſanctos viros extingueret, neq; enim abſente marito tan-
W. ceſſarat. to* ceſſaret cardine rerum.

Felix Kiliane, qui Heliæ & Ioanni dignus es cópara-

parari. Helias namq; Iezabelis inſidias pertulit, Herodiadis fraude Ioannes martyrium accepit, tu Gailanæ Zelo truncaris, tribus tamen vna eſt cauſa laboris, teſtificatio videlicet veritatis. Helias non nuptias prohibuit, ſed mulieris improbitatem damnauit; ideoq; tamen euaſit, quia Dominus eum abſcondit. Ioannes & Kilianus quia nuptias vetuerunt illicitas, fęmineo veneno mortem pertulerunt. Nulla ſiquidem feritas beſtiarum in hoc mundo ſimilis mulieris malæ. Ad huius rei exemplum ſufficiunt duo omnibus aliis incomparabiles viri. *Samſon* inuicti roboris, dux Iſraeliticæ plebis, & Salomon inexhauſta ſapientia laudabilis, quorum vterq; fæmineis fraudibus ceſſit, hic idola colendo; ille, quo priuari fortitudine poſſet monſtrando. Nulla igitur beſtia in hoc mundo ſimilis eſt mulieris malæ. Igitur ad propoſitum redeamus. *Iud. 16. 3. Reg. 11.*

Nefanda mulier, de qua nobis ſermo eſt, callida meditatione perquirebat, qualiter ſine populari ſtrepitu, & vulgi cognitione ſanctos viros perderet. Armabatur namq; impatientia iræ, & libidinis furore. *E*t quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ ſubminiſtrat, inuenti ſunt duo miniſtri crudelitatis, qui promitterent, ſe ſatisfacturos Geilanæ deſideriis, datis ſibi muneribus miſerrimæ executionis: atq; ita factum eſt, vt accepto præmio nefandi operis peruenerint ad votum fæmineæ crudelitatis. Solebat namq; beatiſſimus Martyr Kilianus poſt paruam dormitionem neceſſitatis, ad ſtudium vigilare propenſæ orationis. Quadam verò nocte cum leues ſomnos carperet S. Kilianus, ita vt nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaq; pulcherrimus, qui diceret, Amice Kiliane ſurge, volo te diutius laborare, vno duntaxat certamine tangeris, & ſic ju-

giter victor mecum eris. His dictis abſceſſit. Euigilans autem egregius vir intelligens diuinam ſibi adeſſe viſitationem, conuocatis fratribus, inquit, Fratres euigilemus, cito aderit Dominus, & pulſabit januam; cauendum ergò eſt, ne nos ſomno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus eſt, ne ſi defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaq; circa medium noctis orationibus vacantibus, carnifices ſtrictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum ſacer vir intuitus eſſet, ait, Amici ad quid veniſtis? implebitis præceptum,* cóſummabitis curſum. His dictis interfecti ſunt, ibiq; terræ mandati, ne quis ſcire poſſet, quid factum foret. Veſtimenta quoq; cum quibus diuina officia peragebāt, ſacrique libri ſimul cum eis defoſſa ſunt, ne quod indiciū necis eorum deprehendi poſſet, ſed clam diſceſſiſſe putarētur cauſa ſolitæ peregrinationis. Erat tamen quædam nobilis mulier, Burgunda nomine, quæ à principio prædicationis eorum ſanctis adhæſerat viris, habens cellulam juxta oratorium Sanctorum, quo facilius diuinis laudibus intereſſe valeret. Hæc intenta vigiliis, quæ facta fuerint, diligenti ſtudio inueſtigauit, recedentibusq; carnificibus linteolo fuſum ſanguinem Sanctorum collegit, ac terræ diligenter infodit, vigiliis & orationibus vacans, vbi Sanctorum corpora obruta nouerat, excolebatq; locum veneratione, qua poterat, licet ſilenter, ne ſicut poſtea factū eſt, Geilanæ juſſu remoueretur.

Mat. 25.

W. conſummabimus.

Rebdorf. linteolo mundo.

Eadem ſceleratiſſima mulier ſtratis quoq; *plancis, ſtabulum equorum, in loco, vbi ſancti Martyres humati erant, fieri juſſit, ne quo indicio ſacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his, qui tunc fuēre, poſteris relatū, quod animalia ibi ſtabulata ſuper ſepulchra Mar-

W. plantis.

tyrum

tyrum, nec ſtercora, nec vrinam jacerent, honorem Martyribus exhibentia, vt quod de capite Propheta vaticinatus eſt, hoc in eis membris reperiretur. Cognouit, inquiens, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſrael non cognouit. *Eſa. 1.* Taliq; modo, vt dictum eſt, Sanctorum corpora hominibus pæne ignota forent, niſi præfata Burgunda in extremo vitæ poſita, quibusdam fidelibus, vbi poſita eſſent, *reuelauerit. *W. reuelaret.* Contigit autem, vt dux peracta militia reuerteretur ad locum, vbi ſanctos viros dimiſerat. Quos cum non inueniſſet, ſtudiosè cœpit perquirere, quando & qua cauſa receſſerint, quoue abierint; eius enim vxor veneno malitiæ fœdata, aliquando * rubore perfuſa, aliquando pallore depreſſa, *W. verecundiæ rubore.* aliquando confidentia roborata, diuerſos anfractus nequitiæ ſuæ fraudibus prætendebat dicens; non ſe eos cuſtodiſſe, neq; cuſtodes adhibuiſſe; quando voluerant veniſſe, quando ſibi placuit receſſiſſe, quo peregrinationis ſuæ ſeruarent propoſitum. Quem fæminea verba nō emolliunt, quem à ſtatu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis coniugis Princeps aliquantulum cœpta ab inquiſitione quieuit. Sed enim juxta dominicam vocem, nihil opertum, quod non reueletur, & *Mat. 10.* occultum, quod non ſciatur.

Cum ea quæ facta fuerant paulatim obliuioni traderētur, vnus eorum, qui ſanctos viros gladio inuaſerant, ſubitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit; Kiliane acriter me perſequeris, ſiquidem igne conſumor, quod feci, celare non poſſum, video mihi imminere gladium ſanguine tuo reſperſum. Talia diu vociferans, & propriis ſe dentibus lanians, à præſenti migrauit in æternam pœnam. De talibus quippe

Iere.17. pe ſcriptum eſt: Duplici contritione contere eos Domi-ne. Alter verò mortis ſanctorum conſcius, in rabiem verſus, gladio ſemet appetiit, effuſiſq; viſceribus per tormenta præſentis temporis ad æterna peruenit.

Quis Geilana, tibi cernenti talia ſenſus tunc erat? infelix cruciatibus acta furebas.

Non multo poſt & ipſa bellua, de qua loquimur dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat, Iuſte torqueor, quæ ſanctis viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ cruciatus paraui. Acriter inſtas Kiliane, ignem accendis Kolomanne, fomenta miniſtras Totmanne. Sufficiat vobis viciſſe; nimis veſtras vlciſcimini iniurias, A Calice Kiliane diceris, ſed valdè amara pocula mihi infundis. His dictis miſerabiliter vexabatur, ita vt à multis vix teneri poſſet. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatum diabolo paratum peruenit. Cernimus imple-

Luc.18. tum quod Veritas in Euangelio, inquit, Dominus non faciet vindictam electorum ſuorum clamãtium ad ſe die & nocte, & patientiam habebit in illis. Amen dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.

His ita geſtis aiunt Gozbertum à propriis ſeruis interemptum, filiumq; eius principatu deiectum, cognatos affineſq; eorum à contribulibus talia perpeſſos, vt vix aliqua eis reipublicæ dignitas in eadem prouincia manſerit. Cur autem hæc prouenerint, vtrum quia fidem rectã ſeruabant, ab his, qui ab ea deuiarant, talia paſſi ſint, an quia ipſi poſt obitum ſanctorum martyrum à tramite veritatis receſſerant, vindictam hanc à Deo illatam ſibi pertulerint, viderit ipſe, quem nullum latet ſecretum; *dummodo* nil talium pudeat nos ignorantia rerum.*

Hucusq; tantum Surius, cætera enim vel in ſuo m. ſ. non habuit, vel non addidit, cui propoſitum fuit, epitomen dare, & quidem ſtylo mutato. Nobis omnia integre ex duobus m. ſ. damus.

Enim-

Enimuero, quia ad finem operis tendimus operæ
pretium arbitramur, ſi virtutum beati Martyris ſaltem v-
num miraculum fateamur. Venerabilis Virgo *Gertrudis *W: Gedrudis.*
Pipini Regis Francorum filia, cum virum accipere nol-
let, cui eam pater ſociare volebat, auxilio matris, quam-
diu potuit, paternis in regnis latuit. Sed cum diutius la-
tere non poſſet, venit in partes ſupradictæ orientalis Frã-
ciæ, in locum, qui nunc corruptè * CARLEBVRG vocita- *W Karliburg*
tur, ibiq; de facultatibus ſuis in honorem beatiſſimæ Vir-
ginis Mariæ monaſterium conſtruxit, quod vſq; in præ-
ſentem diem permanet, vbi * ATALONGVM Preſbyterum *W. Attalongum.*
& Bernardum, diaconum, quos ſecum adduxerat, ordi-
nauit. Ipſa dehinc ad propriam terram rediit, quia pro-
cum ſui coniugii obiiſſe cognouit, quæ vſq; ad vitæ ter-
minum in Virginitate permanens, virginitatis ſimul, &
morum probitate Deo complacuit. Prædictus autem A-
talongus ignorabat Kilianum, forſitan vt vix eius audi-
uerit famam, *quę paulatim ignorantia abſoleuerat. *W. quam paulatim i. abſolebat.*

Erat tamen Sacerdos diuinis eruditus literis, diui-
niſq; deditus mandatis; ſed vt diximus meritum beati
Martyris ignorabat. Veruntamen cum quadam die pue-
rorum claſſes, quas ad ſtudium literarum erudiebat, ante
ſe, vt materiem * dicendi ab eis perquireret, aſtare iube- *W. diſcendi.*
ret, cœperunt hi, qui junioris ætatis erãt, diuino impulſi
ſpiritu vociferari dicentes: Kilianus ſigna facit, de loco,
in quo indignè jacet, tolli debet. Quod cum venera-
bilis preſbyter audiſſet, ſtupore repletus eſt; præſertim,
quia puerilis timiditas nullatenus magiſtralem auſterita-
tem verebatur, minas tamen eis intulit, vt ſi *nunquam *W. vnquam,*
tale fari auderent, quod vtilitate careret, grauiter verbe-
ribus premerentur. Factum eſt autem inter hæc, vt ſolis
curſus noctis tenebris interpolaretur, præfatuſq; Preſby-

ter poſtcibi potusq; neceſſitatẽ reſolueret in ſomnũ. Qui tã graui ſomno preſſus eſt, vt phãtaſtico videretur premi *veſtigio. Inſtãte aurora, cũ grauitas illa dormitionis deficeret, vidit per ſomnia venerabilem ante ſe aſtare virũ, lumine terribilem, qui diceret, Niſi credideris non videbis. Quod & Dominus Iudæis prophetico affamine comminatus, dicens: Niſi credideritis, non intelligetis. Orto autem die, cum jam ſol ſecundam tangeret lineam, interrogauit miniſtrum, vtrum Phœbus adhuc emerſerit marinis vndis, attamen cum cognouiſſet, quod jam diei produceret horas, defigens in phœbeos radios obtutus luminis, apertis oculis nil vidit. Intelligens tamen quod ſibi ſomnium prætulerit vaticinium cæcitatis, ac temeritatem ſuam ad mentis oculos reuocans, puerorum præconia præſagium intellexit diuinæ operationis. Tunc flens & eiulans cœpit dolere, non tantum cæcitatẽ corporis, quàm præſumptionem mentis. Hinc ab incolis loci illius, in quo morabatur, ſciſcitari cœpit, quis fuerit Kilianus, cuius laudes etiam pueriliſ lingua fatebatur. Interea adfuit quidam ruſticus, qui quamuis dignitatem hiſtoriæ *proſequi non poſſet, materiam tamen facti verbis, quibus valuit, patefecit, dicens: Ex longinquis Kilianum partibus aduenifſe, fidemq; Chriſtianæ Religionis habitatoribus ipſius prouinciæ oſtendiſſe, muliebrique fraude extinctum, ignorantia ſimul vulgi, temporisq; interſtitio aliquantulum obliuione interlitum. Quod cum venerabilis ſacerdos audiſſet, inquiſita Martyrum ſepultura, ſe illuc deducendum popoſcit, ibiq; orationibus atq; vigiliis inſtanter poſcebat, vt interceſſione venerabilis Martyris, ſociorumq; eius ſibi Dominus amiſſum redderet lumen; damnans in ſe ignorantiam diſcretionis, temeritatemq; ſermonis. Tandem beneficiis ſanctorum recepto

W. præſtrigio.

Reb. perſequi.

cepto

cepto lumine, non ceſſabat publicè pandere, quibus poterat, facta in ſe miracula diuinæ operationis; adeo, vt venerabilem Archipræſulem Bonifacium, qui tunc Mogũtiæ præerat Eccleſiæ, adiens, quanta ſibi fecerit Deus meritis B. Kiliani, ſociorumq; eius, diligenti narratione proſequeretur.

Erat autem idem Atalongus fama & moribus non ignobilis, ideoq; non ſolum ſancto viro Bonifacio, verum etiam omnibus recta fateri videbatur. *E*x eo itaq; tempore inueſtigabat Archipræſul * venerabiliſſimus, qualiter oppidum, vbi Sanctorum corpora poſita erant, Epiſcopali dignitate ſublimaret. Et quia ad finem huius operis tẽdimus, hic terminum narrationis ponamus. Qualiter autem venerabilis *P*ontifex publicitus Epiſcopalem ſedem * Wirziburg primus promeruit, & quomodo Martyrum corpora de loco, vbi indecenter poſita fuerant, ſuſtulerit, in vita ipſius, prout poterimus, manifeſtare curabimus, Ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & *S*piritu ſancto viuit & regnat DEVS per infinita ſæcula ſæculorum.

AMEN.

W. venerabilliſmus.

W. Wirtzburch.

Hinc elicimus quis auctor ſit vitæ huius. vide quæ notauimus ad Lectorem.

FINIS.

Digitized by Google

Paſsio
SANCTORVM
KYLIANI
&
Sociorum eius.

Ex
m. ſ. Aichſtad. Monaſterij Ordinis Prædicatorum nunc primum edita.

FVit vir vitæ venerabilis, nomine Kyllena, quem Scoticæ tellus de magno edidit genere, à puerili ætate magnum habet ſtudium ſacras diſcere literas, & in eis tã perfectè proficiens, vt exinde pontificale didicit regere culmen, & tunc alio vocabatur nomine Kylianus, habens gratiam ad Clerum, & ad omnem populum, qui etiam intimo amore Chriſti ac religione repletus, vt quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoſcebat, deuota mẽ-

te

Digitized by Google

te & pio operari ſtudio non ceſſabat. Contigit autem, vt quadam die Euangelica ſimul & voce dominica admonitus vir dicitur: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc ſecũ beatiſſimus vir toto cordis ac mentis affectu pertractans, congregatis in vnum ſuis ſociis atq; diſcipulis, item Colonato ac Gallone, & Arnuuale Preſbyteris, & Donato diacono, aliis ſeptem illis adiunctis cœpit eis perſuadere propria contempnere, patriamq; & parentes ſecundum Domini Euangelium relinquere, & nudos ſequi Chriſtum. Illi namq; ſacræ ammonitioni beati viri obtemperantes, firmiter coadunati, relictis omnibus de propria perrexerunt patria, & venerunt in Auſtralium partem, ad caſtellum, quod vocatur Wirzburch, ibiq; per aliquod tempus commorantes, regnante ibi eodem tempore quodam Duce Gozberto, filio Hetanis ſenioris, qui fuit filius Hruodis, qui etiam ipſe Gozbertus, & omnis populus ſibi ſubiectus adhuc paganico viuebant more. Idola dæmonum colentes, Deum viuum cœli & terræ minime agnoſcentes. Videns autem ſanctiſſimus vir miręamœnitatis locum, atq; pulcherrimam ibi multitudinem nobilium virorum, ab antiquo hoſte obſeſſam, vltra quàm dici poteſt, dolebat illorum cęcitatem, iniitq; conſilium cum ſuis, dicens: Fratres videtis locum elegantẽ, hominesq; iocundos, licet in errore deceptos; ſi vobis videtur, ſic, vt condiximus, vſq; dum in noſtra fuimus patria, eamus Romam, & viſitemus limina Principis ſanctorum Apoſtolorum, & præſentemus nos obtutibus B. Papæ Ioannis, & ſi Domini voluntas ſit, ab Apoſtolica ſede accepta licentia, cum illis conſultu iterum reuertamur, & prædicemus illis fiducialiter nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non mora Sanctis, compleuerunt dicta

Digitized by Google

veniendo ad limina ſancti Petri Principis Apoſtolorum.

Sed illuc venientes, & Apoſtolicum virum non inuenientes, quin à ſancto Papa Canone prædictus Pontifex Kylianus amabiliter & honorabiliter ſuſceptus eſt. Cum autem B. Papa Canon vidit, vnde venerat, & ad quẽ locum exinde prompta voluntate iturus fuerat, audita illius fide, pariter & doctrina, ideo dedit illi ex ſancto Petro Principe Apoſtolorum licentiam & poteſtatem prædicandi & dicendi, & quoſcunq; ſua conuertere potuiſſet doctrina, libera atq; firmiſſima hoc faceret poteſtate. Ipſi namq; exinde pergentes itinere ſequeſtrati ſunt, tamen non corporaliter, ſed ſpiritualiter adhærebant ſuo Epiſcopo Kyliano Cholomannus presbyter, & Totnanus Diaconus, & venerunt in partes Auſtralium Francorum, ad caſtellum, quod dicitur VVirzburch, ibiq; prædicantes primitiis verbum Dñi. Quibus auditis Gozbertus Dux conuocari eos fecit ad ſe. Cum autem præſentati adeſſẽt confabulationes in inuicẽ fecerunt, Kylianus Epiſcopus & prædictus Dux Gozbertus. Non multo poſt tempore perſuadebat illũ deuotus Dñi Pontifex Kylianus, Chriſtianum fieri. Qui etiam Dño volente illius ſacris admonitionibus adquieſcens, baptizatus eſt ab illo, & confirmatus eſt omnis populus, qui ſub illius poteſtate erant. Ipſe autem Gozbertus Dux in *maherimonia habuit vxorem fratris ſui, ſicut antiquitus fuit conſuetudinis. Sed ſanctus Dei Pontifex ſicut ſapiens ſemper facit ſapienter, noluit illi eam interdicere, antequam firmiter confirmatus eſſet in fide Chriſtianitatis. Tunc talibus ad illum locutus eſt ſermonibus, Fili dilecte Gozberte modo Chriſtianus, & per omnia Deo amabilis factus es, ſi vnam rem facis, quam maximè te oportet facere, vt dimittas coniugem tuam, quam iniuſtè habes tibi copulatam,

al. Conone.

* leg. matrimonio.

tam, quoniam te non oportet habere vxorem fratris tui. Ad hæc dicta Dux Gozbertus quaſi de graui ſomno euigilans, reſpondit & dixit. Grauiora & difficiliora modo ſuades & prædicas, quàm ante. Sed per Dei omnipotentis amorem, quem prædicaſti & prædicas, dereliqui omnia, quæ dilecta & amabilia mihi fuerunt, habẽdo per eundem amorem, & meam coniugem amantiſſimam, ſi non eſt licitum habere, dimittam; quoniam nihil Dei amore charius, nihilq; amabilius eſt.

His auditis coniunx Gozberti nobiliſſimi Ducis ira & inuidię fomite accenſa, diu noctuq; cogitabat, quomodo ſanctos diſperdere potuiſſet. Cum autem appropinquaſſet tempus paſſionis & remunerationis eorum præcedentibus meritis vacabant ſupradicti martyres Chriſti diu noctuq; orationibus & jeiuniis læti, ſine triſtitia, & deuoti ſine formidine, alacres expectantes diem jam olim optatam, vt martyrio coronarentur. Contigit autem, vt quadam nocte dum Dominus omnipotens ſuos finire voluiſſet milites temporale certamen tempore nocturno, quando in Dei laudibus vnanimiter conſiſtebant, acceſſit lictor ad eos, enſe acuto præparatus Dei amicos jugulandos complens præcepta Geilanæ vxoris Gozberti Ducis, quod videns Kyllena Pontifex Chriſti dixit ad ſuos. O filii mei ſpirituales jam dies diu optata; ſpirituale certamen mecum inite absque timore, ſine trepidatione, ſecundum Domini vocem: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. His dictis omnes pariter capitibus truncati ſunt, & martyrio coronati ſunt. Eadem etenim nocte cum omni celeritate in eodem loco furtim ſepulti ſunt, ſed & illorum capſæ, crux, &

Euan-

Digitized by Google

Euangelium, aliaq; Pontificalia veſtimenta ſimulq; cum illis in ſepulchro poſita ſunt.

Hoc videns quædam matrona nomine Burgunda, verbis facta narrauit. Eſt enim loci illius conſuetudinis in autumpno vel hyeme, nec non & verno, temporeq; æſtiuo, quando aliquid non plus, quàm duorum pedum ſpacium poteſt fodi, niſi aqua contra erumpat. Sic diuina miſerante gratia, quando Deus omnipotens corpora corũ de loco ſepulturæ ad maiorem voluit ſubleuare honorẽ, carnibus, ſicut mos eſt, conſumptis, cætera ſana & benè cuſtodita inuenta ſunt, in tantum, vt nec folium librorũ, vel fimbria de veſtimentis ipſorum putredine conſumpta eſſet. Veniente quoq; Duce Gozberto, vbi ſupradicti Dei ſerui eſſent, inquirente, infidelis vxor eius reſpondit, ſe neſcire quo pergerent, vel vbi forent. Sed miſer ille, qui necis eorum reus tenebatur, non potuit celare pœnam, quæ ei de vindicta Martyrum venit, currẽs huc illucq; vagus & profugus, & veluti phreneticus, ſe eſſe reum de morte eorum ſemper aſſerebat, & inſuper aiebat tremens & lugens: Kyllena ſanctus Dei igne me ferociſſimo exurit.

Hoc itaq; audiens Gozbertus Dux, congregato omni populo, qui cum illo ſimul erat ſacro baptiſmatis fonte, à ſancto Pontifice ablutus interrogauit, quid eidẽ miſero facere debuiſſet. Erat enim ibi quidam homo eloquens, paratusq; ad reſpõdendum, ſecundum ſuggeſtionem Geilanæ infelicis, qui taliter dixit: Domine mi Dux Gozbertus cogita de temetipſo, & de omnibus nobis, qui ſimul tecum baptiſma ſuſcepimus ab ipſis, & ꝓba, vtrum Deus eorum tam præpotens ſit, & omnia ſciens, retribuensq; bonis bona, & in nouiſſimis mala reſtituensq; malis. Niſi ſe per pœnitentiam ante correxerint,

&

& jube iſtum miſerum reſolui à vinculis, & coram omni populo ſuo derelinqui arbitrio. Si enim eſt talis Deus eorum, ſicut illi dixerunt, deſcendet ſuper eum vindicta illius, & potenter ſuos vindicat ſeruos. Sin autem aliâs, ne iraſcatur dominus meus, qui talia dico, tunc volumus ſeruire magnæ Dianæ, ſicut & anteriores noſtri fecerũt patres, & proſperati ſunt in eo vſq; in præſens. Factum eſt quoq; ſecundum dictum hominis Tyranni, & dimiſſus eſt miſer ille de medio populi. Cum verò dimiſſus eſſet, cœpit repentè inſanire, & ſemetipſum suis laniare dẽtibus, quo vſq; vitam finiret. Quòd cum viderent, qui ſacro baptiſmate abluti erant, omnes pariter gloriantes, atq; gaudentes, ſe obedire illorum doctrinæ, clamabant Deum illorum doctrinæ eos vindicare. Igitur his omnib⁹ ita peractis, vindicta iræ Dei ſubſecuta eſt carnifices ſanctorum Martyrum. Nam Geilanam ſpiritus inuaſit malignus, atq; intantum eam agitabat, vſq; dum vitam finiret. Gozbertum verò gladio ſuo ſui occiderunt ſerui. HETANVM verò filium eius populus Orientalium Francorum de regno eiecerũt. In tantum enim illius perſecuti ſunt ꝓgeniem, vt ne vnus de illius ſtirpe remaneret. Poſt multum verò temporis in illo loco, vbi illorum ſepulta ſunt corpora, diuino nutu receperunt cæci viſum, & claudi greſſum, ſurdi auditum. Quotquot autem diuerſis infirmitatibus erant fatigati, ibi venientes ſanitatem receperunt. illuſtrante autem Domino merita eorum, cum conſilio & præcepto Zachariæ Papæ, mediante Bonifacio Archiepiſcopo, de tumulo honorificè ſubleuati ſunt, regnante Pipino primo Orientalium Francorum Rege.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vita

SANCTI

BVRCHARDI

Herbipolenſis

EPISCOPI.

AVCTORE

Anonymo.

Nunc primùm

Ex

m. ſ. membranis Monaſterij Aichſta-
dienſis Ordinis Prædi-
catorum

in lucem producta.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

Trithemius de viris illuſtrib. Ord. S. Benedicti lib. 3. c. 186.

BVrckardus Epiſcopus Herbipolenſis ex Monacho, natione Anglicus, vir ſãctus & Deo dilectus, qui multis fertur claruiſſe miraculis: ſedit in Pontificatu VVirtzburgenſi annis nouẽ, à S. Bonifacio Mõguntino Archiep. ordinatus. Claruit anno Dn. 750. Cuius feſtum 6. Idus Octob. colitur. Eius a. vita diligenter conſcripta eſt. Hæc Trithem. qui ibid. l. 4 c. 184. hæc de eodem: Burchardus Monachus cuiusdam cœnobii in Anglia, ſocius & comes peregrinationis S. Bonifacii Martyris, & ab eo Herbipolenſis Epiſcopus conſecratus, ſedit annis nouem: Vir ſanctiſſimæ conuerſationis, qui multis virtutibus & ſignis clarus effulſit. Moritur autem anno Domini 759. Indictione XII. *Hæc* Trith.

Extat apud Surium Tom. 5. vita S. Burchardi ſcripta ab *E*gilvvardo Monacho cœnobii *S.* Burchardi, prope Herbipolim, vnde coniectura eſt, vel hunc Egilvvardum eſſe ſcriptorem vitæ S. Kiliani, quam hic edimus: vel certè ſcriptor vitæ S. Kiliani, & huius quam damus S. Burchardi, idem eſt. Cum in vita S. Kiliani in fine promittat vitam ſancti Burchardi.

IN.

Digitized by Google

INCIPIT VITA S. BVRCHARDI EPISCOPI.

TErrenarum motus curarum, ſi diuino adiutorio trahatur ad reſpectum miſerationis diuinæ, qualiter æterna ſcientia Sanctos ſuos juſtificauerit, mens humana & ſollicitudinibus preſſa inutilibus ſoluitur, vltroq; remunerationis præmio non fraudatur. Oportet ergò, vt ad B. Burchardi Pontificis laudes, ſtyli ſeriem vertamus, quatenus dum eius merita recolimus, orationum emolumentis fulciamus. Neq; enim metuendum, vt in laudibus beatorum virorum fideliter prolatis, modum poſſit excedere veritatis, piæ narratio deuotionis. Quidquid itaq; de omnibus rectè fatemur, & de vnoquoque profari non dubitamus. quando ſic Sanctorum fraternitas jungitur, vt omnia in omnibus Chriſtus habeatur, eâq; concordiâ membrorum connexio capiti copuletur; quo diuerſorum retributio meritorum vna ſit exultatio omnium. Quapropter datur nobis licentia faminis, ſeruato ductu Catholicæ narrationis.

Venerabilis Burchardus, Anglorum genere nobilis, nobilior factus proſecutione diuinæ religionis. Hic

 ab

ab annis puerilibus Deo ſe vouens, quantum ętas permittebat puerilis, feſtinabat ad ſtudium bonæ operationis. Tandem relicta Brittannia, peregrinationis obtentu, in quādam Galliæ partem tranſacto ſalo peruenit. Ibiq; tam diu ſub habitu peregrini delituit, quo audita fama egregii præſulis Bonifacii, incenderetur ardore viſendi Pontificem, ſanctitatis fāma vulgatum. Is etenim Mogontiorum tunc præerat vrbi: vir ſermone clarus, aſpectu jucundus moribus probus. Ad quem venerabilis Burchardus cum veniſſet, ab eo gaudenter ſuſceptus eſt.

Ferunt autem ſanctum Pontificem primo aſpectu præfati viri, prophetico repletum ſpiritu adhærentibus ſibi miniſtris tale protuliſſe vaticinium: Gaudete fratres, ecce miſit nobis Dominus virum contubernialem, cui committi debeat ouile dominicum in VVirzburgenſi vrbe à B. Kyliano collectum. Quibus auditis venerabilis Burchardus, primo oneris magnitudinem expauit, poſtremo memor diuinæ viſæ diſpenſationis, tale fertur dediſſe reſponſum: Etſi tanto videor indignus officio, diuina tamen diſpenſatione imponendo mihi, oneri non obluctor. Qui enim miſericorditer onus imponit, credo, quia clementer leuabit. Ex eo tempore ſanctiſſimus præſul Bonifacius ſolerti indagine perquirebat, quibus efficere modis valeret, quod diuina nouerat ſibi gratia reuelatum. Tandem diuino inſtigatus adminiculo, conceſſu Pipini illuſtris Regis, qui tunc Franciæ regimen diſpenſabat, Romam petiit, prædicto Burchardo comite. Præerat autem tum Romanæ Eccleſiæ Zacharias ſummus Pontifex, dominico ouili aptiſſimus, ſummi Pontificatus infulæ non incongruus. Hic amplo ſinu charitatis viros ex Germaniæ partibus aduentantes, Romam colligere ſolitus erat, volens nouellæ plantationis

in

fide Chriſti gentes ducere ad expetitionem loci, vbi paſtor Eccleſiarum, doctorq; gentium humanis corporibus habebantur. Cui tamen cum Magontini archipræſulis innotuiſſet aduentus, præmeditari cœpit, ſi quid cum tanto viro dignum Deo cooperari valeret. Audiuerat.n. jam dudum ſanctitatis eius famam longè lateq; vulgatam. Veruntamen cum ad hoc peruentum eſſet, vt mutuis colloquiis poſt ſibi datos amplexus fruerentur, cœpit Romanus Pontifex percontari, quo rudis adhuc Germanorum fides religionis munimine fulciretur, vtrumne gentibus nouæ eruditionis ſplendeat inextinguibilis lucerna diuinæ reſpectus. Huic B. antiſtes Bonifacius, cum de omnibus, quibus interrogatus fuerat, veram reddiderat ſententiam, in extremis faſſus eſt, hoc ſibi maximè fore veniendi negotium, vt VVirzpurgenſe oppidum diœceſi ſuæ vicinum Epiſcopali munio ſacraretur. Tunc Romanus Pontifex primo percunctari cœpit, quæ huic officio legaretur perſona, dicens, non rudibus congruere officium ſecundum Apoſtoli præceptum. Dehinc ſi Epiſcopio prædia ſufficerent, quibus pauperum neceſſitas Clericorumq; ſuſtentari poſſit inopia; aſſerens Epiſcopum Dei familiæ diſpenſatorem.

Beatus igitur Bonifacius munificentia charitatis præditus, prædiorum Epiſcopii ſui partem Romano Pontifici complacitam VVirzpurgenſi Epiſcopio delegauit, vt futurus ibidem Epiſcopus, ſicut conſors exiſteret diuini laboris, ita etiam fieret particeps temporalis ſuſtẽtationis, juxta illud Apoſtoli: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. His ritè peractis à Romano Pontifice iterũ perſona diſquiritur, q̃ huic officio idonea deſtinetur. Verũtamen venerabilis pręſul Bonifacius Burchardũ in mediũ deducens, cœpit illũ dignis laudibus proſequi,

ſequi, dicens, hunc juuenili ętate ab occiduis partibus adueniſſe, ſecumq; vsq; ad perfectam ætatem degentem, ſe nihil in eo reperiſſe, quod pontificali officio videatur cõtraire, ac per hoc ſe illum pontificali infula credere dignum. Ad hæc ſummus Præſul hilari vultu inquit, *Agamus*, frater, Deo gratias, quia à ſolis ortu vsq; ad occaſũ laudatur nomen Domini. Ab occaſu veniſſe dicis, per quem ortum veri ſolis rudibus in fide populis diuina pietas miniſtrabit. Perficiamus quod diuina credimus ordinatione diſpoſitum. Sicq; conſecrato Burchardo Epiſcopo, acceptis à Romana ſede priuilegiis vterq; præſulum proprias ſedes repetere contendunt, quos Romanus paſtor talibus proſequitur votis: Vadite, inquiens, ô fratres chariſſimi, cooperatores diuini ſeminis, creſcat fructus veſtri laboris; nec valeat inimicus, vobis torpentibus, in agro dominico ſerere, quod tempore meſſis debeat incendio tradi; proſequaturq; vos auxilium diuinæ protectionis, qua janitor cœleſtis aulæ defenſus eſt, ne à ſathana velut triticum cribraretur. His dictis, arripuerunt iter, ad ſedes proprias remeantes. Quo peracto, in diuinis laudibus, & ſpiritualibus canticis tandem vterq; præſul VVirzburgenſe oppidum peruenit, quibus inibi habitantium, & ex vicinis locis occurrens multitudo hominum copioſa, ſupplicibus clamabat vocibus, dicens, Venite patres, venite ſerui Dei excelſi, venite liberatores animarum noſtrarum; augmentate diuini verbi ſemina, à beato Kyliano nobis olim monſtrata, quo vomere ſermonum veſtrorum exculta tellus noſtrarum mentium, dignos ferre queat fructus prouentuum.

Quibus auditis vterq; Præſulum præ gaudio *lachrymas* fudiſſe memoratur. Tandem egregius Archipræſul Bonifacius inquit, Felix eris VVirzburch, & inter

Ger-

Germaniæ non ignobilis vrbes, & quãuis his tẽporibus quarundam ciuitatum poſtrema habearis, tamen exornata corporibus Martyrum inferior non haberis. In numero Trinitatis tribus fulciris martyribus, ad ſuppletionem tetradis, probitas Burchardi acceſſit Pontificis.

Dum hæc ita gererentur, ad locum orationis peruentum eſt, fuſisq; precibus, & ritè omnibus, quæ ad p̃ſens negotium pertinebant, peractis, ſanctus Bonifacius ad propria repedauit. At hunc venerabilis antiſtes Burchardus ſedula meditatione cœpit perquirere, qualiter commiſſas ſibi oues benè regendo in extremo examine ſuperni judicis euge dominicum poſſit promereri. Erat enim mitis eloquio, vultu clarus, vigiliis atq; orationibus, eleemoſynisq;, quantum facultas ſuppetebat, deditus, ætate vergens in ſenium, ita vt in omnibus pontificali officio videretur idoneus. Sicq; factum eſt, vt pænè ab omnibus amaretur; non enim poterat non amari, quem replebat gratia cœleſtis beneficii. *P*rærogatiua autem fulciebat, vt dignè ab omnib. amaretur. Dehinc meditari cœpit, vt corpora B. Martyrum Kyliani & ſociorum eius de loco, in quo ab infidelibus temerè poſita fuerant, leuarentur. Pro certo namq; nouerat non diligenter fuiſſe reconditos, quos clam audiuerat interfectos. Collecto deniq; Clero & populo, indixit jeiunium, vt digni poſſet reperiri, à quibus ſancti Martyres permitterent ſua corpora moueri. Conſtituta autem die eleuationis Martyrum, maxima ruſticorũ multitudo confluxit VVirzpurch, alii religionis ſtudio; alii conuenerant illecti miraculorũ indicio, alii recuperandæ ſanitatis deſiderio. *T*unc venerabilis Pontifex Burchardus ad locum ſepulturæ acceſſit, acceptoq; ſarculo primus fodere cœpit, ſubuenientibus ſibi miniſtris, quos ad hoc opus delegerat. Sed poſtquam

tellus egeſta eſt, non alta ſcrobe inuenta ſunt corpora Martyrum, ita fragrantia, vt omnium circumaſtantium nares ſuauitate odoris tanti replerentur. Eleuatis deniq; corporibus, ingens factus eſt populorum concurſus, multitudiniſq; ſtipata congeſtio. Elaborabat nempe popularis ille conuentus, ſi quis poſſet feretrum tangere, aut tranſitu ſuccumbere, alii eleuatis manibus, gratias Deo referre; eratq; vox omnium vna: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Tanta verò miraculorum inſignia operatus eſt Dominus per Sanctos ſuos, vt ſi qui forte aderant, qui in fide titubarent, viſis tot ſignis, ſolido robore credulitatis firmarentur. Miraculis igitur comitantibus, hymnis peruentum eſt ad locum, vbi Sanctorum corpora condenda erant, quæ diligenter recondita vſq; in præſentem diem hymnis & orationibus frequentantur. Venerabilis tamen ſacerdos Burchardus in loco, vbi ſanctorum Martyrum corpora humo tegebantur, vigiliis, orationibus, ac Miſſarum frequentationibus indeficienti ſtudio vacabat, metuens ne fraus antiqui furis à theſauris diuino igne probatis, per deſidiam ſe remouere valeret; aut dum ipſi minus diligenter cuſtodiunt, inertem cuſtodem, & ſe non integrè diligentem contemnerent. Certus itaq; ſanctus vir de præmio æternæ remunerationis, ſolerti cautela ſemet vndiq; muniebat, quatenus pulſanti Domino januam, qui eum familiæ ſuæ præfecerat, confeſtim aperiret, accenſiſq; lampadibus nulla per ipſum mora foret, quin æterno conuiuio cum prudentibus virginibus reciperetur. Hac deniq; expectatione ſollicitus, in diuino opere, nec calliditate antiqui ſerpētis poterat deuinci, nec ſenectutis grauitate tardari; in effecto virilem animum gerebat. Tandem aduenerat jam tempus, quo ſancta anima

nima mole corporis ſoluenda erat, comperiensq; ſanctus vir per corporis ægritudinem vicinam inſtare ſibi carnis diſſolutionem, vocatis fidelibus , qui in præſenti adeſſe poterant,diuini verbi pabula,in extremo quoq; præſentis vitæ termino miniſtrare curauit, monens illos viam veritatis inſiſtere, charitatemq;,in qua ſumma virtutum cōſiſtit, inuiolabiliter obſeruare. Poſthæc extremi muneris benedictione prolata, corporis ac ſanguinis Chriſti viatico munitus, amiſſa mole terreni corporis migrauit ad cœlum, vbi accepta ſingulari ſtola fælicitatis,expectat vltimum reſurrectionis diem, in quo duplici veſtitus ornamento nil ſibi deeſſe lætetur,per eum, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. AMEN.

FINIS.

Digitized by Google

Vita

ET

PASSIO

SANCTI

TYEMONIS

ſiue

THEODAMARI

Archiepiſcopi

SALTZBVRGENSIS,

Martyris in terra Sancta.

AVCTORE

æquæuo S. Tyemonis.

Nunc primùm ex vetuſto m. ſ. codice Saltzburgenſis Monaſterij S. Petri in lucem producta,

beneficio

CLARISSIMI VIRI IOANnis Stainhauſeri Senatoris Saltzburgenſis.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

TESTIMONIA DE MARtyrio S. Thiemonis Saltzburgenſis.

Otto Friſing. lib. 7. Chron. cap. 7.

EOdem anno Guilhelmus Comes Pictauienſis & Dux Aquitaniæ, Themo Iuuauienſis Archiepiſcopus, Guelfo Noricorum Dux, qui in guuerra cum Imperatore Friſingenſem & Auguſtenſem deſtruxit vrbes, Itha Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater, Guilhelmus, Stephanus Italici Barones, cũ multis ex *A*quitania, Germania, Italia, Ieroſolymam per Vngariam & Græciam pergunt: quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos pæne omnes crudeliter extinxit; elegantioribus ex eis captis, & Mempheorum Regi ſeu Admiraldo præſentatis. Quam hiſtoriam miſerabiliter ac luculenter in modũ tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt. Comprehenſus inter alios venerabilis *P*ræſul Thiemo, ad idololatriam, vt tradunt, à Rege angariatur, ille inducias petens, phanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſta comminuit. Ob ea productus, ac exquiſitis ſupplicijs, & tormentorum generibus affectus, glorioſo

mar-

martyrio coronatus eſt. Quod ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet. Quod autem idola comminuit, ex hoc credere difficile eſt; quia conſtat vniuerſitatem Saracenorum vnius Dei cultricem eſſe, librosq; legis, nec non & circumciſionem recipere. Chriſtum etiã & Apoſtolos & Apoſtolicos viros non improbare. In hoc tantum à ſalute eſſe, quod Ieſum Chriſtum humano generi ſalutem afferentem, Deum, vel Dei filium eſſe negat, Mahometq; ſeductorem, de quo ſupra dictum eſt, tanquam Prophetam magnum ſummi Dei veneratur & colit. Cuius ſeductionis, vt ipſe mentitur, prædicationis tale apud eos traditur eſſe exordium: Initium Euangelii Mahomet filii Dei, Prophetæ altiſſimi: lauamini, mundi eſtote. Hæc Otho Friſing.

Weingartenſis ille ſcriptor (quem tom. 1. Antiquæ lectionis edidimus) lib. de Guelfis Principibus fol. 186.

Socii autẽ peregrinationis & laborum eius vel interfecti, vel viui Saracenis, machinante perfidiſſimo Alexio Imperatore Græco, traditi ſunt. Inter quos Themo Saltzburgenſis Epiſcopus comprehenſus, & Regi Memphcorum præſentatus, ad idololatriam angariatur. Ille fanum ingreſſus animi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola, q̃ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendẽs, in fruſta comminuit. Ob hoc productus exquiſitisq; ſuppliciis affectus, martyrio coronatus eſt. ITAM Comitiſſã, matrem Leopaldi Marchions Orientalis, quæ ſimiliter in eodem comitatu fuit, vnus de principibus Saracenorum rapuit, & impuriſſimo ſibi matrimonio copulauit, ex eaq; ſanguinem illum ſceleratiſſimum Vtamut progenuit. Hæc VVeingartenſis.

Tri-

Trithemius de viris illuſtrib. Ord. S. Benedicti lib. 4. c. 123.

Diemo Abbas Saltzburgenſis, cum propter excõmunicationem Henrici quarti, ſuam Abbatiam cogeretur deſerere, venit ad Monaſteriũ Hirſaugienſe, in diœceſi Spirenſi, vbi aliquantulum cum VVilhelmo Abbate viro religioſiſſimo latuit, donec tandem fluctibus turbationum aliquantulum ſedatis, in Eccleſiæ Saltzburgenſis Archiepiſcopum conſecratus eſt. Claruit Anno Dn. 1080. Decrepitus tandem Hieroſolymam profectus, & à Saracenis captus, cum aliis pleriſq; occiditur. Hæc Trithem.

Trithemius in Chron. Hirſaugienſi anno 1077.

His quoq; temporibus claruit Diemo, noſtri Ordinis Abbas in ciuitate Saltzburgenſi, qui propter excommunicationem Regis Henrici quarti, de monaſterio ſuo fuit expulſus: quoniam cum ſancta Romana Eccleſia ſciens excommunicatis communicare noluit. Venit ergò fama S. VVilhelmi Abbatis prouocatus, ad monaſteriũ noſtrum huc in Hirſaugiam, & inter fratres conuerſatus humiliter, cum vitæ eorum laudabilem inſtitutionem vidiſſet, decreuit perpetuò cum eis in Domino permanere. Itaq; Monachus denuo factus ſub VVilhelmo religioſè conuerſabatur, gratias agens Deo, quod tam ſanctæ congregationi meruerit inſcribi. Deinde poſt annos aliquot in Archiepiſcopum Saltzburgenſis Eccleſiæ ſublimatus eſt, & de monaſterio noſtro per obedientiam compulſus, receſſit inuitus. Præfuit autem Eccleſiæ præfatæ

fatæ ſtrenuo verbo & exemplo, multis præbens incitamenta virtutum. Tandem amore diuino ſuccenſus cum aliis multis in terram ſanctam ire, Dominicumq; inuiſere ſtatuit ſepulchrum, & in itinere captus à paganis, cum cæteris ſuæ peregrinationis pleriſq; ſociis martyrio coronatus eſt. Cuius geſta habentur. Hæc Trith.

Hundius in Metropoli Saltzburgenſi in 28. Epiſcopo Saltzburg.

Thiemo ſiue Diethmarus ex nobili Boiorum ſanguine prognatus, prima ætate in inferiori Altach operã literis dedit, poſtea educatus in Hirſaugienſi monaſterio factus eſt Abbas S. Petri Iuuauiæ. Hunc Thiemonem cognatum ſuum Conradus Comes Medlingẽſis in Bauaria, jam antea contra Berchtoldum conatus eſt Epiſcopum Saltzburgenſem facere. Verum juxta Saldorf in Norico, agroq; Saliſburgenſi, Berchtoldus Thiemonis copias fudit, & Conradum Comitem illum Medlingenſem, Aduocatum Iuuauenſium vnà cum fratre, pluribusq; aliis occidit. Diethmarus vel Thiemo captus à Starckhando & Verigando fratribus, atq; à Poppone, Charionum præfectis, in vincula coniicitur (Auentinus fol 588.) qui, demum poſt mortem Gebhardi ad Archiepiſcopatum poſtulatus & confirmatus eſt ab Vrbano ſecundo Pont. Romano, à quo pallium accepit. Iſte Thiemo ſacellum rotundum in porta templi Nunbergenſis conſecrauit. Deinde profectus cum multis aliis comitibus, & viris nobilibus ad recuperandam terram ſanctam, quorum numerus ferè ſexcentorum millium fuit, captus à Turcis, ac poſt omnium membrorum truncationem, viſo corde proprio apud Corozaim martyrio coronatus eſt, anno 1101. Hæc Hundius.

Digitized by Google

Teſtimonia hæc ideò adduxi, vt appareat, quàm certum & teſtificatum ſit Martyrium S. Thiemonis, vt non immerito dicat Otho Friſingenſis: *Quod ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet.* Verum difficilis nodus eſt de idolis, quem & Friſingenſis obſeruauit. Quomodo n. illa de idolis, pſertim de idolo, q Machmit nūcupatum ait, vera ſunt, ſi Saraceni idola nō habēt? Quid ſi auctor in narratione de idolis poëtam egerit? deceptus in eo, quaſi omnes infideles eſſent idololatrę; & hinc manarit de idolis poetica narratio. Friſingenſis quoq; hanc hiſtoriam ait ſcriptam *in modum Tragœdiæ.* Nil tamen hîc aſſero, neq; temerè auctoris fidei etiam in narratione de idolis derogo, prę ſertim cum auctor non obſcurè ſignificet, ſe ab eo hiſtoriam audiuiſſe, qui interfuerit. Otho Friſingenſis ait ſcriptorem vitæ S. Thyemonis interfuiſſe illi expeditioni Hieroſolymitanæ. *Quam hiſtoriam,* inquit, *miſerabiliter ac luculenter in modum tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt.* Noſter auctor nunquā teſtatur ſe interfuiſſe, ſed ab eo qui interfuit, accepiſſe. *Quidam namq;,* ait, *Chriſtianorum, qui omnem poſtea paſſionis hiſtoriam noſtris partibus retexuit, teſtabatur ſe ſub ipſa hora tranſitus, Martyris de corpore vidiſſe Angelicum chorum cum hymnis cœleſtibus venientem.* Et fortè verba Friſingenſis ita interpretanda ſunt, dum ait: *Ex his,* id eſt, ex ore eorum, *qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtantur, executus eſt.* Nam Friſingenſis omnino de his noſtris actis loqui videtur. Porrò auctor teſtatur ſe vixiſſe temporibus Chunradi, qui ſucceſſor fuit S. Tiemonis, his verbis: *Huius Chunradi temporibus, noſtra jam memoria, quaſi nouum, &c.* Hæc, inquam, faciunt, vt auctori æquæuo non temere fides quomodocunq; ſit abroganda. Potuit enim fieri vt ille Memphcorum dominus, quem Friſingenſis Admiraldum vocat, idola-

dololatra fuerit. Vel vt in illa colluuie variarum gentium, quæ contra terræ ſanctæ aſſertores Chriſtianos tunc magna vi ſe commouerunt, fuerint, non tantum Saraceni, ſed alii etiam idololatræ, qui & idola habuerint & coluerint. Præterea licet Saraceni & Mahometani dicant ſe colere tantùm vnum Deum, ex præſcripto Iudæorum, adeoq; idola abominentur; tamen conſtat Mahometanos ſibi in rebus religionis minimè conſtare. Secta nimirum eſt ex variis conflata. A Iudæis circumciſionem, & vnius Dei cultum ſumpſit. ab aliis gentilibus cultum aſtri, quod Cubar vocant, nempe Luciferi, ſeu Veneris, ſeu Lunæ; ne Gentilitiæ ſuperſtitionis ſecta exors exiſteret, ait Baronius tom. 8. anno 630. num. 6. Hanc autem de cultu Luciferi fuiſſe Saracenorum antiquam ſuperſtitionem, teſtatur S. Hieronymus in Hilarione. Vides igitur Mahometanos & Saracenos, aliquid commune cum idololatris habuiſſe, cultum videlicet Veneris, cuius vel alterius potuit fortè idolum apud illos haberi.

Apographum hoc m. ſ. accepimus à Cl. V. Ioanne Stainhauſero, Antiquitatum amante & intelligente.

PASSIO SANCTI TYEMONIS IVVAVENSIS.

GLorioſam Martyris DEI Tyemonis ſeu Theodamari paſſionem venerabiliter Eccleſia ſuſcipiat, amplectatur, & celebret, quam nos vltimi ſeruorum eius ardenter colentès, equidem meritò, vtpote ſignis in morte, & poſt mortem illuſtratã, noſtro etiam ſcripto, poſteros eam ex parte agnoſcere laborauimus, ne tantum ſidus, ignorantia obnubilante, minus in terris, quàm ſurſum coruſcaret in cœlis.

MAgnitudine, diuturnitate, paſſio huius B. Martyris inter agones Martyrum, adeo mira, adeo eximia, vt nihil ſuprà. *Periculis ex genere, periculis in falſis fratribus, periculis ex gentibus,* cum Paulo Apoſtolo omne quod profuit, tempus exegit. (2.Cor. 11.) Imitabile hinc miſeris mortalibus in ſe procurauit exemplum, hoc præſertim tempore, quando homines ſunt ſeipſos amantes, temporis lucri ſectatores, quando in foribus Regum corruit iudi-

cium & juſtitia ingredi nequit, cum ipſi domini Pontifices alius per ambitionis, alius per inuaſionis aſſultus, alius per conſpirationis & factionis cuniculos dignitatem arripiunt, trahunt, dilacerant, ſedem ambiunt, ante cuius onus ſuccumbere, ad cuius rationem contremere, & ſubtus fugere indementes magis debuerant. Sed profecto, vt ait quidam, imbecillum eſt genus humanum ad contemnendam potentiam. verum etiam væ illis, per quos ſcandalum venit, & contagium quaſi peſtilentia ab alio in alium per vniuerſum mundum vadens graſſatur. *Mat.18.*

Sed jam beatiſſima paſſio Martyris, & vitæ eius ſub oculis pingatur religio. Hic ergò *ingenuis parentibus Baioariorum genere oriundus, in primæua ætate *ALTENSI monaſterio tàm regularibus, quàm ſcholaribus diſciplinis traditus eſt imbuendus. Huic ab adoleſcentia ſanctitas, innocẽtia, humilitas, prudentia, omnisq; ſcientiæ genus oblectationi fuit, ibiq; juuentutem ſuam exercuit. Quapropter & bonæ indolis viro diuina vnctione indultum eſt, vt non modò eas artes, quas liberales appellant, ſed & mechanicas vniuerſas ſimul; pictoriam, tuſoriam, ſculptoriam, carpentariam, omniaq; huiuſcemodi genera & ſpecies, in modis & in formis, inſtar mollis ceræ, quantum ducere artifex manus, & fingere multiformiter queat, docili ingenio aſſequeretur & facilius.

*imo nobiliſſimis. nam Conradus Comes Medlingenſis cognat' erat. *in inferiori Altach.*

Inter hæc cum ſtrenuis virtute, cum modeſtis pudore, cum innocentibus abſtinentia certabat, & eſſe bonus, quàm videri malebat.

Quantæ autem diſtrictionis zelo vitia ſua reprimẽs & triumphans, ea in ſemetipſis diuinis perinde obtutibus, & tum priuatus, & primo in pontificii culmine, ac deinceps in ſanguinis effuſione placuit; ſuperna reuelatio & ipſi, & nobis, quouſq; hodie & reliquum legimus,

vel lecturi ſumus, indicio infra ſcripto innoteſcere voluit. Cum adhuc in ALTENSI monaſterio regulariter degeret moraretur, res incidit quodam tempore, & humanum paſſus eſt, vt iracundia fortè commotus, & oneri imparem interim animum gerens, ſtatim de clauſtro impetuosè recederet. Iamq; juxta ſiluam contiguam culpatum iter tenebat, cum illicò DEI miſeratione ſtimulus *Angeli Sathanæ* ab eo recedens, ſaluum virum reliquit. Tum ad ſeipſum rediens, mirari factum, & diſplicere ſibi ipſe cœpit, erigensque ſe contra ſe benè indignando toruos oculos ſuper vias ſuas poſuit, & melius iter verſus, quà venerat ocius relegere cœpit. *Et* poſt puſillum ſacerdotem obuiam habuit, equo ſedentem, à quo ſine mora, quod obſcura perſona non fuit, agnitus & ſalutatus eſt. Moueri autem is apud ſe cœpit equidem haud indignè, in his eum adorſus eſt verbis: Vnde verſum aut quorſum Dominus meus, tam inſolitè, tam præceps rapitur? quid rerum eſt? Tunc humiliter velut vitæ languidus, & rancido vultu infælicitatis ſuæ hiſtoriam retexuit, & tamen afflicto ſpirat reuerentia vultu. Qua motus etiam ſacerdos equo proprio deſilire, & ad cellam vsque commodare velle cœpit, talibus verbis inſiſtens: Noli Domine mi, hanc iniuriam tibi facere, non eas, quia temetipſum degeneras, perſona tua vileſcit. Indulge honori ante homines propter homines, in jumento meo redire conſenti, & ero comes itineris tui. Non frangitur, non mulcetur blandientibus verbis beati viri conſtantia, & immoto pectore virtus dura reſpondet: Sine me. Non æquitas ſolatium patitur, contra *jus* bonumque ſuggeritur, melius mentem ſubiit conſilium. Reducat pedibus ſubmiſſa humilitas, vnde ſuperbia furioſa exploſerat. Dixit hæc, & ad Monaſterium

rium ſuum tam pernici greſſu quodam, prono affectu ſe rapuit. Lætiſſimis animis excipitur, ſalutatur, palpantium ſtudiis etiam inuitè grauatur. Impunitate oblata intrare ſimpliciter & inſeri inter ipſos oratur. Abnuit vir Spiritu DEI tactus momentaneum hoc, & præter inane nomen veterum inutile, honoris ſpecimen elegit, quod in æternum conduceret, quod Angelis in cœlo gaudium faceret, & vt par erat, juxta rigorem non *Luc.15.* monachicæ tantùm, verùm etiam canonicæ, imò Ecclesiaſticæ generaliter diſciplinæ, ad ſatisfactionem nudus proceſſit, æmulans factis authoritatem Chriſti dicentis: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut par- *Mat.18.* uuli, non introibitis in regnum cœlorum. Proxima hinc nocte, cum more ſuo ſemper conſueto, hora matutina omnes præueniret, *patiens capitolium, quen- *adiens.* dam ignotum, venerabili omnimodis forma & habitu contra ſe aſſiſtentem, corporeis oculis vidit, qui ipſum & Epiſcopatus apice ſublimandum, & deinceps martyrio conſumandum ſignis apud Monachos vſitatis euidenter edocuit. Quo facto ab oculis eius euanuit.

Ea tempeſtate apud IVVAVVM Monaſterii ſancti PETRI Abbatem diutinæ ægritudinis ita confecit moleſtia, vt nomine officii fungentem adminiſtrationis officium penitus feriantem relinqueret. Quocircà Euangelicam pertimeſcens ſententiam: Cui plus com- *Luc.12.* mittitur, plus ab eo exigitur, nec infirmitati ſatis confidens, ad excuſandas excuſationes in judicio, prudenti humilitate, & humili prudentia, onus recuſare, cuius opus excuſare in tantum foret, ſatius duxit. Audiens igitur Reuerendiſſimum, & verè Apoſtolicum virum GEBHARDVM, in diebus illis ſan-

Digitized by Google

&c. Saliſburgenſis, Eccleſiæ Archiepiſcopum, & Apoſtolicæ ſedis Legatum, id quod in re erat aperuit, & abſolui ab officio impoſſibili inſtitit. Nec inani apud pium, apud miſericordem inſtantia laboratum eſt, vbi ratio neceſſitatem, fas innuit veritatem. Quod non mortua vita fuit. Abſolutionem ergò obtinuit, & in locum illius diuina ordinatione, & libera fratrum electione, de Altensi monaſterio aſcitus eſt venerabilis Tyemo, genere, induſtria, conuerſatione, atq; ſcientia elimatiſſimus. Tū inueſtitus ab eximio Epiſcopo ſuo Gebhardo, iniuncto operi, omni inuigilauit inſtantia, omnia bona & ſancta factis amplius, quàm verbis ſecundum regulæ ſcita ingerens, inculcans, indulcans.

Per idem tempus nauicula beati Petri, quaſi dormiente interim Iesv, tempeſtatum procella propemodū mergens vexabat, omnesq; veritatem & fidem beato Petro ſeruantes, eiusq; Vicario tunc Apoſtolicæ ſedis Præſuli Gregorio ſeptimo, aut in vndas mortis, dirum fremens ac feruens ſalum intrahebat, aut in longum exilium patria, honoribus, rebus, extorres jactabat. Inter quos Gebhardus Archiepiſcopus ſingularis proreta, & principalis columna, cui inniteretur nutans & languens: paulùm etiam adhuc ſpirans mater Eccleſia, ab impiis fautoribus Heinrici quarti Imperatoris expellitur, aliusq; Epiſcopus ipſo indignior, quo indignis habitus dignior, regia authoritate & inueſtitura intruditur verius, quàm intitulatur, executione pro benedictione potitur. Cuius conuentum venerandus & circumſpectus Abbas Tyemo impiari formidans, ne communicaret peccatis alienis, conceſſit in Svevıam, ardore ſancta monaſteria viſendi Hirsavvense, atq; Schafhvsense, quorum vtrumq; tunc temporis tantæ diſtrictionis fulgore enituit,

vt

Digitized by Google

vt paſſim quaquauerſũ relucens, cateruas fidelium lumine ſuo attraheret, & dulcis theoriæ diſciplinis in ſchola ſpirituali adprimè imbueret. In alterum horum, id eſt, HYRSAVVENSE, cuius etiam * Auguſtinus nomen manſit ac manet, totis animis vir DEI ſe recepit, priuatimq; in ſcientia, conuerſatione, & communem ſe fratribus gerens, infauſti temporis exitum operiebatur, degens in illis quaſi vnus ex illis. Poſt exactum inibi hoc modo triennium, errantis patriæ labyrinthum, ſuiq; regiminis locum repetere cœpit. Prædictus inuaſor Epiſcopi ſpectans arundinem vento agitatam, ad ſuam peruerſitatem inclinare velle, aut inclinari poſſe deluſum animum, erigitur, exhilaratur, dilatatur, blandiens ſimulatione, ſatagens beneficiis, indulgens honoribus. Sed inacta re vir DEI contagionem lepræ eius pertimeſcens, in junctam heremum ſeſe collegit, vbi ADMONTENSE cœnobium fertur ſubiiſſe, à præfato GEBHARDO Epiſcopo nuper fundatum, non ſine diuino oraculo. Quod qualiter factum ſit, & ſitum loci, quomodo res obtulit, breuiter pandere ignorantibus libuit. Locus ille inter montana BAVARIÆ, juxta ANSIM fluuium ſitus eſt, aditum difficilẽ viantibus præbet, adeo ipſa natura munitus per gyrum, vt altiſſimorum ambitu cœlum proximè, dicas circummuratum. Proſpectus in montes, aut ſurſum verſus non eſt. Hoc monaſticæ cõcluſioni, præſtruente natura, idoneum, hoc vnum de cæteris. quare locus à ſtrenuis longè lateq; amatur, experitur, ab aliis horretur, fugitur. Neceſſe eſt fortia diuerſas virtutes aut prouocare, aut reuocare. In hoc ergò loco Monaſterium beatus Præſul fundare deſiderans, dum eſſet ibi conſtitutus, quia fiſcus Epiſcopalis erat, triduum continuum perſtitit, non manducans neq; bibens, adeo æſtuans diſcerpebatur cogitationibus ſuis, dum quod

definiret, eligere non poterat: Mulcebat partim facies loci, quod inuius conuictui hominum tunc nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret; angebat è contra non carpento, neq; * trabea, verum ſolis ſagmentarijs neceſſaria poſſe inferri. His diſtrahentibus animum, poſtridie etiam dum cunctanti, ſubitò ſurdus & mutus quidam in medio exurgens, diuino nutu coram omnibus hæc verba eleganter in Teutonico concinnauit Epiſcopo, inquiens: Tu debes inchoare, DEVS debet conſummare. Qui homo nec poſtea, nec ante vllas edidit voces, donec poſt multos annos in depoſitione ipſius Epiſcopi, ad ſepulchrum eius pleniter aurium & linguæ reſtitutus eſt officio. Mirantur vtiq; vniuerſi, ſtudium & gaudium replent Epiſcopum. Mox quaſi diuinitus accepto oraculo ſintrepida mente, promiſſimo ſtudio monaſterium cœpit conſtruere, ſacris veſtibus, & marmore copioſo ornare, reditibus ditare. Porrò ſucceſſores eius, videlicet ipſe TYEMO, cui hic ſtilus famulatur, deinde CHVNRADVS, vir magnæ authoritatis, ac potens in opere & ſermone, familiari conuictu locum colentes, quantum ſupererogauerint, breuiter dici non poteſt, habet DEVS maiora retribuere illis. Huius CHVNRADI temporibus, noſtra jam maiora quaſi nouum & melius intuitum accipiens locus, tum varijs modis, tum principaliter famę gloria, obſeruantiarum rigore, nobiliſſima monachorum atq; ſororum multitudine, neſcio an ſuper omnia Teutonicæ terræ Monaſteria non inualuerit. In hoc itaque cœnobium Iuuauienſis Abbas ſeſe interim recipere opportunum perſpexit. Non multo poſt inuictus Chriſti athleta GEBHARDVS exacto fælicis agonis curſu; ad palmam supernam vocatus XVI. K. * & vltra naturę cõceſſit, ſepultusque apud ADMONTENSE Cœnobium

f. traha.

Hinc patet auctorem S. Tyemoni fuiſſe æquæuũ.

*

bium

bium, ipſo die depoſitionis ſurdus & mutus quem prædiximus, ad ſepulchrum proprium curauit, quo primo aliisq; deinceps miraculis viuere ſe in regnis cœleſtibus teſtatur.

Verum proh dolor iisdem diebus, vt ait olim quidam, perdita damnato nocuerunt tempora mundo. Etenim mala abundabant in terra. De quibus omnibus vt taceam, is quem viuenti Gebhardo ſuperpoſitum ante retulimus, arrepto tempore quaſi vacuam ſedem occupare poſt eum liberius cœpit. Quod vidētes, ad quos pertinebat, ineunt prout res monebat, conſilium, ordinare dignū gubernatorem matrici Eccleſiæ. In partes primo diſcedunt, vt in tali negotio aſſolet, vti cuiusq; natura & mores erant, alii benè, alii ſecus conſulentes. Vnusquisq; in ſuo ſenſu mox abundat. A ſpiritualibus & diuino ſenſu ſuper cæteros homines vigentibus venerabilis TYEMO, dictante id eis Spiritu ſancto, honeſtiſſima ſuffragatione vocatur Epiſcopus; alii quendam ADALBERONEM, Friſingenſis Eccleſiæ Decanum aſciſcunt antiſtitem. At ſupernus arbiter medium ſe partibus interponens, qualiter huius poſterioris electionem approbarit, celeris animaduerſionis ſorte aperuit. Dies enim colloquio decernitur, vt exhibita electi vtriusq; præſentia, in vnum ex his quoquo pacto ab omnibus conſentiretur. Conueniunt eo Patauienſis Epiſco. Altmanus Apoſtolicæ ſedis legat9, dux, comites, ſimul de vtroq; ordine grādis Eccleſia. Quo dū ſimul nauigio pdictus Decanus pgeret, medio amne ſub oculis admirantiū pauentiumq; immergitur, talequo omnis controuerſia compendium Iudicis DEI ſortitur. Continue enim concordatis partibus ab vniuerſis quaſi diuinitus declaratus TYEMO in Cathedram Pon-

 tiſi-

ſ leuatur. tificialem *laudatur, cōſecratur, omniq; plenitudine metropolitani juris firmatur. Satis agebat pro principatu ſuo ipſe Phylochriſtus, quantum in ipſo fuit, prouidens bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. 2. Tim. 3. Verùm omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiuntur. Tredecim namq; annis, quibus præfuit, bellis, obſidione, gladiis, captiuitate, omnia extrema perpeſſo, inſtar beatiſſimi Athanaſii Alexandrini Epiſcopi nunquam penè liberum corpus, nedum libera authoritas fuit. Grauis eadem res, eadem cauſa, quæ & prædeceſſorem ſuum vrgebat. Diuiſum enim inter ſe ea tempeſtate regnum, & ſummum ſacerdotium, diuiſa cum his iniuſtitia atq; juſtitia, faſq; nefaſq;, mediam inter ſe Eccleſiam trahebant, conuulſam & dilaceratam, variè aliis alii morem gerentibus. * Planè cum pluribus *diu motus conſilium factum, hic Præſul in reuerentia & obediētia ſanctæ Romanæ ſedis permanſit, vſq; ad finem fidelis. Propterea præ participibus ſuis, hæc omnia, quæ premiſimus mala, eum apprehenderunt. Deniq; & æmulam ſedem contra eum tenebat ille ipſe, quem ei ſuperpoſitū viuente GEBHARDO ante latius docuimus, ſpectabilis planè perſona, & tantæ dignitati idonea, niſi aliunde quā per oſtium aſcendens, Ioan. 10. teſte veritate, fur eſſet & latro. BERTHOLDVS hic erat, infælicitatis ſuæ ſatis notus elogio, cuius intruſi, magis verò HEINRICI quarti Imperatoris, qui per Italiam & Alemanniam, heu totius mali materia videbatur & forma, huius iniqui conſpiratores eo vſq; venerabilem virum perſequendo deducti ſunt, vt grege facto bellum adorientes, ſanguinem eius quam omnia mallent. Aderat is per ſe cum quibus poterat copiis, pugnatum eſt à duobus propinquis ſuis æquè nobilibus atq; magnificis viris, quos adiuuabant ſanctæ Eccleſię

mini-

miniſteriales, plena fide, igneo ſtudio, ſi quando diuina voluntas annueret Eccleſiam ab inuaſoribus eripi, iniurias vltum iri. At verò placet ſapientiæ Dei electos proprios, hic interim premi à reprobis. Vincitur ab aduerſa parte acies Præſulis; fuſi ſui partim, alii fugati, ſpolia direpta, ſimul cum pallio ſuo, intactus ipſe fuga euaſit. Non multo poſt cum per THAVRVM montem in Carinthiam iter legeret, ecce VDALRICVS Comes partium Cæſaris, dum vult malam virtutem ſecula futura narrare, auſus eſt manum ſacrilegam mittere in Chriſtum Domini, & in ipſo monte nil minus ſuſpicantem circumuenit dominum ſuum, & cepit. Nullum genus ærumnarum, quod tempore, quod miſerum eſſet, in ea captiuitate per quinquennium expertus non eſt. De quibus ſingulatim ſi paretem diſſerere, incertum habeo, piget magis, an pudet. Nam & maximus locorum Epiſcopis ſubiacentium ſcilicet FRISACENSIS, vti cum ipſo antiſtite, vel deleretur funditus, vel in fiſcum publicum redigeretur, quinquennali obſidione tentatus eſt atque vexatus. Affuit loco quoddam diuinum præſidium, ne per tantum temporis ſubiici poſſit. Cumque inceptum tardius procederet, Reuerendum *P*ontificem cum prædictis cognatis eò deducentes, primitus eum ligauerat, proh pudor! ad machinam extructam, quam vulgò mangonam appellant. Non ſint, inquiunt, manus noſtræ ſuper eum, ſed manus oppidanorum, vt occidatur. Verum quia nequitiam inaniter tantum flagitii intenderant. Agnouerunt enim oues paſtorem ſuum. Tum proximos eius, quos ſupra eum ex captos adduxerant ante ora ſtatuentes, ſub interminatò optionem dederunt, aut loco mox tradito obſidionem ſoluere, aut imminenti gladio cognata colla exponere. Reſpondet Epiſcopus: Res *E*ccleſiæ ſunt, res ſunt RVD-

 BERTI,

BERTI, de quibus agitur, quas in cautionem meam tutandas ad tempus, & fideliter diſpenſandas ſuſcepi. Non mihi continget earum diſtractione, fluxam & fragilem vitam, ſeu cognatorum, ſeu meam ſuſpendere. Non facio animam meam pretioſiorem quàm fidem. Innocenter hi itaque ambo capite truncati ſunt. Quod in pectus antiſtitis alto dolore aſcendit, dixitque obſidionis principibus, VDALRICO ſcilicet Comiti, quem ante latis commemorauimus, cum germanis ſuis duobus. Quomodo, inquit, viros juſtos, & ſine querela pro Eccleſię tantum defenſione interemiſtis? Maledicti eritis ſuper terram, nec peccatum veſtrum à facie Domini delebitur, ſed infœlices ex hoc in reliquum, & decreſcentes viuetis, donec dignas animas inferno reddatis, æterno igni paſcendas. Perhiberi vsque hodie ſolet omnium prouincialium famine, ſceleſtos Comites nunquam proſperatos, in aduerſis dedecorem vitam, in ærumnis duram mortem luiſſe, juxta viri DEI ſententiam. Qui ab eiſdem poſt hæc in aliam munitionem translatus, militi cuidã deputatur cuſtodiẽdus, vbi pro regno Dei & juſtitia eius, tam dura angaria, quàm drutina agonizabat.

Iamque multum temporis fluxerat, nec flecti à rectitudine, ſtatuti ſui tenax animus quibat. Quare tædium Cæſarianis faciente, gladio finiendum decreuerũt. Ad quod piaculum cuſtos pro ſe alium militem conducere maluit, quaſi per alterum ipſe rem agens, immunior foret. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Spiculator ergò ingrediens, vbi fortis agoniſta DEI ſeruabatur, rem prius, pro qua venit, aperit. Reſpondit intrepidus Epiſcopus; Domini voluntas fiat. Surgensque dicto ſymbolo cum oratione procubuit, ceruicem ſuper li-

gnum

gnum extendit. Accedens lictor totis viribus fulmineum enſem adegit, ſacram verò ceruicem, ac ſi ferrum ac lapidem ſecare non potuit; Tantum ſumma cutis, vix tenuem velut lineam ictus, & quod ſolum ictus agnoſceretur accepit, quod ſignum vlterius obduci, quamdiu in corpore vixit non potuit. Relinquere per hoc voluit omnibus auditis DEI omnipotentia, & ſuæ virtutis indicium, & humani flagitii. Quo ſemel cepto miniſter diaboli fruſtratum ictum ſuum imputans, quòd negligenter feciſſet, denuò cum cura & enixius ferire parabat. Age, cernere erat vim viribus exire conantem. Tum in altum vibrans gladium, vt ab alto grauiori ingereretur in gulam, trabem ſuper verticem, dum non prouideret, valido prius ictu ſignauit, erat enim in æſtuario, tractusque continuò enſis in partes diſſiliit. Indicium fuit Pontifici, quod nondum venerat hora eius. Non in tenebris, neq; ſub tecto, verum inter confertiſſimos hoſtes apud Corozaim triumphus illum manebat. Equidem & armiger ſathanæ caſu credens rem factam, ſed manifeſtam DEI manum expaueſcens, tum virtute, tum authoritate viri permotus, flexit animum ſuum, & eiuſmodi preces effundit, coram ſancto proſtratus: Confiteor pater Domine, omnipotenti DEO; quia infœlix ego homo peccaui multipliciter, in ſanctum & honorabile caput tuum, non vniformiter: ſed per illum, qui te ſaluauit, obteſtor, & flagito, vt veniã reo indulgeas per tuã clemẽtiã. Ad hæc tam pia facilitate quàm prudẽti diſcretione in hunc modũ reſpondiſſe Epiſcopũ accepimus; Quoniam pœnitet delicti in nos admiſſi, ex parte mea corde tenus illud indulgeo; ſi quid verò in DEVM perinde conſtat flagitioſè commiſſum, notum à ſeculo eſt Domino opus

ſuum,

ſuum, quod reddere oporteat. De hac aliter videas conuenit. Sed jam dicta etiam atq; etiam mente verſantibus, quàm prudenter in re vna eademq; inter noſtram diſcretio & Dei juſtitiam, certo certius erit. Etenim accipere iniuriam, reddere bona pro malis, juſtitia Chriſtiana eſt, aut ſuæ perfectu eſt. Per ſe homo, vel ex ſui parte ignoſcat gratuitò, neglectum ſui apud conditorem impia cauſa non poterit. Noluit ergo verus doctor, quæ vera, quæ ſana, non etiam reo huic innoteſcere; quod ſuum erat fecit ei, & egreſſus eſt homo. Nec defuerūt inter hæc monſtra quàm plurimi longè lateq;, qui miſerandos caſus antiſtitis profundè dolentes, ſubueniendi animos auidos gererent, ſed horum alios jus factionis, alios alia impedimenta repulerant. *Principes* conducere potuiſſent, ſed eos partim ſimilis ærumna iiſdem de cauſis vexabat, alii tum Rege talia faciente *Principes* erant. Pauperes contra violentiam aſſiſterent? ſed pauperes erant: paupertas indiga opis, inops auxilii eſt. *Patrem Apoſtolicum* appellaſſent? ſed hoc exemplum calamitatis, his tempeſtatibus erat, proſcribebatur, cædebatur, exterminabatur, humanarum rerum ſpectaculū præbens. Adeò implacita vrgebant, & deformia tempora.

Attamen fuit ſecundum genus ſeculi honeſto loco natus quidam religioſus ex illis, qui apud Canonicos & Monachos exteriores fratres in cappa vocantur, cuius ſchema ordinis & habitus is, etiam NORICÆ regioni omnium primus intuliſſe narratur. Equidem ab Abbate HIRSAVGENSI Reuerendiſſimo VVillihalmo per idē tempus humili officio, humili inſtitutione illud genus ortum ſuſceperat. Prædicti autem fratris *ſ. nomen* nominis CHVNRADVS ferebatur. Hic ſolus dignus inuentus eſt, cui

cui præſtaret in fructum perennem omnipotens, liberare famulum ſuum de manupotentiæ. Et oportunam rem videns, quia pecuniæ obediunt omnia, ſumptibus componere negotium parat. Itaq; inter cognatos & notos communes, collatione facta, militem cuſtodem 40. * talentis corrupit, & præſulem de captiuitate ſaluum ſecum abduxit. Erat autem vir DEI etiam ingenti fortitudine præditus, adeò vt militem cum omnibus armis de ponte fluminis vna manu ſuſtolleret, & ſine onere pendulum in aere palpitantemq; teneret. Et vt breuiter concludamus, omni gratia, omnibus bonis, ſuper alios mortales inſignis enituit, præter pacem mundi, ſi benè hæc dicenda pax eſt. Verum ipſa media eſt, nec fugere omnes bonos, nec omnes amplecti videtur, quam nemo bonus benè vnquam concupiuit, dum premere magis bonitatẽ nonnunquam conſueuit. Quantum verò ad præſens attinet, VVerra, ſanguis, iniquitas ſic tempora illa fœdauerat, vt quietum nihil, tranquillum nil merito eſſe poſſet; pacem verò bonis fore nec ſaltim deceret, vnde minus mirandum de noſtro antiſtite. Qui poſt captiuitatem, vt dixi, ſolutam, in terra ſua, jam fructum ſuum non ſperans, in Sueuiam ſe contulit, & cũ venerabili GEBHARDO Conſtantienſi Epiſcopo tempus redimens, Sanctis & DEO ſeruientium monaſteriis, quæ in circuitu erant, ſuã commanſionem indulſit. *ſ. talentis.*

Secundus autem venerat annus poſt eum, quo ſancta ciuitas Hieruſalem de ſubiugo gentium ceruicem erexerat, nec dum tamen, aut bella omnia parata, aut armis parta, pax & ſecuritas fuerat. Initium illud miſericordiæ ſtillauit DEVS, ſub Duce GODFRIDO, qui cum aliis, quos idem Spiritus repleuerat, primoribus, 70. millia expeditorum adduxerat, acceptaq; victoria, Rex Hieru-

Digitized by Google

ſalem creatus ex ſententia omnium & vnctus eſt. Horum opus adiuuare pro nomine Chriſti conflagrauerunt ex Almannia, Bauari, Sueui, tam proceres nonnulli, quàm populares, tradentes in hoc mundo animas ſuas, vt in reſurrectione vitæ ſumerent eas. Caput horum & ſydus, vt ita dicam, quo cuncti regerentur per mare, ſacer TYEMO factus, ſimul cum Duce VVELFONE Hieroſolomytanæ peregrinationis iter inuadit, præſertim quia non fructus in agricultura ſua, ſed fœda omnia euenerant atque acerba. Sic mala res, peior ſpes, procul & vsque in Sueuiam cultorem de vinea ſua eiecerat. Veniunt ergò cum eo omnes conſtantes corde, vsque ad terram repromiſſionis; cum ſubitò antequam ſanctam vrbem attingerent, innumera Ethnicorum multitudine circumfuſi, & conſtricti ſunt. Etenim in ciuitate Corozaim tres fratres principabantur, ſæuitia DIOCLETIANO paganiores, DECIO tyranniores, qui aduentu noſtrorum comperto, ante quidem pro recenti amiſſione Hieruſalem & victoria Chriſti nimium venenum vix continentes, & tunc euomere totum in peregrinos auentes, inſtructi pro tempore copiis quàm maximis intentiſſimè obuiam ruunt. Cernens vim viribus exiſſe pugnantes. Hinc late ſtrage noſtrorum facta, paucis elapſis, quo ad deſiderata loca tantum peruenerunt, reliquos omnes in captiuitatem duxerunt.

Dux VVelfo apud Paphum ſeculo exceſſerat, Epiſcopus autem inter eos Chriſtianos, permittente Deo, qui capi propter nos & ipſe non renuit, capitur, trahitur; nec repugnauit, ſed indignos pedes ferrea boga religatus ſubigitur. Eo quippe modo quoquo verſum, illic pagani Chriſtianos, Chriſtiani paganos, vinctos

ctos angariare ad ſeruitia quotidiana conſuerunt, ligna, lapides, aquam de procul baiulare. Cumque poſtmodum inter ſe prædicti fratres diuiderent ſpolia rerum & hominum, præcipuus ipſorum proprio Epiſcopum peculio vendicans, venundare quaſi vile mancipium cum aliis venalibus ſtatuit, infelici mercimonio ſuum cupiens ſarcinare ſacecllum. Veruntamen concaptiui Chriſticolæ, qui inita fœlicia, & ordinem viri minimè neſciebant, omni reuerentia nihil remiſſum, nihil tardum obſequentes agebant, vt patrem obibant, vt ſancto humiliabantur.

Nec latuit paganos quid agitur, inſpectant, quę perſona, aut quid intra ſuos fuiſſet, noſtros ſciſcitantur. Reſpondetur, conditione illuſtrem, vita puriſſimum, dignitate Epiſcopum eſſe. Hi venientes Regi ſuo, quæ audierant, intimare non differunt. Ille accerſire Pontificem, & ſuis aſpectibus aſſiſti præcepit. Quem huiuſmodi alloquio adorſus eſt: Quis es? aut cuius artis peritus? Ad hæc Epiſcopum talibus verbis locutum accepimus: DEO meo largiente diuerſarum quidem artium diſciplinam profiteor, ſed præcipuè vt ſapiens architectus fundamentum fidei firmiter in cordibus hominum ponere ſcio, ſuper quod ſi quis bõa opera ædificauerit, neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus ſubruent hominem fundatum ſupra petram, quæ eſt CHRISTVS. Clericum autem ſe & *Prædicatorem* figurabat. Reſpondit ei Rex: De ædificio huiuſmodi nihil mea intereſt, ſed tabulæ artem ſi noſti, ſeu pictoriam, vel aliquid tale, noſtræ vtilitati accommoda. Si artificem, inquit,

Digitized by Google

noſſe deſideras, optimè vetuſta renouare & ſcio & poſſũ. Ille non capiens, quæ Dei ſunt, cum indignatione reſpondit: Quid ambagibus garrulis circumſcribendo laceſſis? Ait ad eum Epiſcopus: Verè, vt dixi, nutantia & vetera renouandi diſciplinam accepi, quia legem veterẽ in nouam Chriſto Deo meo auctore commutare noui; inſuper & operatorias artes, quas quæris, ſcilicet aurariam & huiuſmodi, omnes profiteor. His auditis in gaudium magnum, & vocem erumpens ait Rex: Gratias diis noſtris vberrimas ago, quod ſeruum cunctis vſibus idoneum dignati ſunt deſtinare, & conuerſus ad Epiſcopum, Age nunc artificum optime, inquit, da operam, DEVM meum manus truncatum, aut noua effigie ex integro, aut nouis manibus reſtaurare, vt propitium diuina prouidentia *penſius tuo beneficio mereamur ſentire. At ille gentilem inter ſe, & miſerans & irridens errorem ait: Iube Deum truncum huc afferri ad me. Accelerant ſeruientes Regi, & ecce inter manus præſentatur laruale ſimulachrum, verè laruale, cuius alia forma exterius, alius habitator interius, ſcilicet Diabolus, quẽ in eodem demens vitio paganorum, diuino adorabat ritu, & coluit. Intuitu eo, ſubiunxit Epiſcopus: Malleo, inquit, opus eſt; ni fallor, emendare potero Deum veſtrum. Credunt deludẽti, gratulantur, malleus grandis defertur, ſicut præcepit. Quem manu arripiens, acceſſit ad ſimulachrum. Cumq; ſteteſſet ſuper illud, hoc ſermone exorſus eſt: Immunde ſpiritus, qui in iſta effigie habitas, ad deludendos miſeros homines, qui non credunt DEVM in vnum & verum, & loquens & ſeducens, ſicut per ſerpentem ſeduxiſti Euã, tibi præcipio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vt de omnibus quæ voluero, accipias verba & reddas. Confeſtim verba contulit ad diuini nominis obteſtationem

f. propenſius.

De hac narratione idoli, vide quæ notaui ad Lectorem.

nem diabolus. Cumq; diutius ſermocinarentur, dæmon in Chriſtum quandam blaſphemiam proferre auſus eſt, quam concuſſans aures vir DEI ſuſtinere contumaciam noluit, ſed blaſphemum monſtrum inſiliens ſoletenus illud proſtrauit, & malleo, quem manu tenebat, cum vires etiam bonus furor incitaſſet, particulatim ingentem ſtatuam, DEI virtute in breui comminuit. Quid plura? videntes pagani, qui circumſtabant, rem geſtam, mutuò ſemet hortari, & quadam quaſi freneſi capti ſacrilegum clamitare cœperunt, & impetu facto in eum nil aliud mox, quàm nece mortis vindictam anhelauerunt. Verum Rex aliis inſanis ipſe inſanior, peiori conſilio ſuſpendere interim lethi celeritatem malebat, & prolocutus eſt dicens, Nolo herclè, nolo vno, ſed multimodis tormentis contumacem laniatum finiri. Per me inſuper id nec volo, nec poſſum, par eſt DEOS conſulere, eorumq; placito & poſteris digna decernere. Vinculis ferreis interim & carceri infernali damnetur. Amplectuntur ſententiam iniqui ſatellites, fitq; vti ille cenſuerat, & catenatus ad carcerem Præſul importunè impellitur. Ibat autẽ exultans & laudans DEVM in hymnis & canticis, agonéque ſuum omnipotenti DEO commendans. Rex autem contrito ſimulachro, neſciens diabolum ſuum vnde viuere requireret, ad aliud vicinum idolum ſtatim miſſos ſuos cum hoſtiis direxit, dans in mandatis, vti ſacrificantes velociter, de agendis conſulta referrent. Sed quemadmodum diſpenſatione diuina beato Iob olim Sathan violentiſſimus quidem in facultate, & in carne eius pugnam inflixit, ſed nolentiſſimus de pugna occaſionem in cæteris præbuit gloriæ, pari modo nec aduerſarius noſter diabolus, dictare potuit, quot, quibusue modis homo DEI laniatus enecaretur, non autem prouidit, quem fru-

Digitized by Google

ctum patienti pro conſtantia operaretur. Nobis ſatis cõſtat, hæc ſicut & præcedentia ideo cuncta fieri in eum permiſſa, quatenus titulis eius, nec martyrii triumphus deeſſet, & concaptiuis Chriſtianis robur eius æmulationé accreſceret. Sacrificantibus ergò miniſtris Regis, & conſultantibus, dæmon articulata voce emugire auditus eſt, dicens: Licet meo fratre & Collega amiſſo, miſeriis cuius deiectus, vix edere voces ſufficio. Quid dignum ſuper temeritate conſulam, aut quæ pœna reſpõdebit tanti ſceleris reo? Illi non ſatis eueniet, quicquid eueniet. Ito ergò, domino veſtro meis verbis dicentes, vt flagellatum primò, ſacrilegum in ſpacioſum pertrahi campum præcipiat, ibiq; cum ſacrilegium corrigendo, dominum veſtrum reparare, numina ſimul adorare noluerit, variis & ſæuiſſimis actis pœnis de viuentibus auferatur. Ad hoc verò ſpectaculum omnis globus Chriſtianorum, velit, nolit, conueniat, vt eius pœna magiſtra, cultum diis terror, reuerentia dominis timorem incutiat. Accepto huiuſmodi oraculo ex ſententia animi ſui, Rex alacer & lætabundus, cuncta vti doctus erat, mandauit effectui.

Solet verò nefanda confici arte vnguenti quædam ſpecies, contuſa viperæ ac lacertæ aruina cum aliis eiuſmodi beſtiis, eoq; vnguento impii homines ad peſſima opera, pagani verò ad ſupplicia noſtrorum vti conſueuerunt. Talis enim naturæ eſt, vt oblitam cutem deſuper oſſibus & carne ſtatim auellat. Hac ergò letifera ſpecie contra ſanctum die poſtera efferati, primo ſoleam inde perliuêre: quam baculo appẽdentes, nudum præ ſe Martyrem ſuper aſino in campum agebant, infectaq; tali ſolea verberantes, cutem corporis, vbicunq; tacta fuiſſet, detrahebant. Sic in campum agitur venerabilis

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus, & ineundo ad DEVM eximo corde huiuſmodi preces effudit: Domine IESV Chriſte, qui pro nobis paſſus es, nobis relinquens exemplum, cui ſeruio ab infantia mea, cum ſis juſtitia & veritas, pro te omnibus ærumnarum generibus, vſque in exilium deueni, & ecce ad mortem pertrahor, vt compleam ea, quæ deſunt paſſionum tuarum in corpore meo. *Coloſ. 1.* Hic dies autem victoris, omnesq; calamitates fœliciter conſumabit, aut victo perpetuæ miſeriæ initium cumulabit. Præſta ergò ſeruo tuo, viriliter agere, ne timeam tyrannum hunc, & quæ ab eo inferuntur tormenta, fortiterq; pro te ſanguinem fundens, liber deinde à peccatis, & doloribus, tecũ exultem in ſæcula.

Cumq; ad aream certaminis veniſſet, jubentur ſpectatum adeſſe omnes noſtræ profeſſionis, & in modũ circuli authorem ſuum circumſtare, vt de propè videntes, & audientes recogitent & timeant, & exemplo diſciplinam accipiant. Leuatur impio regi tribunal in medio campi, adſunt proſpectum cum omnibus oppidanis funeſti ſatellites, & de proximis caſtellis magna frequentia. Iudicium ſedit tyrannus, & juſſit exhiberi Epiſcopum. Quem intrepidum & alacri vultu accedentem vt vidit, hoc ſermone adorſus eſt: Tu es ille contumax qui in DEVM meum mittere manus impias non timuiſti, nec noſtri reſpectum, nec Deorum reuerentiam habere voluiſti? Reſpondit Epiſcopus: Turpis eſt Deus & ſine deitatis virtute, qui conteri potuit, prohibere non potuit. At non eſt reuera lignum Deus, ſed miro modo rationabiles homines ſine ratione ſunt, ſine cerebro, & veri frenetici, qui neſciunt, quid dicant vel faciant, qui de rebus putant, contra quàm eſt, DEOS fore lapides ligna, Vulcanum claudum, Iouem (vt expreſsè loquar) ipſum

ipſum ſcelus & crimen mundi abominandum, & cætera viſu digna. Ego autem vnum Dominum habeo, vnum Regem cœlis atq; terris imperantem, viſibilium & inuiſibilium creatorem, hunc adoro, huic deſeruio, à quo, donec ſupereſt in me halitus, auelli non potero. Dixit ei Rex: Depone miſer inſaniam tuam & audaciam, quia niſi acquieſcens deos adoraueris; Chriſtus tuus te ſaluare non poterit de pœnis paratis.

At ille non reſpondit ei verbum, ſciens ſtudio ſecus viam ſemen non eſſe perdendum, quod diabolus tollit de corde, ne fidem fructificet. Tunc Rex imperans militibus ait: Accedite nunc, omniumq; digitorum vtriuſq; manus ſummos articulos ſecantes præcidite. Initium dolorum hoc. factumq; eſt ita. Deinde Rex funeſtus dixit Epiſcopo: Adhuc per te tibi conſulere expedit, vt ſacrificans reliqua mortium ſuperuadas, & vitam reſerues. Reſpondit Epiſcopus: Tua doctrina non eſt tua, ſed diaboli, opera eius non habeo, per me ſalubria ſapio. Qui enim vitam Chriſto offenſo volet ſeruare, hoc eſt planè perdere illam.

Ad hæc tyrannus commotior militibus ſuis, etiam iniunxit partes digitorum omnium, quæ ſequuntur ſupremos articulos truncare atrociter. Placet pertinacem pertinaciter per ſingula membra concidi, fecerunt vt juſſerat, omniq; flexura digitorum ſenſim reſecta, tum ipſas manus, poſtremò brachia detruncantes inſultauerunt. Tunc oēs noſtræ profeſſionis tam capituli, quàm incolæ regionis, mos enim in partibus illis obtinuit Chriſtianos complures, cum pacis conditione inter paganos pariter habitare, pariter negotiari, qui cuncti ſpectaculo horrendo aſtantes, quod ſolum poterant, queſtibus & lachrymarum

marum vndis modum exierant. Ad quos in ipſis doloribus Martyr conuerſus, blanda conſolatione allocutus eſt dicens: Nolite boni commilitones, & ciues Hieruſalem ſupernæ, ſi fidem vsq; ad finem vitæ teneatis, nolite ſuper me flere, nolite non dolendum dolere; ipſe enim ego tametſi corpore in præſentiarum deficiens, ſublimiter ſpei robore gaudeo, quem eleuandum jam jam ab imis ad ſuperos per gratiam Chriſti confido. In quo magis etiam gloriæ noſtræ congaudere vos decet, ſimul & gratias agere DEO, qui veſtris diebus, veſtris finibus me ſuam eligere dignatus eſt in hoſtiam ſuauitatis, vobis in formã beati certaminis. Eniti cum omni virtute poſt obitum meum vos hortor ac moneo, vt fide inuicta, conuerſatione perfecta, gentibus irreprehenſibiles, Chriſto accepti perſtetis; & ſi paupertas, preſſuræ, exilium, imminent, memineritis vos in manibus palmam, regnum, gloriam portare. DEVS remunerator ea omnia victoribus præmia poſuit. Quanta cuiq; fuerit virtus in vita, tantum erit receptus in præmio. Sæuiat tyrannus quoad poteſt, moriar; mors vltima linea rerum. Alia vita, alia gloria ſubſequetur. Talia perſtabat memorans fixusq; manebat in agone fœlici. Quo juſſo, ad pedes ſecandos juſſit Rex impius conuerti carnifices. Iamq; per ordinem juncturа, ab junctura ſenſim decisa, tunc demum ipſa crura detruncare inſanientes cœperunt. Quid amplius facias ô inſatiabilis ſemper crudelitas? Cur beatus Præſul jam jam ſpectaculo fœdo, miſerabili, horroris pleno, nonne quod inſanis mentibus ſemper crudelitas ſuauis, impietas jocunda, ſanguis voluptas, ſæuitia, ſtimulus eſt? Rex enim ſceleſtiſſimus ſanguinem bibens, in ſiti ſanguinis permanebat, & ſimilis hydræ illi famoſæ, cui numeroſa capita pro vno ſurgebant, ſic cepta ſemel rabie creſce-

Digitized by Google

bat magis ac magis, nō minuebatur. Iuſſit deniq; poſt prędicta omnia ſancti Epiſcopi vmbilicum ferro aperiri, & inteſtina illius inde inhumaniter extrahere, & extracta circa lignum, vti fila quælibet tenuata in fuſum glomerari. Cumq; diu ſancta viſcera tali modo extraherentur, dolorū extrema vitalia cordis pulſauit. Iamq; in vltimo ſpiritu conſtitutus, ſuſpiria quanta poterat, oculoſq; in morte natantes, ſurſum eleuans ait: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Quæ verba ſimul cum vita finiens, beatum ſpiritum reddidit. Verè bono certamine certato, curſu conſummato, fide ſeruata, repoſitam ſcilicet coronam iuſtitię Dominus reddidit in die illo, quemadmodum ſubiecto probatur indicio.

Hinc patet fides hiſtoriæ, & auctorem fuiſſe æquæuum.

Quidam namq; Chriſtianorum, qui omnem poſtea eius paſſionis hiſtoriam, noſtris partibus retexuit, teſtabatur, ſe ſub ipſa hora transitus martyris de corpore vidiſſe angelicum chorū cum hymnis cœleſtibus venientē, & aſſumptam animā ad ſuperos cum exultatione viſibiliter ferentē. Vbi quanta gloria triumphans communi ſuperum cœleſtium ſpirituum fauore ſuſceptaſit, in corpore etiā extincto ſuper terram declarare diuinitas voluit. Particulas quippe membrorum negligenter hinc inde diſiectas, decreuit barbarica ſæuitia, equorum pedibus conculcādas proiicere, ne, quod futurum erat, ſic eū deuotio Chriſtiana poſſet Martyrē facere. Accedentes ergò & tollere vbiuis ſparſa nitentes, quod mirum dictu eſt, nec minimū aliquid eorum valebant, quamlibet multi, à terra mouere. Pondus ſanctitatis molibus grauiora membra reddebat, magnitudo meritorū maiorū erat, quàm vt ferret iniuriā, quæ honoris digna, quæ obſequii exigens. Multa cura, multiſq; modis opus tentatur, fruſtrà inceptum Deo reſiſtente oſtenditur. Neq; enim vltrà canum quilibet aut a-

uium,

uium,ſeu beſtia de ſaltu accedere propius, & contingere de corpore ſacro præſumpſit. Mirati omnes tum demũ quid,cui,feciſſent;ponere ſuper cor,& pauere cœperunt. Super omnes ipſe Rex quid ageret dubius,quodue conſiliũ caperet,vultu,colore,motu corporis pariter & animo varius agitabatur. Ad vicinum tandem idolũ,MACHMIT nuncupatũ,quod & ſuprà conſuluerat,miſit properè, qui acta indicantes,oraculum,quin totis de agendis referrẽt. Quibus dæmonẽ hoc modo locutum accepimus: Fateor magnus eſt,& fortis potentiæ DEVS Chriſtianorũ, qui pſtat diligentibus ſe omnia cooperari in bonum. Ecce quẽ morti atroci addiximus, quia fidelis in modico perſtitit, ſuper omnia bona domini ſui conſtitutus eſt. Sua patientia,crudelitate noſtra,id lucratus eſt viuens, vt in mortuũ nihil poſſimus. Veruntamen quoquo pacto deſuper terra auferatur neceſſe eſt. Sepeliatur vel ab ipſis ſuæ ſectæ hominibus. Nec diutius ſpectetur ſub aere feris,auibusq; vitandis quaſi ſacrum aliquod maximum; vnde gloria contra nos indies creſcat, vnde fama in populos longè lateq; ſe porrigat. Erepto aſpectibus corpore,ſolet ſenſim & mentibus elabi memoria. Permitti ergò partes ſui corporis Chriſtianis cenſemus. Poſtquam loquela ceſſauit dæmonum, reuerſi ab eo legati,quæ audierant, quæq; in mandatis acceperant, perferre ad dominum ſuum non diſtulerunt. Acquieuit ille placito, & datis dextris ſecuritatis,cunctos Chriſtiani tituli in vnum confluere,& patrem ſuum, vbi vellent,ſepelire præcepit. Quæ creatori gratiarum actio, quanta exultatio, demerſos pios vniuerſorum animos erexerit,nos inſufficientes dicere,legentium ſenſibus metiendum relinquimus.

Cumq; conueniſſet copioſa multitudo noſtrorũ,leuantes ſanctiſſima mẽbra Chriſti Martyris, cum hymnis

Digitized by Google

& laudibus deuotiſſimis in Eccleſiam deportauerunt, tribusq; diebus ac noctibus impendentes excubias, ita demum glorioſæ ſepulturæ tradiderunt. Continuè autem Chriſticolæ prouinciales ipſius titulo & nomini, aliam in honore Chriſti ſuper corpus eius condere cœperunt Eccleſiam magnifico opere, digna amplitudine, auguſto decore, quin à Deo merita eius incontaminata conſeruant, vt idolum aliquod introferri aut poni in ea nunquam permittant. Aut enim prophanatæ ſub ipſis liminibus dæmone exagitante repellitur, aut ſimulachrum in fruſta comminutum, ſtratenus, vti Dagon olim ante arcam deiicitur.

Eodem verò die depoſitionis ſuæ, ac deinceps multa Devs ſigna & mirabilia oſtendere dignatus eſt, non ſolum in Catholicis, verum etiam in ipſis paganis, ſicut grandæuo quodam & religioſo quodam valde probo referente didicimus, in præſentia ſua cæcorum, claudorum, leproſorum, dæmoniacorum tot in breui curatos, vt numerum computare, celeritatem verò in oculis teſtibus credere non poſſet. Ea propter impenſiſſimi amoris affectu, omnis paganorum grex, Martyrem amplecti non ceſſat. Vrget frequenter obmittentes neceſſitas, cõpellunt eos experta pericula. Si quis enim Ethnicorum aliquando aut præſumptuoſiorum, aut virtutum eius expertiorum, effringere ſepulchrum Martyris, aut violare aliquatenus præſumpſerit, ſine mora aut ſpiritu peſſimo repletus punitur, aut morte repentina extinguitur. His ſæpius comprobatis, tanta dudum reuerentia gentiles cuncti Martyrium eius honorant, vt omnes Chriſtianos ad ſepulchrum eius de longè vel propè tendentes, ineundo ac redeundo pacis immunitate ſaluos dimittant. Videat nunc primò ipſa mater Romana pro cuius fide &

& hinc fides huic hiſtoriæ accedit.

cha-

charitate omnia extrema percurrit, viderit hæc, inquã, quæ proprio athletæ præmia debeat; ſua idem ipſius ꝓpria Eccleſia IVVAVENSIS in pectoris alta demittat, qui cultus, quod ſtudium tanti patris ac propugnatoris natalicia deceat, tantò certius, tantò impenſius, quantò ſignis continuis dempta dubietas, commendata merita, addita gloria eſt. Videri poteſt non mediocri intus gloria præditus, cuius tanta miracula foris coruſcant. Paſſus eſt autem egregius Chriſti Martyr 4. Kalend. Octobris, adiuuante & coronante Domino noſtro IESV Chriſto, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Vita

SANCTI WILLIBALDI EPISCOPI AICHSTADIANI.

Auctore

Anonymo.

Nunc primum

Ex

Membranis m. ſ. Monaſterij Windbergenſis in Bauaria in lucem editus.

Ad

Ad Lectorem.

Vita hæc debebat ſuprà collocari ſub finem Hodœporici S. VVillibaldi fol. 513. Sed non habui, ſub finem editionis ſum primùm nactus, humanitate Reuerendiſſimi Patris ac domini Andreæ Vogelii Abbatis in VVindberg Ordinis Præmonſtratenſium. In m.ſ. non erat appoſitum vllū auctoris nomen. ſed coniectura mihi pæne certa eſt eſſe Reginoldum, qui teſte Moſino, Bruſchio, & Baronio ſcripſit vitam S. VVillibaldi, quem, vbi nominat, ait, *Patronum noſtrum.* [illegible] *ſuppliare tuis tibi à Chriſto collatis*, &c. vbi videatur quis audire Epiſcopum Aichſtadianum pro ſuis Aichſtadianis ad primum Aichſtadianorum Epiſcopum & Patronum preces fundentem. Præterea cùm dicat Bruſchius Reginoldum fuiſſe virum doctiſſimum; certè hic ſtylus doctus ac elatus illo turgido dicendi genere, quod illius æui doctiores affectabant, oſtendit auctorem. Vt proinde nulla poſſit eſſe ſuſpicio de auctore illo vel illa, quæ vitam S. VVunibaldi ſcripſit, (quam ſupra fol. 514. dedimus) ſeq; teſtatur etiam S. VVilibaldi vitam ſcripſiſſe. Vide quæ notaui ad Lectorem ſupra fol. 476. &c. Hoc tamen verum eſt, auctorem huius vitæ S. Willibaldi plurima ſcripta de S. VVillibaldo legiſſe: ita enim ait: *Prout Deus & Dominus omnium conſulis legenda in ſcedula pauca conſtringimus.*

Vita

VITA SANCTI VVILLIBALDI EPISCOPI.

ORiginem egregii confeſſoris Chriſti atq; Pontificis VVillibaldi Saxonica tellus excepit, & tanta fœcunda de prole felix feliciter exultauit. Verum poſt eum ſalſivaga ponti lympha perlambens orientis partibus deſtinauit, vt quem illa meruit per naturam, Boiaria mereretur habere per gratiam. Is igitur cùm lepidis in primordio delicatæ teneritudinis educantium foueretur adulationibus, blandoq; parentum præcipuè, affectu puerulus nutriretur, proſperum dierum rotantium curſu triennii peruenit ad calcem.

Cumq; futurus Dei Tyro infantiales adhuc teneri corporis gereret artus, quædam illum repentina in viridi membrorum compagine tetigit ægritudo, tantoque corporis eſt arreptus incommodo, vt moleſtia prægrauante, exigua ſtringerentur membrorum compagia, & vix in eo vitalis permanens flatus, vicinum jam jamq; minaretur exitium. Cumq; pater & genitrix anxii cordiflua ſæpius ſæpiusq; protraherent ſuſpiria, & ægrotantis, peneq; ſeminecis ſui editi præſtolarentur egreſſum, viſcerali, & inopinata affligi cœpere mœſtitia, quod ſoboli ſibi

Digitized by Google

cœlitus attributa lues tyrannica, & exitiale diſcrimen ex improuiſo lugubrem minarentur exceſſum. Et quem à primordiali infantia ablactatum atq; contutum vſq; ad triennium educauerant, & vitæ ſuperſtitem relinquere anhelabant, jam extinctum auara tegerent gleba.

Miſerator ergò & miſericors Dominus, qui infirmitatem ſæpe ſuis incutit Sanctis, vt inualitudo fortis per ipſũ virtutis recipiat vires, noluit beati pueruli VVillibaldi adhuc terræ mandare corpuſculum, eiuſque mundum cum ſanctis cœlo ſuſcipere flatum: verùm vt per orbem jam fide firmus lucrator exiſteret animarum, & ſpiritualium paſtor ouium, ipſe qui ei exſtitit ægro infirmitatis exordium, medelæ contulit incrementum. Salubri namq; parentes ipſius conſilio inito, viuificæ eum ſanctæque crucis obtulere vexillo, vt ſi per ipſam, per quam ſalus data eſt mundo exitiali vita redderetur puerulo, ſacri ordinis primordio attonſum monachico donarent cœnobio. Statimq; vt concepti ipſius fœlicis voti theſaurum triſtia labia pendulis vocibus extulerunt, ipſa quæ dudum in puero graſſabatur morti vicina infirmitas quaſi quadam hoſtili manu repulſa, ceſſit fugiens priſtinæ ſanitati. Læti ſunt de tanto, quod optauerant munere, laudes Chriſto promunt corde & corpore, & votum quod fideliter vouerant, ocius conantur implere.

Ergò cum eum ad quinquennij metam temporis rota deuolueret, & ſpiritalis in eo germen ſapientiæ jam jamq; feliciter pullularet, parentes deſiderabilis fœtus non immemores ſui, ad ſacræ cœnobialis vitæ rudimentaculum parare feſtinant, vt quem Chriſtus ſalutari reddiderat vitæ per vexillum crucis viuificæ, viuendum eum, & non moriendum, jam ſpiritaliter in æternum contemplatiuæ traderent vitæ. Affectui deniq; animi prompto comita-

mirantes effectus: commendant namq; eum, cui diuina gratia iam fuerat præſula, cuidam nomine Thealoreto ad cœnobium deſtinandum; de ſe ſuisq; omnibus prouide eum diſpenſare, diſponereq; rogantes. Quem cum ad monaſterium, quod ab incolis dicitur VValdheim proſpero calle peruexerunt, tantæ indolis puerum illuc cœleſti munere deſtinatum venerandi Abbatis Eguiualdi vocabulo, ad tyrocinium ſacræ militiæ, manibus tradunt. Qui protinus ac ſi donum cœlitus deſtinatum cum conſenſu Sanctorū inibidem orantium fratrum, liberaliter, futurum Chriſti ſacerdotem in teneris infantiæ ſuſcipiens artubus, & theſaurum dominicum fideli mente complectens, cœnobialis vitæ eum ſubdidit inſtitutis. Cumq; ſacras Dauidici carminis paginas ſolerti mentis intentione puerulus diſcendi gratia peragraſſet, hagiographorum ſe ſtatim ſedulus ſubdidit inſtrumentis, ſanctiſſimis pridem pſalmorū ablactatus vberibus, ita vt ab eius ore infantis & pene lactentis vocem ſibi Chriſto perficeret laudis, ſicq; creſcentibus eo membrorum compagine, creuit etiam poſt circulū dierum cœleſtis obſeruantia diſciplinæ, & totius forma Iuſtitiæ. Totus namq; in amore Dei conuerſus, nihil temporale, nil voluit habere carnale, excepto quod natura labilis carnis haud potuit denegare. Sumebat quotidiè miles Chriſti fortiſſimus arma cœleſtia, & criſtato vertice galeā ſalutis æternæ, in ſtadio cōtra hoſtem antiquum præſentis vitæ acrior pugnaturus, Spiritus ſancti machęra fulgebat aucta. Tum deniq; in abdita mentis eius quiete ſalubris oritur cogitationis effectus, qualiter cuncta quæ ſunt caduca reſpueret, & illa quæ necem & mortuos non ſequuntur ſollicitus declinaret, & non ſolum oblectantes mundi diuitias, mulcenteſq; ſeculi pompas, verū nota linqueret arua, & patrios deſereret fines, peregrinationis an-

guſtiis pro deliciis vteretur, quod poſtea verus probauit euentus.

Poſtquam igitur ſanctus adoleſcens VVillibaldus in eo, cui ſe totum commiſerat, ſpei & deſiderii ſui anchoram defixerat, conceptum jam dudum & abditum patefecit occultum; & genitorem in remotioribus ſuper hoc negotio humiliter conſulens monet, vt votiuæ ſuæ voluntatis conſilio & libenter præberet aſſenſum, & filiis peregrè proficiſcens, patris in eundo fieret conſortio, ob amorem cœleſtis patriæ, toto poſtulat mentis conamine, aſſerens ei mundi diuitias falſas, & in perpetuum perituras, & ſimul cum mortis diſpendio relaxandas, male homini in ſeculo viuere, nihil aliud fore, niſi ipſi gehennæ incẽdia cumulare; è contra bona cum fide agenti & in ipſis perſeueranti, & poſt corporis diſſolutionem in perpetuum cum ſanctis Angelis viuere, & nihil aliud agere quàm Deum in æternum laudare. Tum pater adhuc liberorum & coniugis amore ſollicitus, inhoneſtum & crudele cunctis eſſe teſtatur, vxorem atq; paruulos liberos alienis quaſi prædam relinquens, tellurem per tanta ſali diſcrimina adiret ignotam. At miles Chriſti jam in petra firmiſſima ſolidatus, nec genitoris lenociniis frangitur, nec ſeculi gaudiis reuocatur, quin potius iteratis adhortationum elogiis & precibus indefeſſis, & modò delicias paradyſi, ſpemq; ſine fine viuendi illi opponens, modò flammiuoma baratri tormenta obiiciens deſiderabilis voti potitur tandem effectu, & de patris jam lætatur aſſenſu. Itaq; voluente temporum climate, & vergente annorum curriculo, cum æſtatis fornax jam exordium poſceret, cōmoda itineris ſecum tollentes, cum cœtu commeantium collegarum, juncto etiam B. VVunibaldo germano fratre, ad loca deſtinata perueniunt, quæ priſco nomi-

nominantur vocabulo hamelea mitha, ſecus portum, quod dicitur Hamvvich. Ibiq; caſtra metantes paululum temporis demorati ſunt, flamina nauigii præſtolantes.

Adueniente præterea optati temporis hora, qua ſuis claſſem placidis pontum ſuſcepit vadis, naulo impenſo, pennigerum aſcẽdere celocem, Circio flante, crepantibus remis, rugoſas infatigabiles marmoris venas jam læti ſulcantes: Cumq; vaſti æquoris moles cæruleas citato nauium curſu proſpero tranſegiſſent, Chriſtum cũ oĩs in ſanctis ſuis habitantem habentes portum ſalutis inuenerunt, ipſiq; immenſas gratias agunt, ibiq; figentes tẽtoria, vrbis proximæ, Rotomacum vocabulo mœnia adierunt, & multa ſanctorum illic oratoria perluſtrantes, ipſi quem ſponte peregrini ſequebantur, totos ſecum lachrymis commendarunt. Dein iter arripientes, poſtquam Gothonicum peruenerunt vrbem, quæ vocatur Lucca, præfati duo cum patre intrauêre germani, patris illic ægritudine prægrauati, tum oſſa auaro mandantes. Inde profecti arduos alpium vertices petierunt, anguſtos itineris calles niuis & glaciei nitore micantes, & mortem quaſi tranſeuntibus minitantes, ſemper oratione vincentes. Poſtquam autem Italicam tranſiêre tellurem, egregiis Apoſtolorum Petri ſeſe dedêre præſidiis, gratias agentes viuificæ Trinitati, ouium quoq; Chriſti paſtori, quod de innumeris terræ & ponti periculis fuerant liberati. Quo etiam aliquandiu commorantes, vitaq; ac religione monachica præpollentes, dum febris incendio vrerentur, & eis jam mors ac ſi exitium intrepida minaretur, meritis & precibus ſanitati priſtinæ ſunt ſanctorum reſtituti.

His igitur ritè diſpoſitis, pro quibus athleta Dei fortiſſimus VVillibaldus Romam viſitaturus aduenerat, cum ad ſublimioris ac rigidioris vitæ faſtigium ſcandere

 ſedu-

ſedulus anhelaret virtutes, quotidie in ſe virtutibus accumulans, coepit iam peregrinus ſeculo, longe magis peregrinari velle, & vt Hieroſolymam Chriſto fauente, ipſum ibidem adoraturus pergeret, mente tractare. Cuius ſancta & pia cogitatio, ſicut à Deo initium ſumpſit, ita per ipſum effecti finem accepit. Coepit itaque ambulare, confidens diuina protegi vbique virtute: & quanto in labore extitit promptior, tanto in charitate feruentior, & in fide fuit conſtantior. Peragratis ergò haud abſque nimio labore, natiuitatis, educationis, baptiſmi, paſſionis, reſurrectionis, & in coelum aſcenſionis Dominicæ, ſed & multis aliis locis, quæ compendii omiſimus gratia; cum factus ſanctus ſummam ciuitatem Hieruſalem videre & Dominum Chriſtum natum paſſum in ea cupiens adorare, B. Matthiæ Apoſtoli Eccleſiam petiit, ibique ſe eius orationibus commiſit. Tum ſubitò inter ſacros Miſſarum concentus luminis priuatus eſt dignitate, quod beato viro non ad iniuriam ſuperna contulit pietas, verùm ad ſolitæ probationis examen, & ad fidei conſtantiſſimæ donum. Memor namque Abrahā patriarchā in filio fuiſſe tentatum, & hæreditariam benedictionem in ſecula meruiſſe, Iob quoque & Tobiam in carnis tentatione fore probatos: quia & ipſe cum ſanctis tentari meruit, totis niſibus exultauit. Sanctorum deinde corpore cæcus non mente, loca circuiens, tandem ciuitatis ſanctæ portas vt optauerat introiuit. Mirum dictu, quia omnia faciens ipſe eſt Chriſtus. Cumque baſilicam, in qua viuificæ crucis vexillum fuerat inuentum, cæcus intraret, illicò lux olim amiſſa, tetras diſcutiēs tenebras, irruit in patulo, roſeumque iubar radios à ſe igniuomos emittendo deſtruens, futuri Pontificis ſoles impleuit, & denſæ noctis horrore fugato, præclari luminis diem extendit. Crux nempe ſancta, quæ ei dudum ſpaciū contulit vitæ, ipſa lumen &

medela in ſe recuperando extitit tunc. Igitur beatus virtutē ipſius cœleſtem agnoſcens, & quia nuper probatus tentari meruit, ſollicitamētè pertractans, vocem extulit laudis, & Chriſtū regnantem adorauit in ſanctis. Hactenus de origine & labore beatiſſimi VVillibaldi, prout Deus & Dominus omnium contulit, legēda in ſecula pauca pſtrinximus, nūc quanta ad Pontificii pertinent dignitatē, cōpendioſa quoq; breuitate texemus. Luſtratis itaq; tot ac tantis maris, terræ, fluctuumq; ſpatiis, quibus in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in corporis crebra infirmitate, in ergaſtuli horrendo ſqualore peregrinaus, & exul in peregrinatione ſua Chriſto ſtuduit militare, cum comitibus, quos ſecum in viam tulerat, B. Benedicto Abbatis, gratia orationis, ad ſacrum monaſterium, decem ſub jam, quo patria ſua reliquerat, manſiens annis. Vbi haud plures cum Abbate monachici cultus Chriſti reperiēs milites, cœpit & ipſe jā Monachus ibidem Dño ſtrenuè militare, & ſcriptā benè viuendi formā cunctis oſtendere, & quoſdam nequitiis à ſeculo reuocans, quoſdā jam reuocatos exemplis imitabilibus animans, velut præclara in domo Domini ardens lucerna, alios ad ardendum, lucendumq; accendere; ita vt eos, quos illic inuenerat, iam pietate vinceret, conſtantia ſuperaret, charitate inferiores oſtenderet, patientia impares demonſtraret, humilitate cunctos ante omnia ſuperaret. Nec mirum ergo ſi in eo tantarum virtutum exuberauerit plenitudo, cum fontē virtutū meruerit in ſe habere manētem. Velut enim prudentiſſima apis graminorum diuerſorū floſculos legens, prius fauos, dein ceros, poſtea dulcia mella congerminat, ita beatus jam ab Angelis ad Pontificii dignitatem electus, dum paſſim circuiuit innumera loca ſanctorum, quidquid dignum & habile vitæ ſpiritali audiuit & vidit, mente quaſi cruribus inhæren-

hærendo ſuſpendit. Cumque Euangelii dulcedinem frequenti uſu ſtillantem mentis aure percepit, fauis jam glutino tenaci compoſitis, natisque in ipſis fide Chriſtiana firmatis, ſtillantia prædicationis mella diffudit, cunctisque ad percipiendum ferculum obtulit.

Interea cum iterum nutu diuino Romam cum quodam obnixè poſtulante Hiſpanienſi Presbytero fæliciter introiſſet, & cœli janitoris Petri Apoſtoli ſuffragia imploraſſet, Gregorius tunc Apoſtolicæ ſedis culmine nitens, qui tertius in Epiſcopatu Gregorius appellatus eſt, beati viri aduentum fidelium relatu comperiens, blanda eum voce ad ſe venire præcepit. Qui veniens, & terræ ſe pauimento proſternens, benigna humilitate ſalutantem Apoſtolicum reſalutat, & fletibus ſuſpitia vtrinque miſcentes de ſua inuicem viſitatione laudant Dominum exultantes. Cuius cum Papa benigniſſimus peregrinationis ſeriem, ipſo referente, libenter audiſſet, & de eius virtutis conſtantia attentius miraretur, inter multa eorum affamina, vt ſanctæ memoriæ Bonifacii Epiſcopi ſe exhibere deberet obtutibus, ipſo ſcilicet deſtinante, Pontifex intimando mandauit. Quod vir Dei audiens, placidis ac ſale conditis ſe excuſare niſus eſt verbis, non quod tanti viri ad ſacra ſeipſum detrahere vellet præſentia, verum vt arciſteriali jam jugo conſtrictus, nunquam ſine Abbatis ſui licentia pergere judicaret dignum. Tandem precibus & exhortationibus auctoritate quoque Apoſtolica victus iturum ſe fore promiſit. Accepta itaque benedictione Pontificis venerandi monita eius placuntur implere, & ad contemplandam faciem Præſulis Bonifacii iter fæliciter tendere. Quo cum Chriſto ducente curſu proſpero perueniſſet mutuis ſe ſancti vocibus ſalutarent, & inuicem amplexantes lachrymis ſe oſculati

ſunt

ſunt profeſſi. Non poſt multum verò temporis eum ad Pontificij infulam ſublimare deſiderans, ſuæ quendam diœceſis locum, qui vſq; hodie Eiſtadt vocitatur, ei munifica liberalitate contradidit, atq; ad ſpeculãdum ipſum illo deſtinauit. Quo illum poſtea ad presbyteratus promouit officium, ſciens jam per omnia eſſe digniſſimum. Deinde vrgente viri tẽporis illuſtro, in pago, qui vocatur Thuringia, junctis ſibi B. Burchardo, & Vuizone Epiſcopis ad Epiſcopatus eum prouexit honorem, cũ eſſet vnius & quadraginta annorũ ætatis. Ordinantes ergò de omnibus beati inter ſe Pontifices, prout tempus dictauerat, rebus, nouum Chriſti antiſtitẽ Willibaldũ ad cathédram ſuæ ſedis tranſmittunt. Vbi quanta monaſterio cõſtructo, ſeipſum abſtinentia macerauerit, quãtoſq; vſq; ad vitæ ſuæ terminum, ad amorẽ cœleſtis patriæ verbis & exẽplis accenderit, quoue virtutum nitore refulſerit, nullus viuentium enarrare poterit. Quis igitur vnquam peregrinorum ad patronum noſtrum veniens victus, aut tegminis petitum ſolamen, vacuus, ad alios pertranſiuit? Quis inopum inediæ ſqualore fœdatus, alimoniam non inuenit? Quis peccatorum pondere prægrauatus, dum ei vulnus inflictum oſtendit, oneroſus acceſſit? Huic ergò non fuit de craſtino cogitare, vt auaritia in eo charitatem extingueret, & cupiditas miſericordiam ſuperaret, verum Chriſti Euangelium ſemper in pectore verſans, totum quod habuit, in fratrum & pauperum ſolatio erogauit, & pauper ipſe pauperibus miniſtrauit. Nec.n. fauor humanæ laudis quaſi arundinem aura commouit, quia potius in proſperis tutus, in aduerſis ſemper pacificus extitit. Quid plura? dum Spiritus ſancti diuerſorium fore promeruit, totius in ſe virtutis formam oſtendit. O virũ prudentẽ, & per ſecula imitandũ, q domũ ſupra petrã ędi-

ſicans, fluminum flaminumq; formidines nõn expauit, in cuius ore dolum veritas non inuenit, & ideo ſibi in ſacerdotem elegit. *H*unc ſane beatum ſupra ſuam familiam dominus ſtatuit, & dapes verbi diuini benignus impendit, & vt eſurientibus in tempore edulium competẽs miniſtraret educuit. Ipſe nimirum nunc, & ſemper jam cũ Angelis in cœlo tripudians cunctorum ore laudat ur, & vt cunctis propiciari clementiſſima pietate dignetur, ab omnibus exoretur. Dicentes cuncti proclament fidelium aſſiſtentium vniuerſi: VVillibalde pater & Põtifex, educator & alitor, rector & paſtor noſtri miſerere. Miſerere viduis, miſerere captiuis, auxiliare orphanis atq; pupillis, ſubueni precibus deſtitutis, & lapſis præſentibus, atq; futuris, opem fer viuentibus, cunctis fidelibus atq; defunctis, & præcipuè tuis tibi à Chriſto collatis, Per eum, qui cum Patre & Spiritu S. ſine fine regnat & permanet in æternum. Amen.

FINIS.

Ad Lectorem.

Qui vitam ſiue Hodœporicon S. Willibaldi, quod ſequitur, conſcripſit, is procul dubio habuit Hodœporicon illud à Sanctimoniali Heidenheimenſi conſcriptum, quod ſuprà fol. 475, dedimus. Stilus paulò limatior eſt. Et ſane inſigne monumentum eſt, quod puto elucubratum eſſe à quodam, qui iter hoc ad terram ſanctam ex ore S. Willibaldi habuit. Subiunximus autem hic, quia ſub finem editionis nacti ſumus m.ſ. ex monaſterio Oxſenhuſiano.

Vita

VITA
ſiue potius
ITINERARIVM
S. WILLIBALDI
EPISCOPI
AICHSTADIANI,

Ex

Membranis m.ſ. Monaſterij Oxenhuſiani nunc primùm editum.

PRæſul igitur Willibaldus Angelicę caſtitatis inſtar, de genere Anglorum emicuit oriundus. Cumq; egregiæ indolis puer, cũ maxima parentum ſpe jam trieñium clauderet, morborum incommodis ſubitò intabuit: ſpectabile oris decus fœda tenuatum macie defloruit. Vlcerati dolore parentes, quod vnicum tunc reſtabat, cum vix patulo ore aëra trahentem Eccleſiæ, inferẽtes; ante adorandam ſanctam crucem poſuerunt, & ſi ad ſalutem recrearetur, eum diuinæ mancipandum ſeruituti deuouerunt. Piis ſtatim votis effectum merentibus, puero cũ ſalute prior oris decẽtia rediit, & abſolutę valetudini reconciliatus præmaturis pollere cœpit virtutibus.

Digitized by Google

Hoc igitur omine parentes Deum aliquid magni in tantæ indolis puero operaturum percipientes, ſibi non defuerunt; ſed filium ſuum vix quinquennem monachicæ diſtrictioni apud monaſterium VValtheim dictum, ſub venerando Abbate Egilvvardo dedicauerunt. Literis ergo applicitus, nec momentum temporis otio indulſit, ſed breui ſolertiſſimus Prelatus, pectus ſuum hagiographiæ armarium fecit, & vt Chriſtum in omnibus exprimeret, quidquid diuini, quidquid legis Eccleſiaſticæ legendo percepit, hoc moribus & habitu fideliter aſſequẽdo impleuit. In ſingulis ergo virtutibus jam excellentiſſimè eminens, ita enituit perfectiſſimus in Chriſto, vt nil cogitaret, niſi eſſe cum Chriſto. Quamuis ergò jam abnegato ſeipſo, mundum tam mente, quàm habitu calcaſſet; * timere tamen deeſt perfectioni, quod in natali ſolo parentelę dignitas aliquantulum famæ & honoris ſibi licet noleati addidit; decreuerat patriam egredi, & tã ignotus, quàm egens pro Chriſto peregrinari. Et ne ſolus ex ſuis Chriſti militiæ adſcriberetur, patrem nomine Richardum, genere & rebus clarum adiit, eiq; mundi cõtemptum, & peregrinationem ſuadere cœpit. qui cum obiiceret filio ſibi videri crudeliſſimum, & omninò ab humanitate alienum, filios orbare, coniugem viduare, domum totam deſolare; inſtillauit ei ſanctus VVillibaldus nil diuino amori præponendum, hanc pro Chriſto crudelitatem omni pietate humaniorem, ſolosq; mundi contemptores Chriſti futuros cohæredes. Victus demũ veridici filii narratione, ſe obtemperaturum, & quocũq; à caro duceretur pignore, ſecuturum promittit. Incenderat & idem fælix ardor S. VVillibaldi fratrem VVunebaldum, *Heidenheimenſis* cœnobii conſtructorem, & Abbatem futurum, nec non & amborum ſororem virginum

decus

decus VValpurgam, multosq; eiusdem non ſolum cognationis, ſed & patriæ, vt capto crucis vexillo, nudi euolarent ſecuturi Regem gloriæ. Anno in æſtatem vernante, cum ventis patientibus prima fides arrideret pelago, ſancti fratres VVillibaldus & VVunebaldus, cum patre Richardo, & ſorore VValpurga, aliisq; non paucis, in quorũ pectoribus idem feruebat ardor, naui conſcenſa iter optatum arripiunt, & ventis feliciter ſubſequentibus ripã fluminis Sigone, juxta vrbem, quæ vocatur Rotum appulerunt. Inde Romam tendentes, Luccam Tuſciæ vrbem deuenere, ibiq; patrem ſuum carne ſolutum, & præmia, quæ obſecutus filio meruit, adeptum in cœmiterio ſancti Preſciãi ſepeliere. Hinc deſideratam diu Romam peruenientes, lacrymoſa deuotione à principibus Apoſtolorum indulgentiam exorauerunt, ibiq; Sanctorum loca in illis partibus ſita viſitantes, ſeq; cottidie Deo in ara cordis mactantes, à feſtiuitate ſancti Martini vſque ad Paſcha, ſæua excocti infirmitate ſuſtinuerunt. Interim tamen ſancti fratres hoc Deo prouidente ſortiti ſunt ſolatium, vt cum vnus vnam ſeptimanam grauante morbo lectum occuparet, alter mitigato interim languore jacẽti miniſtraret. Sic occupante alternatim hunc grauiori, illum mitiori languore, ſe ſancti fratres procurauere. Cumq; Deo miſerante ſanctus VVillibaldus jam abſolute reconciliatus vigeret ſanitati, amore cœleſtis Ieruſalẽ cœpit terreſtrem ſuſpirare, & loca veſtigiis Chriſti inſignia videre. Dimiſſis ergò ibi fratre VVunebaldo, ſororeq; VValpurga, duobus comitatus ſociis, ipſe tertius, victorioſum iter adgreditur. Venientes igitur Beneuentum, vbi S. Bartholomęus requieſcit, appulſam nauim Ægyptiam inuenerunt. Quam ingreſſi Calabriæ portũ, Re-

giam dictum velis pleno ſinu turgentibus attigerunt. Inde transfretantes in Siciliam, ingrediuntur vrbem Cathinenſium ſanctæ Agathæ Virginis corpore & patrociniis inſignem, vbi Æthna mons imo exæſtuans fundo flammarum globos egerere, & candente feruens fauilla, cœlũ ſolet ſubtexere. Cuius incendio, vicina ſæpe loca inflammando ſoluenti, Cathinenſes velum ſepulchri ſanctæ Virginis opponunt, nec lędi metuunt. Inde & viſitato apud Syracuſam eiuſdem inſulæ ciuitatem ſanctæ Luciæ ſepulchro, ſe rurſum pelago credunt, & tranſitis Choo, Samoq; inſulis, tabentes ſalo artus apud Epheſum Aſiæ inſulam exponunt. Vbi poſtquam ad ſepulchrum ſancti Ioannis Euangeliſtæ, ebulliens inde manna admirantes lachrymis perfuderunt: poſtquam ſe ſeptem Dormientibus, & Mariæ Magdalenæ ibidem requieſcenti commẽdauerunt: poſtquam in vertice vicini montis locum, vbi ſanctus Euangeliſta orare ſolebat, omni pluuia & tempeſtate immunem & ſecurum, ſatis admirari nequeunt, duobus inde diſtãtem miliariis villam *Sigilam pedites venerunt. Ibi mendicato pane, fonti, qui perſpicuis ad fundũ aquis in media ebullit villa, intincto refecti; tranſito vrbis *Strabolis monte excelſo Pateram perrepſerunt, ibiq; glaciali hyeme vndas exaſperante veris clementiam pręſtolantur. Nauim demum ingreſſi, ad montem Galanorum transfretarunt. Quo bellorum tempeſtate tunc temporis depilato, ſæuam paſſi ſunt inediam. Inde Inſulam Cyprum inter Græcos & *Sarraticos ſitam, applicuerunt, & Paſchale, quod jam inſtabat feſtũ, apud Paphũ vrbem agentes, ſole jam circumuoluto, tres in ea hebdomadas ſteterunt. Inde eiuſdem inſulæ vrbem Conſtantiam, ſancti Epiphanii præſulis miraculis & corpore glorioſam adeuntes, ſancti Ioannis Baptiſtæ natiuitatem ibi ege-

In Hodœp. S. VVill. ſup. fol. 493. dicitur Figila.

* *in Hod. ibid. Strobolis.*

Hodœp. ibid. Sarracenos.

Digitized by Google

egerunt. Inde per Sarracenorum ciuitatem, Tharrathas dictam, & caſtellũ *Arahe venerunt, *Ediſſam Phœniciæ, reliquiis Thomæ Apoſtoli, & Epiſtola, quam Saluator Abagaro Regi ſcripſit magnificam. Vbi nunc miri operis claret Eccleſia, quam Helena Regina conſtruxit, in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ, cuius caput ab Ieroſolymis illuc translatum diu in eadem latuit vrbe. Iam verò S. VVillebaldus comitantibus ſe ſeptem ſuis contribulibus, ipſe fuit octauus. Sarraceni videntes eos lingua diſſonos, habitu ignotos, proditionis gratia eos veniſſe dixerunt, & Præſidi præſentantes carceri mancipauerũt. Sed quia Deo nullus clauditur, erat ibi vnus negotiator, qui cottidiè eis quælibet neceſſaria miniſtrauit. Interdum balneauit, & ad Eccleſiam produxit. Illis in carcere detentis, quidam Hiſpanus habens in palatio Regis fratrẽ, experto ſanctorum Dei negotio, eos adiutorio fratris ſimul & nautæ, qui eos adduxerat, apud Regem *Mirñum dictum, excuſauit, & eis abeundi permiſſionem impetrauit. Inde progreſſi venerunt Damaſcum, reliquiis Ananiæ, qui conuerſum ibi diuinitus Paulum baptizauit, inſignem. Fuſa ergo oratione in illa Eccleſia, quæ nunc in loco conuerſionis S. Pauli emicat, venerunt in Galilæam in vicum Nazaret, de quo & IHS. dicitur Nazarenus. vbi Archangelus Gabriel ſanctæ Mariæ perpetuæ Virgini apparens, ei de incarnando in eius ventre Dei filio prædixit, & vbi Spiritu ſancto obumbrante imprægnata, ineſtimabiliter Dei filium concepit. Ibi dignæ ſanctitatis conſtat Eccleſia ſæpè per Chriſtianos à Sarracenis eam deiicere aggredientibus pretio redempta. Inde poſt viſitatam primò miraculorum Domini nobilem Chanan Galileæ, tranſito monte Thabor, vbi nunc Monachorum congregatio in honore transfigurationis Dominicæ

Hodœ. f. 494 Arhe.

* *Hodœ. ibid. Emeſſam.*

Hodœp. f. 495 vocat Mirmumnum.

Digitized by Google

minicæ eſt collecta per vrbem Tyberiadis in littore maris, vbi Dominus Petrum aquas ſiccis calcare veſtigiis fecit, ſitam, vbi etiam Iordanis mare Galilææ pertranſit, venerunt Magdala vicum Lazari & ſororum eius. Inde per oppoſitam in altero littore Capharnaum, vbi Dominus filiam principis ſuſcitauit, & vbi Zebedæus, pater Iacobi & Ioannis requieſcit; & per Betzaidam, vbi nunc Eccleſia domum Petri & Andreæ demonſtrat, tetigerunt Corozaim, vbi Dominus expulſis dæmonibus gregem porcorum conceſſit. Hinc ſanctorum amore locorum, itinere tortuoſo, venerũt, ad ortus duorum fontium in monte Phamo, quorum vnus Ior, alter vocatur Dan, quorum vnus ex vna; alter ex altera parte vrbis, quæ in Euangelio Cæſaræa Philippi, à Phænicibus autẽ Paneada, vel Phaniada dicitur, fluentes non longo ab ipſa vrbe fatigati lapſu fluentis, & nomine juncti faciunt Iordanem Dominico Baptiſmate inſignem. Viſis ergò in eodem loco quibusdam armentis, dorſo longo, cruribus breuibus, proceris cornibus, quæ ſole diem incendente, ſe præter ſolum caput, vicina palude ſolent mergere, venerunt ad prædictam Cęſaræam, vbi Petrus cœli clauiger factus eſt. Intrantes ibi Eccleſiam viderunt ſtatuam Chriſti. Ad cuius ſub diuo poſitæ pedem herba admirandæ virtutis olei oriebatur, de quo ſit in Eccleſiaſtica hiſtoria legitur. Mulierem quam ſanguinis profluuio laborantem curauerat, huius vrbis fuiſſe ciuem conſtat. Pro foribus verò domus eiusdem mulieris baſis quædam in loco editiori collocata monſtratur, in qua mulieris ipſius, velut genibus prouolutæ, palmasque ſuppliciter tendentis imago, ære expreſſa, videtur. Aſtat alia ſtatua ære nihilominus fuſa, veleu

& ha-

& habitu Domini veſte fimbriata circumdati, dextramq; porrigentis proſtratæ mulieri. *A*d pedem autem virilis ſtatuæ herba quædam nouæ ſpeciei è prædicta baſi naſcendo ſurgit, & donec fimbriam veſtimenti IESV tangat, creſcere non deſinit. Quam cum ſummo vertice creſcens herba contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos conquirit, ita vt quæcunq; illa fuerit infirmitas, hauſto exiguo madefacti ſalutaris graminis depellatur; nihil omninò virium gerens, ſi ante, quam æreæ fimbriæ ſummitatem creſcendo contigerit, decerpatur. Hanc Euſebius temporum ſcriptor, ad ſua vſque tempora perduraſſe, & ſe ſuis perhibet oculis conſpexiſſe. Hanc autem ſtatuam Chriſti ſceleratiſſimus Iulianus Apoſtata, vt in tripartita legitur hiſtoria, depoſuit, & ſuam loco illius locauit. *S*ed Deo tantum ſcelus ad præſens vindicante, eadem Iuliani ſtatua fulminis ictu diuiditur, capitis cum ceruice pars vna terræ infigitur, altera in loco hærens fulminis incendium teſtatur. *S*tatuam verò Saluatoris pagani confregerunt, Chriſtiani autem colligentes in Eccleſia locauerunt. Digreſſi inde Iordanis fluenta ſequendo, venerunt ad illum Iordanis locum, vbi Dominus aquas diluuio olim pollutas ſuo baptiſmate lauans mundauit. Ibi ſalubri liquore perfuſi, venerunt Galgala, vbi filii Iſrael ſublatos de Iordane XII. lapides in teſtimonium transmigrationis ſuę poſuerunt. Inde permeata Iericho, vbi Iordanis in mare mortuum nomen cum curſu amiſſurus influit, viſitato etiam S. Euſtachii monaſterio, in medietate Iericho & Ieruſalem ſito, vix exſpectatam ingrediuntur Ieroſolymam. Cui tunc loco miraculorum, vel alicuius operum Domini conſcio, vir Dei VVillebaldus oſcula non impreſſit? Quod ibi altare lacrymis & gemitibus non perfudit? quãta ibi deuotione

Euſeb. hiſt. li. 7 c. 14. Sozo. l. 5. c. 20. Niceph. l. 10. Baron. an. 362. num. 158.

Digitized by Google

jacuit ante dominicā crucē mundo crucifixus, quam torrido lacrymarum fluuio perfudit lapidem, quem ab oſtio monumenti remouit Angelus. Sex ibi hebdomadibus grauiſſimo irretitus languore cruciabatur, ſancta tamen circuire loca, ſtudio laborem fallente non grauabatur. quanto videndi DEVM Deorum in *Syon* deſiderio, Eccleſiam montis *Syon* in medio vrbis ſitam adiit; quàm deuotè translatum illuc eiusdem Eccleſiæ *Archi*diaconum & protomartyrem *Stephanum* implorauit! Egreſſi demum veniunt in vallem Ioſaphat, vbi ſepulchrum ſanctæ Mariæ monſtratur. Sed vtrum Apoſtoli eam, relicto hîc corpore ſolutam ibi ſepelierint, an forte ſepelire eam deſtinantibus poſt effoſſum ibi ſepulchrum, ipſa ſit cum corpore aſſumpta, vel ſi ſepulta ibi conceditur, vtrum inde ſublata, & aliâs transpoſita ſit, an recepta vera immortalitate reſurrexerit, melius dubitatur, quàm aliquid inde apocryphum diffiniatur. Digreſſos inde recipit eos mons Oliueti, ingreſſos Eccleſiam deſuper patulam, & in loco dominicæ aſcenſionis opera Helenæ Reginę conſtructam. Locus ergo hic, in quo Dominus in ipſa aſcenſionis ſuæ hora, ſtipantibus diſcipulis, ſteterat, & vnde eleuatis manibus, captiuitatem noſtram in cœlum captiuam duxerat, hodie etiā dominicorū veſtigia pedum euidentiſſimè demonſtrāt, & quaſi ſentiens ſe ex hac pedum impreſſione, omni artificioſo ornatu incomparabiliter pretioſiorem, nec pauimento ſterni, nec tecto patitur operiri. Has pedum Domini notas S. VVillebaldus cum ſociis non ceſſans lacrymis fluentibus rigare, verè potuit dicere: Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. In eadem Eccleſia duas perhibēt ſtare columnas, in geminorum memoriam Angelorum, qui diſcipulis aſcen-

cendentem Dominum aſpicientibus dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Inde etiam referunt quicunq; inter columnas & Eccleſiæ parietem poſſit circumrepere, peccatorum veniam hunc meruiſſe. Inde venit Bethlehem, vbi bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Accedens ergò ibi ad puteum, quod prius mirabatur auditum, vidit in ſuperficie aquæ ire à margine vsq; ad marginem, figuram ſtellæ, quæ magis, nato Domino, apparuit, eosq; 13. dominicæ natiuitatis die Bethlehem perduxit. Inde venêre Tequam, vbi Chriſti coæquæuis ab Herode trucidatis, Nathanael ſub ficu à matre abſconſus euaſit, ideoq; ſic dictum eſt à Domino, Quia cum eſſes ſub ficu noui. Inde per Lauram, vbi ſanctus Saba requieſcit, venêre juxta vicum Betzuro, ad aquam, quæ eodem in quo gignitur ſorbetur loco, in quo Æthiops ab vltimis terræ finibus, viſitato Domini templo, per Philippum baptizatus, vicinum Iſrael præueniendo, pellem ſuam mutauit, id eſt, fide dealbatus, peccati nigredinem depoſuit. Inde cum venirent Gazam, auditis apud ſanctum Matthiam Miſſarum ſolemniis, ſanctus VVillebaldus lumen oculorum dimiſit.

Inde per caſtellum Afframiam, vbi tres Patriarchę Abraham, Iſaac, & Iacob, cum ſuis vxoribus requieſcunt, reuertitur Ieruſalem, & ingreſſus Eccleſiam, vbi ſancta crux inuenta eſt, conſtructam, per duos cæcitatis ſuæ menſes viſum recepit. Inde viſitata apud Dioſpolim Eccleſia ſancti Georgii per Ioppen, oppidum Palæſtinæ maritimum, vbi Petrus viduam Dorcadem ſuſcitauit, per littus maris Adriatici, adoratis apud Tyrum & Sydonem Domini veſtigiis, tranſito

Digitized by Google

Libano monte, peragrata Tripoli vrbe maritima, viſitata iterum Damaſco, venit Emaus vicum *P*alęſtinæ, quem Romani poſt deſtructionem Ieroſolymorum, ex euentu victorię* Nicopolim vocauerunt. Vbi poſtquam in domo Cleophę, in Eccleſiam mutata, eum, qui ex fractione panis in ea cognitus eſt, adorauit, viuentis aquæ fontem deſiderans, vidit & fontem, qui eſt in triuio, quo Chriſtus eodem quo reſurrexit die, cum diſcipulis duobus, Luca & Cleopha, quaſi ad alium declinaturus vicum, ambulauit. Eſt enim ibi* fons, ad quem Chriſtus olim in terris conuerſatus, cum diſcipulis dicitur veniſſe, pedeſq; in eo emenſo aliquo itinere lauiſſe, & hinc eandem aquam diuerſorum efficacem medicaminum à Deo factam, vt potata quibuslibet languoribus, tam pecudum, quàm hominum ſalutis infundat præſentiam. Inde S. VVillibaldus tertio Ieroſolymam venit, ibiq; totam hyemem ſtetit. Nec minus peragrata Syria, quarta vice Ieroſolymam repetiit. Inde per *S*ebaſtiam ſepulchro Ioannis *Bapti*ſtæ, quamuis tempore Iuliani apoſtatæ diruto, ac reliquiis Prophetarum Abdiæ & Heliſæi, puteoq; vbi Dominus potum à Samaritana petierat, claram, viſo monte Garizim, in quo Samaritana patres *S*amaritanorum orationi indulſiſſe dixerat, ad caput Libani montis Tyro vicinum* contiguum monti ſæuos leonum impetus in via paſſi veniunt. Inde apud Tyrum diu exſpectata naui, inchoato in natale *S.* Andreæ nauigio per totam nauigantes hyemem, vix proxima ante *P*aſcha ſeptimana venerunt Conſtantinopolim, ſanctorum Apoſtolorum Andreæ, Timothei, & Lucæ Euangeliſtæ, & Ioannis Chryſoſtomi reliquiis celebrem. Ibi biennium moratus, transfretauit interim Nicæam Bithyniæ vrbem, vbi Conſtantinus ad ventilandam Arrii & Athanaſii Alexandrini

*Piæ*u-

S. Hiero. de locis Hebr.

Vide *S*ozom. hiſt. lib. 5. c. 20 Baro. an. 341 num. 194.

*

Digitized by Google

Præſulis controuerſiam, * centū decem & octo Epiſcopos collegit, ibiq; eſt Eccleſia, in qua ad Synodum conſederunt, tecto carens, inſtar illius, quæ ſita eſt in monte Oliueti. Conſtantinopolim regreſſus, remenſo maris tranſitu, per Siciliæ vrbes Capuam, Catanam, deuenitur Regium: hinc Neapolim, inde Syracuſam. Demum autumnoſe in hyemem contrahente, depoſuit ſe ſanctus VVilibaldus in monte Caſſini, apud Monaſterium ſancti Benedicti, ſub Abbate Petronace. Et hic decimus erat annus, ex quo exilium eſt adorſus, octauus verò, ex quo Romā eſt egreſſus. Poſtquam ergo ſanctus ille vir ſe Monachis prædicti loci coniunxit, vitæ cœnobialis, religioſiſſimæq; conuerſationis normam in ſe pleniſſimè monſtrauit. Igitur amore omnium in eum prouocato, in primo poſtquā illuc venit annò, factus eſt cubicularius Eccleſiæ: in ſecundo Monaſterii Decanus: poſtmodum octo annis in duobus poſitis ibi Monaſteriis portarius; quatuor annis apud Monaſterium in vertice montis ſitum; quatuor rurſus apud Monaſterium inferius juxta amnem Raphido poſitum. Claruit & eodem tempore in Teutonicis partibus, tam opere, quàm nomine Bonifacius Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, genere itidem Anglus, & ſancto VVillibaldo cognatus, conuerſaq; poſtmodum feroci Freſia, inſignis Chriſti Martyr futurus. Hic cum de plantando Chriſtianæ religionis nutrimento cogitaret, & huic operi habiles ac neceſſarios vndecunq; anhelaret aggregare, audierat famam S. VVilibaldi apud caſtrum Caſſinum diuinæ deditiſſimum contemplationi. Veniens ergo Romam idem Archiepiſcopus, poſt alia cum Præſule Apoſtolico de Catholicæ ſtatu Eccleſiæ collata ſubiunxit, quod ſe feruentiſſimè excoquebat, commiſſū ſcilicet ſibi Moguntinæ ſedis Archiepiſcopatum, terræ

Hodœ. S. VVilibaldi ſup. fo, 505. habet trecentos 18. De controuerſia numeri Epiſc. Baron. an. 325. num, 18.

& locorum ſpatio amplum, gentilitatis autẽ ritu eſſe ſqualidum & multum, meſſem ibi multam, operarios autem paucos, & cum neceſſitas irrecuperabilis cogat, paſtorem commiſſorum ſibi quorumlibet rationem reddere, ſubditorumq; ſanguis requiratur à præpoſito Præſule, vnum paſtorem tam numeroſo ouili non poteſt ſufficere; ideoq; ſi Deus annuat, & ſi Apoſtolica auctoritas permittat, ſe eũdem Epiſcopatum, ſtatutis in eo duobus Epiſcopis, decreuiſſe partiri, vt minor procuratio, & gregem munire, & paſtorem valeat abſoluere, eſſeq; apud caſtrũ Caſſinum Monachum quendam VVillibaldum, qui poſtpoſitis diuino amori patria & parentibus, poſt fractam lõgo viarum, & ſancta permeandi loca labore ætatem, Deo ibi mancipatus ſeruiat, cui vnum ex ſtatuendis Epiſcopatibus velit committere, ſi ipſe dominus Papa eum Monaſterio ſubtractum, ſibi curet tranſmittere. Præfuit tũc ſedi Apoſtolicæ Gregorius eiusdem nominis tertius, Papa verò nonageſimus primus. Hic audito tam laudabili Archipræſulis Bonifacii deſiderio propoſito, eius intentionem probauit, ſancti tranſmiſſionem VVillibaldi promiſit, & longis fotum amplexibus, pleno ſingultibus dimiſit. Nec longum poſtea S. VVillibaldus decennio jam apud Caſſinum montem impleto, Romam cum quodam confratre ſuo genere Hiſpano ex licentia Abbatis ſui Petronacis adiit. Cuius audito aduentu beatus Papa eum vocauit, & poſt multas inquiſitiones & reſponſa, ei ſancti petitionem Bonifacii innotuit. Id durum, & propoſitæ contrarium vitæ, ſanctus VVillibaldus reputans, intulit, ſe qui propria dimiſit, qui mundum pedibus ſubegit, non poſſe rurſus mundanis irretiri, nec quiete, quam in valle lacrymarum ſibi parauit, velle priuari, nec eſſe prouidi, & mente integri, vt poſt horrenda

renda naufragia portu occupato, ſe titubantibus adhuc veſtigiis ſæuam prætendenti mortem credat pelago. Ad quem *Papa* his vel huiuſmodi vtitur dictis: Dilectio Dei per dilectionem proximi probatur. Petro ergò poſtquam ſe amatum ter audiuit, gregis ſui curam & paſtionem commiſit. Hinc inſtructi diuinitus ſancti *Patres*, multis ex Monaſteriali quiete, compluribus ex ſolitaria contemplatione raptis, Epiſcopatus commiſere. prædeceſſor & æquiuocus meus Gregorius mēte & habitu Monachus, ſedi Apoſtolicæ præficitur. Moyſes heremita innumeris in eremo clarus ſignis de ſolitaria quam duxerat vita, impetrante apud Romanum imperatorem Manuia Regina, raptus, Sarracenorum genti Epiſcopus præponitur, nec longum indutam agnina pelle ferociſſimam gentem CHRISTO lucratur. Quicunque igitur virtutibus pollens, præeſſe renuit, ſuamque quietem aliorum vtilitati prapoſuerit, tot damnatorum pœnas dignus erit luere, quot peccantium mores, ipſe *Prælatus* potuit corrigere. His vel ſimilibus animus ſancti VVillibaldi flectitur, & pedibus Papæ aduolutus, quodcunq; imponatur onus deuoto ſe ſubiturum humero profitetur. Multum ergò inſtructus, & Apoſtolica benedictione munitus dirigitur ſanctus ſā-cto, VVillibaldus Bonifacio, quem ſanctus Archipræſul quaſi Angelum cœlo dimiſſum recipiens, gratioſo affectu amplectitur, digniſſimè veneratur. Notificata ſibi dehinc vocationis ſuæ cauſa rogauit ſanctum VVillibaldum, vt dignetur ire, & locum cui *Præſul* præponendus ſit videre. Erat igitur eidem Archiepiſcopo in finibus Baioariæ locus Eihſtad dictus, ſibi à quodam pio & religioſo, nomine Suigero, pro diuinæ reſpectu remunerationis in vſus diuinos traditus.

Hoc

Hoc igitur loco adhuc ſuæ parochiæ ſubiecto decreuit S. Bonifacius Epiſcopatum facere, eiq; ſanctum VVillibaldum præficere. Iuit, vidit, probauit, reuerſusq; ad ſanctum Bonifacium, eo comitante, denuò locum ſuum adiit, & Presbyteratus ibi gradum Archiepiſcopo conſecrãte perfecit. Nec mora Eccleſiæ fundamenta cœpit ponere, clauſtrum & officinas Cleri ſignare, & quælibet diuinæ neceſſaria ſeruituti ſagaciter diſponere. Reuoluto abhinc anno, Archiepiſcopum in Turingia audiens, tolerabile hoſpitium habuit in via, apud fratrem VVunebaldum, octauo ſemis anno, poſtquam apud Romam diſceſſere, non viſum. Hinc ad Archiepiſcopum ſuum apud vrbem Saltzburge venit, vbi confluente antiſtitum collegio, conſentiente Cleri, plebisq; ſuffragio Epiſcopalem benedictionem, & Eihſtatenſis Eccleſiæ cathedram ſuſcepit, quadrageſimum primum ætatis annum tunc agẽs. Cura igitur Epiſcopali ſuſcepta, non habuit requiem, verbum Dei die ac nocte prædicare, deſides gentis illius animos, & parum de futuro ſollicitos, ad ſpem cœleſtium erigere, ſepoſitis inanium rerum curis, æterna quærere. Et ne parum fidei colonus proficeret, quod verbo plantabat, vita, doctrina conſona rigabat. Nec longum rudis ſqualentium cordium campus ita Euangelici ligonis exercitium audierat, vt ignaro fructus agro, extirpato errorum frutice, ſeges rubicunda & vinea Dei Sabaoth videretur ſurrexiſſe. Poſtquam igitur Epiſcopatum ſuum ſanè inſtitutis vitæ per ſeptem annos digniſſimè informauit, diſſolui & eſſe cum Chriſto cupiens, Spiritum conditori reddidit, ſepultus in Eccleſia, cui præfuit. Quanti nunc apud Deum ſit meriti,* teſtatur corona iuſtitiæ, quã miracula, apud ſepulchrum eius coruſcantia teſtantur eum recepiſſe. *FINIS.*

Patet ex hoc loco auctorem eſſe antiquũ. Imo ſi coniecturæ licet indulgere, cùm his auctor adeo in Itinerario conueniat cum Sanctimoniali Heidenheimenſi, puto eſſe vnũ ex illis Diaconis, vel aliis, qui vna cum illa ex ore S. Willibaldi omnia audiuerunt. Ab ipſo audita (inquit Sanctim. Heidenheim, ſupr. fol. 511.) & ex illius ore dictata perſcripſimus in monaſterio Heidenheim, teſtibus mihi Diaconis eius, & aliis noñullis iunioribus eius.

VA-

Variæ lectiones IN WOLFHARDUM De VITA SANCTÆ WALPURGIS VIRGINIS.

Vnà cum libro ſecundo eiuſdem VVolfhardi de eadem S. VValpurge, qui liber ſecundus hactenus deſiderabatur.

EX

Membranis m. ſ. Monaſterii VVindbergenſis in Bauaria.

F*olio* 605. *ver.* 6. *Erchenbaldo*] VVindberg. m. ſ. Erchanboldo.

v. 10. *per*] VV. pater per.

v. 12. *inopinatiſſimam*] VV. opinatiſſimam.

f. 606. *v.* 7. *norma*] VV. normam p. h. aſpiciens.

v. vlt. arcem] VV. calcem.

f. 607. *v.* 18. *infulato*] infulatu.

f. 608. *v.* 5. *Eiſtatenſis*] Eihſtatenſis.

v. 12. *Heindenheim*] Heindanheim.

f. 609. *v.* 3. *VValpurgam*] VValtpurgam.

Digitized by Google

v.19.Eccleſia] Eccleſiæ, vocamine Guomeradus lumen p.

f.611.v.3.intrepidus] trepidus.

v 19. miram] mira gerentem p.

f.612.v.21.Ockari] Otkari.

f.613.v.6.Reinfridus] Reginfredus.

v.17.Eihſtatenſe] Hieſtatenſe.

v.antepen.Lubila] VV. vbiq; vocat Liubidam.

ex hoc loco patet auctorẽ æquæuum Erchanboldo.

f.614.v.3.venerabili] venerabili, qui adhuc Heiſtatenſis ſedis infula decoratur, Erchanboldo P. &c.

Hunc Bruſchius octauum Epiſcopum ponit, & vocat Erckenvvaldum ex poſteris Caroli Magni. Eligitur anno 884. Conſecutus eſt ab Arnulpho Imp. Haſenrietanum Cœnobium Benedictiniorum. Nunc Herrenried dicitur. Huius tempore cœpit cœnobium Virginum in Monheym. Moritur anno 902.

f.614.v.19.Ockarii] m.ſ. VV. Otkarii. Hunc Bruſchius ſextum conſtituit Epiſcopum, & appellat Odgerum. Eligitur anno 878. moritur 881. Tranſtulit, inquit Bruſchius, conſenſu Hadriani ſecundi, S. VValpurgam ex Heidenheimenſi cœnobio Euſtadium, vbi cœnobii S. VValpurgis primus legitur fuiſſe fundator, quod poſtea à Leodegario Comite ad os Lyci, vulgo Lechſgmundt, & auctum, & illuſtratum eſt magnificè.

f.615.v.6.Eiſtatenſes] VV. Hieſtatenſes.

v.27 Rudolfus] Ruodolfus, qui adhuc incolum reſtitute tripudiat vita, eadem

f.616.v.23.Leibolfus] Leiboldus.

f.618.v 5.VVemedinga] VVemidinga.

v.7.ſupplici] ſupplici deuotione d.

v.9 conceptus] concentus.

f.619.v.2.Fuit] Fuit quidam vir de vico vocamine Magericheshein, nomine Vulfcherus, qui p. *ibid.*

Digitized by Google

ibi.v.13. Francia] Francia, qui ab incolis appellatus eſt Bergilla, vbi quædã extitit fæmina, quæ Engilſvvindis eſt nũcupata. Hæc dum à loco ad locum equitans, pro opportunitate negotii adiacentis f.v.

f.620.v.27. thecas] Zetas hyemales & o.i. curceboldum, quem p.

f.621.v.1. ſubulcula] corrige ex VV. ſubuculæ r.t. hanc mœſtiſſimam.

f.622.v.54. vt actu] corrige ex VV. attactu.

f.624.v.22. adiuuit] aduiuit.

ib.v.vlt. audit] Ita finit codex m.ſ. Rebdorfenſis. nam Ratiſponenſis iam ſupra mutilus erat. Sed in codice m.ſ. VVindbergenſi hic ſubiunguntur reliqua:

OPeræ pretium duxi, quod mira, quæ per ſuam famoſiſſimam Chriſtus quotidiè operatur & operatus eſt virginem, jam pridem tenui cartula colligere cœpi, vt ea, quæ ſunt indaganda, requiram, & diligẽti appoſita vigilãtia, prout vires ſuppetunt, indagata perſtringam; non quo quiſquam, vt reor, talia ac tanta, quæ hactenus patrata in præfato monaſterio, virginis ſuffragantibus meritis, ac diebus penè ſingulis patrantur prodigia, ex aſſe valeat explicare; quippe cum tãta ſint numeri quantitate, vt vix valeant promi elogio linguæ: verum ut ſponſio humiliter patris præcepto pareat imperantis, & pedetentim lepidi viam carpat, & cœpti itineris, vt quo tendit, Trinitatis opifice dirigat auxiliis. Curioſũ cæterũ lectorẽ, ſecundũ incipiens libellũ, admoneo, vt barbariſmorũ fœdã cõgeriẽ in hoc opuſculo

floccipendat,& veritati, in vulgari eloquio, fidei aurem apponat,& quod hic inuenit, ſimpliciter perlegat, & ac ſi margaritam incontaminatus omittat. Ceriferæ namq; ſæpius apes, licet obſtruſis vaſculis Hyblæa mella diffundant, cloacis tamen ſqualentibus inſidere non recuſant.

1. De muliere, quæ ſiſile perditum inuenit.
2. De illuminatione cæcigenæ.
3. De eo, vbi ſacculus cum eulogiis inuentus eſt.
4. De eo, vbi ſpata perdita inuenta.
5. De curatione caduci.
6. Vbi peregrinus occiſus eſt, & mortuus portatus eſt.
7. Vbi puella viſionem accepit.
8. De illuminatione cæci.
9. De puero qui cæcus natus viſum inuenit.
10. De muliere cæca.
11. De duobus ſonipedibus furatis,& matutinalibus horis repertis.
12. Vbi claudus puer ſanatus eſt.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti octingenteſimo nonageſimo tertio, indictione tertia, regni quadrimodi, Arnulfo retinente dominium, anno octauo, quo obtinuit principatum Eiſtatenſem, procurante *E*rchanboldo famoſo Epiſcopo præſulatum, quædam votiua complens deſideria mulier

cum

cum eo, quem nuptialis copula ei dederat viro, dominũ, qui prope omnibus ſe eſt inuocantibus in veritate, deprecatura, jam cunctis pene cognitum adiit Monaſterium noſtræ & multorum fidelium matris, vbi dum * compræmiſſis à primæua viredine facinoribus vniuerſis, nec tunderet pectora pugnis, ac ſæpius ſæpiusq; interuentiones piæ quæreret Virginis, benedictione ſolita munerata, vehicularia petiit adiumenta. Viam ergò qua venerat lætiſſima carpens, & de his omnibus, quæ audiuerat & viderat, plurima mente reuoluens, in prima reuerſionis manſione, riſile, quo ſuper aurem orale confixerat, caſu perdidit, accidente ipſa, qualiter perdidiſſet penitus neſciente. Hæc dum viro ſuo factum clanculo fateretur diſpendium, ille corporalem ſibi & gratiſſimam coniugem mox improuida notauit incuria, & leni modulatæ vocis increpauit eloquio, cur more laſciuientium puerorum illud, quod ſecum tulerat, perdidiſſet incauta. Tum illa ad ꝑſidium rediens, quod prius requiſierat matris, inquit; Si tuæ domina VValpurgis miſerere dignaris ancillæ, & vocem audire diſponis indignæ, damnum mihi rei reparato præſentis ademptæ. Hæc dum verba, vt reor, pleniſſimè fidens in virginem, æſtuanti pectore citius peroraſſet, pedes ante ſimul diſcumbentes eos pariter patensque apparuit riſile, non aliud, non mutatum, verum idẽ quod ei prius auxilium præbuit capitale. Tum in ſtuporem verſi, qui aderant cuncti mente deuota grates mirabilia facienti Chriſto Domino reddiderunt. Eadem præterea mulier tanto in ſe viſo miraculo, quid de ipſo ageret, riſile, penitus ignara, tandem inquit: Fœlicem me fœminam jam æſtimarem, ſi id munuſculum, quod mihi Virgo reparauit immeritæ, ad indicium omnium audientium eidem conferrem Eccleſiæ. Aderat tunc fortè

al. compromiſſis.

quidam audiens vouentis verba coniugatæ, cui merita virginis præſentis lumen reparauerunt vitæ, qui ait: Quod ego debitum ei in vita mea ſeruitium reddere debeo, ſi mihi hoc, quod optaſti, impoſueris, deportabo? Nam ipſa mihi viam quam peccata tulerunt, miſericordiſſima contulit, & lumen quod diu natura negauerat, munifica reparauit. Quod illa audiens prælibato pondere æris, famulum virginis onuſtauit, & ad monimentum fidelium in Eccleſia appendere poſtulauit, * fecit Lubidæ Abbatiſſæ detulit, ipſaque deſiderium flagitantis fœminæ adimpleuit, quod illic vſque in hodiernum diem permanet conſeruatum.

Quia igitur ſupra portitoris prius cæci memoriam egimus, dignum eſt vt qualiter gratiam viſionis meruerit, enarremus. Dum ergo idem ipſe Ratfridus iamque adhuc viuens vocamine nuncupatus, prius cæca caligine premeretur, & geminis ordinibus, mala albuginaria, quæ vulgo putulas nuncupantur, obnoxia pateretur, nullumque omnimodis intuitus geſtaret lumen in capite, quo vel exiguæ lucis igniculum videre potuiſſet, duas ad Monaſterium veniens ille hebdomadas percompleuit. Contigit interea vt quadam die pro ſe miſello Dominum & Virginem precaturus Eccleſiam introiſſet. Cumque Miſſarum ſacroſancta ſolemnia vſque ad Euangelii Dominici euphoniam traherentur, præfatus cæcus appoſita dextro, quam excæcat oculo manu, putulam caliginoſam, quæ in ipſum diuinitus cecidit, Sanctimonialibus, quæ Miſſæ canore intererant, gaudens ad intuendum deduxit, & in vno oculo viſum recepit, ibidemque pro collato munere debitum famulatum impendit.

Hæc & his ſimilia plebs Chriſto deuota, paſſim,

que

que latum diſtenta per orbem, dum experiretur in loco virginis celebri facta miracula, cœpit ad eundem locum conuolare lætiſſima, ita vt ex tetraformi mundi climate, intercluſo nullo penitus die, gregatim coirent fidelium turmæ, grataq; ibidem Domino & Matri munera deferentes, accepta quæſita benedictione redirent in pace. inter quas quædam extitit muliercula, ex pago Dragevva, quæ populorum illo tendentium ſe fideliter miſcens agminibus, tripudianti animo iter aggreſſa eſt commeandi, vt mos eſt Sanctorum, præſidia requirentium, in ſinu familiari, prout facultas contulit opum, xenia geſtans; ſcilicet candelas, lanam, linumq; & ſi qua ſunt huiuſmodi. Cumq; in his diuis muneribus Dominum placatura, cum plurimis deueniſſet, intrans vicinum & adiacens arciſterio cœmiteriũ, locata prius, ſuidè munuſcula, requiſiuit, & in ſinu theſaurio, flexis ſtrictim foris articulis, vnà cum operimento illud quod repoſuit, hilaris apprehendit. At verò in baſilicam cum cæteris intrans, dum ſacculum, in quo benedictiunculas ipſa conſuerat, iterũ ſecura requireret, nihil inuenit. Tunc ſtupore attonita vehementi, & anhelos in pectore animos voluens, pallidaq; ora mœſtis vultibus præferens, hæſit corde, ac ſi mente captiua, quidque ageret, quo tenderet, quo ſe verteret, ignorabat. Opaca deniq; luminum tuamina haud ſine nimio pudore demittens, credulum, ac ſecreti ſui conſcium ſinum diſpendii cauſſa culpabat; ſinus verò, quod acceperat, fideliter conſeruatum reddidiſſe, delatrice reſte, pandebat: dein clauum in ſemetipſam figens, & culpam ſuę incuriæ notans, nec ipſi, quæ contrectauerat manui, ſaltem credere quibat. Rurſum curioſitas, quę tunc eiuſdem negotii diſpenſatrix oculata fortè extiterat, ſinuoſa velamina ſępius requirebat. Inde noctem eius veſtis impulſa diſ-

cillio

ciſſio damnum, quo gemebunda ſubſtiterat, [illegible] iſſet, ſingultuoſis faucibus ruminabat, ad extremum vndiq; deſtitutam, ream & miſeram ſe intimo cordis arcano clamabat. Quid plura? preces ibidem ingentes ad Dominum fudit, ſicq; cum cæteris repedantibus, & ipſa confuſa receſſit. Cumq; ſuam quam reliquerat, mœſta reuiſerat domum, domina, cui conditionali iure famulatus ſemper ſeruitium exhibebat, eam protinus accerſiuit, quid ad cœnobium ſanctæ Virginis, vbi fuerat, viderit vel audierit, vera comportata ratione, edicere poſtulauit; cui cum plurima narrando retexeret, in ſe quoq; mirum, quod acciderat, prius poſita omni confuſione perſtrinxit. Tum domina ſagaci pectore reuerens, ne famula alieni laboris pondere ſarcinata, Deum cum Virgine fallere conaretur obnoxia, ob [illegible] ſtatim oppoſuit verba, pro huiuſmodi facinoris culpa ipſam eandem confundere niſa. Mira dicturus ſum, quod ibi mox mira virtus affuit Chriſti. Cum ergò aduerſus famulam domina plurima proſequeretur indignans, illico ſacculus, de quo ratio ordinem texebat, cum [illegible] prioribus, ita, vt prius fuerat colligatus, atq; cenſitus, in gremio eiuſdem dominæ palàm eſt inuentus, ac ſi manu propria collocaſſet. Mirata oppidò, & verax quàm dici valeat domina, iam dicta cum famula, omniſq; domeſtica aſtans familia, nec à loco quidem vbi reſederat, audebat exurgere, verum cū tremore atq; pallore nimio Dominum ſedulò deprecabatur: deinde [illegible] conſilio, Archipreſbyterū accerſiuit, eiq; inopinatæ & inauditæ nouis temporibus rei veritatem per ordinem pandit. Auditis his præſens [illegible] qui aduenerat Preſbyter, recitata pſalmorum melodia, ſacculum, qui inuentus fuerat, illicò diſſuit, & oblatiunculas, quæ in eo latebant, Eccleſiis condonauit, ipſum

verò

verò ſacculum Salomoni Antiſtiti deſtinauit, quique eundem ad Virginis Monaſterium retranſmiſit, vbi ad laudem & nomen viuificæ Trinitatis hactenus conſeruatur illæſus, cuius regnum & imperium permanet in ſæcula ſæculorum.

De his duobus quæ ſupra perſtrinxi miraculis, me ſatis mirante, & ſi his aliquid in jam dicto Monaſterio ſimile factum ſit, curioſius inquirente, affuit qui deſiderii mei ſitim fluento occultatæ veritatis extinxit, & prælibata duo, nec cui viderentur ambigua, roborauit. Fuit quędam, inquit, fæmina, nobilis Franca, cui bis binos mater natura contulit natos. Ipſa eoſdem fortunali jure non deferens, ſed in ipſis crepundiis receptura. Nam floridæ viredinis vitreum decus, quod in ipſis initiis cœpit laxis artubus pullulare, mox ac ſi ex alto delapſu, fractis virium ſpectabilium cruribus, lugubri aggreſſum eſt diſſolutione langueſcere: quorum membra tenerrima ſuis ipſius viſceribus edita genitrix adſpiciens mœſta, culpabat ſua, quæ tam dulcia pignora lactauerant vbera, verbisq; triſtiferis luctuoſa congerens cantica, miſerabili voce clamabat: Heu me, tantum quia parituram dolorem, ſinus matris expoſuit! heu me, quia niuei pudoris honeſtatē mihi thorus cubitalis ademit! heu me, qa dū dolorē matris parturientis pdiens dempſi, & ipſa mater effecta, in memet eundem dolorē pariendi retorſi. Melius mihi, fateor, foret cōmune multis ac lugubre funus excipere, quàm ſobolis delicatæ dimiſſis orbibus mortem aſpicere. *Hæc* & huiuſmodi, vt moris amarè plangentium eſt fæminarum, verba congeminans, vt vidit jam vnius filii irreuocabilem horam oris portas attentius penetrare, quaſi vno amiſſo, alius potitura, cœpit ſollicitè necis parare obſeqa; quod dum fieret, paruulus vltimum clauſit diem. Eo i-

gitur mortis debitum capiente eadem, quæ in fratre vſq; ad metam prius graſſauerat peſtis ferali ignita furore, tráſiit ad vitalia fratris, quem quoq; dum more ſimili percuſſit, ſine dilatione extinxit. Inde nec ſic belua inſaniens ſatiata, tertium etiam terebrauit, & flatus exigui ſpiramina dempſit. Proh dolor, tum mater torua luminibus ſemetipſam aſpiciens, & eandem, quæ chara pignora tulerat, mortem ſibi ſæpius imprecans, tandem nutabunda fæminei corporis ſpe oculos inflectere nitebatur ad quartum. Dum ergò fluctiuaga id voluerет mente, affuit qui famam miraculorum ei ſacræ matris noſtræ VValdpurgis competenti panderet ratione, quam dum intenta aure excepit, quaſi ex intimo ſopore euigilãs, votum Dominò & virgini ſedulò vouit, vt ſi pueri mereretur digna exiſtere ſanitate, eundem ſecum ad eius baſilicam deportaret delato cum muliere. Miſeratori gitur & miſericors Christus lachrymoſorum ſingultuũ ſuæ volens miſereri ancillæ, & finem inferre mœſtitiæ, pepercit quẽ plaſmauerat puero, & doloris anguſtias tulit infirmo. Cumque genitrix valere creuiſſet infantem, obpandens ad ſuperos manus eum qui ſanat & percutit, in excelſis Dominum benedixit. Interea votum, quod prius ardenti deſiderio vouerat, ſollicita ad celebratione perficere feſtinabat, paratiſq; omnibus, quæ prolixi ſpatium poſcit itineris, optati niſa eſt aggredi tramitem callis. Igitur dum diſpoſitis cunctis iumenta jam onerata præmitteret, ipſa cum puero vehicula aſcenſura ſonipedalia ſola ad requirendum ſuperfuit pueri ſpata. Cumq; omni penitus domo euerſa nil omnimodis inueniſſet, diſcinctum ſecũ puerulum tulit, ac Domino commeante viam carpere cœpit. At vbi ſeà referentibus monaſterio cõperit ꝓpinquare, gaudẽs, q̃a fines optatos meruiſſet attingere, ab eo

quo,

quo, quo ille uſq; de laca exciterat, celeri cũ auiditate exiliẽs, pedeſtri deuotiſſima calle oratoriũ virginis conabat attingere. Tum tanta flaminum, imbriumq; immoderata extitit magnitudo, vt vix quis vehicularijs perfruens adiumentis, vſq; prouehi potuiſſet, planè ſuis impellentibus conſultius fore determinans, vt equitans quæſitura ſuffragia, virginis Monaſterium adiret ouanter. Vbi equũ ſcandere niſa eſt ſambucæ, familiaris preſſura puluinar, quæſitus jam dudũ diligenter, & non inuentus, diuinitus affuit mucro, & jacens patulæ in ſambucæ ſedile; mirantibus qui aderant vniuerſis, ipſum & non alium ſe præbuit ad videndum. Hoc dum ardenti cerneret pectore mater, quanta potuit celeritate Monaſterium adiit, valuas baſilicæ referta gemino tripudio rei ex parte intrauit, ſeq; cum ſuperſtite atq; hærede puero totam Domino & virgini conſignauit: mira quæ domi & in itinere directo contigerant, patulis & veraciſſimis labiis perorauit, ad indicium omnium enſiculum tradidit, ſeruari in ſeculũ humiliter in eadem Eccleſia poſtulauit, ſicq; benedictione potita, ad propria lætiſſima remeauit. Si quis igitur huic veriſſimæ rationi contraire conatus fuerit, ad idem Monaſterium viam tendat, ſpatam eandem muro depẽdentem aſpiciat; & dum eam ſtolidus creuerit, Chriſtũ per Sanctos ſuos, hæc & ſimilia horum maiora valere facere non diffidat.

Extitit quoq; mirabili quidam morbo caducus, & ita membris labeſcentibus fractus, vt aliter ad jam dictum oratorium nequaquam peruehi potuiſſet, niſi manſuetiſſimo impoſitus equo, ſtrictim in eodem vehiculo vinciretur. Is dum auxilium cœleſtis beneficii languenti corpore requireret, in eodẽ loco ante ſanctũ paſcha hebdomada ſeptimana veniẽs, aliquantũ tẽporis à ſuis gratia recuperãs

dæ ſanitatis dimiſſus eſt ibidem demoratus. Quadam ergò die Eccleſiam intrans, dum eadem, quæ ſæpius ruminabat, per neceſſaria verba ſingultuoſis vocibus replicaret, ſcilicet, Domina omnium te in fide quærentium benigniſſima mater miſeratrix adeſto miſero morbis omnibus labenti & deſtituto, & nunc jam ſuccurre peccatis obnoxio, opem fer munifica reo, & ſanitatem indigno ſolito præbe ſuffragio. Liubula Chriſti, & VValtpurgis ancilla deuota, miſericordiæ viſceribus tacta ſtaupulum, qui ob ſignum recuperandæ ſalutis pendebat, iuſſit deorſum vno pede dimitti, vt citius ad eum, qui in hoc fatigatus labore exſtiterat, exilire potuiſſet. Cumq; id celerrimè fieret, ac ſi ita dici queat, ſuã ſtaupulus haud valens ferre iniuriam, immò virginis, ad cuius pendebat ſignorum memoriam, diſpliceãte ſe, in quo pendebat funiculo, iterum ſe dimiſit inferius, inde nullo penitus cõtingente, idem ſeſe ſponte retorquens, funiculus, aſpicientibus penè qui aderant vniuerſis, ad priorem, vbi antequam dimitteretur ab homine extitit, rediit ſtatum. Tum diuinitus fateor tactus ægrotus, qui prius caſſo ad excutiẽdum eum laborẽ ſudauerat, protinus exiliuit, ſtaupulum fortiter excuſſit, & manente eo illæſo, pleniſſimam ſanitatem recepit.

Mirabilis Deus jugiter in ſuis, quos membra atq; amicos appellare dignatus eſt, Sanctis; incunctanter mirabilia faciens, terrificum nobis, in quos fines ſeculorum deuenerunt, nuper eſt oſtentare dignatus prodigium, vt reor, à ſæculis inauditum. Plurimis namq; à quatuor mundi partibus virginis, ſuper quã inſtans oratio texitur, locarium adeuntibus, venit etiam quidam agminibus ſe interſerens populorum, atq; baſilicam veniam precaturus intrauit. Vbi dum intimis viſceribus ſuis propitia-

culis Deum ſupplicaſſet, matrem familias * Liubilam cũ aliis inibi ſeruientibus virgini famulabus, grauido quaſi parturiente pectore accerſiuit; quiſq; eſſet, & vnde veniſſet, ac quam ob rem tanti ſpatii callo tranſpoſito, incognita rura quæſiſſet, euidenti innotuit ratione. Gratias, inquit, potentiſſimo Regi Regum, qui in me miſericordiam ſuam oſtendit, vindicta debita præeunte, vobis coram poſitus refero, dominæ quoq; meæ VValtpurgæ, ante cuius ſacrum altare conſiſto, grates ex corde rependo: quia mundi inſtantiis haud modica tellure luſtrata, deſiderii ſalutaris compos effectus, huius ſancti atrium Arciſterii merui contemplari; quo & de innumeris, quę commiſi, reatibus, auxilio virginis merear liberari; & mirum, quod in me virtus altiſſimi peregit meipſo, priusquam ab alio poſſit audiri. Dignum eſt enim, vt ad aures perueniat audientium, quid ſimplex Trinitas per merita paſſim Sanctorum operatur ſuorum; Et ne aliquis occulti ſupernæ maieſtatis fallere cupientem verba falſiloqua concinnare concedat, teſtor Deũ, in cuius conſpectu ante ſanctũ altare conſiſto, atq; per eius nomen terribile juro, Virginem quoq;, cuius in hoc loco ſuffragia requiſiui, cũ omnibus Sanctis teſtem adhibeo, non quidquam veriſimile, aut falſa prodere ratione, verùm vt contigit liquidiſſimo narrare ſermone.

al. Liubidam.

Anno igitur præterito quo famis acrimine tabes, inedia ſqualentes multos tam in vrbibus, quàm in vicinis protraxit ad necem, contigit vt duo præfatæ cladis anguſtias de loco ad locum peregrini quotidie fugitantes, dum quadam die viam famelici carperent, quo ſe verterent conquirentes, tertius quoq; ignoto in ceſpite eorum ſe jungeret itineri. Cumq; vt moris eſt gaudentiũ, inter ſe plurima fabularentur egentes, inter cæteraquæ

Digitized by Google

verbis obiecta ſunt verba, duo tertium percontari ſunt commeantem, quo itineris ſui callo directo tendere concitus voluiſſet. Qui ait; Euolutis jam olim diebus non modicis, quo famam glorioſæ in orbe referentibus plurimis audiui VValtpurgis, nunc ſupereſt, vt in quo cernitis tramite, ipſa eadem adminiculo præuia, locum adire debeam ſuæ manſionis. Tum illi, ſi, inquiunt, comes, vt aſſeris, illò greſſus fælicis itineris eundi direxiſti, habeto nos eiusdem ſocios callis, & noſtris fruere fraterna fabulatione colloquiis, vt ſimul viarum multarum diſcrimina tranſeuntes, mutuis fulciamur auxiliis, terroribus prępoſitis vniuerſis. Nam & nos ad eundem locum pergere diſponentes, victus pretioſi longè lateq; quærimus adiumentum, & nunc adhuc jeiuno ſtomacho gradientes vix greſſus figimus titubantes. Quibus conuiator pacificus ait. Eia fratres prolixi jam itineris anguſtias deponentes, & quod tempus eſt apta peregrinis ſedilia requirentes, frangamus gentacula reſidentes. Cumq; ſe faterentur nil communis habere penſi edulii, ait: Iam & nunc inuecti comitis membra ruri ſternite laſſa, & meis de cellariis congeſta ſumpturi cibaria quieti donate corpuſcula.

FINIS.

Nota

Notæ

IN VITAM SANCTI SOLÆ MONACHI.

fol. 545.

HAnc vitam S. Solæ, ſcriptam ab Ermenoldo, habui ex m. ſ. codice Rebdorfenſi. Sed quia poſtmodum ad me allatus eſt m. ſ. codex Windbergenſis optimæ notæ, in quo hæc vita copioſior & correctior, vnà cum quibusdam Epiſtolis, quas vitæ præmiſit, ideò hic eas vnà cum variis lectionibus damus. Notandum autem, illum, quem m. ſ. Rebdorfenſis vocat Ermenoldum, codex m. ſ. VVindbergenſis appellat Ermenricum, & Ermanricum. Et ſane vnus & idem eſt.

PRO.

PROLOGVS IN VITAM SANCTI SOLI MONACHI.

Alii Solam vocant.

DIlectiſſimo in Chriſto Gundrammo, eximii monaſterii, Erminricus conleuita tu licet indignus, deuotus tamen in Dño.

Dum vbiq; vrbanitate ac munimẽto diuinorum eloquiorũ cõptus, nec non & in cothurno ſublimis habearis, & dum latè ſeges Doctorum pene ad maturitatem ſit; ita vt vbicunq; Grãmatici ac Philoſophi Eccleſia in ſancta hymnidicos reſonent modos; miror multùm cur hos omnes, qui benè ſciuoli; ac, tibi ſunt in his notuli, prætereundo, me tenus perueneris; petens ac ſacramentis obteſtans, ceu minimam ac infimam paleam, granum quoddam, ad boni odoris paſtum elimare. Quod ita arduum ſenſui meo videtur, quantum ad tale opus minus à cernentibus judicor. ſed ad hęc ne obſiſterem, intuliſti illud Socraticum, Apis, inquiens, quod nequit viribus, conatur ingenio. Et cernis, quod fert formica folliculum ſibimet permaximum, ac per id ſtatura non deſpicitur, cum magnitudo oneris deportetur; licet leue ſit, quod velle conſtat. Hæc ita foreſ, res diuulgent. Sed tamen, vt Catholica fides tenet, no-

noſtrum eſt velle, & Dei omne bonum cœptum perficere; dum nec concipi quid boni poteſt, eo non incipiente, neq; perfici, ni ille adſit perficiẽs, qui & ordiens. Quapropter ſummis precibus ad auxilium noſtrum eſt ille petendus; qui propter nos dignatus eſt deſcendere in terram, vt ſummum granum, & æternum faciat fructiferum, ita vt peracta reſurrectione ſua, ſeges innumerabilis credentium orthodoxorum increuerit. *Amen*, ac Deo gratias vbiq; dicatur. Inde & deſcendit illud purum granum, odorem bonorum operum Deo & hominibus vbiq; ſpargens. *Solvs* vulgariter *Svalo* cognominatus, ex diſcipulatu S. Bonifacii, Monachus factus, cuius tu tantum modo & tugurium poſſides, & vitã deſcribere non ſolum poſcis, ſed & obnixius angis. Quod me tunc facere velle, cum Dei adminiculo profiteor; ſi venerabilem Abbatem domnum Rabanvm, tuum patruum licentiam ſcribendi petieris: vel potius, ſi permagni laboris non eſſet, ipſe dignaretur tanti viri ſigna annotare. Vel ſi hoc ob nimiam eius occupationem fieri nequeat, Rvodolfo in omni arte ex eius doctrina peritiſſimo, ſaluo domni Abbatis priuilegio, identidem iubeat. Ad vltimum ſi ſaltem tuæ mentis ſit id agere, 10
& hoc facias me prænoſcere. Opto me tecum
in Christo benè vbiq;
valere.

EPISTOLA GVNDRAMMI AD ERMANRICVM.

Charitate, qua DEVS *eſt, amato* ERMANRICO *Diacono & Monacho* GVNDRAMMVS *conleuita tuus æternam in Domino ſalutem.*

Sanè cùm ignorem me hactenus in actiua & periculoſa vita, & te ceu remotiorem à ſeculari militia poſitum in Theorica, non dubitem, quin recondetis me ſedulò, vt me Deus omnipotens conſeruet à mundi retiaculo. Et vt lectum habes ob deletionem criminum, & augmenta præmiorum, præſens hoc tempus à DEO indultum habemus. Quapropter frater mi licet diuerſo habitu, vni tamẽ ſeruiamus Domino, cuius onus leue eſt, cuius jugum ferre ſuaue, volenti tamen. Dein honoremus & Sanctos DEI deuota mente, ſeruitio quo poſſumus: quia bonam volũtatem Deus in nobis quærit, nec penſat quantum, ſed ex quanto ſeruiamus ei. Idcirco & te quaſi cæteris familiariorẽ popoſci, quatenus SOLI beati Monachi vitam & geſta conſcribas, vt meritis ipſius, tui laboris mercedem apud omnipotentem retributorem accipias, ac mihi in eo ſatisfacias; & vterq; cumulum ſudoris recipiat in futuro, ego petitionis, & tu ſcriptionis. Nam & multos actus eius agnouimus tam inſignes, & in vita huius lucis agentem, & poſt hanc vix comparabilia facientem: ita vt aliquem ex prioribus Eremicolis vel Antonium vel Paulum in eo mirareris. Quę nõ ſolum ex ore meo didiciſti, ſed & à ſuperſtitibus quibusdam, qui verba eius & opera hauſêre, indubius audiſti. Quapropter non pigeat te hanc viam nunc aggre-

aggredi, ſcilicet vt geſta eius breui & veraci periodo conſcribas: quia & maiora ocia te habere cenſui ob beatam conſuetudinem cœnobii: & ideo neminem alium laborātium ad hoc opus quæro: Nolis velis, acclamito, vt huius materiam cum Dei opitulatione incipias expoſco, Domini Abbatis patrui mei licentiam defero, & Rvodolfi oratoris tui preces annuncio, teq; ipſe efflagito, q̄n & ex amicabili familiaritate firmiter mando, vt & vera & manifeſta Dei opera luculento ſermone depingas, & in corrigendis & augendis Rvodolfvm adeſſe depoſcas, ad eius perſonā Prologum ſcarpſinans. Opto itaq; fraternitatē tuā vbiq; benè valere mecum in Christo, Amen.

Verſus Ermārici.

Verſus ab imo — Ordiar ergo.
Corde ſupernis — Iungere *Sanctis*,
Concupiendo, — Quatenus iſtic,
Facta beatum — Lætificent me, &
Semper in æuo — Gaudia longa.
Curre ideoq; — Muſa celebris:
Nolo pigreſcas, — Nolo deſiſtas:
Quin benè cantes. — O bone Chriſte,
Mitis & alme — Rector & auctor,
Quidquid in orbe — *Eſt* bene cretum,
Te tenus vernat; — Omnia recta
Incipiuntq; — Te exfiniuntq;;
Omnia tecum. — Tu mihi labrum
Rore ſuperno — Tangas ab alto,
Carmina cœlo — Vt pia pangam.
En Rvodolfe — Doctor amande,
Te peto ſcribens, — Corrigas vnca
Verba benignus, — *Et* plana firma,
Nec deme vera, — Quatenus iſta
Littera fuſca — Reddat habenda

 Nam

Nam neq; SOLVS | Ceſſat orando,
Quin foueat nos, | Hic & iu æuum
Remunerando. | Cuius erunt hic
Geſta notata | *Prima proplema*
Hactenus acta | *Suſcipe nauta.*

Omni in arte celeberrimo domno RVODOLFO *meo Didaſcalo* ERMINRICVS *ultimus omnium, ac indignus Leuita, plurimam æternãq; in Domino ſalutem.*

EX quo pater ſanctiſſime bonitatem ac doctrinam tuam aliquantulum prælibare * juueniori tempore, licet vt infans, qui magis optat ludere, quàm mores & Sophiam diſcere, ex hoc tamen aſſenſi, non quantus es, ſed vt quantula tunc virtus adfuit, quàm magni ac multiplicis ingenii vir ſapiens habearis. Nec tale lumen in te fore quiuiſſet, ni ex luce luminum ſcopos tua illuſtrata fuiſſet: quia omnis ſapientia à Domino DEO eſt, & ſpiritus vbi vult ſpirat, requieſcens ſuper humilẽ & trementem verba DEI. qua de re venerande Magiſter in multis deſidero profectum laboris tui, dum & omnibus, juxta Apoſtolũ, omnia factus es, mihi infirmo factus es ceu infirmus; quatenus vt aliger ſemiplumatus, firmior ex doctrina tua fiã, & quandoq; DEO gubernãte, in campum ISIO AGIOGRAPHE volare, ac quieſcere queam. Quod & te ſcio magis rebus, quàm verbis oſtẽdere malle, ſi tempus ſecũdum adeſſe poteſt. Interim paternitati tuæ intimare volui,

lui, quid ſuper petitione chariſſimi mei GVNDRAMMI tuæ mentis eſſet, vtrum incipiam, an vt inſipientium moris eſt, penitus denegem. Nam huiuſmodi non ſolum petebat, ſed & obſecrabat. Adiuro te per vitam meam amande, vt in amore Domini vitam ſancti SOLI Monachi conſcribas, propales, in quantum à fidelibus referentibus comperta ſint tibi, nec abneges deprecanti. Cui tã honeſtæ petitioni, licet laborioſæ, negare non potui. Iccireo & paternitatem tuam depoſco, vt vbicunq; in ſenſu vel ratione tibi videar titubare, paterno ſtilo emendes, quia & huius beati viri progreſſus vel vita tibi eſt notior, & ad corrigendam ſeriem orationis ideo aptior. Nã ego tantum ea, quæ auditu percepi, ſcribere malui, etſi non omnia, tamen ipſa, quæ à religioſis viris audieram, præterire dignum non cenſui. Quia in multis euidentioribus ſignis apparet, quam magni meriti ſit apud Deum omnipotentem iſte vir. Quapropter dimiſſa acedioſa excuſatione, ad narrationem, quamuis breuem, DEO annuente iam veniam, vt ſimul in CHRISTO benè ſemper tecum valeam. Amen.

INCIPIVNT CAPITVLA ſequentis libri.

1. Quibus temporibus, & quo Magiſtro ſit inſtructus, & de qua gente progenitus beatiſſimus Solus.
2. Quod ſolitudinem amauerit, & ob hoc cenſetur, ita vocatum locum & ipſum.
3. De æſtimatione nominis, & ipſius loci vocabulo.
4. In quo pago locus ipſe ſit ſitus.

5. Qualiter ad aures Domni Imperatoris Auguſti Caroli eius ſtudiũ delatum ſit, & firmatione Dominica circa ora loci ſupradicti.

6. Quod habuit ſui ſiluatici ſudoris adminiculatores domnum VVillibaldũ Epiſcopum, & germanũ eius VVunnebaldum Preſbyterum.

7. De eo, quod à natiuitate cæcum curauit, & claudicantem erexit.

8. Quod ſurdum ac mutum inuocato Chriſti nomine ſanauit.

9. De miraculo aſelli eius, cui in Chriſti nomine præcepit, ad morſum bidentium feſtinantem necare, & ſine mora accurrens momordit eum.

10. Tumba eius ab indigno Gundrammo renouata, qualiter odore ſuauiſſimo tota regia domus delectabiliter repleta ſit: Et quod in decem capitulis ſermone mecum ſuper eo ſuccingere malui.

INCIPIT VITA S. SOLI Monachi.

IN paganorum itaque, &c. quæ ad verbum conueniunt, cum iis, quæ dedimus ſuprà folio 544. exceptis his variis lectionibus, quas hoc loco apponere placet.

f.544.v,15.glorioſum] m.ſ. W ind. vitam glorioſorum belligeratorum, pro C. &c.

ib.v.pen quin] m.ſ. VV. quin cum Chriſto ſint in paradiſo gaudentes, qui tot ac tanta.

Digitized by Google

f.545.v.6 ſchemate] W.ſcammate.

Cap.1. *f.545.v.15.Sola*]in VV.vbiq; *S*olus appellatur.

ib.v.19.ſecundum] corrige:ſcilicet.

f.546.v.5.firmiore] VV.firmiores.

ib.v.7.contemneretur] VV.contemneret ſedis Ap. priuilegium,Romam adiit.

ib.v.14.Apoſtolo] VV.Apoſtolico.

ib.v.20.quando] VV.quin v.g.m.c.v.p.c.h.ſit.

Cap.2. *f.546.v.22.*Hic deniq; ,&c.

f.547.v.2. vllos] VV.vllos aridi ſeculi rumuſculos.

*ib.v.15.*SOLA] VV.*S*oli Domino.

Cap.3. *f.547.v.18.*Nempe & ipſe,&c.

f.547.v.20.cellam] VV.cellam Solonis.

ib.v.23.ipſam] VV.ipſam cellam B.SOLI,quàm

ib.v.24.locus] VV. Solus à mūdi actibus ſequeſtratus, Deo ſoli ſit coniunctus,ſolitudo ipſa eo cultore nomen ſuperſtite habebat.

ib.v.28.enim] VV.& lucernæ E.p.ac Clericorum.

f.548.v.2.ex fructu] VV.ex fructu tales rami,de quali radice proceſſerint.

f.548.v.3.Nunc nempe] Hic codex m. ſ. Rebdorfenſis mutilus eſt. VVindbergenſis verò integrè ita habet, & quidem caput quartum his verbis inchoat: Ante verò quàm ad exponenda eius miracula veniam, ratus ſum aliquid ſuccinctum edicere de ipſius loci ſitu,in quo beatus Chriſti confeſſor ſibi tugurium nobile ſtatuit.Quod licet exiguū ac vile viſui haberetur,proprio tamen ſtratis palatiis hoc delectabiliter poſitus eſt.In pago namq; SVALA vel domo ipſe loc⁹ ſitus eſt,habēs Oriētali ex parte flumē q; *ALCMONA nuncupatur,piſcibus copioſū, & maximè bimanes cancros ebulliens,naualiq; mercimonio aptum *al. Alcmona.* *al. Altmona.*

At

At ex Occidente dextra & ſemimeridionali plaga, ita vndique alpibus celſis circumceptus eſt, vt vix vnius difficillimi aſcenſus præbeat euntibus facultatem. Ex ſeptentrionali verò parte amnis ſupradictus veniens, decurrit ad Orientem ac Auſtrum verſus. Terra autem ibidem adiacens ſterilis eſt, nihilo illo pinguius Sigale gignit, ſed neque arborum, ac pice aliis aruis famoſiore. Hunc nempe in omnibus tam jocundabilem, ac delectabilem locum, &c.

f.548.v.11.dupiſſimis] VV. ditiſſimis.
ibid.14 ſacerdotem] VV. confeſſorem.

Cap. 5. *fol.548.v.17.Cumque enim*] VV. cùm enim ſ.
f.548.v.21.tamen] VV. tandem.
ib.v penult.VVimbaldum] VV. VVimbaldum g. c. p. a lapidici laboris.
f.549.v.7.Fuldenſe] VV. Fuldanenſium.

Cap. 6. *fol.549.v.18.Ex muero*] VV. Ex muero priſcis in geſtis.
ib.v.antep.calculoſum] VV. clanculum.
f.550.v 17.viſibus] VV. viſibus teſtimonium l.o.
ib.v.18.munitus] VV. adiutus.
ib.v.21.interitus] VV. interitus ipſius diaboli l.

Cap. 7. *f.550.v.26.Nec hoc*] VV. nec non & hoc prætereundum non cenſeo.
f.551.v.6.Quod quidem] Hæc verba vſq; ad, quod dictum eſt, non ſunt in m. ſ. VVindb.

Cap. 8. *fol.551.v.penult.* Sane & hoc.
f.553.v 17.Ducta] Hæc verba vſque ad obſecro non ſunt in W.
ib.v.29.chariſſimus] meus chariſſimus, quomodo cellulæ

eius

eius æditus eſt poſitus, qui Regis erat Capellanus. adnectere ſtudeo ociori pennula, & ſic volo ſequens capitulum c.t.s. &c.

Cap.9. *f.553.v.vlt.* Orationis itaq.

f.554.v.9.naribus] VV.manibus.

ib.v.24.patris] Rabanum intelligit.

f.550.v.6.ore] VV.odore.

Cap.10. *f.556.v.20.* Poſthæc verò cum.

f.557.v.16.martyrian] VV.martyrium.

f.558.v.3.numerus] VV.numerus ſcilicet vt qui in.

FINIS.

Digitized by Google

Variæ lectiones
IN
VITAM
S. BONIFACII
ſcriptam
A
S. VVillibaldo,
Ex
Membranis m.ſ. Monaſterij VVindbergenſis in Bauaria.

F*Olio 341. v. 10. percepto*] m.ſ. VVindberg. Præcepto piæ [illegible] effectu p. & v. non propria ludi literalis ſcientiæ.

f. 342, v. 9. noſtro] veſtro.

f. 346. v. 12. Adeſtancaſtre] Adeſcaneaſtre.

f. 348. v. 18. intentione] mente.

ibid.

ibid.v.23.Nhutſcelle] Nhutſcelle & B.m.VVicberti.

f.[illegible] v.22 [illegible]] [illegible]

f.352.v.23.VVoſt] Evvoſt, Saxonum Rege Carolo, ſubi-tanca.q.

f.35[illegible] v.3.Bræckvvaldum] Berechtvvaldum.

ibid.v.[illegible] VVynbercht] VVynbertti & VV. q.m.q.d. Tyuſ-purch,& Beorvvald.

f.355.v.11.Trech] Treche.

f.357.v.10.probaredum] cohæredum.

ib.v.13.quippe] hæc vox in m.ſ.VV.non eſt.

ibid.v.20.præmeretur] præmeretur & in q. ſe v. p. ignoraret.

f.358.v.3.Lundenvvich] Ludenvvic.

ib.v.7.Cuent] Cent.

ib.v.25.& nouiſſimo priorem] Hæc verba non ſunt in m.ſ. VVindberg.

f.359.v.15.Iair] Iari.

ib.v.24.ſuſceptus] ſuſceptus, laſſis ex itinere membris requieſcebat.

ib.v.27.incognitas] incognitosq; Bayvariorum & confines G.

f.360.[illegible] Rathbod] Radbone.

f.361.v.antep.prædiceret] corrige ex VV. prædixit.

f.362.v.3 tangi] tacti.

ib.v.7.ſtudio] ſtadio.

f.363.v.16.Dectic] Dectic videlicet & Doruſf.

f.365.v.2.peregrinus] peregrino x.f.s.f.q. vt otium mihi temporis.

f.367.v.16.Robur Iouis] Robur Iouis, in loco q.d. Geſmeri.

ib.v.20.intraſſe] intraſſe.

ib.v.antep.metallo] materia.

*f.*368.*v.*9.*Theotbaldi*] Theobaldi.
*ib.v.*17.*Hunred*] Hunrad.
*f.*369.*v.*3.*Ordorp*] Orthorpf.
*f.*370.*v.*13.*confertur*] conferatur.
*ib.v.*14.*Hutperti*] Hugaberti.
*f.*371.*v.*8.*Lilitbrandum*] Liobrandum.
*ib.v.*27.*Erembricht*] Erembrecht, qui ſuper ... Eccleſiam ſpeculatoris f.p. T. Gallal.
*f.*373.*v.*23.*Elberthtus*] Adalberth.
*f.*376.*v* 11.VV.*Ethſtet.*
*ib.v.pen.*VV. prouexit.
*f.*378.*v.*5.VV.Æimere.
*ib v.*20.*Eccleſiasq;*] VV.Eccleſiasq; ... delubrorum.
*ib.v.*23.*Doban*] Eoban.
*ib v.*25.*Tribod*] Trecht ... VValthere, ſimul & Æthelhere s. p. o. p. Hamund & Scirbalt ... rus VVaccar & Gundacker, Illebe ...
*f.*379.*v.*7.*Ostor*] Ostor & VV ... r.s.
*f.*380.*v.*23.*turba*] turba vi ...
ib.v 25.*mag.*] magna ſe dilatatam ...
f 381.*v.*2.*tentata*] corrige ex VV ... cta pecuniarum æ. ſermocinarentur, ... inimicitia i. vt f.e.v. inſanientes turba in d. ... 3 d e. 2. q. ſanctos antea Martyres.
*ib.v.*10.*Martyris*] Martyris ... & intemerati magno poſtea dilapſo temporis ſ.
*ib.v.*25 *maiorem*] maius.
Ib.penult. exin] corrige ex VV.exitus.
*f.*382.*v.*2 *expeditionem*] expeditionem exercitus cõſiniũ t.
*ib.v.*16.*deuitarunt*] deuitarent & p.a.d.d.q.e.v.r.e.m.d.i. m.p.ſuſciperent.

*ib.v.*20.

ib v.20. VV. Ælmere.
ib. v penult. Hadda] Hadda.
f.383.v.13 gloccum] cloccum.
ib.v 16.proculſeu] corrige ex VV. perculſi.
ib.v.17.corporis] corrige ex VV. corpus.
ib.v ult. velut] velut ab vno eodemq; horæ momento p-
[illegible]] corrige ex VV. exuberabat.
ib.v.4.amicum] corrige ex VV. amiſſum.
ib.v.6.exederent] corrige ex VV. crederent.
ib.v.15.obſeſſi] obſeſſi perueniunt locum a.
ib.v.23.mentes] corrige ex VV. mente ſunt capti.
ib.v.29.quinquag.] m.I. VV. habet hãc numeri notam, du-
[illegible] DCCLII.
ib.v.pen. Nonarum] Nonarum Iunii.

Laus Deo, Virginiq; MARIÆ.

INGOLSTADII

Ex

Officina Typographica Ederiana, apud Andream Angermarium.

ANNO M. DCIII.

Digitized by Google

INGOLSTADII

Ex

Officina Typographica Ederiana, apud Andream Angermarium.

M. DC. III.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google